UNIVERSITY OF ILLINOIS
LIBRARY

Class 871 Book C7.Yfam Volume

CLASSICS
DEPARTMENT

P. W. Grauert.
1831.

R. E. Georges
1856.

Lode

DIONYSII LAMBINI

MONSTROLIENSIS

TULLIANAE EMENDATIONES.

Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign

http://archive.org/details/tullianaeemendat00lamb

DIONYSII LAMBINI

MONSTROLIENSIS

IN UNIVERSITATE LITTERARUM PARISIENSI OLIM
REGII PROFESSORIS

TULLIANAE EMENDATIONES.

H 211

EX EDITIONE CICERONIS OPERUM LAMBINIANA
PRINCIPE REPETITAS

ACCURAVIT

FRANC. NICOLAUS KLEIN
SILESIUS.

UNIVERSITY OF ILLINOIS
URBANA

ACCESSIT PICTURA LITHOGRAPHICA MANUM D. LAMBINI REPRAESENTANS.

CONFLUENTIBUS
IMPENSIS IACOBI HOELSCHER.
MDCCCXXX.

871
C7.Yam

PRAEFATIO EDITORIS.

Lambinianam Ciceronis scriptorum quae extant recensionem omnium maxime probatam fuisse *Iacobo Facciolato*, viro Latine doctissimo et Ciceroniana lectione in primis trito, audivisse se e docto quodam Italo testatur *Io. Aug. Ernestus*, et ipse in hoc litterarum genere vir nemini postponendus (vide illum Opusculis Philologicis p. 149.). equidem non sine certa ratione ita iudicavisse *Facciolatum* existimaverim; et quae in perfecto critico Ciceroniano requiruntur ab *Ernesto*, criticorum principe, primum, *exquisita Latinitatis scientia in singulis verbis formisque dicendi*, deinde *eadem in analogiae linguae universae, ut in temporibus, modis, similibusque*, tum *sensus venustatis, concinnitatis, numeri atque soni orationis Ciceronianae, usus* denique *rectus et accuratus librorum antiquorum quum scriptorum tum editorum cum ingenio odorandae verae lectionis per vestigia eius in libris antiquis:* horum pleraque in Lambino reperias, quandoquidem unum habere illa omnia perdifficile sit, et natura humani ingenii ita comparata videatur, ut per plures distributae primariae illae virtutes appareant, quae si coniunctae fuerint in aliquo, criticum efficiant quo nihil possit esse praestantius, id est, talem, qualem cogitatione tantum et mente complectimur.

Ac de *Lambino* quidem quid iudicandum sit, accurate dictum ab *Ernesto* pluribus locis, imprimis Praefatione Operum Ciceronis p. XXXVI. sqq. adde ab *Orellio* disputata p. Praef. VIII. sqq. sed quod ille quum eo loco quem dixi, tum alibi exagitat *Lambini* in tanto opere nimiam festinationem (quae

204375

quanta fuerit, pro temporum scilicet illorum ratione, ipse *Lambinus* prodidit Commentariis Horatianis ad I. Satirr. 4, 101. p. Francofurt. 50. A. Confluentinae editionis P. 2. p. 75., quo loco usus sum ad III. Epp. ad Atticum 13. p. Ernest. 638., mihi p. 390.), eiusdemque non satis bonam fidem in laudandis auctoribus unde profecerit, denique immoderatam in refingenda lectione vulgari licentiam: is est error communis eorum, qui Lambiniana recensione minus diligenter usi sunt, quo in numero est ipse quem dudum laudo *Ernestus*, eoque nomine et alii reprehensionem iustam vix effugiant, qui sunt minime cum Ernesto comparandi. unus est *Io. Casp. Orellius*, vir accuratae doctrinae et egregiae industriae, qui quanta sit Lambinianae editionis praestantia et ipse summo cum fructu expertus est, et alios, qua via ingrediendum sit, utili sane exemplo edocuit. sed ne is quidem tantum praestitit quantum potuit, communi errore hominum deceptus, qui post *Gruterum* et *Gebhardos*, maledicentissimos homines, *Lambinianam lectionem* quam vulgo iactant ex iis exemplis, quae *Lambini* nomen falso praeferunt, maxime Genevensi *Gothofredi*, tanquam unico fonte hauriunt, ignari prorsus eorum, quae monuit *Ernestus* Opusculorum Philologicorum p. 150., item Praefat. p. XXXVIII. ceterum ille non immerito id agit, ut magnum operae suae meritum in integra *Lambini* lectione reponat. in quo negotio nonnulla parum diligenter administrata esse a viro diligentissimo, praesertim in tanta confusione lectionis vere Lambinianae et earum editionum, quae post *Lambini* mortem inde ab a. 1573. prodierunt, nemo humanarum virium iustus aestimator mirabitur. accessit una res parva, quae tamen eiusmodi est, ut non leve momentum faciat. praeclaram illam et rarissimam editionem Parisiensem a. 1565. et 1566. vitiis operarum foede commaculatam esse, ipse *Lambinus* testatur quum alibi, tum Commentariis Horatianis ad I. Satirr. 4, 101., quem locum supra laudavimus. aliam causam aeque probabilem edidit Vol. 4. p. 626. «si qua alia erunt errata vel typographi, »vel eorum qui huic editioni praefuerunt, meminerit lector, »*opere in longo fas esse obrepere somnum*, ut ait *Flaccus*.» idem vero sapienter monuit Vol. 4. p. 623. «lege *Omissa* ex Indi»cibus et Annotationibus, quae sunt pag. seq., et *Errata ope*«*rarum*.» sed haec et alia eiusmodi, quae passim occurrunt in

Annotatione *Lambini*, surdis auribus narrantur iis qui praefuerunt *repetitionibus Lambinianis* quas dixi, hominibus fortasse non indoctissimis sed parum diligentibus, ipsi etiam *Gothofredo*, quem multa simul fefellerunt; et non pauca hoc nomine peccavit etiam *Orellius*. nempe singulis voluminibus a *Lambino* subiecti sunt Indices Erratorum, non pleni illi quidem (multa enim *Lambino* imprudenti ac nolenti exciderunt), sed tamen plura continentes, quae negligi non possunt sine magno lectionis Tullianae damno. id vero et illi quicunque fuerunt (*Lambini* filium fuisse nonnulli auctores sunt) adeo neglexerunt, ut ne Addenda quidem per plures tomos dissipata, utpote intra biennii spatium, quo Lambinianum opus librarios exercuit, diversis temporibus conscripta, colligerent, compararent, comparata suis locis reponerent; et ipse *Orellius*, vir diligentissimus, ab isthoc genere hominum deceptus, maioribus etiam curis distentus, eos Indices magno suo damno intactos reliquit. en exempla huius negligentiae.

Tomo Primo. Rhetoricorum ad Herennium libro primo C. 12. §. 21. Vol. 1. p. Orell. 11. *cistellam.* «sic L. in textu 1. »2. 3. ∽ *sitellam* codd. aliq. pr. Lamb. qui in seqq. quoque »malebat *sitellas.*» at *Lambinus* in Omissis et Addendis Tom. 1. p. 380. «lege *sitellam*» — Ibid. C. 15. §. 25. p. Orell. 13 »*Pompilius* Cdd. aliq. L.» correxit *Lambinus* in Indice Erratorum p. 384. — Libro secundo C. 2. §. 3. p. Orell. 16. *et ab simili turpitudine hominem nunquam abfuisse. Lambinus* in Ind. Erratorum p. 384. «afuisse.» vide Annotationem p. edit. nostrae 77. 88. 176. 223. 237. 252. 289. 341. 390. — Ibid. C. 13. §. 20. p. Orell. 24. *conicito.* »sic leg. e ∈. Bosii apud L. Cdd. omnes »corrupti. *conicito* e T. et multis Cdd. dedi pro *coniicito.* ce»terum in ed. L. prima, *oratione pagunt.* = *condicunto (condicito* volebat).» *Lambinus* in Indice p. 384. «*ante meridiem cau»sam coniicito* vel *conicito.*» cf. Annotationem p. 9.— Ibid. C. 23. §. 35. p. Orell. 31. *ex eo quod ipse facturus est.* «*es* L. errore »typogr.» correxit errorem *Lambinus* p. 384. — Ibid. C. 26. §. 42. p. Orell. 34. *aperte fatur dictio.* «sic Cdd. L. 1. 3. — *Apertae* »i. e. Apollinis: Memm. ∈. prob. L. recepit Sch. 2. sed est ma»gis ingeniosa quam vera. in L. priore, invito Lambino, typo»thetae dederunt *Pythius* pro *dictio.*» volebat *Lambinus* in Indice

p. 384. *Apertae fatur dictio.* cf. Annotationem p. 11. — Libro tertio C. 4. §. 7. p. Orell. 43. *aut ab aliquibus sociis.* «sic L. »1. 2. 3.» sed omittendum istud *ab* Lambinus censebat in Retractatis p. 384. — Ibid. *vel ab insinuatione* (*vel*) *iisdem rationibus.* Lambino reponendum videtur p. 384., *vel ab iisdem rationibus.* — Ibid. C. 6. §. 11. p. Orell. 45. *quod ita tractati simus.* « — *sumus* L.» Lambinus p. 384. «*simus.*» — Ibid. C. 9. §. 17. p. Orell. 48. *haec igitur duplex dispositio est.* Lambinus p. 24, 36. sic habet, *haec igitur duplex expositio est.* correxit p. 384. *dispositio.* — Ibid. C. 21. §. 34. p. Orell. 56. *iam domuitionem reges Atridae parant.* «ita Victorius emendavit. L. 1. 2. 3.» Lambinus p. 28, 49. *domuitionem* habet, *domutionem* sive *domitionem* maluit p. 384. cf. Annot. p. nostra 14. — Libro quarto C. 4. §. 7. p. Orell. 63. *nunc, quae separatim dici possunt, consideremus.* «*possint* L. (*nunc separatim, quae dici possint,* »*consideremus* C2d. ap. Lamb.).» reponendum quum ex Annotatione p. 16. tum ex Indice Erratorum p. 384., *nunc separatim, quae dici possunt, consideremus,* illud *possint,* librariis acceptum referam, qui sic dederunt quum invito tum imprudente Lambino. — Ibid. C. 22. §. 31. p. Orell. 76. *summo labore animum ad virtutem a pueritia confirmavit.* «hanc L. ∈. confirmavit Duisb. Sch. 2.— «*confirmavit* T. L. 1. 3.» correxit Lambinus p. 384 vid. Annotat. p. 17. — Ibid. C. 23. §. 33. p. Orell. 77. *aut obfuturum illis e contrario.* « — *illis* om. T. L.» reponendum ex Indice Erratorum p. 384. *aut illis obfuturum e contrario.* — Ibid. C. 43. §. 55. p. Orell. 92. *et auditoris animum commovemus.* «—*commovea-* »*mus* Lamb. in marg. 1584.» sic correctum ab Lambino p. 384.

Rhetoricorum qui sunt *de Inventione* libro primo C. 5. §. 6. p. Orell. 106. *officium esse dicemus.* Lambinus in Indice p. 384. *officium esse dicimus.* — Ibid. C. 10. §. 13. p. Orell. 110. *partis eius, quod hic dicit.* « sic Iu. L. 1566. 1. 2. 3. ∽ *quam* T. alii »pauci. Lamb. in marg. 1584.» id est, in Indice Erratorum p. 384. — Ibid. C. 14. §. 19. p. Orell. 113. *nam non ut quidque dicendum primum.* « — *quodque* Iu. L. » maluit et Lambinus p. 384. *quidque.* — Ibid. C. 21. §. 62. p. Orell. 166. *qui patris pupilli heredes secundi sunt.* Lambinus in Indice Erratorum p. 384. videtur sic voluisse, *qui patris pupilli, qui secundi heredes sunt.*

nam et hoc loco, ut alibi, operarios ille dicto parum audientes, aut certe minus diligentes habuit.

De Oratore libro primo C. 4. §. 14. p. Orell. 203. *incredibili quodam nostri homines dicendi studio flagraverunt.* Lambinus p. 384. sic maluit, *discendi studio flagraverunt.* — Ibid. C. 17. §. 79. p. Orell. 215. *et hercule etiam studium illud discendi acerrimum defuit.* Lambino placuit, *studium dicendi acerrimum,* deleto provocabulo. mutavit deinde sententiam in Retractatis ad calcem Vol. 4. p. 624. vide Annotationem p. nostra 35. itaque non inscite Gothofredus Tom. 1. p. Laemar. 165. id ipsum, quod habet Orellius, marg. 1584. auctoritate firmatum, Lambino acceptum refert. — Ibid. C. 28. §. 126. p. Orell. 223. *et ad quamquemque artem putabat esse aptum.* » e. Cdd. 1. 2. 3. — *ad quam-*»*cunque artem* Iu. L. Grut.» correctum ab Lambino p. 384. neque ignoratum Gothofredo p. Laemar. 171. — Ibid. C. 31. §. 137. p. Orell. 225. *non negabo, me ista omnium communia et contrita praecepta didicisse.* «*communia contrita* L. errore typogr.?« sic opinor, operarios male sedulos habuisse Lambinum. dederunt illi pro sua oscitantia p. contextus 121, 16. *cumunia contrita,* eoque nomine parum castigantur ab Lambino p. 384., quem sic voluisse credo, *communia et contrita,* ut est apud Gothofredum p. Laemar. 173. — Ibid. C. 40. §. 181. p. Orell. 233. *nobilissimum atque optimum virum consularem.* «e Cdd. *Sch.* 2. »3. ∽ *atque consularem* Cdd. aliq. offendit tamen *atque* sic re-»petitum. ∽ *ac consularem* Iu. — L. 1566. Ern. 1. malim cum L. »marg. 1584. *et consularem,* ut infra C. 54. *homo Romanus, et* «*consularis.*» habet Lambinus p. 384. — Ibid. C. 59. §. 251. *nemo dicendi studiosus Graecorum more et Tragoedorum voci serviet.* «— *et* delevit L. male iungens *tragoedorum voci.*» secutus est hanc rationem Lambinus p. contextus verborum Ciceronis 134, 31., retractavit in Indice Erratorum p. 384., ita ut repositum maluerit, *Graecorum more tragoedorum, voci serviet.* — Libro secundo C. 4. §. 16. p. Orell. 256. *vel hoc sim quotidiano tuo sermone contentus.* « — om. *hoc* L.» addendum ex Indice Erratorum p. 384. — Ibid. C. 28. §. 121. p. Orell. 278. *ut et concilientur animi, et doceantur, et moveantur.* « — *et ut* L.» castigantur librarii ab Lambino p. 384. — Ibid. C. 49. §. 200. p. Orell. 295. *ad causam nostram converteram.* « — *converterem* L. err

»typogr.?» vide Indicem p. 384. — Ibid. C. 54. §. 217. p. Orell. 299. *inveni autem ridicula et salsa multa Graecorum.* «— *falsa* «L. pro errore typogr. habuissem, nisi sic vet. Steph.» vide Indicem Lambini, p. 384. —Ibid. C. 83. §. 338. p. Orell. 324. *si quoquo animi vitio dictum esse aliquid videatur.* «—*quo* L.» id vero acceptum librariis referam. vid. Indicem p. 384. — Libro tertio C. 16. §. 61. p. Orell. 343. *hinc discidium illud exstitit quasi linguae atque cordis.* «sic Iu. Ern. 1. 2. 3. — *dissidium* Man. L.» retractavit Lambinus p. 384. itaque Gothofredus p. Laemar. 266. «alii libri vulgati, *dissidium illud.* male. est enim *discidium* a «*discindo*» vid. Annotationem p. nostra 55. 289. 318. 439. 554. et cf. Commentaria Lucretiana ad 1, 221. p. 39. — Ibid. C. 36. §. 147. p. Orell. 361. *nec philosophorum quemquam desidero.* «—*quendam* L. 1566.» sed vide Indicem p. 384. nec aliter Gothofredus p. Laemar. 279., nisi quod de suo haec addidit: «for»tasse, *neque philosophorum quenquam desidero.*»

Bruto C. 14. §. 56. p. Orell. 391. *licet aliquid etiam de. M. Popillii ingenio suspicari.* Lambinus p. contextus 212, 7. sic dederat, culpa fortasse librariorum, *de M. Popilli ingenio.* vulgaris genitivi forma placuit eidem p. 384. — Ibid. C. 21. §. 83. p. Orell. 397. *at oratio Laelii de collegiis non melior, quam de multis quam voles Scipionis.* «—*de collegis* N. L. in marg. 1584. »*a collegis.*» et sic Gothofredus p. Laemar. 305., *a collegis*, inquam, praescripto Lambini nomine. sed vide hunc in Retractatis p. 384. alterum illud *de collegis*, id est, ut equidem opinor, *de collegiis*, antiqua scriptura, habet et Romanum exemplar a. 1469. — Ibid. C. 23. §. 89. p. Orell. 399. *T. Libone tribuno plebis populum incitante.* Lambinus p. 384. sic maluit, *L. Libone.* praenomen omisit, incertus fortasse utrum poneret, Gothofredus p. Laemar. 306. — Ibid. C. 26. §. 102. p. Orell. 401. *Mucius autem augur, quod pro se opus erat, ipse dicebat.* «sic »ed. Rom. prob. Rivio. M. Grut. Ern. 1. 2. 3. — *quod per se* »*opus erat, ipse dic.* N. Iu. Crat. — *quod peropus* [non *per opus*] »*erat, ipse per se dicebat.* L.» dederant operarii, invito Lambino. reponendum ex Indice Erratorum p. 384., *quod opus erat, ipse per se dicebat.* dictoque audientem habuit Lambinus Gothofredum p. Laemar. 308. — Ibid. C. 33. §. 127. p. Orell. 406. *huic successit aetati C. Galba.* «— *P. Galba* Nor. margo Crat. L.» sed vide hunc

in Erratis p. 384. — Ibid. C. 45. §. 168. p. Orell. 414. *qui accusavit C. Fimbriam, M. Marii Gratidiani pater.* «sic Man. Lamb. »in marg. 1584. Ern. 1. Ell. 3. v. Beier. ad Offic. Tom. 2. p. »303. — *patrem* Cdd. N. Iu. Crat. L. 1566. Sch. 2.» sed castigavit hoc nomine librarium Lambinus p. 384. vide et Gothofredum p. Laemar. 318. — Ibid. C. 54. §. 200. p. Orell. 420. *mittentem ad horas, quaesitorem, ut dimittat, rogantem.* absurde operarii Lambini sic dederunt p. contextus verborum Ciceronis 228. 31., *mittentem ad horas quaesitorem, ut dimittat rogantem.* in quo sequacem habuerunt illi Gothofredum p. Laemar. 323., quanquam non ignarum correctionis Lambinianae. — Ibid. C. 74. §. 258. p. Orell. 432. *et adhibenda tanquam obrussa ratio, quae mutari non potest.* «sic Victor. Grut. Ern. 1. 2. 3. — om. *tanquam* »*obrussa* L.» sed vide Indicem p. 384. et cf. Annotationem p. nostra 75. sq. — Ibid. C. 88. §. 302. p. Orell. 442. *partitiones, quibus de rebus dicturus esset, et collectiones, memor; et quae essent dicta contra, quaeque ipse dixisset.* «nota *et quae — quae*- »*que*, nisi pro *et* legendum *eorum.*» delendum censuit Lambinus in Indice Erratorum p. 384. vide et Gothofredum p. Laemar. 341.

Oratore C. 5. §. 18. p. Orell. 453. *disertos ait se vidisse multos, eloquentem omnino neminem.* Lambinus sic dederat p. 248, 14. *loquentem omnino neminem.* retractavit in Indice p. 384. — Ibid. C. 6. §. 21. p. Orell. 454. *est autem quidam interiectus inter hos, medius; et quasi temperatus.* « — *interiectus* «*intermedius* N. Iu. Crat. L.» et Lambinus sic habet p. 384., *interiectus*, inquam, *inter hos, medius.* non tamen paruit Gothofredus, quem vide p. Laemar. 353. — Ibid. C. 8. §. 26. p. Orell. 455. *summissus a primo.* «sic L. Ern. 1. 2. — *summissius* N. Iu. »Crat. M. Grut.» et Lambinus alterum maluit Indice Erratorum p. 384. paruitque corrigenti Gothofredus p. 353. — Ibid. C. 23. §. 77. p. Orell. 465. *sunt enim quidam* (*ut scis*) *oratori numeri* (*de quibus mox agemus*) *observandi ratione quadam.* «—*quidem* »L.» operarum manifestissimo errore. «ꝏ. *oratorii* O1x. Iu. Crat. »M. L. lectio admodum memorabilis.» *oratori* tamen maluit Lambinus p. 384. vide Gothofredum p. Laemar. 362. — Ibid. C. 44. §. 150. p. Orell. 481. *ne extremorum verborum cum insequentibus primis concursus aut hiulcas voces efficiat aut asperas* « — *nec* L.» sed vide Indicem p. 384. — Ibid. *nemo ut tam rusti-*

cus sis, qui vocales nolit coniungere. «sic Ald. In. Crat. M. L. »Ern. 1. 2. ∽ *quin* edd. vett. Nor. Grut. prob. Victorio et Lamb. »in adnott. v. Ern. et Schneider. Lat. Gramm. 1. p. 166.» vide Indicem Lambini et Annotationem p. nostra 87. — Ibid. C. 45. §. 154. p. Orell. 482. *dein etiam saepe et exin pro deinde et exinde dicimus.* Lambinus sic reponi iussit p. 384., *et dein pro deinde, et exin pro exinde dicimus.* — Ibid. C. 46. §. 155. p. Orell. 483. *texitur, exitium examen rapit.* «— *capit* N. — *capiti* L. ma»le. cf. de Divin. 1, 31.» et Lambinus *rapit* quam *capit* sive *capiti* maluit. p. 384. — Ibid. C. 58. §. 198. p. Orell. 494. *in dicendo autem nihil est propositum, nisi ut ne immoderata, aut angusta, aut dissoluta, aut fluens sit oratio.* « — *aut ne* Nor. In. »M. L. 1566. = *ne aut* L. in marg. 1584.» alterum habet Gothofredus, quem vid. p. Laemar. 382., hoc reponendum p. contextus 270, 35., auctore Lambino in Retractatis p. 384. — Ibid. C. 63. §. 212. p. Orell. 496. *fluit omnino numerus a primo tum incitatius brevitate pedum, tum proceritate tardius.* « — *quum* (cùm) »L. solus.» miror Lambinum, in Indice Erratorum p. 384. eadem illa reponentem, *numerus a primo*, quae leguntur p. contextus 272, 17. voluitne, quod reliqui omnes habent, *tum incitatius?*

Topicis C. 5. § 27. p. Orell. 510. *quo ex genere quaedam interdum nobis definienda sunt.* maluit p. 384. Lambinus, *vobis definienda sunt.* vid. et Gothofredum p. Laemar. 396. — Ibid. C. 11. §. 46. p. Orell. 514. *sequitur similitudinem differentia rei, maxime contraria superiori.* Lambinus p. contextus verborum Ciceronis 280, 37. sic habet, mutata distinctione, *sequitur similitudinem differentia, rei maxime contraria superiori.* in Retractatis p. 384. abesse iubet istud *rei* sive, ut alii habent, *res.* itaque Gothofredus p. Laemar. 399. «fortasse, inquit, *differentia, maxime contraria.*»

Partitionibus C. 17. §. 60. p. Orell. 539. *quorum dissolutio in brevitate non lucebit.* «sic Clx. Nor. prob. Lamb. Sch. 2. »— *in brevitate lucebit* miro errore Ern., quasi sic voluisset »Lamb., etsi habet sic Ox. alter. — *in brevitate latebit* In. Crat. »M. Grut.» et Lambinus p. 293, 47. sic habet, *in brevitate non latebit.* maluit tamen p. 384., hunc locum retractans, alterum, *in brevitate non lucebit.*

Tomo Secundo. Oratione *pro Quinct.* C. 19. §. 60. Vol. 1. P. 1. p. Orell. 19. *neque quemquam attinebat id recusare, quod praetor, non fieri, sed ex edicto suo fieri iubebat.* «— *quod* »*praetor non ex edicto fieri suo iubebat* L. 1566.» reponendum ex Indice Erratorum p. 848., *quod Praetor fieri non ex edicto suo iubebat.* cf. Annotationem p. nostra 117.

Oratione *pro Roscio Amerino* C. 38. §. 107. p. Orell. 52. *eum qui indicii partem acceperit.* Lambinus p. 31, 8. sic habet, *qui iudicii partem*, correxit p. 848.

Oratione *pro Roscio Comoedo* C. 13. §. 37. p. Orell. 71. *quo tempore? abhinc annis IV.* « ∽ *V.* L.» id est, p. contextus verborum Ciceronis 42, 47. sed ex Indice Erratorum p. 848. reponendum, *abhinc annis IV.* est hoc «aliorum» apud Gothofredum p. Laemar. 56., ubi nonnulla turbantur. sic enim ille: «L. *abhinc annos LV.* alii, abhinc *ann. IV.*»

Divinatione *in Caecilium* C. 14. §. 47. p. Orell. 85. *sin mecum, in hac prolusione, nihil fueris.* «—*praelusione* L.» sed vide Indicem p. 848. et cf. Annotationem p. nostra 132. — Ibid. C. 21. §. 67. p. Orell. 89. *res umquam ulla commovit.* Lambinus p. 54, 2. *res unquam illa.* correctum in Indice Erratorum p. 848.

Actione prima *in Verrem* C. 1. §. 2. p. Orell. 91. *quum sint parati, qui concionibus et legibus hanc invidiam senatus inflammare conentur.* «— *contentionibus* Leid. St. L.» sed vide Lambinum p. 848. Gothofredus p. Laemar. 73. «vetus codex, *contentionibus.* mendose» — Ibid. C. 10. §. 30. p. Orell. 97. sq. *Q. Manlium et Q. Cornificium, duos severissimos atque integerrimos iudices, quod tribuni plebis tum erunt, iudices non habebimus.* «sic »iam Crat. ∽ *habemus* Leid. Ven. Iu. St. L.» vide Indicem p. 848. — Ibid. C. 14. §. 40. p. Orell. 100. *quo me tandem animo fore putetis, si quid in hoc ipso iudicio intellexero simili aliqua ratione esse violatum atque commissum?* « ∽ *putatis* L. in »marg. 1584. Sch. 2.» vide Indicem Lambini p. 848. et Gothofredum p. Laemar. 82., ubi corrigendum *putatis.* — Ibid. C. 18. §. 54. p. Orell. 103. *quum accusatio nostra in oblivionem diuturnitatis adducta sit,* «sic Cdd. edd. vett. Ven. Iu. Crat. L. »Beck. ∽ *diuturnitate* Hervag. Grut. Graev. 3. Ern. 1. Sch. 2. »arbitraria videtur correctio.» placuit tamen Lambino in Indice Erratorum p. 848. vide Annotationem p. nostra 134. — Ibid. C.

18. §. 55. ead. pag. *illud a me novum, iudices, cognoscetis, quod ita testes constituam, ut crimen totum explicem; ubi id interrogando, argumentis atque oratione firmavero, tum testes ad crimen accomodem.* «in marg. 1584. L. probat Hotom. susp. »*ut interrogando crimen totum explicem; ubi id argumentis at-*. »*que oratione firmavero.* non recepit 1566.» sed tamen habet Index Erratorum p. 848. hoc modo, *ut crimen totum explicem interrogando.* vide Annotationem p. nostra 134. et Gothofredum p. Laemar. 84.

Accusationis libro primo C. 1. §. 1. p. Orell. 104. *quod iste certe statuerat ac deliberaverat non adesse.* Lambinus p. 848. sic maluit, *statuerat ac deliberarat.* — Ibid. C. 5. §. 12. p. Orell. 106. sq *quaerat non modo, quemadmodum nostro crimini, verum etiam quo pacto suae confessioni possit mederi.* «—*vestro* «St. L.» sed hic *nostro* dedit in Indice Erratorum p. 848. paruitque Gothofredus, quem vide p. Laemar. 87. — Ibid. C. 21. §. 55. p. Orell. 117. *quid de Flaminino, qui regem Philippum et Macedoniam subegit?* Lambinus p. 71, 20. *quid de Flaminio,* errore tralaticio, quem in librariis Latine non doctissimis notavit Drakenborchius ad Livii 39. 51, 1. Tom. 11. p. repet. edit. 538. ex Indice Erratorum p. 848. reponendum, *quid de Flaminino?* quanquam Gothofredus p. Laemar. 96. auctor est, Lambinum dedisse, *quid de T. Flaminio?* — Ibid. C. 55. §. 146. p. Orell. 142. *si quid operis causa rescideris, reficito.* « ∽ *re-* »*sciderit* L.» sed retractanti hunc locum placuit alterum, atque ita reponendum p. contextus 86, 13. erravit et Gothofredus p. Laemar. 117. — Ibid C. 59. §. 154. p. Orell. 145. *a signo Vertumni.* reponendum ex Indice Erratorum p. 848. *a signo Vertuni.*

Accusationis libro secundo C. 7. §. 19. p. Orell. 151 *ad everrendam provinciam.* «*evertendam* Ven. Iu. Crat. L.» sed correxit Lambinus in Retractatis p. 848. hi sunt «alii» apud Gothofredum p. Laemar. 125. — Ibid. C. 56. §. 138. p. Orell. 183. *viro fortissimo atque innocentissimo Sex. Peducaeo praetore.* corrige Orellium I. Accus. C. 7. §. 18. p. 108. scribentem pro Peducaeo *Paeduceum.* erravit eodem modo Lambinus. vid. V. D. de scriptura nominis accurate praecipientem in *Iahnii* Annalibus Philologg. et Paedagogg. a. 1829. Vol. 11. fasc. 3. p. 349. — Ibid. C. 56. §. 139. p. Orell. 184. *hoc si tuus inimicus tibi fecisset,*

tametsi animo aequo provincia tulisset, inimici iudicium grave videretur. «sic Ven. Iu. Crat. L. = *tamen etsi* cod. Mureti (Var. »Lectt. 11, 17.) Grut. seqq. 1. 2. 3. B. — *tamen si* ed. 1584. »Oliv.» *tamen si* maluit Lambinus in Indice Erratorum p. 848., idque receptum ab Gothofredo p. Laemar. 151. vide Annotationem p. nostra 145. — Ibid. C. 71. §. 176. p. Orell. 194. *ergo equites Romani, qui te suo iudicio condemnarunt, horum iudicio condemnari noluerunt.* «sic Grut. Graev. 3. Ern. 1. B. e codd. »item Sch. 2., nisi quod ∽ *horum te iudicio* de Lamb. suspic. »— *ergo equites Romani te suo iudicio condemnari voluerunt* Ven. »Iu. L. 1566. sicque Crat. Naug., nisi quod *noluerunt.* — *ergo «equites Romani, qui te suo iudicio condemnarant, horum iudicio «condemnari noluerunt* cd. Nann. Steph.» hoc ipsum Lambino placuit p. 848. vide Annotationem p. nostra 146. Gothofredus p. Laemar. 159. «L. *ergo equites Romani, qui te suo iudicio con»demnarunt, te horum iudicio condemnari noluerunt*».

Accusationis libro tertio C. 5. §. 10. p. Orell. 202 *propterea quod in iis omnibus, quae antea dicta sunt, erat quaedam ex ipsa varietate ac novitate rerum ac criminum delectatio.* Lambino reponendum videtur, p. Ind. 848., *ex ipsa varietate ac novitate rerum et criminum delectatio.* vide et Gothofredum p. Laemar. 166. — Ibid. C. 26. §. 65. p. Orell. 218. *et tantum apud te quaestus Apronii, tantum eius sermo inquinatissimus et blanditiae valuerunt, ut nunquam animum tuum cura tuarum fortunarum cogitatioque tangeret?* «— om. *ut L.*» castigati operarii in Indice Erratorum p. 848. vid. Gothofredum p. Laemar. 179. — Ibid. C. 32. §. 75. p. Orell. 222. *quum iam privatim aratores.* «—*privati* cod. Nann. St. L.» sed v. Indicem p. 848. deinceps Lambinus, *decumas tritici medimnum XX. milibus,* auctore etiam Gothofredo, quem vide p. 182. inserendum Orellianis. — Ibid. C. 33. §. 76. *haec civitas mulieri redimiculum praebeat, haec in collum, haec in crines.* « — *in redimiculum* de Hoto»mani ∈. L. 1566. ipse postea improbavit.» in Indice Erratorum p. 848. vide et Annotationem p. nostra 149. tum quod deinceps laudatur tanquam excogitatum ab Lambino *ducebat*, in his, *qui se regem Siculorum esse ducebat,* erravit Orellius cum Gothofredo p. Laemar. 182. dedit Lambinus, quod et alii maluerunt et ipsi probatur Orellio, *dicebat.* — Ibid. C. 49. §. 116

p. Orell. 234. *haec sunt ad tritici medimnum XC., id est, tritici modium IↃXL millia*, «— *medimni XC. milia* L» placuit Lambino in Retractatis p. 848. *medimnum*, non *medimni*, commentum operarum. vide Annotationem p. 151. et cf. Gothofredum p. Laemar. 191., quanquam hoc auctore sic dedit Lambinus, *medimnum XC. millia, id est, tritici modium IↃXXX. millia.* Ibib. *C.* 61. §. 141. p. Orell. 243. *quid interfuit, homo audacissime, utrum hoc decerneres, an id, quod Apronius dictitabat, tu de te profiterere ac dictitares?* «— *decerneres quod Apronius* »*dictabat* (sic) St. L.» sed vide Indicem p. 848. paruit recta praecipienti Gothofredus p. Laemar. 198., cuius etiam illud est, *tute de te*, non Gruteri vel Ernesti. — Ibid. C. 79. §. 183. p. Orell. 257. *tabellarius, cuius adventu certiores facti petiverunt.* «ceterum ∽ *adventus* pro *adventu* L.» operarum errore. vide Indicem p. 848.

Accusationis libro quarto C. 12. §. 29. p. Orell. 285. *ut eas per illum ipsum inspiceres.* Lambinus p. 848. maluit, *inspiceret.* particula ignorata repetitionibus Lambinianis. — Ibid. C. 49. §. 110. p. Orell. 312. *hoc iste e signo Cereris avellendum asportandumque curavit.* «— *in signo* L.» correctum in Indice Erratorum p. 848.

Accusationis libro quinto C. 21. §. 55. p. Orell. 341. *en foederum interpretes.* «— *an* L.» tu vide Indicem p. 848. — Ibid. C. 53. §. 139. p. Orell. 366. *satis est factum Siculis, satis officio ac necessitudini, iudices, satis promisso nostro ac muneri recepto.* «sic e Cdd. Lambini (Manut.) B. Sch. 2. ∽ *promisso* »*muneri ac recepto* Cdd. pleriq. Ven. Iu.—Cam. Grut. Ern. 1.» et sic Lambinus p. 848., *promisso nostro*, inquam, *ac recepto.* vide Annotationem p. 176. erravit Gothofredus p. Laemar. 291.

Oratione *pro Fonteio* C. 2. §. 3. p. Orell. 396. *ut semper populo Romano parerent.* «— *paterent* C.» vide Indicem p. 848.

Oratione *pro Caecina* C. 7. §. 21. p. Orell. 413. *tam temere istum re commissurum, quam verbis minitabatur, nemo putavit.* »— *denuntiabatur* e Cld. L. 1566. postea volebat, *denuntiabat.*» id est, Annotatis ad h. l. p. nostra 185. sed vide et Indicem Erratorum p. 848. — Ibid. C. 19. §. 55. p. Orell. 423. *quin unus homo, familia non sit.* «*unius* L. errore typogr.» correxit errorem Lambinus in Indice p. 848. — Ibid. C. 28. §. 81. p. Orell.

432. *placet causam iuris et aequitatis, et, non nostrae possesionis, sed omnino possessionum omnium, constituere in verbo?* «— *omnino* (sic) L. errore typogr.?» vide Indicem p. 848. oscitantes isti operarii sic dederant, *sed omnino possessionum omnino.*

Oratione *pro Lege Manilia* C. 9. §. 22. p. Orell. 445. *maximam vim auri atque argenti.* «-- *maximamque* L.» operarum errore. — Ibid. C. 18. §. 54. p. Orell. 455. *quae satis late quondam mare tenuisse dicitur.* «— *et quae* L. errore typogr.» vide Indicem p. 848.

Oratione *pro Cluentio* C. 13. §. 39. p. Orell. 472. *in quo inter allegatos Oppianici nomen primum esse constabat.* «v. *inter allegatos* pro gloss. medii aevi primum habuit L. delevitque in ed. 1566. quasi barbare sic interpretatus esset v. *primum*, deinde accessit pessimae Turnebi suspicioni: — *inter alligatos*, culpae affines.» vide Annotationem p. nostra 198. et Indicem Erratorum ab Lambino confectum p. 848. — Ibid. C. 45. §. 128. p. Orell. 497. *aut illud afferant, aliquid esse, quod de iis duobus habuerint compertum: de ceteris * non comperisse.* «— *at illud quod afferunt, nihil est: aliquid esse, quod de his duobus habuerint compertum: de ceteris nihil comperisse* L. 1566.» locus ab Lambino retractatus et correctus p. 848. sic enim voluit, *nam illud quod afferunt*, et reliqua, ac deinceps, nobis C. 46. §. 128., *iam illud quidem minime probandum est.* vide Annotationem p. 201. sed alia omnia narrat Gothofredus p. Laemar. 380. primum affirmat ille, sic esse apud Lambinum: *namque illud, quod afferunt, nihil est: aliquid esse, quod de his duobus habuerint compertum, de ceteris nihil comperisse. ne illud quidem probandum est, ad notationes auctoritatemque Censoriam exemplum illos a consuetudine militari transtulisse.* tum idem «alios» ita legere auctor nobis est, *iam illud quidem minime probandum.* — Ibid. C. 62. §. 173. p. Orell. 512. *iam vero illud quam non probabile, quam inusitatum, iudices, quam novum, in pane datum venenum? faciliusne potuit, quam in poculo? latentius potuit abditum aliqua in parte panis, quam si totum colliquefactum in potione esset?* « — *quam inusitatum — faciliusne potuit.* haec in L. 1566. exciderunt errore typogr.» correcti operarii in Indice Erratorum p. 848. vide Annotationem p. 203. — Ibid. C. 65. §. 182. p. Orell. 515. *ne colonum forte adfuisse*

dicatis. «sic Ven. Iu. Lall. Sch. 2. — *afuisse* L. Graev. 3. — »*abfuisse* (contra sensum) Crat. Grut. Ern. 1. B.» *afuisse* Lambinus in contextu quidem verborum Ciceronis p. 283, 27., sed *affuisse* reponendum ex Indice Erratorum p. 848. vide Annotationem p. nostra 204.

Oratione prima *de Lege Agraria* C. 6. §. 18. p. Orell. 53. *qui locus, propter ubertatem agrorum abundantiamque rerum omnium, superbiam et crudelitatem genuisse dicitur, ibi nostri coloni, delecti ad omne facinus, a decemviris collocabuntur.* «—*propter* post v. *omnium* collocat L.» operarum est error, corrigendus ex Indice quem dudum laudo, p. 848.

Oratione prima *in Catilinam* C. 11. §. 27. Vol. 2. P. 2. p. Orell. 14. *non hunc in vincula duci, non ad mortem rapi, non summo supplicio mactari imperabitis?* «L. om. *in* errore typogr.» sed correxit errorem p. 848., castigatis pro merito librariis. praeterea notandum Lambinum sic dare p. 319, 42., *non hunc in v i n c l a duci, non ad mortem rapi?* et reliqua. et sic *in vincla duci*, non *in vincula* habet codex Duisburgensis, quo denuo post Grimmium (vid. Joh. Hild. Withof's Kritische Anmerkungen über Horaz u. s. w. 6tes St. S. 165. ff.) usus sum, habent edd. Coloniensis et Romana, de quibus dixi ad Orationem pro Sex. Roscio Amerino C. 9. §. 24., Annotationis p. 122., et ad I Catilin. C. 2. §. 4. p. 213. — Ibid. C. 13. §. 32. p. Orell. 16. *obsidere cum gladiis curiam.* Lamb. p. 320, 30. sic habet, *obsistere cum gladiis*, idemque „alii" habere narrantur apud Gothofredum p. Laemar. 448. sed vide Indicem p. 848. et Annotationem p. nostra 216. sq. — Ibid. §. 33. *hisce ominibus.* «— »*omnibus* Cdd. aliq. L. 1566» operarum error. vide Annotationem p. 217. neque paruit tamen Lambino recta praecipient Gothofredus p. Laemar. 448. iam illud *omnibus* ut est absurdum sane, ita multum habet firmamenti a libris quum scriptis tum editis

Oratione quarta *in Catilinam* C. 4. §. 7. p. Orell. 41. *punctum temporis frui vita et hoc communi spiritu.* «sic ed. 1584. Grut »seqq. — *per punctum* Cdd. aliq. ed. 1480. ∽ *puncto* Ven. L. sed hic correxit p. 848. ceterum solus Gudianus videtur haber *punctum temporis*, reliqui quos equidem memini vel *per punctum* vel *puncto* referunt. vide Annotationem p. nostra 220.

Oratione *pro Flacco* C. 21. §. 51. p. Orell. 95. *abduxisti Temno Apollonidem.* «— *Apolloniam* L.» sed correctum in Indice Erratorum p. 848. vide Annotationem p. 232. ignarus huius correctionis Gothofredus p. Laemar. 508. *Temno Apollonidem*, excluso etiam verbo. — Ibid. C. 30. §. 74. p. Orell. 102. *adductus est in iudicium Polemocrates de dolo malo.* «— om. *de* L. «1566.» operarum errore. vid. Indicem p. 848.

Oratione *pro Sylla* C. 1. §. 1. p. Orell. 114. *tum singulari Autronii odio.* «— *Antronii* edd. vett. — L. 1566.» sed ipse Lambinus ubique maluit *Autronius*, verissima huius nominis scriptura, idque notatur in Indice Erratorum p. 848. ad p. Lamb. 317, 18. nobis C. 2. §. 7. vide Annotationem p. nostra 237. — Ibid. C. 10. §. 31. p. Orell. 122. *quod quum is tribunus plebis facit, qui unus videtur ex illis ad lugendos coniuratos relictus, nemini mirum est.* «sic etiam A. — *quod tamen* e Cdd., ut ait, L. — «*quod is* pseudo — Cd. Henr. Steph. Iu.» Lambinus sic repraesentavit hunc locum p. 376, 3. *quod tamen Tribunus plebis facit, qui unus*, et reliqua. sed provocabulum loco motum excidit invito Lambino, qui operas non immerito castigavit Tom. 2. p. 848. paruerant illi tamen in parte Annotationis, cuius quae huc pertinet particula, p. nostra 238., ea praefixum lemma habet hoc, *quod tamen Tribunus plebis facit is qui*, et reliqua.

Oratione *pro Archia poeta* C. 5. §. 11. p Orell. 145. *et testamentum saepe fecit nostris legibus et adiit hereditates civium Romanorum.* «— *nobis* L.» est in erratis operarum p. 848.

Oratione *ad Quirites post Reditum* C. 3. §. 6. Vol. 1. p. Orell. 578. *aut Metellarum liberi.* «— *Metellorum* Iu. L. Ern. »1. Sch. 2.» correxit Lambinus loco suo, in Retractatis p. 848. vide Annotationem p. nostra 246.

Oratione *pro Domo* C. 22. §. 57. p. Orell. 601. *utrum si dies dicta esset, iudicium mihi fuit pertimescendum? an sine iudicio privilegium?* nec aliter Lambinus p. 412, 42. sed mutavit loci distinctionem in Retractatis p. 848. hoc modo: *utrum, si dies dicta esset, iudicium mihi fuit pertimescendum, an sine iudicio privilegium?* — Ibid. C. 31. §. 82. p. Orell. 608. *etiam quibus damnatis interdictum est.* «-*quibusdam* Cdd. Iu. L.» sed vide Indicem p. 848. et Gothofredum p. Laemar. 586. — Ibid. C. 34. §. 92. p. Orell. 611. *non tam insolens sum, quod Iovem*

esse me dico, quam ineruditus, quod Minervam sororem Iovis esse existimo. Lambinus sic dederat p. 418, 25. *non tam insolens sum, qui Iovem esse me dicam: non tam ineruditus, qui Minervam, Iovis filiam, meam sororem* (non, ut habet Gothofredus p. Laemar. 588., *sororem meam*) *esse existimem.* reponendum ex Indice Erratorum p. 848. *non tam ineruditus, qui Minervam, Iovis filiam, Iovis sororem esse existimem.* vide Annotationem p. nostra 260.—Ibid. C. 53. §. 137. p. Orell. 623. *tum censorem, hominem sanctissimum, simulacrum Concordiae dedicare pontifices in templo inaugurato prohibuerunt.* — «*inaurato* »L. errore typogr. ?» vide Indicem p. 848. et cf. Annotationem p. 262. — Ibid. C. 56. §. 143. p. Orell. 625. *quorum si iste sceleratissimis manibus tecta sedesque convellit.* »— om *si* L. 1566. »postea tentavit *etsi.*» inserendum istud *si* ex Indice Erratorum p. 848. vide Annotationem p. nostra 263.

Oratione *pro Plancio* C. 22. §. 53. Vol. 2. P. 2. p. Orell. 174. *an una fieri potuerunt, si una tribus non tulissent? at nonnullas punctis paene totidem.* »— *quum punctis nonullas paene* »*totidem* L. 1566.» sed idem, mutata distinctione, locum sic refinxit p. 848., *quum punctis nonnullas paene totidem?* dubitabitis, inquit, quin coitio facta sit, quum non solum tribus plerasque cum Plotio tulerit Plancus, verum etiam nonnullas punctis paene totidem tulerit? vide Annotationem p. nostra 272. — Ibid. C. 30. §. 72. p. Orell. 181. *scilicet homo sapiens excogitavi, quamobrem viderer maximis beneficii vinculis obstrictus, quum liber essem et solutus.* «— *beneficiis vinculis* L. errore typogr.» correxit Lambinus p. 848. vide Annotationem p. 273.— Ibid. C. 42. §. 102. p. Orell. 190. *salutem tibi iidem dare possunt, qui mihi reddiderunt.* «—*idem* antiqua scriptura A. [id est, Ambrosiani Scholiastae lemmata, p. edit. Mediolan. repet. 181.] »edd. aliq.» in his et Lambiniana a. 1566. correxit Lambinus p. 848.

Oratione *pro Sextio* C. 4. §. 11. p. Orell. 195. *audite litteras, et vestram memoriam ad timoris praeteriti cogitationem excitate.* «—*cognitionem* L. solus.» errore librarii. vide Indicem p. 848. et cf. Annotationem p. nostra 276. — Ibid. C. 34. §. 74. p. Orell. 218. *quum omnes certatim, alius alio gravius atque ornatius de mea salute dixissent.* «sic Steph. in contextu.

»L. prob. Gar. — *aliusque alio* ceteri.« sed et Lambinus sic maluit p. 848. vide Annotationem p. 281. — Ibid. C. 52. §. 111. p. Orell. 231. *is interfuit epulis et gratulationibus parricidarum.* Lambinus p. 479, 10. sic dederat, *patricidarum.* id correctum in Indice Erratorum p. 848. maluit ille hoc quidem loco *paricidarum.* vide quae annotantur ad Milonianam C. 7. §. 17. p. nostra 305. — Ibid. C. 55. §. 117. p. Orell. 232. sq. *quo quidem tempore, quid populus Romanus sentire se ostenderit, utroque in genere declaratum est: primo, quum, audito senatus consulto, † ore ipsi atque absenti senatui plausus est ab universis datus: deinde, quum senatoribus singulis spectatum e senatu abeuntibus,* loci corrupti signum apposuit Orellius V. D., quem vide p. 233. et O. M. Muellerum notis ad Sextianam p. 149 in Lambiniana p. 480, 13. sic est, *quum audito S. C. auctor ipsi.* reponendum ex Indice Erratorum p. 848. *auctori ipsi.* vide Annotationem p. nostra 285.

Oratione *pro Balbo* C. 5. §. 13. p. Orell. 316. *quae est enim ora, quae sedes, qui locus, in quo non exstent huius quum fortitudinis, tum vero humanitatis, tum animi, tum consilii impressa vestigia?* Lamb. p. 517, 20. *tum concilii impressa vestigia.* correctum in Indice p. 848. — Ibid. C. 15. §. 34. p. Orell. 323. *et quum duo fulmina nostri imperii, subito in Hispania, Cn. et P. Scipiones, extincti occidissent.* et Lambinus p. 520, 47. habet *fulmina,* sed *lumina* maluit quum in Annotatione p. nostra 295., tum in Indice Erratorum p. 848.

Oratione *in Pisonem* C. 1. §. 1. p. Orell. 335. *hic eos, quibus erat ignotus, decepit, fefellit, induxit.* — »*hic in fraudem* »*homines impulit, fefellit, in fraudem induxit* vitiose L. 1566. »volebat ut nos.« verum est, in Lambiniana sic esse p. 526, 30. *hic in fraudem homines impulit, hic eos, quibus erat ignotus, decepit, fefellit, in fraudem induxit.* sed haec *in fraudem*, nescio quo casu ante *induxit* posita, eiicienti Lambino operae non paruerunt. vide Annotationem p. 298. et Indicem Erratorum p. 848. — Ibid. §. 3. *sed nihil comparandi causa loquar: attamen ea, quae sunt longissime disiuncta, comprehendam.* »*ac tamen* Crat. Herv. F. L. 1566. Grut. Graev. 3.« correxit Lambinus p. 848. — Ibid. C. 10. §. 23. p. Orell. 342. *quid? tu in lictoribus et in toga praetexta esse consulatum putas?*

»—sic dedi de Garat. susp. — *in toga et praetexta* omnes prae»ter Sch. 2., qui de Turnebi Є: — *in toga praetexta.*« placuit ed. Lambino idem reponenti in indice Erratorum p. 848. — Ibid. C. 36. §. 89. p. Orell. 365. *post inde Thasum cum tuis teneris saltatoribus.* »*Tharsum* vel *Tarsum* omnes meae »ante ed. 1584.« in Lambiniana a. 1566. utique legitur p. 521, 33. *Tharsum*, errore tralaticio, sed reponendam ex Indice Erratorum p. 848. *Thasum.* vide et Annotationem p. 304. — Ibid. C. 37. §. 91. *Arsinoen, Stratum, Naupactum.* »— *Ar»sinoam Thracum, Neopactum* priores, etiam F. et L. 1566.« sed vide Lambini Annotationem p. nostra 304. et Indicem Erratorum p. 848.

Oratione *pro Milone* C. 5. §. 11. p. Orell. 373. *dat ipsa lex potestatem defendendi; quae non hominem occidi, sed esse cum telo hominis occidendi causa vetat.* »sic Colon. C2d. Lag. »prob. L. Heum. et G. qui [] *modo.* — *quae non modo homi»nem occidi* ceteri, etiam P.« sed vide Lambini Annotationem p. nostra 305. et Indicem Erratorum p. 848.

Orationum *Philippicarum* secunda C. 38. §. 99. p. Orell. 485. *hanc tibi esse cum Dolabella causam odii dicere ausus es.* Lambin. p. 603, 50. sic habet, *hanc tibi esse cum Dolabella odii causam* (non, ut habet Gothofredus p. Laemar. 852., *causam odii*) *dicere ausus*, intercepto substantivo, quod est addendum ex Indice Erratorum p. 848. et addidit Gothofredus p. laudata. — Decima C. 2. §. 5. p. Orell. 552. *quid est aliud, librarium Bruti laudare, non Brutum?* »— *quam librarium* Iu. »St. L. (hic invitus).« vide Annotationem p. 332. et Indicem p. 848. — Undecima C. 8. §. 20. p. Orell. 566. *legio Martia et legio Quarta ita se contulerant ad auctoritatem senatus et rei publicae dignitatem, ut deposcerent imperatorem et ducem C. Caesarem.* »— *contulerat* Iu. L. Grut.« correxit Lambinus p. 848. vide et Gothofredum p. Laemar. 913. — Decima tertia C. 20. §. 46. p. Orell. 597. *intelligit, maximam pietatem conservatione patriae contineri.* »— *consuetudine* L. errore typogr.« correxit errorem Lambinus p. 848. vide et Annotationem p. nostra 335., quo loco ab operis meis item erratum est, me quidem invito et nolente. dederunt illi, quamvis a me castigati, *servatione* pro *conservatione.*

Declamatione *in Ciceronem* C. 2. §. 3. Vol. 1. p. Orell. 689. *quum tibi alius Tusculanam, alius Pompeianam villam exaedificabat.* Lambin. p. 671, 32. *quum tibi alius Tusculanum*, consentiente Gothofredo p. Laemar. 946. maluit tamen Lambinus *Tusculanam*, id est villam, p. 848.

Declamatione *in Sallustium* C. 1. §. 2. p. Orell. 691. *et ipsius aures calent.* »sic Cdd. L. C. agnoscit Forcellinus [et Nizolius a Facciolato castigatus p. 110, 1.]. ∽ *callent* Ern. 1.« hoc et Lambino placuit secundis curis, p. 848. — Ibid. C. 3. §. 10. p. Orell. 692. *omniaque, quae commoverat, pace et otio residerunt.* »sic Cdd. L. — *resederunt* C. Ern. 1.« et Lambino placuit in Retractatis p. 848. *resederunt*, tenuitque Gothofredus p. Laemar. 950.

Tomo tertio. Epistolarum libro secundo ep. 15. Vol. 3. P. 1. p. Orell. 61. *Caesarem honestum esse cupio.* » – *Caesari* »*honestissime cupio* c. — *Caesari honestissime esse cupio* L.« substantivum abesse cum Cratrandrina iussit Lambinus in Indice Erratorum, qui tomo tertio subiectus est, p. 566. paruitque Gothofredus Tom. 3. p. Laemar. 29. vide Annotationem p. nostra 343. — Libro tertio ep. 10. p. Orell. 80. *quum maximis suis rebus coactus a me invitissimo decessisset.* Lambino placuit in Retractatis p. 566., quod est apud Gothofredum p. Laemar. 44., *invitissime.* vide et Annotationem p. nostra 346. — Ibid. p. Orell. 81. *cuius sermo stultus et puerilis.* a Lambiniana a. 1566. abest *sermo*, librariorum incuria, quos hoc nomine castigavit Lambinus p. 566. — Libro quarto ep. 5. p. Orell. 92. *an illius vicem, credo, doles.* »∽ *at* L. rursus e Cld. Re»gio Lall. 2.« sic dederat Lambinus p. 38, 35. *at illius vicem, credo, doles.* sed retractavit locum in Indice Erratorum p. 566. paruitque corrigenti Gothofredus p. Laemar. 55. vide et Annotationem p. nostra 347. — Ibid. ep. 9. p. Orell. 98. *is utitur consilio, ne suorum quidem, sed suo.* » — *ne suo quidem, sed* »*suorum?*« sed vide Annotationem p. 347. cum Indice Erratorum p. 566. et cf. ab Gothofredo notata ad h. l. p. Laemar. 59. — Libro quinto ep. 20. p. Orell. 126. *te certe in pecunia exacta ita efferre ex meis rationibus relatis non oportuit.* » — *certe* «*pecuniae exactae rationem referre* L.« id est p. contextus verborum Ciceronis 57, 27. ex Indice Erratorum p. 566. et Go-

thofredo in margine Laemar. p. 83. inserendum *abs te*, ut sit, *certe pecuniae abs te exactae rationem referre.* vide Annotationem p. nostra 352. — Libro sexto ep. 17 (Lambin. 18.). p. Orell. 147. *tum velim mihi credas accedere id etiam, quo magis expetam promissum tuum, quo in litteris uteris.* »— *accidere* »Vb. I. 3.« sed *accedere* corrigendum ex Indice Lambini p. 566. itaque Gothofredus p. Laemar. 99. »alii«, inquit, *accidere.* — Ibid. p. 20. (Lambin. 21.) p. Orell. 149. *ne illud quidem non quantivis, subito, quum certi aliquid audieris, te istinc posse proficisci.* Lambin. p. 70, 7. *ne illud quidem negligendum, quamvis subito, quum certi aliquid audieris, te istinc posse proficisci.* reponendum ex Indice Erratorum p. 566. *posse istim te proficisci.* vide Annotationem p. nostra 354. Gothofredus p. Laemar. 101. »v. c., *istim.*« tum auctor idem nobis est, Lambinum ita legere, *ne illud quidem non quantivis, quamvis subito, quum certi,* et reliqua. — Libro septimo ep. 1. p. Orell. 152. *aut in equo Troiano crateraram tria millia.* »sic »N. A. C. V. L. 1. B. 2. — *creterrarum* Md. — *cetrarum* 3. »Є Luen. cf. Osann. Anal. crit. p. 5.« sed vide Lambini Annotationem p. nostra 355. et Indicem Erratorum p. 566. — Ibid. *aut armatura varia peditatus et equitatus in aliqua pugna.* »—*pe»ditatus equitatus, ut in aliqua pugna* L.« sed illud *et* inserendum fuit ex Indice Erratorum p. 566. — Ibid. p. Orell. 152. *his ego tamen diebus, ludis scenicis, ne forte videar tibi non modo beatus, sed liber omnino fuisse, dirupi me paene in iudicio Galli Caninii, familiaris tui.* vide Lambini Annotationem p. nostra 355. et Indicem Erratorum p. 566. cf. Gothofredum p. Laemar. 104. — Ibid. ep. 9. p. Orell. 158. *adhuc non potuit perducere.* »— *potui* L.« errore librarii. castigavit oscitantiam hominis Lambinus p. 566. — Ibid. ep. 12. p. Orell. 160. *ubi porro illa erit formula fiduciae, ut inter bonos bene agier oportet?* »— *et ut inter bonos bene agier* (del. *oportet*) L.« hoc falsum. Lambinus sic dedit p. contextus 76, 15., *ubi porro illa erit formula fiduciae, et inter bonos bene agier?* sed eximendum istud *et* idem monuit in Indice Erratorum p. 566., paruitque monenti Gothofredus p. Laemar. 110. vide Annotationem p. 356. — Ibid. ep. 20. p. Orell. 170. *quod quidem si inter senes coemptionales proscripserit, egerit non multum.* »— *pro-*

»*scripseris* L. cfr. Rost. Spec. 3. p. 7.« reponendum *proscripserit*, auctore Lambino, p. Indicis 566. — Libro octavo ep. 8. p. Orell. 180. *si quod iniuriis suis esset, ut Vestorius teneret.* »⊂ *si quid iuris sui esset, ut Vestorius teneret* Vb. (haud male!) »itemque L., sed mire: *si quid in iuris sui.*« non adeo mire. delendum istud *in* ex Indice Erratorum p. 566. falsus tamen et Gothofredus, qui sic dare Lambinum affirmat, p. Laemar. 128., *si quid iuris sui esset, ut eo Vestorius teneretur.* — Ibid. p. Orell. 181. *quod eorum iudicum maior pars iudicarit, id ius ratumque esto..* »— *iudicium* C. L.« correctum ab Lambino p. Indicis 566. — Ibid. ep. 12. p. Orell. 189. *ipsum ut prenderem et ab eo deprecarer iniuriam, quem vitam mihi debere putaram, impetrare a me non potui.* »sic (Md.?) Va. L. 3. B. — »*putarem* C. Vb. 1. 2.« et Lambino placuit p. 566. *putarem.* — Ibid. ep. 15. p. Orell. 192. *habeo autem quam multa.* sic interpungendum auctore Lambino, Indicis p. 566., *habeo autem quam multa!* — Libro nono ep. 1. p. Orell. 195. *etsi non idcirco eorum usum dimiseram, quod iis succenserem, sed quod eorum me suppudebat.* rescribendum ex Indice Erratorum Lambini p. 566., *quod iis suscenserem.* et Gothofredus p. Laemar. 137. »q. v. c., *suscenserem.*« vide quae annotantur ad III. Philipp. C. 12. §. 30. p. nostra 327. — Ibid. ep. 16. p. Orell. 209. *solebam enim antea debilitari oleis et lucanicis tuis.* »ex anti»qua correct. Beng. 1. B. 2. — *delibitari* Md. V. — *dele»etari* C. L. 3.« sed vide Lambinum in Omissis Tom. 3. p. 565. et in Indice Erratorum p. 566. sive Annotationis p. nostra 363. sq. reponendum illi videtur *delibitari.* — Libro decimo ep. 11. p. Orell. 226. *non mediocris adhibenda mihi est cura, ut rei publicae me civem dignum tuis laudibus praestem.* »— *re publica.* L.« reponendum ex Indice Erratorum p. 566., *rei »publicae.* itaque paruit Gothofredus p. Laemar. 164. — Ibid. ep. 32. p. Orell. 245. *Gladiatoribus autem Fadium quendam militem Pompeianum, quia, quum depressus in ludum bis gratis depugnasset, auctorari sese nolebat et ad populum confugerat.* »— *ob Fadium* L. (non Graev.).« operae Lambinianae sic dederant p. 122, 9. *gladiatoribus autem Fadium quendam, militem Pompeianum, quia ob quum depressus in ludum,* et reliqua. castigavit illos hoc nomine Lambinus p. Indicis 566. vide

Annotationem p. nostra 368. mire Gothofredus p. Laemar. 179. »L. *gladiatoribus autem.* male, significatur enim dies, quo »gladiatores inter se commissi.« ipse maluit *gladiatoriis.* sed vide ab Drakenborchio disputata ad Livii 2. 36, 1. Tom. 1. P. 2. p. repet. edit. 301. sq. — Libro undecimo ep. 3. p. Orell. 251. *nam de delectibus habitis et pecuniis imperatis.* operae Lambini sic dederunt p. 125, 29. *nam de delictibus habitis.* itaque castigantur illi non immerito p. 566. reponendum, *nam de dilectibus.* vide Annotationem p. nostra 368. Gothofredus p. Laemar. 184. »L. *dilectibus.* recte. nam et ita veteres, et »in l. 4. §. 10. ff. *de Re militari.* atque ita legendum in l. 20. ff. »*comm. dividundo* potius, quam *delictum* aut *edictum* aut *de-*»*lectum.*« — Libro duodecimo ep. 5. p. Orell. 273. *erat autem Claternae noster Hirtius: ad Forum Cornelium Caesar, uterque cum firmo exercitu: magnasque Romae Pansa copias ex delectu Italiae comparat.* »sic Md. C. V. L. 3. scilicet D. »Brutus *obsidebatur, erat* Claternae Hirtius tum quum novis-»simas ab eis litteras accepimus; *nunc* autem hic Romae Pansa »magnas copias *comparat.*« ad Lambinum quod attinet, dedit ille quidem p. contextus verborum Ciceronis 137, 36. *comparat,* sed mutavit sententiam maluitque *compararat.* vide Annotationem p. nostra 370. — Ibid. ep. 30. p. Orell. 292. *tu tibi, mi Cornifici, fac ut persuadeas, non esse me tam imbecillo animo, ne dicam inhumano, ut a te vinci possim aut officiis aut amore.* »— *mihi* L.« castigavit operarios Lambinus p. Indicis 566. paruit etiam Gothofredus. — Libro decimo sexto ep. 3. p. Orell. 361. *Tullius et Cicero Tironi suo s. d. et Q. pater et filius.* Lambin. p. 190, 5. *et Q. pater et C. filius.* reponendum, auctore Lambino, *et Q. filius.* vide Annotationem p. nostra 375. — Ibid. ep. 9. p. Orell. 364. *ibi propter tempestatem a. d. VI. Idus morati sumus.* nec aliter Lambin. p. 191, 33. sed reponendum ex Indice Erratorum p. 566., *ad VI. Idus morati sumus.*

Epistolis *ad Q. fratrem* libro primo ep. 4. p. Orell. 390. *ita mihi nihil misero praeter fidem amicorum, cautum meum consilium defuit.* »de Malasp. Ε. L. 2. *fuit* C. V. 1. cum Cdd.« sed vide Lambinum Annotatione p. nostra 429. sq. ex Indice Erratorum reponendum *fuit*, itaque paruit Gothofredus, quem vide p. Laemar. 579. — Libro secundo ep. 4. p. Orell. 403.

et Macer a Sestii subselliis surrexit ac se illi non defuturum affirmavit. »—*Sextiis* L. err. typogr.« reponendum ex Indice Erratorum, »*Sextii subselliis.* adhaesit prima littera vocis eius, quae sequitur, *subselliis* inquam. vide et Gothofredum p. Laemar. 583. — Libro tertio ep. 1. p. Orell. 417. *ut denique illi palliati topiariam facere videantur et hederam vendere.* »— *to-*»*piaria* L.« errore operarum, quem correxit Lambinus in Indice p. 566. — Ibid. ep. 4. p. Orell. 425. *alterutrum, inquit idem Sallustius, defendisses idque Pompeio contendenti dedisses.* eximendum illud *idem* e contextu verborum Lambinus censuit p. Indicis 566. Gothofredo sic legendum videtur p. Laemar. 599., *alterutrum, inquit idem Sallustius: aut accusasses aut defendisses*, et reliqua. — Ibid. ep. 8. p. Orell. 429. *Crassum Iunianum, hominem mihi deditum, per me deterruit.* »— *Licinia-*»*num* de Man. susp. L. 1566., ipso postea improb.« erraverunt operae Lambinianae. vide Annotationem p. nostra 432. sq. et Indicem, quem dudum laudo, p. 566.

Tomo quarto. Academicorum Posteriorum libro primo C. 10. §. 39. Vol. 4. P. 1. p. Orell. 72. *nam et perturbationes voluntarias esse putabat, opinionisque iudicio suscipi.* »cum Cdd. »V. M. D. sqq. — *opinionesque* H. L.« sed hic operarum errore, quem ipse correxit p. 626. vide Annotationem p. 439.

Academicorum Priorum libro secundo C. 10. §. 32. p. Orell. 19. *et hoc quidem vel maxime animadvertebam vos moveri.* »— *nos* L. err. typogr.« sed vide Indicem Erratorum p. 626. et cf. Annotata ad h. l. C. 11. §. 33. p. nostra 442. — Ibid. *et in quaerendo ac disserendo.* »— *differendo* L. err. typogr.« vid. Indicem p. 626. — Ibid. C. 23. §. 73. p. Orell. 32. *atque is non hoc dicit, quod nos, qui veri esse aliquid, non negamus, percipi posse negamus: ille verum plane negat esse: sensus quidem non obscuros dicit, * sed tenebricosos; sic enim appellat eos. is, qui hunc maxime est admiratus, Chius Metrodorus initio libri, qui est de Natura, nego, inquit, scire nos*, et reliqua. »sic praeeunte ex parte Davisio h. l. constituit et di-»stinxit Madvig. 1. p. 164. — *ille verum esse* (= *esse verum* »G. 2.) *plane negat: esse sensus quidem non* (*nec* M.) *obscuros* »*nec* (*sed* G. Є. 2.) *tenebricosos* (*sic enim appellat eos is* ..... »*de natura*) *Nego, inquit* ceteri, nisi quod L. 1566. — *dicit*

»*obscuros*, *sed et tenebricosos.* sed volebat, *dicit*, *sed obscu-*
»*ros et tenebricosos.* ∽ *eos* [] Madvig.» vide Indicem Erratorum Lambini et cf. Annotationem p. nostra 444. — Ibid. C. 26. §. 84. p. Orell. 36. *sublato enim iudicio illo*, *quo oportet agnosci*, *etiam si ipse erit*, *quem videris*, *qui tibi videbitur*, *tamen non ea nota iudicabis*, *qua dicis oportere*, *ut non possit esse eiusdem modi falsa.* «— *dicis esse oportere* L.» immo, *quam dicis esse oportere.* vide et Gothofredum p. Laemar. 39. — Ibid. C. 27. §. 87. p. Orell. 37. *esse aliquam vim cum prudentia et consilio scilicet*, *quae finxerit*, *vel*, *ut tuo verbo utar*, *quae fabricata sit hominem.* «— om. *ut* L.» addendum ex Indice Erratorum p. 626. — Ibid. C. 39. §. 123. p. Orell. 50. *Hicetas Syracusius.* «e Cld. D. 1. G. 2. — *Nicetas* H. V. L.» sed hic manifesto operarum errore. vide Annotationem p. nostra 446. Lambino paruit Gothofredus, p. Laemar. 48. — Ibid. C. 39. §. 124. p. Orell. 51. *utrum sit ignis*, *an anima*, *an sanguis? an*, *ut Xenocrates*, * *numerus nullo corpore.* «— *Xeno-*
»*cratis* L. 1566. volebat sc. — *Xenocrati.* margo 1584.» *Xenocratis* operarum error. vide Annotationem p. nostra 446. — Ibid. C. 40. §. 125. p. Orell. 51. *tune aut inane quidquam putes esse*, *quum ita completa et conferta sint omnia*, *ut et*, *quod movebitur corporum*, *cedat*, *et*, *qua quodque cesserit*, *aliud illico subsequatur?* «— *quodcunque moveatur corpus et*
»*cedat* L. 1566. sed volebat: *quacunque quodque moveatur cor-*
»*pus*, *ea aliud cedat*, *et qua quodque cesserit*, *ea aliud illico*
»*subsequatur.*» duplex error. sic enim habet Lambin. p. 34, 31. *tune aut inane quicquam putes esse*, *quum ita completa et conferta sint omnia*, *ut et quodcunque moveatur corpus*, *et aliud cedat*, *et qua quidque cesserit*, *aliud illico subsequatur?* reponendum ex Indice Erratorum p. 626. *aliud cedat*, deleta copulatione. deinde Lambinus sic volebat, Annotationibus p. nostra 446., *ut et quacunque quodque moveatur corpus*, *ea aliud cedat*, *et qua quodque cesserit*, *aliud illico subsequatur*, non, *ea aliud illico subsequatur.* istud *ea* acceptum equidem referam Lambinianis repetitionibus, quum reliquis tum Laemarianae, ubi vide Gothofredum p. 49. — Ibid. C. 45. §. 139. p. Orell. 57. *ut Calliphontem sequar.* «— *aut* cum Cdd. aliq. Grut. — »om. *ut* L.» sed notandum praeterea, non *Calliphontem* sed

Calliphonem maluisse Lambinum, ut et *Callipho* placuit eidem C. 42. §. 131. non *Calliphon.* itaque non immerito castigavit librarium p. Indicis 626. vide Annotationem p. 447. et cf. Gothofredum p. 55.

De *Finibus* libro primo C. 4. §. 11. p. Orell. 80. *qui autem alia malunt scribi a nobis, aequi esse debent, quod et scripta multa sunt, sic ut plura nemini e nostris, et scribentur fortasse plura, si vita suppetet.* «— *debeant* L.» errore operarum. ex Indice Lambini correxit Gothofredus p. Laemar. 59. — Libro quarto C. 9. §. 22. p. Orell. 169. *praesertim quum, quod illi suis verbis significent, in eo nihil novetur.* «sic P. Faber et «L. sqq. — *movetur* Cdd. P. V. — *moveatur* Iu. Cr. M.» sed p. Lambini 87, 39. sic est, *in eo nihil movetur*, non, *novetur*, ut est apud Gothofredum p. 126. reponendum tamen auctore Lambino, *moveatur.* — Ibid. C. 24. §. 65. p. Orell. 182. *nec enim ille respirat, antequam emersit, et catuli aeque caeci, priusquam dispexerunt, ac si ita futuri semper essent.* «sic, et supra *dispecturi* L. D. sqq. — *despexerunt* priores.» et *despecturi sunt* et *despexerunt* habet Lambinus p. 94, 49. et 95, 3., quanquam hoc alterum invitus et nolens. itaque nescio an satis castigato librario, quem utique habuit indiligentissimum, p. 626. reposuit *dispexerint.* ceterum *dispecturi sunt* et *dispexerunt* coniectura Gothofredi p. Laemar. 136.

Tusculanarum libro primo C. 3. §. 5. p. Orell. 226. *inde ita magnos nostram ad aetatem, ut non multum, aut nihil omnino Graecis cederetur.* «*cederemur* L. 1566. err. ty«pogr.» correxit Lambinus in Indice Erratorum p. 626. recte igitur Gothofredus p. Laemar. 165. *cederemus.* — Ibid. C. 11. §. 22. p. Orell. 232. *sed levibus et rotundis corpusculis efficientem animum concursu quodam fortuito.* sic et Lambinus p. contextus verborum Ciceronis 118, 43. reponendum *laevibus*, ut et p. 121, 50. nobis C. 18. §. 42. p. Orell. 239. — Ibid. C. 30. §. 73. p. Orell. 250. *itaque dubitans, circumspectans, haesitans, multa adversa reverens, tanquam rate in mari immenso nostra vehitur oratio.* «sic A B S E W. 2. »— *tanquam in rate* R. Gr. b. PC. Gebh. 1. — *tanquam ratis* »Edd. aliq. VML. Lall. sed iungendum *rate vehitur.*» et Lambinus p. 626. *tanquam in rate* maluit. vide Annotationem p.

nostra 462. — Libro secundo C. 10. §. 23. p. Orell. 275. *unde ignis cluet mortalibus clam Divisus: eum dictus Prometheus Clepsisse dolo, poenasque Iovi Fato expendisse supremo.* »— *unde ignem mortalibus Divisse cluet doctu' Prometheus, Cle-* »*psisse dolo, poenasque Iovi Fato expendisse supremo.* L. 1566. »de Scaligeri sententia, nisi quod Scaliger *ignes.*» reponendum ex Indice Lambini p. 626., *mortalibu' Divisse cluet doctu' Prometheus Clepsisse dolo.* vide Annotationem p. 466. — Ibid. p. Orell. 276. *Iovisque numen Mulcibri adscivit manus.* «—*ar-* «*civit* ∈. in marg. 1584.» et Gothofredus p. Laemar. 197. «for- «tasse *arcivit.*» — Libro tertio C. 13. §. 28. p. Orell. 304. *praeterea ad Troiam quum misi ob defendendam Graeciam Scibam me in mortiferum bellum, non in epulas mittere.* «sic «MLD. Lall. VV. 2. — *sciebam* Gr. b. PABSECV. Gebh. 1.» et Lambinus p. 626. in Retractatis *sciebam* maluit, quam *scibam*, quod est p. contextus verborum Ciceronis 152, 43. unde Gothofredus p. Laemar. 114. «alii *sciebam.*» vide Annotationem p. nostra 468. — Libro quinto C. 32. §. 90. p. Orell. 379. *an Scythes Anacharsis potuit pro nihilo pecuniam ducere; nostrates philosophi facere non poterunt?* «∽ om. *facere* O1x., ut «volebant Man. Bentl. D. qui [ ] et Ern. delevit L. 1566., po- «stea improbavit.» Lambinus sic dedit p. 191, 6. *an Scythes Anacharsis potuit pro nihilo pecuniam ducere, nostrates philosophi non poterunt?* postea, id est, in Annotatione p. nostra 474. maluit exemplo Manutii, *facere non poterunt.* adde Indicem p. 626., ubi praeterea sic legitur, *nostri philosophi facere non poterunt?*

De *Natura Deorum* libro primo C. 8. §. 19. Vol. 4. P. 2. p. Orell. 13. *unde vero ortae illae quinque formae, ex quibus reliqua formantur, apte cadentes ad animum efficiendum pariendosque sensus?* reponendum videtur ex Indice Erratorum Lambiniano, *unde vero illae quinque formae,* et reliqua. sed fortasse hoc etiam loco Lambinus operarios parum attentos habuit. vide Annotationem p. 476. — Ibid. C. 10. §. 23. p. Orell. 14. *qui vero mundum ipsum animantem sapientemque esse dixerunt, nullo modo viderunt, animi natura intelligentis in quam figuram cadere posset.* vide Annotationem Lambini p. nostra 476. et Indicem Erratorum p. 626. — Ibid. C

15. §. 39. p. Orell. 20. *tum eius ipsius principatum, qui in mente et ratione versetur, communemque rerum naturam universam atque omnia continentem.* «sic cum Cdd. aliq. m. Iu. «V. 1. H. 2. Mo. — *universa* Cdd. aliq. M. L. D. prob. Beiero.» et Lambinus volebat, *communemque rerum naturam universam.* vide Indicem Erratorum p. 626., neglectum quoque ab Gothofredo. — Ibid. C. 23. §. 65. p. Orell. 25. *abuteris ad omnia atomorum regno et licentia; hinc, quodcunque in solum venit, ut dicitur, effingis atque efficis. quae primum nullae sunt; nihil est enim, quod vacet corpore; corporibus autem omnis obsidetur locus; ita nullum inane, nihil esse individuum potest.* ita et Lambinus p. 204, 46., nisi quod ibi legitur, operarum fortasse vitio, *quae primum nullae sint.* sed vide Annotationem p. nostra 477. — Ibid. C. 43. §. 120. p. Orell. 41. *mihi quidem etiam Democritus, vir magnus in primis, cuius fontibus Epicurus hortulos suos irrigavit, nutare videtur in natura deorum.* «— *natare* L.» operarum errorem correxit Lambinus p. 626. vide Annotationem p. 478. Gothofredus p. Laemar. 294. «fortasse, *natare videtur.*» — Libro secundo C. 3. §. 8. p. Orell. 45. *C. Flaminium Caelius religione neglecta cecidisse apud Trasimenum scribit cum magno rei publicae vulnere.* «*C. Flamininum* L.» reponendum fuit ex Indice Lambiniano p. 626. *C. Flaminium.* — Ibid. C. 59. §. 149. p. Orell. 87. *itaque plectri similem linguam nostri solent dicere, chordarum dentes, nares cornibus iis, qui ad nervos resonant in cantibus.* «— *resonent* L.» a vero aberrantem librarium castigavit Lambinus p. 626. vide et Annotationem p. nostra 481. — Libro tertio C. 25. §. 63. p. Orell. 112. *Febris enim fanum in Palatio et Orbonae ad aedem Larum et aram malae Fortunae Esquiliis consecratam videmus.* «in edit. 1566. «err. typogr. deest *ad.*» addendum ex Indice Lambini p. 626. vide Annotationem p. 483. — Ibid. C. 39. §. 93. p. Orell. 121. *sed quomodo iidem dicitis non omnia deos persequi, iidem vultis a diis immortalibus hominibus dispartiri ac dividi somnia?* Lambinus p. 254, 17. sic habet, *sed quo modo iidem dicitis, non omnia deos persequi, qui idem vultis, a diis immortalibus hominibus dispertiri ac dividi somnia?* reponendum

ex Indice Lambini p. 626., *qui iidem vultis* (operae *multis* dederunt, solito stupore). vide Annotationem p. 483.

De *Divinatione* libro primo C. 48. §. 107. p. Orell. 162. *certabant, urbem Romamne Remamne vocarent.* «— *Romamne* «*Remuramne* (sic) L. 1566., sed volebat: ∽ *Romam Remuramne.*» vide Annotationem p. nostra 486. et Indicem Erratorum p. 626. — Libro secundo C. 14. §. 34. p. Orell. 181. *qua ex cognatione naturae et quasi concentu atque consensu, quam συμπάθειαν Graeci appellant, convenire potest aut fissum iecoris cum lucello meo, aut meus quaesticulus cum caelo, terra rerumque natura?* «— *cogitatione* Cdd. aliq. L. 1566.» Lambinus in Indice Erratorum p. 626. «*qua ex cognatione naturae*, alii, *con*«*tagione.*» vide Annotationem p. 487. — Ibid. C. 15. §. 35. *sed tamen, eo concesso, qui evenit, ut is, qui impetrire velit, convenientem hostiam rebus suis immolet?* «sic M. (prob. L.) «Grut. seqq. — *impertire* m. V. — *impetrare* L. invitus.» vide Indicem Erratorum p. 626. itaque recte Gothofredus p. Laemar. 386. «L. *impetrire.*» — Ibid. C. 39. §. 83. p. Orell. 196. *non necesse est fateri, partim horum errore praeceptum esse, partim superstitione, multa fallendo?* «— *superstitionem* L.» operarum errore. vide Indicem p. 626. — Ibid. C. 51. §. 105. p. Orell. 203. *magnus Dicaearchi liber est, nescire ea melius esse, quam scire.* Lambino mancus videtur hic locus. itaque lacunae signum apposuit p. 626., hoc modo, *magnus Dicaearchi liber est, nescire ea melius esse quam scire* * *negant enim*, et reliqua.

De *Fato* C. 9. §. 17. p. Orell. 225. *sed in factis immutabilitatem apparere.* «— *immutabilem* Cld. Mri. L. 1566. err. ty«pogr.?» vide Annotationem p. 490. et Indicem p. 626. — Ibid. C. 12. §. 26. p. Orell. 228. *confectum negotium, siquidem concedendum tibi est, aut fato omnia fieri, aut quidquam fieri posse sine causa.* «— *aut fato omnia, quae causas* «*habeant, cur fiunt* (sic ed. 1566. ∽ *fiant* m. 1584.), *fieri*» ex Indice Lambini, auctore etiam Gothofredo p. Laemar. 417., reponendum *fiant.* erraverunt enim operae. vide et Annotationem p. 490. sq. — Ibid. C. 19. §. 44. p. Orell. 234. *neque enim Chrysippus concedens, assensionis proximam et continen-*

tem causam esse in viso positam, eam causam ad assentiendum necessariam esse concedet, ut si omnia fato fiant, omnia fiant causis antecedentibus et necessariis. «sic Vall. Ascens. utraq. «Manut. (prob. Lamb.) D. Lall. Sch. 2. Mo. — [neque] *eam «causam* B. — *neque eam causam* ceteri.» correxit Lambinus quum in Annotatis ad h. l. p. nostra 491., tum in Indice Erratorum p. 626. itaque Gothofredus p. Laemar. 421. «L. delet «hanc particulam negationis, *neque.*»

De *Legibus* libro primo C. 22. §. 59. Vol. 4. P. 1. p. Orell. 518. *et ob eam ipsam causam cernat se beatum fore.* Lambinianae operae sic dederunt p. contextus verborum Ciceronis 330, 49. *et ob causam ipsam causam cernat se beatum fore.* castigavit Lambinus in Indice, quem dudum laudo, p. 626. — Libro tertio C. 12. §. 27. p. Orell. 563. *ex iis autem, qui magistratum ceperunt, quod senatus efficitur, populare sane, neminem in summum locum, nisi per populum, venire, sublata cooptatione censoria.* «sic Turn. St. M. D. 1. G. 2. — *quod senatus consulto efficitur* b. Iu. V. — *quod senatus constituitur* «L. ∽ *quod senatus conficitur* de Creuz. susp. Mo.» Lambinus sic editum volebat p. 347, 13. *ex iis autem, qui magistratum ceperunt, quod senatus ex his constituitur, populare est sane neminem in summum locum nisi per populum venire,* et reliqua. vide Annotationem p. nostra 510. paruit sic corrigenti Lambino Gothofredus p. Laemar. 457. — Ibid. C. 18. §. 40. p. Orell. 568. *nec est unquam longa oratione utendum, nisi aut peccante senatu (quod fit ambitione saepissime), nullo magistratu adiuvante, tolli diem utile est: aut quum tanta causa est, ut opus sit oratoris copia vel ad hortandum vel ad docendum.* «sic Turn. e «Cdd. (prob. L.) Gebh. sqq. — *spectante* Cdd. b. Iu. V. St. L. «1566. — *exspectante* e Cld. M (— *nisi aut quum peccante* L. «susp.).» maluit Lambinus Annotatis ad. h. l. p. nostra 510., *nisi aut quum peccante senatu*, idque habet Index Erratorum p. 626., auctore etiam Gothofredo p. Laemar. 460.

De *Officiis* libro primo C. 16. §. 15. Vol. 4. P. 2. p. Orell. 328. *optime autem societas hominum coniunctioque servabitur, si, ut quisque erit coniunctissimus, ita in eum benignitatis plurimum conferetur.* Lambinianae operae p. 357, 38. omiserunt *in.* itaque addendum ex Indice Erratorum p. 626. et deinceps, pau-

cis interiectis, *naturae* apparet illud quidem p. 357, 38., sed invito Lambino. vide Annotationem p. 516. — Ibid. C. 18 §. 61. p. Orell. 331. *illa virago viri.* «— *illaque virgo* V. m. M. L.» sed vide Annotationem p. 517. et Indicem Erratorum p. 626. poterat meliora docere Gothofredus p. Laemar. 474. — Ibid. C. 19. §. 63. p. Orell. 332. *itaque viros fortes et magnanimos eosdem bonos et simplices, veritatis amicos minimeque fallaces esse volumus.* «— *eosdemque* f. m. L.» correxit Lambinus p. 626. et in suos usus Lambiniana convertit Gothofredus. vide Annotationem p. nostra 517. — Ibid. C. 22. §. 75. p. Orell. 336. *et Themistocles quidem nihil dixerit, in quo ipse Areopagum adiuverit, at ille vere, ab se adiutum Themistoclem.* «— *at ille* «*vere a se dixit adiutum Themistoclem* L.» reponendum ex Indice Erratorum p. 626., *vere a se dixerit.* vide Annotationem p. 518.— Libro secundo C. 4. §. 15. p. Orell. 369. *quibus rebus exculta hominum vita tantum distat a victu et cultu bestiarum.* »— *de-* «*stitit* af. V. m. M. L. P.» hoc falsum, quod quidem attinet ad Lambinum, nam p. 375, 45. contextus verborum Ciceronis legitur *distitit*, praeteritum a verbo *distare*, neque alterum, quod est a *desistere* deductum, alienum plane ab hoc loco verbum, placuit Lambino. vide Annotationem p. 524. — Ibid. C. 12 § 42. p. Orell. 379. *sed, ut pecuniae non quaerendae solum ratio est, verum etiam collocandae, quae perpetuos sumptus suppeditet, nec solum necessarios, sed etiam liberales: sic gloria et quaerenda et collocanda ratione est.* «— *gloriae et quaerendae* «*et collocandae ratio est* L. vides Lambinum, ut alia ratione fe- «cit librarius Cd. d., utrumque membrum exaequare voluisse.» reponendum ex Indice Erratorum p. 626, *sic gloria et quaerenda et collocanda ratione est.* vide Annotationem p. nostra 527. — Libro tertio C. 6. §. 28. p. Orell. 405. *ab iis enim constitutam inter homines societatem evertunt, cuius societatis artissimum vinculum est magis arbitrari esse contra naturam hominem homini detrahere sui commodi causa, quam omnia incommoda subire vel externa vel corporis vel etiam ipsius animi, quae non vacent iustitia: haec enim una virtus omnium est domina et regina virtutum.* »— *quae vacent iustitia. haec enim* »*una virtus* (= *virtus una* L. P.) abcd. Cdd. pleriq. V. m. M. »(qui duo: — om. *una.* cum d,) L. O. p. F. 1. sine sensu.»

itaque sic correxit Lambinus p. 626., *quae vacent iniustitia.* vide Annotationem p. 532. — Ibid. C. 24. §. 93. p. Orell. 428. *faciat, quod promiserit, necne?* »— *promiserit ille* e. L.» correxit Lambinus p. 626. vide et Annotationem p. 536.

Catone Maiore C. 6. §. 20. p. Orell. 246. *proveniebant oratores novi, stulti adolescentuli.* Lambin. p. 408, 22. *provehebant ad res novi, stulti, adolescentuli.* reponendum ex Indice Erratorum p. 626., *provehebantur.* vide Annotationem p. nostra 540. sq. — Ibid. C. 11. §. 36. p. Orell. 252. *nec vero corpori soli subveniendum est, sed menti atque animo multo magis: nam haec quoque, nisi tanquam lumini oleum instilles, exstinguuntur senectute.* Lambinus sic dedit p. contextus verborum Ciceronis 410, 36. *nec vero corpori solum subveniendum est, sed menti atque adeo multo magis: nam* (sic corrigendum istud *num*, commentum librariorum) *haec quoque, nisi tanquam lumini oleum instilles, extinguuntur senectute.* reponendum, auctore Lambino p. Indicis 626., *extinguitur*, ut ad *haec*, id est mentem referas. vide Annotationem p. nostra 542. Gothofredus p. Laemar. 547. »fort., *sed et menti, atque adeo multo magis.*» reliqua aut tacuit, aut ignoravit.

Laelio C. 8. §. 28. p. Orell. 283. *quis est, qui C. Fabricii, M.' Curii non cum caritate aliqua et benivolentia memoriam usurpet, quos numquam viderit?* et Lambinianae operae sic dederunt p. contextus verborum 482, 46., *M. Curii*, inquam. sed castigavit illos Lambinus p. 626. — Ibid. C. 10. §. 34. p. Orell. 285. *sin autem ad adolescentiam perduxissent, dirimi tamen interdum contentione vel uxoriae conditionis vel commodi alicuius, quod idem adipisci uterque non posset.* »— *vel contentione uxoriae condicionis* L.» sed reponendum ex Indice Erratorum p. 626., *contentione vel uxoriae condicionis.* vide et Annotationem p. nostra 549. sq. — Ibid. C. 11. §. 37. p. Orell. 286. *qui aderam Laenati et Rupilio consulibus in consilio.* et Lambin. p. 424, 6. habet *Rutilio* pro Rupilio, quem errorem notavit Drakenborchius ad Livii Epit. 59 Tom. 12. P. 2. p. repet. edit. 230. sqq. operae Lambini castigantur p. 626.

Timaeo C. 10 p. Orell. 507. *erant autem animantium genera quattuor: quorum unum divinum atque caeleste: alterum pennigerum et aerium: tertium aquatile: terrestre quartum.*

»— *aquatile* est e Є. L. 1566. omittunt Cdd. et edd. ante L.» Lambiniana a. 1566. sic habet p. 445, 1. *erant autem animantium genera quattuor, quorum unum divinum atque caeleste, alterum pennigerum et aerium, tertium aquatile terrestre, quartum divinae animationis maxime speciem faciebat ex igne, ita ut splendidissimus esset et aspectu pulcherrimus.* reponendum Lambino videtur p. 626, *tertium aquatile et terrestre*, loco utique parum castigato. sic enim Plato Timaeo p. 39. E. P. 3. Vol. 2. p. Bekker. 40, 14. *εἰσὶ δὲ τέτταρες, μία μὲν οὐράνιον θεῶν γένος, ἄλλη δὲ πτηνὸν καὶ ἀεροπόρον, τρίτη δὲ ἔνυδρον εἶδος, πεζὸν δὲ καὶ χερσαῖον τέταρτον. τοῦ μέν οὖν θείου τὴν πλείστην ἰδέαν ἐκ πυρὸς ἀπήρξατο, ὅπως ὅτι λαμπρότατον ἰδεῖν τε κάλλιστον εἴη κ. τ. λ.*

De *Petitione Consulatus* C. 4. §. 13. Vol. 3. P. 1. p. Orell. 446. *noli putare, eos, qui sunt eo honore usi, non videre, tu, quum idem sis adeptus, quid dignitatis habiturus sis: eos vero, qui consularibus familiis nati locum maiorem consecuti non sunt, suspicor tibi, nisi si qui admodum te amant, invidere.* »— *non «sunt, nisi ..... amant, non invidere* om. *suspicor tibi* L.» sed Lambinianis addendum *tibi*, quum ex Annotatis ad h. l. p. nostra 576. sq., tum ex Indice Erratorum p. 626.

Haec hactenus. neque tamen eo consilio hunc recensum egi, ut vel tanquam adversarius obtrectarem laudibus *Orellii*, viri doctissimi et a me non alieni, vel minuerem pretium et famam thesauri critici Ciceroniani, cuius praestantiam usu assiduo cognitam habeo: sed ut ea, quae ille humana infirmitate, plerumque culpa etiam aliorum peccavit, ab iis, quae germana et integra sunt, facillimo negotio possint separari. quod quum unice propositum haberem (neque enim laboro illa vitiosa aemulatione, quam rivalitatem vocant), simul etiam ut iuvarem aliquantum lectionis Ciceronianae studiosos, qui mecum Orelliana opera uti volent (eos autem spero fore quam plurimos), feci hoc libentius, ut in describenda *Annotatione Lambiniana* digerendaque, conquirendis etiam, quae per singulos tomos dissipata sunt, Addendis, inquam, et Omissis, quae adhuc fere neglecta iacuerunt, laborem non mediocrem, neque tamen iniucundum ponerem. usus sum editione scriptorum *Ciceronis* omnium quae extant *Lambiniana principe et unica* (vide Fr. A. *Ebertun*

Lexico Bibliographico Tom. 1. col. 330. sq. Nr. 4262.), cuius libri haec est inscriptio: 1.) MARCI | TULLII | CICERONIS | OPERA OMNIA, | QUAE EXTANT, | A DIONYSIO LAMBINO MONSTRO — | LIENSI EX CODICIBUS MANUSCRIPTIS | *emendata, et aucta: Quorum ordinem et* | *numerum altera pagina indicabit.* | *Eiusdem D. Lambini annotationes, seu emendationum rationes singulis tomis distinctae.* | *Index rerum et verborum memoria digniorum copiosus et* | *locuples, singulis tomis adiectus:* | *Et fragmenta omnia, quae exstant, a viris doctis non ita pridem undique collecta.* | PARISIIS, | *Ex officina Iacobi du Puys, sub signo Samaritanae.* | *M.D.LXVI* (1566.). | CUM PRIVILEGIO REGIS. fol. pagg. XVI (non signatae) et 384. 2.) TOMUS SECUNDUS | OPERUM M. TULLII | *Ciceronis omneis eius orationes comple* — | *ctens, A Dionys. Lambino ex fide codi* — | *cum manu scriptorum emendatas:* | *quarum indicem versa pa-* | *gina te docebit.* | *Eiusdem Lambini annotatiunculae, seu emendationum rationes.* | *Index locupletissimus rerum ac verborum, quae memoriae* | *mandentur, digniorum.* | LUTETIAE, | *Ex officina Iacobi Dupuys e regione collegii Cameracensis* | *sub Samaritanae insigni* | 1565. | *Cum privilegio Regis.* paginarum numerus 848. fol. 3.) TOMUS TERTIUS | OPERUM M. TULLII CICE- | *ronis, omneis eius epistolas complectens.* | *Epistolarum libros XV* (sic), *ad familiareis: ex quibus octavus solas M. Coelii episto-* | *las ad Ciceronem continet.* | *Libros XVI, ad T. Pomponium Atticum.* | *Libros III, ad Q. Ciceronem fratrem* | *Librum I, ad M. Brutum.* | *Epistolam ad Octavianum, sive sit Ciceronis, sive incerti auctoris.* | *Librum unum Cornelii Nepotis, de vita T. Pomponii Attici.* | *Scholia, seu emendationes Dionys. Lambini Monstroliensis.* | *Indicem copiosissimum rerum ac verborum memoria digniorum.* | LUTETIAE, *apud Iacobum du Puis, sub signo Samaritanae, e regione collegii Cameracensis.* | *M. D. LXV* (1565.). | *Cum privilegio Regis.* paginae 566. fol. 4.) TOMUS QUARTUS | OPERUM M. TULLII CICE- | *ronis philosophicos eius libros a Dionys. Lambino* | *Monstroliensi ex auctoritate codicum manuscr. emen-* | *datos, complectens: quorum indicem, et numerum al-* | *tera pagina indicabit.* | *Lutetiae,* | *Apud Iacobum du Puis, sub signo Samaritanae, e regione collegii Cameracensis.* | *M. D. LXVI* (1566.). | *Cum privilegio Regis.* paginae 627. fol. et ad calcem huius voluminis, in ima pagina ex-

trema, leguntur haec: LUTETIAE, | *Excudebat Floricus Praeuotius anno* CIↃ IↃ LXVI (1566). *Mense Februario*, | *sumtibus Iac. a Puteo, Bern. Turrisani, Ph. Galt. Rouillii.* ex quo apparet, editionem Lambinianam inchoatam a. 1565., absolutam esse et publici iuris factam eo ipso anno, quem primo tomo et quarto praescripserunt redemptores librarii; his ita praestitisse operarios mercede pactam operam, ut volumen secundum et tertium a. 1565. absolverent, quartum tomum et deinceps primum describendo finem labori suo imponerent. inseruntur enim his tomis *Addenda* et *Omissa* ex reliquis voluminibus, vulgo neglecta, sed nunc tandem suo loco reposita. mensis autem Februarii dies, quo die liber in vulgus edi coeptus est, litteris publicis consignatus, fuit 20., id est, X. Kalendas Martias. sic enim habet *summa legis privatae* seu privilegii: »*Caroli Maximiliani* Va»lesii Gallorum regis Christianissimi lege singulari sancitum »est, ne quis typographus scripta omnia M. Tullii Ciceronis a »*D. Lambino* Monstroliensi post alios superiores locis innume»rabilibus emendata, iussu et sumptibus *Iac. a Puteo*, *Bern.* »*Turrisani*, *Phil. Galteri Rovillii*, cum eiusdem Lambini emen»dationum rationibus seu annotationibus typis a. 1566. X. *Kalen»das Martias impressa* imprimere, neve quis bibliopola neve »quis alius divendere, neve alibi impressa in aliquam Galliae »urbem ullumve alium huius regni locum importare et ibi vena»lia habere, neque coniunctim neque separatim, sive emenda»tiones sint in ipso Ciceronis contextu impressae sive servata »vulgata scriptura seorsum a contextu positae, quocunque de»nique modo ad faciendam fraudem legi aliquid in hac edi»tione fuerit immutatum, quemadmodum fit a furibus, qui re»rum furtivarum faciem mutare solent, sine eorum qui supra »commemorati sunt permissione, ante sexennium *a die X. ante* »*Kalend. Mart. huius anni*, *quo die haec editio absoluta est*, »numerandum audeat.«

Egregiam in Cicerone tum emaculando et a vitiis purgando, tum illustrando operam posuisse *Lambinum* summos viros et in litteras nostras immortaliter meritos auctores quum habeam locupletissimos, ut *Lambiniani* operis et instituti ratio penitus cognoscatur, dabo Praefationes, quae Ciceronis editioni praemissae sunt, integras, neque praetermittam elogia virorum do-

ctorum, quibus ornata illa editio in lucem prodiit et posteritatis memoriae commendata est. pertinet huc locus ex epistola ad *Erricum Memmium*, quae, Lucretii libro primo praefixa, eiusmodi est, ut Lambinianae recensionis historiam non leviter attingat. locus sic habet p. Francofurt. edit. LXVII. sq. »atque hoc pluris est ea, quam habes optimorum librorum, supellex, quod eam libentissime ac liberalissime iis omnibus »impertiris, quos exploratum habes, solere unde profecerint »ingenue profiteri, neque eum quem foris perceperint fructum »sibi vindicare. itaque mihi, quem optime nosti et quem scis »novam omnium *M. Tullii* scriptorum editionem omnibus suis »numeris et partibus perfectam atque expletam meditari, iampridem tria vetustissima atque emendatissima omnium M. Tullii »operum exemplaria ultro detulisti, currentemque (ut aiunt) »incitasti. neque vero id solum fecisti, sed etiam (qua in re »industriam ac diligentiam tuam incredibili litterarum amore »coniunctam admiror) scripturas omnes inter se dissimiles atque »a vulgata lectione discrepantes ad oram unius exempli typis »excusi, partim tua partim tui librarii manu adscriptas, mihi commodasti [vide, quae notantur ad V. Accusationis C. 36. §. 94. T. 2. p. Lambin. 688., nobis p. 173.], ut minore meo labore ex talibus scripturis quasi sub uno aspectu positis, *Adriano Turnebo* interea et *Ioanne Aurato* collegis meis, quorum »iudicium est (ut scis) in hisce litteris subtilissimum, adhibitis »et consultis, eam potissimum sequerer ac probarem, quae et »M. Tullio esset dignissima et eius sententiae maxime consentanea et omnium virorum doctorum consensu nemineque repugnante optima ac verissima. namque omnino mihi deliberatum est, a vulgata et recepta scriptura ne latum quidem unguem discedere, nihil in tanto talique scriptore immutare, »nisi quod ita perspicue et sine controversia corruptum sit ac »depravatum, cuiusque restitutio ita sit auctoritate librorum »veterum comprobata et (quod caput est) veritate ac ratione »fundata, ut omnes mortales neque indoctissimi neque maxime »hebetes sic esse legendum, quemadmodum restituendum cuiravero, fateantur.« scripsit haec Lambinus Lutetiae Parisiorum, a. 1563. Kalendis Sextilibus.

Ex hoc igitur tempore, iam inde ab a. 1563., incubuit

ille quidem toto animo ac studio omni in opus Ciceronianum, auctore atque impulsore, deinde etiam adiutore *Errico Memmio*, Supplicum libellorum in aula Christianissimi Regis magistro, eique perficiendo temporis bonam partem, laborem certe non mediocrem impendit *): tamen post quattuor annos, confecto quod propositum habuerat curriculo, adeo sibi non satisfecit, ut in Commentariis Horatianis, a. 1567. denuo editis, haud dissimulanter profiteri ausus sit, plura se peccasse in Cicerone, multaque parum recte administrata esse, quum propter indiligentem, quem nactus fuerat, typographum, tum vero etiam, quod ii, qui sumptus suppeditaverant, nequaquam satis spatii ac temporis ad rem tantam accurandam concesserant. neque dubium est, quin Lambinus post primam editionem, nulla sua culpa festinatam, in expoliendo Cicerone perseveraverit, inchoata perfecerit, multa retractaverit, quaedam etiam nova in medium attulerit, quibus iterata editione bono cum fructu lectorum Ciceronis uteretur. sed morte praepeditus, opus quod in manibus habebat, ab ingenio et doctrina instructissimum, nequaquam omnibus partibus aequaliter perpolitum reliquit. iam quae deinceps, post Lambini mortem, sequuta sunt, infeliciorem etiam exitum habuerunt. scilicet librariis Lambinianum opus repetituris placuit eius rei administrandae ratio plane contraria. qui quum intellexissent, a multis desiderari pristinum Ciceronem, qualis ante Lambinum fuisset, quemque ipsi olim pueri manibus tractavissent, horridulum quidem illum, sed veste familiari et domestica indutum: boni viri, praecipitato consilio, scripturae, quam *vulgatam* vocant, patrocinium susceperunt, eiectisque Lambini correctionibus, dum vulgatam lectionem restituunt, ita omnia miscuerunt ac turbaverunt, ut quid intersit inter rectum et pravum, verum et falsum, dispicere

---

*) En tibi specimen lucubrationum *Lambini*, quae sane non mediocris fuerunt contentionis! a. 1561. *Horatianorum* Commentariorum prima editio; a. 1563. *Lucretii* prima editio; a. 1565. et 66. *Ciceronis* editio; a. 1567. *Horatii* editio altera, secundis curis auctior; a. 1570. *Lucretii* editio tertia, id est, Commentariorum Lucretianorum altera. moritur Lambinus a. 1572.

omnino nequeas. annotationem vero qua fide et diligentia transcripserint, hac nostra editione quam plurimis locis testatum fore confido.

Quae quum ita sint, omisi istas *repetitiones*, a quibus ante *Orellium* omnes pendent, Lambinum ipsum vix ac ne vix quidem norunt. quorum librorum auctoritatem qui nullam dixerit, is id dicit, quod mihi quidem a re ipsa atque a veritate minime distare videatur. nonnunquam tamen usus sum editione *Santandreana* a. 1580.; quae quum repetita sit ex editione a. 1573. sive *Puteanea*, quam *primam* post principem numerant in Lambinianis, exemplum habui luculentum et quasi incorruptum testimonium eius confusionis, de qua supra dixi. iam et Santandreana et reliquae quae deinceps sequutae sunt, aliae ex aliis derivatae, si quid novi afferunt in Annotatione *Lambini*, id omne profectum videri debet a *curis posterioribus*, quas dicunt esse *sapientiores* (*αἱ δεύτεραί πως φροντίδες σοφώτεραι*, inquit Euripides Hippol. 441. vid. Cicer. XII. Philipp. C. 2. §. 5. Vol. 2. P. 2. p. Orell. 573.). id autem quale sit, Graeviana aliaeque editiones, quae cum notis variorum prodierunt, quum omnium tum singulorum Ciceronis librorum, ita quemvis docebunt, nihil ut ultra requirat. nos veram et germanam *Lambini* manum dedimus. neque enim id nunc quaeritur, quid primo positum sit ab *Lambino* (satis hoc praestare videtur thesaurus criticus Orellianus), sed cur ita positum sit quaeque fuerint mutandi contextus causae primariae. ita simul fore spero, ut ex hoc fonte, quem primus aperui, tanquam a capite plura in illum thesaurum, aut nondum animadversa aut parum recte tradita, deducantur. lemmata praescripta singulis annotationum particulis aliquanto uberiora dedi; neque erit quisquam, qui meum in hac re consilium reprehendat. sunt enim et ipsa non aliunde hausta, sed a Lambino repetita, diligenter correctis erroribus, a quibus ille sibi parum caverat, praesertim librarios nactus non diligentissimos. denique quae addidi aut interposui Lambinianis, ea vel explicandi et illustrandi causa adduntur, vel e libris ducta sunt tum scriptis tum editis, quos libros partim ipse primus exploravi, partim post alios denuo accurate excussi.

De vita et scriptis *Lambini* multi prodiderunt, quorum re-

censum egit Christophorus *Saxius* Onomastico Litterario Vol. 3. pag. 398. sq. et Analectis pag. 649. sq. nos in tanta librorum, per quos materiam tam insignem disseminatam vidimus, penuria (sunt enim plerique in rarissimis) hunc locum intactum relinquere maluimus. obiit autem *Lambinus* diem supremum a. ut dixi 1572., nondum exacto post tertiam Lucretii editionem biennio. »il mourut l'an 1572. de déplaisir après la »mort de Mr. *Ramus*, son bon ami, âgé de cinquante six ans,« *Moreras* inquit (Grand Dictionnaire Hist. Tom. 3. p. 302) locum memorabilem dabo integrum ex *Thuani* Historia 52. p. 996. B. sqq. »Petrus *Ramus* in Viromanduis natus, quum diu »bonas litteras philosophiam et postremo mathematicas scientias »in Prelaea schola, cui praeerat, et postea in Regio auditorio »docuisset, postremo erroneam in philosophicis doctrinam in»vexit, Aristotelem voce et scriptis importune oppugnans; qua »de re cum *Iacobo Carpentario* Claromontano magnae contro»versiae ei fuere, et antea maiores cum *Antonio Goveano* et »*Ioachimo Perionio*: tamen ex eo commendatione dignus fuit, »quod ingenio, diligentia, assiduitate et opibus etiam suis, »quantum in ipso fuit, rem litterariam iuvit ac promovit, in»stituta mathematices professione, cui annuum vectigal 13. li»brarum e facultatibus suis attribuit. is a *Carpentario* aemulo »et seditionem adiuvante immissis sicariis e cella, in qua late»bat, extractus et post depensam pecuniam inflictis aliquot »vulneribus per fenestras in aream praecipitatus est, effusis »visceribus, quae pueri furentes magistellorum pari rabie in»citatorum impulsu per vias sparserunt, et cadaver ipsum scu»ticis in professionis opprobrium diverberantes contumeliose et »crudeliter raptaverunt. quod ubi ad *Dionysii Lambini* Mon»stroliensis, humaniorum litterarum et utriusque linguae Regii »professoris, multisque editis libris de re litteraria bene meriti »aures pervenit, ille, qui sibi cum eodem *Carpentario* occultas »simultates quamvis ob rem litterariam intercessisse sciret, de »cetero a Protestantium doctrina alienus, tamen exemplum »*Rami* veritus adeo consternatus est, ut ab eo erigi non potu»erit, perculsaque mente in morbum gravissimum inciderit, ex »quo post mensem decessit.«

Quod reliquum est, ornamenti loco adiecimus picturam

lithographicam, quae manum *Dionysii Lambini* veram et germanam repraesentat, idque fecimus auctore et adiutore *Car. Frid. Heinrichio*, antiquarum litterarum in his terris statore egregio. is quum esset Kilonii, nactus est particulam Appendicis *Herodoti* Basileensis cum Camerarii Praefatione, quem librum olim habuit *Dionysius Lambinus*, cuius in margine manus est luculentissimis litterarum ductibus conspicua. eius libri folia quaedam, religiose asservata, vir omni humanitatis laude insignis, ut ad *Lambiniana* nostra illustris quaedam accessio fieret, mecum benigne communicavit.

Commentabar vere medio *Confluentibus* a. 1830.

DIONYSII LAMBINI

PRAEFATIONES.

I.

DIONYSIUS LAMBINUS ERRICO MEMMIO VIRO CLARISSIMO SUPPLICUM LIBELLORUM IN REGIA MAGISTRO S. D.

Quum Gallis tuis exterarumque nationum hominibus ea munera largiris, *Errice Memmi*, quae non ex arcis et loculis tuis, sed e reconditissimis et locupletissimis bibliothecae tuae scriniis deprompta utilitates eis afferunt non ad corpus aut ad rem familiarem, sed ad animum pertinentes, longe melius profecto de iis mereris, quam ut tibi parem gratiam referre valeant. nam si eos, qui corporum morbis remedia vel ipsi invenerunt vel ab aliis inventa adhibent, eosque qui in viros bonos rerum ad victum necessariarum egestate laborantes beneficentiam ac liberalitatem conferunt, tantopere laudare totque ac tantis honoribus afficere solemus, quum tamen et viris fortibus corporum morbi sint tolerabiles, et multi in paupertate beate vixerint; qui vero animum non habeat ab angoribus purum ac vacuum, cupiditatibus liberum ac solutum, virtute praeditum doctrinaque excultum, non miser esse non possit: te, qui in hominum genus ea beneficia confers, quae non ad corporis dolorem minuendum gravitatemque levandam, non ad rei familiaris tenuitatem sustentandam iacturamve sarciendam, sed ad animorum divitias alte extruendas atque exaggerandas, ad animos bonis litteris ingenuisque artibus excolendos atque instruendos, ad animorum denique tranquillitatem sanitatemque comparandam tantopere valent, quibus laudibus ad caelum efferemus? quibus honoribus

ornabimus atque augebimus? omnino nihil a quoquam excogitari potest, quod tuis in homines humanitate politos beneficiis aequaliter respondere possit. verumtamen quum bonorum omnium humanorum honos sit maximum, quumque Diis immortalibus (quorum in hominum genus beneficia longe sunt et plurima et maxima) nihil maius tribuere aut soleamus aut possimus, quam honorem gratamque eorum quae ab iis accepimus memoriam; quum denique, etiamsi quae vicissim a nobis accipiunt, prae multitudine et magnitudine suorum erga nos munerum pauca et parva esse intelligant, nihil maius tamen a nobis requirant, idque quod a nobis sedulo redditur aequi boni faciant: quemadmodum homines licet tuorum erga se meritorum admiratione obstupescant, nihilominus gratiam tibi qualemcunque possint referre aut certe gratam voluntatem remetiri debent, ita te naturam in hoc tuam, quae veram et solidam gloriam, non inanem gloriae imaginem semper expetivit, ducem secutum, tuorum benefactorum conscientia fretum, nullam praeterea aliam mercedem quam liquidissimam et sincerissimam voluptatem ex tua in homines benignitate natam ac profectam flagitare aut expectare, ipsaque honestate (quod facis) contentum esse decet. neque enim beneficia tua feneraris, sed ad bene merendum de hominibus natura factus honestatem ac pulchritudinem virtutis unicum et veracem tuae beneficentiae omnisque virtutis fructum esse putas.

Atque ut hoc naturae tuae maxime consentaneum est, ideoque in te est probabilissimum minimeque mirabile, sic de multis aliis si hoc idem dicatur, et remotissimum a vero iudicetur et fidem omnem superare videatur. tu enim scilicet, qui virtutis et honesti speciem assidue animo contemplaris acerrimisque mentis oculis contueris, eius incredibili amore inflammatus nihil praeterea admiraris, non emolumentum, non gloriam inanem, non auram popularem, non cetera quae cuivis de populo contingere queant, usque adeo, ut, quod a Platone dictum est, virtutis speciem oculis corporis non cerni, quodsi cernatur, mirabiles sui amores excitaturam, in te comprobatum et confirmatum esse videatur. illi autem verae laudis dulcedinem nunquam gustaverunt, sed falsa utilitatis et voluptatis et gloriae specie decepti in studio rerum inanissimarum consenescunt, litteras et litteris expolitos homines odio acerrimo persequuntur, eosque in circulis, in conviviis, apud sui similes, apud omnes contumeliosissime laedunt atque invidiosissime criminantur. ita effrenatis et indomitis pecuniae et divitiarum cupiditatibus incensi tantum abest, ut rei publicae prosint aut consulant, ut etiam sint pestiferi et perniciosi cives. tu vero (ut cetera tua in rem publicam merita hoc loco sileam) quam habes omni librorum et calamo descriptorum et typis impressorum genere instructissimam ac refertissimam impensoque emptam bibliothecam, eam ita omnibus nostri ordinis hominibus patefacis, ut non tibi, sed omnibus comparasse videaris. ex ea enim anti-

quissima et fidelissima deprompta exemplaria cum iis libenter ac iucunde communicas, quos exploratum habes, et posse et velle fructus inde decerptos rei publicae impertire. neque vero veteres solum tuas membranas ad communem omnium et publicam utilitatem confers, sed etiam auctoritate et gratia tua, quibus in primis flores, assequeris, ut si qui forte antiqua aliqua habeant exemplaria, quorum similia alia habeas aut etiam non habeas, ipsi ultro aut certe a te admoniti et rogati ad te deferant, ut vel iis utare pro tuis, vel eorum testimonio tuorum fides confirmetur. id quod etiam nobis in hoc negotio conficiendo plurimum profuisse experti sumus. quare quemadmodum rex ille regum Agamemnon optat apud Homerum, ut decem Nestoris similes habeat; quod si acciderit, non dubitat, quin brevi Troia sit peritura: sic regi nostro *Carolo* optandum sit, ut decem habeat *Memmii* similes; quod si contingat, dubitare non debeat, quin barbaries et ignoratio bonarum litterarum, quae tametsi magna ex parte profligata et fugata est, eius tamen etiam nunc in quibusdam Galliae locis vestigia remanent, funditus ex tota Gallia in perpetuum sit exsulatura.

Neque tamen hoc ita accipi velim, quasi negem complures alios esse ornatissimos atque amplissimos viros, qui et litteras ament et litteratis faveant eorumque causa omnia cupiant: sed horum alios impedit rerum privatarum cura, alios rei publicae occupatio districtos tenet, alios ambitio moratur ac retardat, alii litterarum studium ad usum privatum aut ad oblectationem domesticam sibi reservant, de litteris in publico sermonem habere aut earum scientiam prae se ferre personae suae parum decorum esse putant, alii etiamsi se litteras didicisse non dissimulent, pro litteratis tamen viris, iis maxime qui solo litterarum nomine commendantur, laborem aliquem aut molestiam suscipere nolint. te autem neque rei familiaris (quae tuo merito lautissima et amplissima est) amplificandae studium, neque rei publicae (in qua magna cum laude versaris) administratio, neque vel honoris eius quem adeptus es vel eorum qui te manent cursus, neque quicquam aliud a perpetuo in litteras et litteratos homines studio atque officio revocat, neque tuam personam dedecere existimas etiam foris declarare palamque profiteri te litteras didicisse. sed ut eae maximo tibi sunt ornamento summoque ad negotia et privata et publica gerenda adiumento, ita eas colere atque ornare te decere, tuum esse, tuae personae convenire putas, neque satis habes litteras in sinu ferre et veluti filiolas osculari tuas, sed omnes eos qui litteras profitentur, etiamsi praeterea nihil admodum iudicio vulgi magnum habeant, modo sint bene morati, probi atque integri, et singulari benevolentia comprehendere, et mira comitate complecti, et consilio, opera, re iuvare consuesti. neque vero quamvis tibi iucundissimum sit in litteris versari, et tum denique, quum carissima tua et copiosissima librorum supellectile frueris, tibi vivere videare, ullam tamen operam de eo munere cui praepositus es

studia litterarum detrahunt: quin tu quoque una cum aliis amplissimis et clarissimis Galliae viris, qui partim mortem obierunt partim etiamnum vivunt, maledictum illud et crimen in litteras notissimum et vulgatissimum, eas a rebus gerendis abducere animisque languorem, torporem, mollitiem atque ignaviam quandam afferre, iampridem re infirmasti ac diluisti. nam ut eos, qui corporum sensibus mortui gloria et memoria hominum sempiterna vivunt, praetermittam, *Budaeos*, *Baiffios*, *Pinos*, *Oliverios*, *Conanos*, *Marilliacos*, *Bellaios*, *Massencalos*, *Ranconnetos*, *Oberios*, *Tiraquellos*, et alios innumerabiles, quum *Mich. Hospitalius* Galliae Cancellarius, *Io. Morovillerius* Episcopus Aurelianensis, *Seb. Albaspina* Episcopus Lemovicensis, *Io. Monlucius* Episcopus Valentinus, *Io. Baptista Menilius* patronus Regius, *Io. Faber Pibracius* patronus Regius, *Aegidius Bordinus* procurator Regius, *Io. Trucius* praeses Curiae Gratianopolitanae, *Germanus Valens Pimpuntius* consiliarius Regius, *Nic. Perrotus* consiliarius Regius, *Petrus Fuxius* apud Britanniae Reginam legatus Regius, *Am. Ferrerius* apud Venetos legatus Regius, *Robertus*, *Ioannes*, *Andreas Huralti* fratres, quorum duo supplicum libellorum in Regia sunt magistri, tertius consiliarius Regius, multi alii quos enumerare longum sit, et tu cum primis — quum vos igitur ea quae didicistis et legistis ex umbraculis et otio eruditorum virorum non modo in solem et pulverem, verum etiam in aciem atque discrimen ipsum producitis, tum vos maledictum et crimen illud falso esse litteris obiectum re declaratis. atque ut de aliorum quos modo nominavi praeclaris, fortibus et constantibus actionibus in re et forensi et publica taceam, quae tua nuper, quum tibi de seditiosis et turbulentis hominibus, qui apud Blesos, Aurelianenses, Turones quotidie caedes indignissimas faciebant, quaestio a Rege mandata esset, in eis persequendis, comprimendis, a furore ad sanitatem revocandis vigilantia, perseverantia, fortitudo, iustitia, severitas, sollertia, moderatio, prudentia fuit, quum alii in alias civitates iisdem morbis laborantes dimissi, iisdem partibus sibi mandatis timidiores fuissent, alii negligentiores, alii remissiores ac paene dicam lentiores, alii duriores atque acerbiores? nam quum intelligeres, hanc Regis esse voluntatem, ut sui cives mutuam amicitiam et concordiam inter se colant neque armis inter se digladientur, tu iuris aequabilitate et sapientia tua ita huic maxime salutari Regis voluntati obsecutus es atque inservisti, ut trium illarum urbium cives ex alienis ac discordibus amicos inter se et concordes reddideris malisque illis omnibus domesticis atque intestinis liberaris. ceteras tuas actiones in tuo munere fungendo prudentiae, consilii, ingenii, magnitudinis animi, aequitatis, iustitiae plenissimas non commemoro, ne aut res Gallis omnibus notissimas et veluti in optimo lumine collocatas oratione mea obscurare, aut dum tuas illustres et in specie forensi positas virtutes praedico, de aliorum laudibus aliquid detrahere videar.

Redeo igitur ad egregiam tuam in musarum alumnos benevolentiam ac liberalitatem singularemque in omnes nationes litteris politas beneficentiam, per quam, fidelissimis atque integerrimis, aut certe longe integrioribus quam sint vulgati codices exemplaribus ex bibliotheca tua depromtis, maximam nobis ad veterum scriptorum libros foedissimis maculis contaminatos teterrimisque mendis refertos, purgandos atque emendandos facultatem dare soles. ac de aliis quidem libris, qui et iam ante tuo tuaeque bibliothecae beneficio emendatiores in vulgus dimanarunt et postea Deo Optimo Maximo approbante in manus hominum perventuri sunt taceo: *Ciceronem* autem *nostrum*, hoc est tuum et meum, *tuum*, quia primum te auctore atque impulsore, deinde te adiutore et libros optimos ad rem conficiendam suppeditante in hanc voluntatem curamque incubui, *meum*, quia assiduitate, diligentia, perseverantia, labore, opera et fortasse etiam aliquo in his litteris usu et iudicio rem susceptam et receptam ad exitum perduxi: hunc igitur Ciceronem, quem tantopere admiraris, quem tanti facis, quem tam vehementer amas, quem tam cupide amplecteris, magna ex parte tuorum librorum beneficio et meo tamen studio meaque opera, quoad eius consequi potui, emendatum, quemadmodum tibi, diu multumque recusanti pollicitus sum, dono, dico, consecro, hoc est et vigilias, sudores, labores quos in hoc opere absolvendo pertuli et animi oblectationes, laetitias, voluptates quas indidem percipiebam, vel quum locum aliquem corruptum sive ex obscuris antiquae scripturae vestigiis, sive etiam ex planissimo et certissimo ipsorum veterum exemplarium testimonio in integrum restituebam, vel quum utilitatis ad omnes bonarum litterarum studiosos ex vigiliis meis perventurae magnitudinem animo praesagiebam ac praevidebam, hoc igitur totum quantum quantum est qualecunque est, *Memmi*, ex animo tibi ut debeo dono, quod abs te profectum est quodque tuo beneficio hic renovatus et veluti positis novus exuviis consecutus est Latinorum praestantissimus orator idemque philosophus, id tibi bona fide reddo.

Vale.

Lutetiae, anno a salute generi hominum data 1566.

IDEM ERUDITO ET HUMANITATE POLITO LECTORI.

Saepe multumque apud me dubitavi, lector erudite, utrum magis mirandum sit quanto quisque plures et graviores pro re publica labores subit ac perfert, quantoque melius de hominibus meretur, tanto eum acriora hominum odia in se excitare tantoque plures et acerbiores sibi inimicitias conflare, quum et naturae lex et aequitatis ratio postulent, ut quo se quisque suis civibus et reliquis hominibus utiliorem praebuerit, eo ab iis maiorem gratiam ineat eoque ampliora praemia ferat, quo inutiliorem aut perniciosiorem, eo gravioribus poenis coerceatur: an potius in tanta rerum iniquitate ac perversitate quemquam existere, qui rei publicae potius quam sibi consulere velit. nam ne necesse habeam memoriam rerum praeteritarum ultimam recordari et replicare, veteresque illos clarissimos viros optimeque de sua re publica meritos commemorare, Miltiadem, Themistoclem, Aristidem, Cimonem, Iphicratem, Demosthenem, C. Coriolanum, Q. Fabium Maximum, P. Scipionem Africanum, Q. Metellum, Q. Rutilium Rufum, M. Ciceronem, ceteros Graecos et Romanos, qui quum optime de sua patria meriti essent, vel populi iracundiam indignissime subierunt, vel ab inimicis per insidias excepti ac circumventi sunt: quam multos ex nostris nostraeque aetatis hominibus et honesto loco natos et optimis disciplinis eruditos et (quod caput est) castos atque integros videmus aut nullis honoribus ornatos vitam privatam atque obscuram degere, aut si qui forte ad aliquem honoris gradum provecti fuerint, omnium iniquorum atque invidorum dentibus ac maledictis peti, calumniis onerari, falsis criminibus obrui atque opprimi? et quamvis haec ita sint, nihilominus tamen semper aliquos existere, quos patriae caritas potius ad fortiter agendum ac de re publica bene merendum excitet quam praepositus periculi metus a studio iuvandae rei publicae deterreat? quum igitur utrumque horum peraeque mirum sit, quumque utriusque causas saepe mecum quaesivissem atque investigassem, singulorum tandem reperi causas esse binas.

Nam quod hominibus bene vel de sua civitate vel de universo genere hominum meritis plures adversentur atque invideant quam faveant et gratiam referant, id videtur assignandum primum depravatae hominum naturae ad iniuriam ulciscendam procliviori et propensiori quam ad beneficium remunerandum; deinde invidorum, ingratorum, improborum multitudini vi-

rum bonorum et gratorum paucitatem longe numero superanti. quod autem tot incommodis, tot ludibriis, tot ignominiis, tot denique capitis et vitae periculis propositis exoriantur tamen nonnulli, pro caritate patriae et pro arctissimo illo hominum inter homines societatis vinculo pauci, pro iniquitate invidorum atque improborum multi, qui neglecta re sua familiari, abiecta etiam valetudinis cura, hominibus prosint et consulant: id vel animorum divinitati atque immortalitati assignandum est, qui etiam in his compagibus corporis inclusi, ut quisque sapientissimus atque optimus est, ita longissime in posterum praesentiunt, adeo ut nil nisi sempiternum spectare videantur; vel praestanti cuidam et eximiae illorum virorum bonitati ac virtuti ascribendum, qui opificem illum et architectum huius mundi Deum, cuius est maxime proprium omnes iuvare, nocere nemini, in hac mortali vita imitantes non modo suae rei familiaris iacturam facere, sed etiam animam profundere parati sunt, ut in cives suos atque adeo in omnes gentes aliquid beneficii conferant: quales fuisse dicuntur Liber et Hercules et ceteri, quos propter plurima et maxima in genus hominum merita memor acceptorum beneficiorum antiquitas in deorum numerum retulit; quales Aiax et Palamedes, qui quum optime de Graecis essent meriti, iudiciis iniquis circumventi sunt; quales Themistocles, Leonidas, Epaminondas, Coriolanus, Scipio Africanus, aliique innumerabiles tum apud Graecos tum apud Romanos tum apud nos extiterunt, qui partim magnis suis laboribus ac sudoribus magnas rei publicae utilitates pepererunt, partim suo sanguine patriae salutem redemerunt. atque ut eos omittam, qui bellis gerendis praefuerunt quique in acie pro patria fortiter pugnantes cecideterunt, quibus, tametsi vivi magna invidia laborarint, mortuis tamen divini honores a civitatibus decreti sunt: a quibus, obsecro, tot artes ac disciplinae, quibus vita exculta et expolita est, nobis per manus traditae sunt, nisi ab iis, qui sese non sibi sed aliis natos esse putaverunt? quo in numero habendi sunt Apollo, Mercurius, Vulcanus, Aesculapius, Minerva. ac ne nimis alte repetere videar, neve Homerum, Hesiodum, Platonem, Xenophontem, Aristotelem, Theophrastum, Plutarchum, Varronem, Lucretium, Virgilium, Horatium, ceteros commemorem, potiusque de iis loquar, qui nostra aut patrum nostrorum memoria omnem aetatem in litteris et bonis artibus consumpserunt, ut non solum ex assidua lectione et rerum contemplatione liberalem animi oblectationem petisse, sed omnia sua studia omnesque suas vigilias ad communem utilitatem contulisse videantur: buantum debent nationes omnes *Gulielmo Budaeo*, *Fabro Stapulensi*, *Francisco Vatablo*, *Lazaro Baiffio*, *Orontio Finco*, *Hermolao Barbaro*, *Angelo Politiano*, *Thomae Linacro*, *Thomae Moro*, *Petro Bembo*, *Iacobo Sadoleto*, *Lazaro Bonamico*, *Petro Victorio*, *Paulo Manutio*, *Carolo Sigonio*, *Rodolphae Agricolae*, *Erasmo Roterodamo*, *Philippo Melanchthoni*, *Ioachimo Camerario*, *Iacobo Tusano*, *Francisco Silvio*, *Gulielmo Philandro*, *Francisco*

Duareno, Iacobo Cuiacio, Barnabae Brissonio, Iacobo Strebaeo, Adriano Turnebo, Ioanni Aurato, Petro Ramo, M. Antonio Mureto, ceteris similibus, qui tot noctes insomnes traduxerunt, toties voluptati bellum indixerunt, toties genium suum defrudarunt, omnia denique quae iudicio vulgi magna habentur contempserunt ac pro nihilo putarunt, ut et suae aetatis hominibus et posteris consulere possent, nulla alia vi excitati atque impulsi, nisi vel divinae mentis imitandae cupiditate penitus insita vel animi ipsius natura etiam in corpore mortali inclusa immortalitatis suae specimen edere gestiente et sempiterna omnia cogitante ac moliente? nam si quis forte ita dicet, optimum quemque longius quiddam quam vitae termini ferunt spe atque animo de se et gloria sua cogitare, et spe posteritatis fructuque ductum maximos labores corporis atque animi perferre: primum hoc ipsum esse dico argumento firmissimo immortalitatis animorum, quod homines mortales immortalia et sempiterna spectent; deinde negare equidem non possum scriptum hoc esse ab optimo et locupletissimo scriptore, exiguum nobis a natura vitae curriculum esse circumscriptum, immensum gloriae, et nonnullos bonarum litterarum bonarumque artium cognitione ornatos viros immortalitatis et gloriae sempiternae dulcedine quadam titillari. sed primum quum orbis terrarum pateat ad ultimas solis orientis et obeuntis oras atque ad extremas Austri et Aquilonis partes, ad eas denique terras, quae sub pedibus nostris incoluntur, quo nullius nostrum nomen neque pervenit unquam neque perventurum est: quantis ea gloria, quam homines expetunt, angustiis continetur? deinde quamvis nobis aliquis spondeat (quod tamen fieri non potest), sed demus hoc aliquem et spondere et praestare posse, longissimam futurorum hominum prolem deinceps unius cuiusque nostrum laudes a patribus acceptas posteris produturam, quam longum tempus illud futurum est, si cum infinita aeternitate comparetur? postremo gloria quae appellatur habet illa quidem honestatis speciem et similitudinem quandam, eaque excitantur etiam magnis ingeniis praediti homines; sed neque vera illa honestas est, quam viri boni maxime intuentur, et quos nihil praeter eam ad bene de hominibus merendum stimulat, ii leves sunt homines, inanes ac mendaces, quantumvis ingenio valeant. quemadmodum enim talis gloriae causa nihil est quod non sint facturi, ita infamiae et invidiae et offensionis popularis metu nullum officium est quod non sint praetermissuri; quales fuisse accepimus Callicratidem et Cleombrotum, quorum alter quum bello Peloponnesiaco multa egregie fecisset, vertit ad extremum omnia, quum dedecoris et infamiae metu classem ab Arginusis removendam non putavit et cum Atheniensibus iniquo loco et imparibus viribus dimicavit, alter invidiam timens temere cum Epaminonda conflixit. quod contra Q. Fabius Maximus,

Qui non ponebat rumores ante salutem,
Atque ita Romanis cunctando restituit rem.

quam sententiam comprobans doctissimus et elegantisimus poeta,

Falsus honor iuvat, inquit, *et mendax infamia terret*
Quem, nisi mendosum et mendacem?

non igitur clarissimos illos viros, quos supra commemoravi, innumerosque alios gloriolae cuiusdam inanissimae spes induxisse putanda est, ut tot labores exanclarent, tot vigiliis sese macerarent et conficerent: sed potentior quaedam vis, ut dixi, et quasi cognatio cum praestantissima illa atque excellentissima natura, quae iccirco optima et maxima dicta est, quod quum sit potentissima, potentia tamen sua utitur ad iuvandos et servandos, non ad laedendos aut perdendos mortales, eos impulit, ut omnem ingenii sui vim ad bene merendum de hominibus expromerent et profunderent. quod si de singulis affirmare difficile est, quod et variae et obscurae sunt hominum voluntates, ea tamen ratio et natura rerum est, ut non videatur res tam levis, tam fluxa, tam caduca, tam fallax atque incerta excellentes ingenio et virtute homines ad tot corporis atque animi labores subeundos fuisse excitatura, aut si etiam, non ea tamen gloria, quae ex temeritate multitudinis imperitae pendet, sed illustris quaedam et pervagata multorum et magnorum vel in suos cives, vel in omne genus hominum fama meritorum et consentiens laus bonorum et incorrupta vox de excellente virtute bene iudicantium: quam tamen, quum ea, ut diximus, et tam angustis terrarum finibus, si totam orbis terrarum magnitudinem spectes, contineatur et tam brevi temporis intervallo, si eam cum tota aeternitate conferas, circumscribatur, non est credibile doctis viris ita fucum facere, ut sese eius spe tantis laboribus fatigent atque exerceant, sed earum rerum, quas diximus, vel utramque vel alterutram, ut tam arduam atque asperam vitae ingrediantur viam, stimulos acerrimos admovere.

Ego quidem a doctissimis illis viris longo distans intervallo, sive naturae ipsius impetu et vi quadam potentiore ac superiore instinctus atque impulsus, sive divinae illius aurae particula etiam in me animorum immortalitatem declarante (neque enim unquam infitiari verebor, me unum ex iis esse, qui se ab iis voluptatibus, quae nobis sunt cum pecudibus communes, longissime removerunt, easque artes ab ineunte aetate coluisse, quae homine ingenuo dignissimae sunt), quum primum aliquid in litteris videre coepi, incredibili earum amore ita flagravi, ut rei familiaris cura neglecta artibusque vendibilibus et quaestuosis spretis ac reiectis eas potissimum secutus sim, quae propter se, non propter fructum aliquem expetuntur. itaque quum in optimo quoque scriptore et Graeco et Latino evolvendo ac legendo aliquot annos in Gallia comsumpsissem, in Italiam profectus sum, acerrimis ingeniis semper florentem, ex qua orti eruditissimi homines terras omnes humanitatis participes immortali sui nominis gloria paullo ante nostram aetatem compleverunt, *Bembi*, *Sadoleti*, *Bonamici*, *Amasaei*, *Victorii Ca-*

sae, *Pantagathi*, *Manutii*, *Faerni*, *Sirleti*, *Sigonii*, *Zanchi*, *Commenduni*, *Robortelli*, *Luisini*, *Taurellii*, *Pamvini*, *Ursini*, *Bargaei*, sexcenti alii. ibi libros *Aristotelis* de Moribus ad Nicomachum Latinos a me factos, non eo consilio ut ederem, sed partim ut amplissimo et clarissimo cuidam viro, cuius eram familiaris, morem gererem, partim multorum eruditissimorum virorum hortatu typis mandavi ac divulgavi; ibidem *Q. Horatium Flaccum* cum exemplaribus antiquis, quorum magna est in eis locis copia, comparavi eosque duces atque auctores secutus multos in eo poeta locos et mendosos emendavi et implicatos explicavi, idemque in *Lucretio* perfeci, aut certe conatus sum. his rebus secunda hominum voluntate absolutis quum aliorum multorum, tum maxime *Errici Memmii* C. V, Supplicum Libellorum in Regia Magistri, hortatu coepi in *M. Tullio Cicerone*, cuius me perstudiosum fuisse, qui me penitus noverunt, testes mihi esse possunt, idem cupere praestare. sed quum intelligerem, sine libris veteribus rem tantam conari esse operam ludere atque adeo nihil agere, quumque in hanc optimam huius rei suscipiendae voluntatem tanta difficultas incurreret, hunc nodum *Erricus Memmius* expedivit. ita partim mea sponte, partim auctoritate quum aliorum non paucorum tum vero Errici *Memmii* V. C. adductus, quum praesertim *Memmius* magna mihi librorum manu scriptorum non modo suorum, verum etiam alienorum et commodato rogatorum copia suppeditata maximam mihi ad hoc negotium conficiendum facultatem daret, nonnullos etiam meo Marte nactus essem, alios ab *Ioanne Huralto*, homine Graecis ac Latinis litteris pererudito omnibusque bonis artibus instructissimo, Supplicum Libellorum in Regia Magistro, affine meo, qui nuper apud Venetos legatione functus est, alios ab *Ioanne Tilio*, viro litteratissimo, Episcopo Meldensi, alios a *Nicolai Clerici*, Consiliarii Regii, viri, dum vixit, integerrimi ac doctissimi heredibus, alios ab *Iacobo Cuiacio*, iuris consulto et doctore praestantissimo, alios ab aliis: ad rem suscipiendam, magnam illam quidem et difficilem, sed laudabilem et praeclaram aggressus sum. biennium cum anno dimidio et paullo amplius partim in consulendis antiquis exemplaribus (cuius tamen rei onere et molestia magnam partem me levavit *Memmius*, duobus iuvenibus eruditis et oculatis, qui omnes veteris scripturae dissimilitudines fidelissime ex libris antiquis expressas atque effictas ad oras duorum librorum vulgatorum ascriberent, impenso conductis), partim in uno exemplo Ciceronis quod sequeretur typographus meo arbitratu concinnando, adornando et apparando, partim in conscribendis emendationum rationibus, partim in toto Cicerone typis excudendo consumptum est, quum ab eo die, a quo die editio coepta est, quotidie pericula secunda (sic enim appello ea folia, quae non serio, sed periclitandi gratia litterarum typis exarantur atque excuduntur) inspicerem atque emendarem: in quo tamen meae diligentiae industriaeque non respondit eventus, quoniam neque

operarii, hominum genus non solum tardissimum, verum etiam contumacissimum ac pervicacissimum, neque is, qui operariis praeesse et praecipere et emendandorum periculorum munere fungi solet, meas emendationes accurate sequunti sunt, quo factum est, ut in hac editione nonnulla errata magno meo stomacho et dolore admissa sint; quae quomodo corrigenda sint, in calce singulorum voluminum lectorem admonendum curavimus.

Initio igitur operis a me suscepti quum mihi tria reprehensorum genera parata providerem, unum eorum, qui me actum egisse criminarentur, quippe qui rem a tot aliis iisque doctissimis et clarissimis viris susceptam et ad exitum perductam de integro molitus essem; alterum eorum, qui quererentur, et nimis multa et nimis audaciter a me esse immutata; tertium eorum, qui me nimis timidum fuisse in exemplaribus antiquis sequendis et vulgatis ex eorum auctoritate corrigendis arguerent: his omnibus ut aut satisfacere, aut mei facti rationem probare possem, data est a me opera diligenter. nam qui dicent, alios hoc idem ante me fecisse atque antevertisse, iis hoc respondebo, primum omnes illos in singulis Ciceronis scriptis emendandis elaborasse, alios in Philosophicis, alios in Orationibus (atque horum alios in singulis, alios in aliquot, neque quemquam in omnibus), alios in Rhetoricis, neque his omnibus, neminem esse quod sciam qui totum Ciceronem emendandum susceperit, nedum rem confecerit; deinde si qui aliquam in hoc negotio operam navarint, me suam cuique laudem reddidisse gratiamque retulisse, a nemine sui laboris fructum impudenter atque iniuste in me transtulisse (quod nuper in meo Lucretio quidam omnium mortalium petulantissimus atque impudentissimus fecit*), quod si cuius sententia mihi non satis fuit probata, vel me eius nomini pepercisse vel eo nominatim appellato, pudenter et modeste eius sententiam infirmasse atque improbasse, meam sine arrogantia confirmasse, neque proterve et petulanter aliorum coniecturas aut exagitasse aut irrisisse, meas insolenter et gloriose venditasse atque ostentasse. secundum autem et tertium genus (ut una opera utrumque aut placatum dimittam, aut retineam) praemonitum velim, me mediam quandam viam in hoc negotio gerendo secutum esse. nam neque ita mihi omnia ad vivum esse resecanda existimavi, ut quicquid in libris veteribus reperissem, id statim, eiecta vulgata scriptura, in eius locum substituerem; neque rursus ita religiosus aut timidus fui, ut quo in loco perspicue sinceri essent libri antiqui, contaminati vulgati, ei loco manus medicas atque adeo scalpellum non adhiberem, eum locum continuo non sanarem. prae-

---

*) Is est *Obertus Gifanius*, quem, plurribus locis exagitatum, furti reum facit in Praefatione *Commentariorum Lucretianorum* altera, p. XXVIII. sqq subscripsit Lambinus hanc praefationem, *Lutetiae a. d.* 8. *Novembris a.* 1570.

terea ubi lectionem vulgatam immutavi, mei facti rationem in meis Scholiis exposui; ubi nihil mutavi, quum tamen aliter esset scriptum in libris antiquis, de eo quoque lectorem admonui scripturamque veterem bona fide repraesentavi, idque varie, interdum nihil ipse statuens iudiciumque lectori suum relinquens, interdum sententiam meam aperiens et alteram probans, alteram improbans, modoque vulgatam antiquae, modo antiquam vulgatae anteponens. hoc praeterea institutum perpetuo servavi ac tenui, ut si quis vel ex iis qui e vita excesserunt, vel ex iis qui etiam nunc vivunt, locum aliquem erudita, ingeniosa, acuta, sagaci coniectura ductus restituit aut etiam restituere conatus est, sive eam in hac editione secutus sum, sive, ut non secutus sim, probavi tamen, eam suo auctori ac vero domino bona fide reddiderim neque eum sua merita laude privarim. quae autem vel a *Petro Victorio*, vel a *Paullo Manutio* (qui duo praeclaram in hoc scriptore emendando operam ante me navaverunt), vel ab aliis iam ante restituta atque in libris vulgatis reposita sunt, eorum quum omnes bonis artibus et exquisitis litteris ornati homines sint testes et conscii, mihi necesse esse non putavi de iis omnibus lectorem admonere, utpote memorem, ne et eius otio intemperanter abuti et chartam male perdere viderer. quoniam autem vel longum vel alienum atque ineptum erat, eos omnes qui aut libros manu scriptos ad hoc opus adiuvandum mihi commodarunt aut in eadem re operam aliquam posuerunt, in hac epistola enumerare, eorum nomina infra ordine perscribenda curavi, ut et illi sibi a me qualemcunque potuerim gratiam relatam esse intelligant, et tu, candide lector, eis habeas maximam, si iustam referre nullo modo possis.

Vale.

Idibus Febr. anno 1566.

III.

EORUM QUI ANTE DIONYSIUM LAMBINUM IN EMENDANDO CICERONE ALIQUID OPERAE POSUERUNT QUIVE EUM AUT CONIECTURIS PROBABILIBUS AUT LIBRIS VETERIBUS PRAETER MEMMIUM (QUI UNUS PLURES QUAM CETERI OMNES SUPPEDITAVIT) ADIUVERUNT NOMINA.

ITALI.

Petrus Bembus, Venetus, poeta, historicus, orator, Cardinalis;
Angelus Politianus, poeta, orator et philosophus;
Ioannes Nauagerius, patricius Venetus, orator et philosophus;
Andreas Alciatus, iuris civilis interpres;
Lazarus Bonamicus, orator et philosophus;
Romulus Amasaeus, orator et philosophus;
Octavius Pantagathus, orator et philosophus;
Petrus Victorius, orator et philosophus;
Paullus Manutius, orator et philosophus;
Sebastianus Corradus, orator et philosophus;
Carolus Sigonius, orator et philosophus;
Franciscus Robortellus, orator et philosophus;
Gabriel Faernus, orator, poeta et philosophus;
Hieronymus Ferrarius, orator;
Basilius Zanchus, orator et philosophus;
Leonardus Malaspina, orator et philosophus;
Caelius Secundus Curio, orator et philosophus;
Bernardus Lauredanus, patricius Venetus, orator et philosophus.

GALLI.

Gulielmus Budaeus, Parisinus, Supplicum Libellorum in Regia Magister;
Lazarus Baifius, Supplicum Libellorum in Regia Magister;

Petrus Danesius, litterarum Graecarum et philosophiae Lutetiae doctor Regius, nunc Episcopus Vaurensis:

Iacobus Tusanus, Graecarum litterarum Lutetiae professor Regius;

Gulielmus Pellicerius, Episcopus Monspersensis;

Franciscus Duarenus, iuris consultus et legum interpres;

Franciscus Silvius, Ambianus, orator;

Adrianus Turnebus, Graecarum litterarum et philosophiae Lutetiae professor Regius;

Ioannes Tilius, Episcopus Meldensis;

Aemarus Ranconetus, consiliarius Regius;

Erricus Memmius, Parisinus, Supplicum Libellorum in Regia Magister;

Ioannes Huraltus Lignotallerius, Supplicum Libellorum in Regia Magister;

Germanus Valens Pimpuntius, Aurelianensis, consiliarius Regius;

Ioannes Faber, Tolosanus Sangiorius, Supplicum Libellorum in Regia Magister;

Iacobus Cuiacius, Tolosanus, iuris civilis interpres;

Bernardus Brissonius, iuris consultus et actor causarum;

Ioannes Auratus, Graecarum litterarum Lutetiae doctor Regius;

M. Antonius Muretus, orator et philosophus;

Franciscus Hotomanus, iuris consultus et legum interpres;

Iacobus Lodoicus Strebaeus, orator et philosophus;

Ioachimus Perionius, Benedictinus, orator et philosophus;

Petrus Ramus, artis dicendi et philosophiae Lutetiae doctor Regius;

Leodegarius Quernus, litterarum Latinarum Lutetiae doctor Regius;

Petrus Pithoeus, iuris consultus et actor causarum;

Gulielmus Capella, medicus et philosophus;

Erricus Stephanus, Roberti Stephani filius, orator et philosophus;

Iosephus Scaliger, Iulii Caesaris filius, poeta et philosophus;

Ioannes Passeratius, poeta et iuris consultus;

Petrus Daniel, Aurelianensis, iuris consultus.

HISPANI ET LUSITANI.

Antonius Augustinus, Episcopus;

Antonius Goveanus, poeta et iuris interpres;

Achilles Statius, orator et philosophus.

GERMANI ET BELGAE ULTIMI.

Desiderius Erasmus, Roterodamus, orator et theologus;

Beatus Rhenanus, orator et theologus;
Philippus Melanchthon, orator et philosophus;
Ioannes Rivius, orator et philosophus;
Bartholomaeus Latomus, Lutetiae litterarum Latinarum professor Regius;
Iodocus Badius, Ascensius*);
Joachimus Camerarius, orator et philosophus;
Xystus Betuleius, orator et philosophus;
Carolus Langius, orator et philosophus;
Iacobus Revardus, iuris consultus;
Franciscus Fabricius, Marcoduranus, orator et philosophus;
Gulielmus Canterus, orator et philosophus.

HELVETII.

Errieus Glareanus, poeta et philosophus;
Corradus Gesnerus, medicus.

SARMATAE SEU POLONI.

Andreas Patricius, orator et philosophus.

SCOTI.

Georgius Bucananus, poeta et philosophus;
Ioannes Scriniger, iuris civilis interpres et philosophus.

---

*) Auctore Lambino, in Retractatis, delendum hoc nomen, quod est inter *Bartholomaeum Latomum* et *Ioachimum Camerarium*.

IV.

M. TULLII CICERONIS GENUS PATRIA INGENIUM STUDIA DOCTRINA MORES VITA FACTA RES GESTAE MORS OMNIA FERE EX IPSO CICERONE A DIONYSIO LAMBINO COLLECTA AD CAROLUM MAXIMILIANUM VALESIUM FRANCIAE REGEM CHRISTIANISSIMUM.

Interea, Carole, dum *Tu* rex omnium regum Christianorum maximus ac potentissimus Galliam *Tuam*, superiorum annorum malis conquassatam, peragras ac perlustras, ego eorum omnium, quos Lutetiae bonas artes Graecasque litteras *Tuo* nomine *Tuisque* auspiciis profiteri voluisti, minimus ac postremus, nulla opera ei docendi muneri quo me fungi voluisti detracta, *M. Tullii Ciceronis*, oratorum Latinorum facile principis eloquentiaeque Romanae parentis, libros in hac urbe iterum atque iterum relegi et cum multis antiquis exemplaribus comparavi, atque ex eorum auctoritate locos innumerabiles in hoc gravissimo, disertissimo, doctissimo, probatissimo denique scriptore depravatos emendavi, ut quemadmodum superioribus annis duo poetae clarissimi, *M. Lucretius Carus* et *Q. Horatius Flaccus* meo labore meaque opera emendatiores quam unquam antea excusi in publicum prodierunt, ita nunc meo studio meaque diligentia praestantissimus Latinorum orator, si non omni ex parte in integrum restitutus (quod vix quisquam mortalium praestare potest), at certe multo integrior quam post inventam artem typographicam editus est in hominum manus perveniret. dicet aliquis, quid Regi et rei publicae ex isto labore immenso redit? multum et plus fortasse, quam non *Tu*, Carole, cui persuasum est litteras *Tibi* et *Tuae* Galliae summo esse ornamento maximoque ad bene beateque vivendum et ad res bene gerendas adiumento, sed quisquam istorum, qui litteris et litteratis hominibus inimici atque infesti sunt, credere aut existimare possit. atque ut omittam singillatim litterarum Hebraicarum seu Syriacarum, Graecarum, Latinarum omniumque ingenuarum artium utilitatem, pulchritudinem, iucunditatem *Tibi* exponere atque praedicare (quod et alias fecimus, et alio fortasse loco dedita opera facturi sumus), videtur hic locus ferre atque adeo postulare, ut quantum *Tu* et nos, *Tui* cives, ex M. Tullii Ciceronis lectione utilitatem

percipere possimus, quam brevissime fieri poterit, ostendam. prius autem quam in hunc sermonem ingrediar, operae pretium mihi facturus esse videor, si de M. Tullii Ciceronis genere, patria, ingenio, studiis, doctrina, moribus, vita, factis et rebus gestis, genere mortis quaedam dicam.

Fuit igitur *M. Tullius* patria Arpinas, genere M. Tullii Ciceronis equitis Romani filius, ingenio acerrimo ac paene dicam divino praeditus, quemadmodum et omnes, qui de eo aliquid scripserunt, testantur, et ex eius scriptis intelligere licet. quum autem puer ingenii magnitudine ita suis aequalibus praestaret, ut et alii pueri e ludo discendi redeuntes eum tanquam regem quendam, medium circumstantes, domum saepe deducerent et puerorum patres illius ingenii fama permoti in ludum litterarum saepe ventitarent, ut quod fama et auditione acceperant oculis cernerent et quasi manibus tangerent, tanto tamen discendi studio flagravit non solum puer verum etiam grandior factus et corroborata iam aetate, atque adeo quamdiu vixit, ut non modo voluptatibus omnibus, quibus a sperata ingenii et eloquentiae gloria aut omnino intercludi aut vel minimum retardari posset, bellum indiceret, verum etiam naturales et necessarias cupiditates comprimeret et coerceret, omnibus corporis oblectationibus a doctrina alienis sibi interdiceret, ioca, convivia, sermonem etiam paene omnium familiarium desereret, ut animo libero ac soluto studia doctrinae et eloquentiae colere posset. atque ut primum pueris excessit et iis artibus, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet iisque quas qui didicerunt eruditi appellantur institutus atque expolitus est, quum omnes disciplinas omnesque artes libero homine dignas amplexatus est, tum has duas inprimis, artem dicendi et poeticam, quibus se penitus daret, celeriter arriquit ac diligenter tenuit: poeticam, quoniam ad eam natura ferebatur, artem dicendi, quia et hanc sibi viam ad gloriam, cuius erat avidissimus, maxime patere intelligebat, et ad hoc studium a parentibus, propinquis atque amicis potissimum vocabatur. itaque etiamnum puer poema edidit Glaucum marinum nomine, quod ad multa saecula salvum permansit. adultus autem et firmata iam aetate multa alia poemata scripsit, quae tum valde probata sunt, quaeque, si etiam nunc extarent (ut ex eorum reliquiis et fragmentis coniicere licet), magnopere probarentur; Phaenomena, Prognostica, Alcyones, Limona, Marium, de Consulatu suo libros tres, de suis Temporibus librum 1., Iocularem libellum. verum quum eum, ut dixi, cupiditas gloriae ad artem dicendi studiumque eloquentiae ab omni fere alia cogitatione curaque traduceret, earum artium maxime, sine quibus eloquentia constare aegreque suos fines tueri potest, studio flagrantissimo tenebatur. itaque quum assidue scriberet, legeret, commentaretur, praestantissimos suae aetatis oratores quotidie audiret, oratoriis exercitationibus contentus non erat, sed Q. Mucium Scaevulam P. filium, quia se ille ad docendum non dabat, de iure consulebat atque ita ius

civile ab eo discebat; eodemque tempore, quum princeps Academiae Philo cum Atheniensium optimatibus bello Mithridatico domo profugisset Romamque venisset, totum se ei tradidit, admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus, in quo hoc etiam commorabatur attentius, quod etsi rerum ipsarum varietas et magnitudo summa eum delectatione retinebat, sublata iam esse in perpetuum ratio iudiciorum videbatur, non paucis oratoribus crudelissime interfectis. eodem anno etiam Moloni Rhodio Romae operam dedit, et summo causarum actori et magistro. triennio proximo, quod fuit sine armis, quum pauci omnino oratores in urbe essent reliqui, quos sibi audiendos esse existimaret, noctes et dies in omnium doctrinarum meditatione versabatur. vixit cum Diodoto Stoico, quin ille apud Ciceronem habitavit et eius domi est mortuus. a quo quum in aliis rebus, tum studiosissime in dialectica exercebatur, quae quasi contracta et astricta eloquentia putanda est. huic igitur doctori et eius artibus multis et variis ita tamen erat deditus, ut ab exercitationibus oratoriis nullus ei dies vacuus esset. commentabatur declamitans saepe cum M. Pisone, cum Q. Pompeio aut cum aliquo alio quotidie, idque faciebat saepe etiam Latine, sed Graece saepius, vel quod Graeca oratio (ut ipse ait) plura ornamenta suppeditans consuetudinem similiter Latine dicendi afferebat, vel quod a Graecis summis doctoribus, nisi Graece diceret, neque corrigi posset neque doceri.

Recuperata tandem per Syllam re publica tum primum ad causas et privatas et publicas adire coepit, non ut in foro disceret (quod M. Crassus et multi alii fecerant), sed ut quantum efficere potuisset doctus in forum veniret. eodem tempore iterum Moloni operam dedit. itaque prima causa publica pro S. Roscio ab eo dicta tantum commendationis habuit, ut nulla gravior aut maior esset, quae non patrocinio eius digna videretur. sed quum in ea causa suscipienda et peroranda Chrysogonum, Syllae libertum gratiosissimum, acriter et aspere perstrinxisset Syllaeque voluntatem iccirco offendisset, partim quod Syllae potentiam pertimesceret, partim quod erat ea corporis gracilitate et infirmitate, ita procero et tenui collo, eo denique habitu eaque corporis figura, ut non procul abesset a vitae periculo, si labor et magna laterum contentio accederet: hortantibus amicis ut causas agere desisteret, quum sibi quodvis potius periculum adeundum quam a sperata gloria discedendum putaret, in Asiam profectus est sperans, se remissione et moderatione vocis commutatoque genere dicendi et periculum vitare posse, et temperatius dicere. quum igitur venisset Athenas, sex menses cum Antiocho, veteris academiae nobilissimo et prudentissimo philosopho, fuit studiumque philosophiae nunquam intermissum a primaque adolescentia cultum et semper auctum hoc rursus auctore ac doctore renovavit. eodem tempore ibidem apud Demetrium Syrum, veterem et non ignobilem dicendi magistrum, studiose exerceri solebat.

post ab eo tota Asia peragrata est cum summis oratoribus, quibuscum exercebatur ipsis lubentibus: quorum princeps erat Menippus Stratonicensis, totius Asiae temporibus illis disertissimus. assiduissime cum eo fuit Dionysius Magnes. erat etiam Aeschylus Cnidius, Xenocles Adramyttenus, qui tum in Asia rhetorum principes nominabantur. quibus non contentus Rhodum venit seque ad eundem, quem Romae audiverat, Molonem applicavit, quum auctorem in veris causis scriptoremque praestantem, tum in notandis animadvertendisque vitiis et instituendo docendoque prudentissimum. is dedit operam, ut Ciceronem nimis redundantem et iuvenili quadam dicendi impunitate et licentia superfluentem coerceret. ita recepit se Romam biennio post non modo exercitatior, sed prope mutatus. nam et contentio nimia vocis resederat et quasi deferbuerat oratio, lateribus vires et corpori mediocris habitus accesserat.

Duo tum excellebant oratores, qui eum imitandi cupiditate incitarent, Cotta et Hortensius, quorum alter remissus et lenis et propriis verbis comprehendens solute et facile sententiam, alter ornatus, acer et verborum actionisque genere commotior. unum igitur annum, quum rediisset ex Asia, causas nobiles egit, quum Quaesturam ipse, Consulatum Cotta, Aedilitatem peteret Hortensius. interim eum Quaestorem Siciliensis excepit annus, Cotta ex Consulatu profectus est in Galliani, Hortensius princeps in foro et erat et habebatur. quum anno post e Sicilia se recepisset, videbatur iam illud in eo, quicquid esset, esse perfectum et habere maturitatem quandam suam. quum igitur esset in plurimis causis et in principibus patronis quinquennium fere versatus, tum in patrocinio Siciliensi maxime in certamen venit designatus Aedilis cum designato Consule Hortensio; qui post Consulatum, fortasse quod videret ex Consularibus neminem esse secum comparandum, negligeret autem eos qui Consules non fuissent, summum illud suum studium remissit, quo a puero fuerat incensus, atque in omnium rerum abundantia voluit beatius aut certe remissius vivere. ita primus et secundus et tertius annus multum detraxit quasi de picturae veteris colore. longius autem procedens et quum in ceteris eloquentiae partibus tum maxime in celeritate et continuatione verborum adhaerescens sui dissimilior quotidie videbatur. Cicero autem non desistebat quum omni genere exercitationis tum maxime stilo suum illud quod erat augere, quantumcunque erat. atque in hoc spatio et in his post Aedilitatem annis Praetor et primus et incredibili populi voluntate factus est. nam quum propter assiduitatem in causis et industriam, tum propter exquisitius et minime vulgare orationis genus animos hominum ad se dicendi novitate converterat. neque id mirum. nam accuratius quam vulgus hominum studuisse litteris videbatur, quibus fons perfectae eloquentiae continetur: philosophiam matrem omnium benefactorum beneque dictorum complexus erat; ius civile didicerat, rem ad privatas causas et

ad oratoris prudentiam maxime necessariam; memoriam rerum Romanarum tenebat, ex qua si quando opus esset, ab inferis locupletissimos testes exitabat; sciebat breviter arguteque incluso adversario laxare iudicum animos atque a severitate paullisper ad hilaritatem risumque traducere; poterat rem dilatare verbis atque a propria ac definita disputatione hominis ac temporis ad communem quaestionem universi generis orationem transferre. itaque quum iam prope evanuisset Hortensius, et Cicero anno suo, sexto autem post illum Consulem Consul factus esset, revocare se ille ad industriam coepit, ne quum Cicero par honore esset, aliqua re superior videretur. sic duodecim post Ciceronis consulatum annos in maximis causis uterque coniunctissime versatus est. quum autem initio non minus, quam Demosthenem ferunt, actionis vitio laboraret, dicitur Aesopi et Roscii, quorum alter tragoedus alter comoedus erat, gestus studiose observasse et hoc pacto actionis deformitatem correxisse. atque haec quidem de eius studio. nunc de vita et moribus et rebus gestis pauca dicenda sunt.

Hoc igitur in M. Tullio singulari laude maximaque admiratione dignum est, nunquam eum eloquentia sua ad perniciem cuiusquam innocentis abusum esse, sed contra semper eam ad salutem bonorum iniuria oppressorum et circumventorum contulisse. Q. Verrem, hominem improbissimum, furacissimum, avarissimum, libidinosissimum, nequissimum, expilatorem Asiae, depeculatorem aerarii, eversorem provinciae Siciliae, non sua sponte sed Siculorum rogatu et officio adductus in iudicium vocavit, eumque non tam dicendi facultate et eloquentia quam testimoniis optimorum virorum et tabulis publicis ac privatis perculit. cum P. Clodio, homine impuro, scelerato atque impio, qui in veste muliebri deprehensus erat in domo Caesaris, quum a virginibus Vestalibus et matronis Romanis pro populo Romano sacra fierent, qui non pluris fecerat Bonam Deam quam tres sorores, gessit inimicitias, quae ei magno constiterunt: ab eo enim civis optime de re publica meritus e civitate indignissime eiectus est. L. Catilinam caedem optimi cuiusque, interitum civitatis, incendium urbis, pestem patriae molientem, voce atque auctoritate consulari perterruit atque exire ex urbe iussit.

Magistratus et honores omnes ei populus Romanus non modo sine repulsa, sed etiam omnibus omnium ordinum suffragiis detulit. tantam autem ille in omnibus magistratibus gerendis integritatem, castitatem, fidem, diligentiam, innocentiam adhibuit, ut non crimini modo, sed ne suspicioni quidem locum reliquerit. Quaestura Siciliensis omnium superiorum fuit et gratissima et clarissima. in ea maximum frumenti numerum in summa annonae caritate Romam misit; negotiatoribus comis, mercatoribus iustus, municipibus liberalis, sociis abstinens, omnibus in omni officio diligentissimus fuit visus. functus est praeterea munificentissimo munere Aedititatis, quanquam quodam loco ait ipse sibi licere cum L. Philippo, C. Curione, C. Cotta gloriari, se sine magno

munere omnia adeptum esse, quae habentur in civitate amplissima, quoniam pro amplitudine honorum, quod cunctis suffragiis adeptus est, idque suo anno (quod contigit illorum qui supra nominati sunt nemini), exiguus sumptus aedilitatis eius fuit.

Praetor primus, ut paullo ante dixi, cunctis suffragiis renunciatus est: quo in magistratu quum ei quaestio de pecuniis repetundis obligisset, castissime atque integerrime eo munere functus est. itaque narrant quidam, Licinium Macrum, hominem quum per se potentem tum Crassi opibus et amicitia florentem, quum apud eum de pecuniis repetundis accusatus esset, et sua et potentissimorum virorum gratia fretum, studioque et factione hominum nobilium confisum domum se e iudicio nondum pronunciata sententia quasi absolutum contulises, indeque mutata veste et tonso capite ut omni crimine iudicioque liberatum iterum in forum venisse; sed quum Crassus ei e limine pedem efferenti obviam factus esset, tristissimumque iudicii eventum ei nuntians dixisset eum omnibus sententiis damnatum esse, regressum illum in febrim incidisse ac decubuisse neque ex morbo convaluisse. quae res perhonorifica et perquam gloriosa Ciceroni fuit, quasi eo diligenter et severe iudicium illud exercente plus apud eum verum crimen et leges quam gratia et potentia ut valuerint. ferunt etiam illud, quum Vatinius, homo acerbus, saevus, immitisque natura et adversus magistratus in causis agendis asper, impudens et contumax (cuius ad animi vitium ac turpitudinem accedebat etiam corporis deformitas ex strumis plurimis ac foedissimis, quibus cervices habebat oppletas ac refertas, contracta), quum is igitur a Cicerone Praetore quiddam iniquius postularet neque id ab eo impetraret, sed ille diu deliberaret tempusque differret, dixisset autem Vatinius, se si Praetor sederet Cicerone aut quovis alio idem postulante de ea re non ita dubitaturum, respondisse Ciceronem, *At ego, Vatini tantas quantas tu cervices non habeo.*

Consulem priorem cunctis suffragiis omnes ordines, universa civitas non prius tabella quam voce declaravit. gessit autem in suo consulatu quum multa alia praeclara reique publicae salutaria et summa laude dignissima, tum Kal. Ianuariis senatum et bonos omnes legis Agrariae maximarumque largitionum metu liberavit atque agrum Campanum, ut ait ipse quodam loco, si dividi non oportuit conservavit, si oportuit melioribus auctoribus reservavit; in C. Rabirio perduellionis reo 40. annis ante se Consulem interpositam senatus auctoritatem sustinuit contra invidiam atque defendit; quosdam adolescentes, bonos quidem et fortes sed usos ea conditione fortunae, ut si essent magistratus adepti, rei publicae statum convulsuri viderentur, suis inimicitiis, nulla senatus mala gratia, comitiorum ratione privavit; C. Antonium collegam, cupidum provinciae, multa in re publica molientem, patientia et obsequio suo mitigavit; provinciam Galliam senatus auctoritate exercitu pecunia instructam atque ornatam non solum cum C. Antonio communica-

vit, verum etiam (quod ita rei publicae tempora ferre existimabat) in contione, reclamante populo Romano, deposuit; L. Catilinam, quem supra commemoravi, hominem audacissimum ac sceleratissimum, egredi ex urbe iussit, ut a quo legibus tutus esse populus Romanus non poterat, ab eo moenibus tutus esse posset. ille denique tela intenta iugulis civitatis de coniuratorum nefariis manibus extorsit; ille faces iam accensas ad urbis incendium comprehendit atque extinxit, quibus eum nominibus Q. Catulus, princeps senatus et auctor consilii publici, frequentissimo senatu *Patrem patriae* nominavit; eidem vir clarissimus L. Gellius senatu audiente civium coronam deberi dixit; eidem senatus (quod antea togato nemini) non ut multis rei publicae bene gestae, sed ut nulli conservatae rei publicae testimonium dedit et singulari genere supplicationis deorum immortalium templa patefecit. idem quum in contione abiens magistratu dicere a Tribuno plebis prohiberetur quae constituerat, sine ulla dubitatione iuravit, rem publicam et urbem sua unius opera esse salvam; eidem populus Romanus universus illa in contione non unius diei gratulationem, sed aeternitatem quandam immortalitatemque donavit, quum eius ius iurandum tale atque tantum iuratus ipse una voce et consensu approbavit: quo tempore is eius domum fuit e foro reditus, ut nemo nisi qui cum eo esset civium esse in numero videretur. atque ita est ab eo consulatus peractus, ut nihil sine consilio senatus, nihil non approbante populo Romano egerit; ut semper in rostris curiam, in senatu populum defenderit; ut multitudinem cum principibus, equestrem ordinem cum senatu coniunxerit.

Declaratum est anno consequente in Cicerone, quod et multi alii viri boni beneque de re publica meriti senserunt atque experti sunt, plus saepe in re publica posse vel tempora vel fortunam vel etiam improborum audaciam vel populi levitatem et inconstantiam, quam virtutem et innocentiam et beneficii accepti memoriam. M. Tullius Cicero, ille ipse, qui civitatem ex interitu, urbem ex incendio et flamma, Italiam ex vastitate eripuerat, P. Clodio contionibus turbulentis multitudinem imperitam et populi faecem et servitia concitante, Pompeio vel connivente vel tacente vel etiam metuente, Caesare cum exercitu ad portas sedente et Tribuni plebis turbulentissimi furorem adiuvante, Crasso aperte civem optimum oppugnante et homini sceleratissimo suffragante ac favente, duobus non Consulibus sed provinciarum mercatoribus Gabinio et Pisone, quorum alter unguentis perpetuo oblitus, calamistrata coma, vino ganeis lenociniis stupris adulteriis confectus neminem fefellit (nemo enim clavum imperii tenere, gubernacula rei publicae tractare in maximo cursu maximisque fluctibus rei publicae posse arbitrabatur hominem saltatorem, unguentis delibutum, emersum subito ex diuturnis tenebris lustrorum et stuprorum), alter Ciceronis affinis, amplissimo loco natus, multos in omnes partes fefellit: nam et quia erat opinioni hominum nobilitate ipsa

blanda conciliatricula commendatus (valet enim apud omnes clarorum virorum etiam mortuorum memoria), et quia tristem semper taciturnum subhorridum atque incultum videbant, et quia erat eo cognomine, ut ingenerata ei familiae frugalitas videretur, ei favebant, eum gaudebant Consulem rei publicae quem Gabinio opponerent contigisse, eum denique ad integritatem maiorum suorum spe sua vocabant, sed quum eius animi vitia et flagitia parietibus tegerentur (quae obstructio diuturna esse non potest), improbitatem ac nequitiam eius auctoritas ac potestas declararunt — his igitur duobus Consulibus partim conniventibus ac dissimulantibus, partim aperte ei adversantibus, M. Tullius e patria quam conservarat a Clodio eiectus est: qua in re singularis eius in rem publicam amor et patriae caritas apparuit. nam quum arma in templum Castoris palam comportarentur, gradus eiusdem templi tollerentur, armati homines forum et contiones tenerent, caedes lapidationesque quotidie in urbe fierent, repudiaretur a Consulibus senatus auctoritas, equester ordo reus a Consulibus citaretur, unus Clodius omnium rerum potestatem armis et latrociniis possideret; quum senatus et viginti amplius hominum millia pro eo praesente vestem mutassent, Consulesque senatum ac populum Romanum lugere vetuissent atque ad pristinum vestitum redire iussissent; quum denique haec esset ei proposita condicio, ut aut Tribuno plebis equitum Romanorum et bonae partis praesidio fretus resisteret ac repugnaret aut cederet, quumque in altero spes esset maturi reditus, in altero vero vel fortiter pugnando cadendum vel summo cum bonorum omnium periculo atque adeo exitu vincendum esset: pestem omnibus bonis impendentem eorum conservandorum causa maluit unus suscipere ac subire, distrahique a complexu suorum quam proposito tot civium interitu dimicare. fuit igitur hoc summi eius in patriam amoris signum certissimum atque illustrissimum, quod quum ab ea abesse sine maximo dolore non posset, hunc perpeti quam illam labefactare atque interire videre maluit.

Narrant boni et locupletes auctores, quum vento reflante ex alto Dyrrhachium, unde solverat, reiectus esset quumque e navi esset exiturus, ingentem terrae motum et latum maris discidium extitisse. unde coniecerunt haruspices non longum eius exsulium fore; mutationis enim haec esse signa. Quorum divinationem exitus comprobavit: menses enim duntaxat circiter 16. afuit. dicitur autem hanc calamitatem paulo humilius ac mollius, quam virum philosophiae praeceptis instructum atque imbutum decebat, tulisse. quin quum in itinere magna quotidie undique hominum multitudo ad eum benivolentiae ergo concurreret eique omnia liberaliter et prolixe deferret, quum ipsae Graeciae civitates officio in eum certarent, maerore tamen contabescebat et consenescebat, atque identidem, ut amantes ab iis quas amant divulsi, oculos in patriam retorquebat animumque contractum ac demissum gerebat. quod qui ei

vitio vertunt mollitiaeque animi ascribunt, immerito faciunt: non enim maxima sua calamitate et gravissimo casu commovebatur, quanquam commovebatur, sed vir patriae amantissimus rei publicae se tanquam unico tutore ac defensore orbatae casum lugebat atque iniquo animo ferebat. praeterea, poteratne quum se a tot rerum tanta varietate divelli, quum a complexu suorum distrahi, quum suas aedes disturbari, fortunas diripi, se patriae causa patriam amittere, spoliari populi Romani beneficiis amplissimis, praecipitari ex altissimo dignitatis gradu videret, infitiari se esse hominem et communem naturae sensum repudiare? tum vero neque illud eius factum laudabile neque beneficium ab eo in rem publicum profectum dici deberet, si quidem ea rei publicae causa reliquisset, quibus aequo animo careret; eamque animi duritiam sicut corporis, quod quum uritur non sentit, stuporem potius quam virtutem putaremus.

Venit tandem Ciceronis revocandi dies. ac primum quidem Kal. Ianuariis, qui dies post eius ex urbe discessum rei publicae primus illuxit, eum frequentissimus senatus concursu Italiae, referente P. Lentulo, consentiente populi Romani atque una voce revocavit; eum idem senatus exteris nationibus, eum legatis magistratibusque populi Romani auctoritate sua, Consularibus litteris, non ut Clodius maledicti loco nominarat, *exsulem*, sed ut senatus illo ipso tempore appellavit, *civem conservatoremque rei publicae* commendavit; ad eius unius salutem senatus auxilium omnium civium cuncta ex Italia, qui rem publicam salvam esse vellent, Consulis voce et litteris implorandum putavit; capitis eius servandi causa Romam uno tempore quasi signo dato Italia tota convenit; de eius salute P. Lentuli, praestantissimi viri atque optimi consulis, Cn. Pompeii clarissimi civis, ceterorumque principum celeberrimae et gravissimae contiones fuerunt; de eo senatus ita decrevit, Cn. Pompeio auctore et eius sententiae principe, ut siquis eius reditum impedisset, in hostium numero putaretur, iisque verbis eiusmodi de eo senatus auctoritas declarata est, ut nemini sit triumphus honorificentius quam ei salus restitutioque perscripta. de eodem quum omnes magistratus promulgassent, praeter App. Claudium fratrem inimici, praeterque duos Tribunos plebis Sex. Atilium Serranum et Q. Numerium, qui silentium suum Clodio vendiderant, P. Lentulus Consul comitiis centuriatis legem tulit de collegae Q. Metelli sententia; quae lex ita accepta est, ut nemini civi ulla quominus adesset iusta excusatio visa sit, ut nullis comitiis unquam tanta hominum multitudo neque tantus splendor fuerit. hac igitur lege lata talis Ciceronis fuit reditus, ut a Brundisio usque Romam agmen perpetuum totius Italiae cerneretur. neque enim regio fuit ulla neque municipium neque praefectura aut colonia, ex qua non publice ad eum venerint gratulatum. adventus eius in urbem Italiae et effusiones hominum ex oppidis, concursus ex agris patrum familias cum coniugibus ac liberis tales fuerunt, ut verendum ei fuerit, ne

quis putaret eum gloriae studio et cupiditate inflammatum iccirco exisse, ut ita rediret, atque ut id, quod postea ab ipso de suo reditu gloriante dictum est, se ab Italia veluti eius humeris sublatum in patriam esse reportatum, veritate inferius esse videretur. appropinquanti ei ad urbem senatus et populus universus, Romaque adeo ipsa quasi suis sedibus convulsa ad complectendum conservatorem suum procedere visa est: quae eum ita accepit, ut non modo omnium generum aetatum ordinum omnes viri ac mulieres omnis fortunae et loci, sed etiam moenia ipsa et tecta urbis ac templa laetari viderentur. eundem consequentibus diebus in ea ipsa domo, quam Clodius incenderat, Pontifices, Consules, Praetores collocarunt, eamque (quod ante eum nemini) pecunia publica aedificandam censuerunt.

Aliquot annis post suum reditum, L. Muraena, L. Flacco, P. Sylla, P. Sextio, M. Caelio, Cornelio Balbo, T. Annio Milone, C. Rabirio Postumo multisque aliis defensis omnibusque praeter Milonem iudicio liberatis, multis rebus in re publica praeclare gestis, in Augurum collegium, quod antea neglexerat, se cooptari passus est. ad extremum in Ciliciam pro consule profectus re declaravit, quod et a magnis philosophis dictum est et incredibile multis videtur, *eum qui unam virtutem habeat, omnes habere, eumque qui virtute praeditus sit, omnia bene et praeclare gerere.* nam is cui laus omnis parta Romae, quaesita in foro erat, is qui togatus patriam servarat, is cui uni togato supplicationem senatus decreverat, is denique cui uni omnes ordines, Italia cuncta, omnes gentes testimonium urbis atque imperii conservati dederant, gessit res in provincia triumpho dignissimas. signis enim collatis acieque instructa ad Amanum montem magnum hostium numerum interfecit, plurimaque castella improviso adventu cepit, ita ut imperator ab exercitu sit appellatus. praeterea oppidum Eleutherocilicum, ferorum hominum et acrium et ad defendendum paratorum, Pindenissum quum vallo et fossa cinxisset, sex castellis castrisque maximis sepsisset, aggere vineis turribus oppugnavit, ususque tormentis multis, multis sagittariis, magno suo labore, sine ulla molestia sumptuque sociorum septimo et quinquagesimo die rem confecit, ut omnibus partibus urbis aut disturbatis aut incensis compulsi in eius potestatem pervenerint.

Quum autem ceteri fere omnes qui in provincias mittebantur, sive Praetores sive pro Praetoribus sive pro Consulibus, urbes provinciales tributis et sumptibus et rapinis exhaurirent, ea fuit continentia Ciceronis, ut eo provinciam obtinente ne teruncius quidem neque in eum neque in quemquam legatorum aut quaestorum aut aliorum comitum insumptus fuerit; quin non modo fenum, quod lege Iulia licebat, sed ne lignum quidem accipiebat. unde nata ei occasio est ioci illius, quo M. Caelium illusit, qui quum a Cicerone per litteras petivisset, ut negotium daret iis qui venari solebant pantherarum capien-

darum sibique Romam advehendarum, rescripsit ei perurbane et pervenuste, hoc quidem agi mandatu suo diligenter, sed earum miram esse paucitatem, ut eas quae essent valde dici queri, quod nihil cuiquam neque insidiarum neque iniuriae in sua provincia fieret nisi sibi. provinciales convivio quotidie accipiebat, non sumptuoso neque opiparo neque magnifico quidem illo, sed liberali et copioso et prolixo. domus eius ianitorem non habebat; nunquam a quoquam recubans in lecto repertus est, sed a prima luce aut stans aut inambulans in atrio salutantes comiter et officiose excipiebat. fertur autem neque quenquam unquam contumeliose verberasse, neque vestem cuiquam lacerasse neque ira elatus maledixisse aut multam per contumeliam irrogasse. aiunt praeterea eum ita per Asiam iter fecisse, ut etiam fames, qua nihil miserius est, quae tum erat in ea Asiae parte cui praeerat (messis enim nulla fuerat) ei optanda fuerit. quacunque enim iter fecit, nulla vi, nullo iudicio, nulla contumelia, auctoritate et cohortatione perfecit, ut et Graeci et cives Romani qui frumentum compresserant magnum frumenti numerum populis pollicerentur. itaque exercitu imbecillo contra magni belli metum firmissima praesidia habuit aequitatem, continentiam, abstinentiam, integritatem, innocentiam. atque his subsidiis ea est consecutus, quae nullis legionibus consequi potuisset, ut ex alienissimis sociis amicissimos, ex infidelissimis firmissimos redderet, animosque novarum rerum exspectatione suspensos ad veteris imperii benivolentiam traduceret. postremo non modo Ariobarzanem regem praesentibus insidiis liberavit, ei saluti fuit, eius regnum servavit, incorruptum se atque integrum eius insidiatoribus praebens, verum etiam ut cum auctoritate regnaret, curavit atque perfecit.

Quodsi in omnibus saeculis pauciores viri reperti sunt, qui suas cupiditates quam hostium copias superarent, nostrum est profecto, eum virum, qui ad res bellicas haec quae rariora sunt genera virtutum adiunxit, cum praestantissimis imperatoribus comparare. atqui tale de eo senatus populique Romani iudicium fuit: namque ei supplicationem triumphumque et senatus decrevit et populus comprobavit. verum quia paullo ante quam senatus ei triumphum a Consulibus flagitaret, sparsa fuerant quaedam belli civilis inter Caesarem et Pompeium semina, quos quum inter se reconciliare in gratiam vellet, cupiditates certorum hominum ei ex utraque parte impedimento fuerunt: ei quidem ad urbem accedenti ita obviam proditum est, ut nihil fieri potuerit honorificentius, verum non triumphavit. incidit enim triumphi tempus in flammam civilis discordiae, cui mederi saepe conatus nihil profecit, quorundam non solum improborum sed etiam eorum qui boni habebantur furore eius consiliis et conatibus obstante, quum hi belli fortunam experiri cuperent, ille clamaret bello civili nihil esse miserius.

Occupato tandem a Caesare Arimino, Pisauro, Ancona, Arretio, urbe a Consulibus et Pompeio direptioni et incendio

relicta, relicta ad extremum etiam Italia, Cicerone vehementer improbante, Graeciaque petita, quum Cicero diu multumque aestuasset, dubitans utrum Pompeium sequeretur et bello civili interesset, an in Italia maneret et quiesceret (quod ei per Caesarem licebat); quum identidem diceret se habere quem fugeret, non habere quem sequeretur: tandem non victoriae spe elatus sed officio adductus, neque officio publico sed privato, neque rei publicae causa quam funditus deletam putabat, sed ne quis putaret eum ingratum esse in illum qui levarat eum iis incommodis quibus affecerat, non cupiditate aliqua impulsus sed pudore victus ipse quoque mare transiit atque ad Pompeium se contulit, prudens et sciens ad exitium ruens voluntarium. neque eum Caesar vel promissis suis de sententia potuit demovere vel potestate metuve deterrere. quin quum Caesar et Cicero congressi inter se et collocuti essent, Caesarque Ciceronem hortatus esset ut ad urbem veniret, quod diceret et damnatum iri se eius iudicio nisi veniret, et tardiores fore reliquos nisi una cum eis veniret, si nullam aliam ob rem venire nollet, at certe veniret ut de pace ageret suo arbitratu: respondit Cicero, se si huius rei gratia veniret, sic de ea acturum, senatui non placere iri in Hispanias nec exercitus in Graeciam transportari, multeque de Cneo deploraturum. quid potuit a quoquam aut liberius aut fortius et homini, penes quem tanta erat potestas, et tali tempore responderi? atqui extrema multo etiam liberiora et constantiora fuerunt. nam quum Caesar dixisset se haec nolle dici, tum Cicero, *Eo*, inquit, *adesse nolo, quod aut sic mihi dicendum est, multaque quae nullo modo silere possem, si adessem, aut non veniendum.*

Quum multa autem divinitus a M. Tullio de hoc bello eiusque eventu multo ante praedicta feruntur, tum illud in primis. quum omnes opes et suas et populi Romani Pompeius ad Caesarem detulisset seroque ea sentire coepisset quae multo ante praesenserat et praeviderat Cicero, eam Caesaris esse potentiam, ut ei sine bello civili resisti non posset, quumque iam inferri patriae bellum nefarium videret, eius illa vox fuit nota multis, *utinam, Cn. Pompei, cum Caesare societatem aut nunquam coisses aut nunquam diremisses!* atque illo tamen tempore non causam se, sed consilium improbare dicebat. sero enim Pompeium et senatum iis armis adversari videbat, quae praeterito tempore confirmata per ipsos erant, dolebatque pilis et gladiis, non consiliis neque auctoritatibus de iure publico disceptari; et tametsi ea quae facta sunt quum fore praedicebat, certo non divinabat futura, sed quod et fieri posse et si evenisset exitiosum fore videbat id ne accideret metuebat, tamen si ei alterutrum de eventu atque exitu rerum promittendum esset, id futurum quod evenit quam quod alii sperabant exploratius promittere potuisset.

Victo igitur Pompeio, amissis etiam castris, quum alii bellum renovare conati sese in Africam contulissent, alii locum

exilio quaesivissent, sese victori credere et Romae habitare maluit, hanc rationem secutus, quia si ibi civitas esset civis, si non esset exsul esse possit Romae non incommodiore loco, quam si se Rhodum aut Mitylenas contulisset.

Tulliae filiae obitum aegre ille quidem tulit, sed non est tamen longius progressus quam cuivis gravissimi philosophi concesserunt, quorum scripta omnia, quaecunque tunc in eam sententiam exstabant, non solum legit (quod ipsum erat fortis aegroti accipere medicinam), sed etiam in sua scripta transtulit (quod afflicti aut fracti animi non fuit): quare immerito a quibusdam reprehensus est, desiderantibus scilicet in eo firmitatem atque constantiam. nam sive ita levatus erat, ut animum vacuum ad res difficiles scribendas afferret, reprehendendus non fuit: sive aberrationem illam a dolore delegerat maxime, quae liberalissima doctoque homine dignissima est, laudari etiam eum oportet.

Coniurationis in C. Iulium Caesarem non fuit conscius neque particeps: quod si fuisset, non solum tyrannum sed tyrannidem sustulisset. nunc autem, Caesare interfecto, subortus continuo est in eius locum longe et impotentior et deterior dominus, Antonius, qui rem publicam funditus evertit. notum est illud ex principio epistolae cuiusdam ad Trrbonium, cum quo congruit quod item ad Cassium scripsit: *quam vellem me ad illas pulcherrimas epulas Idibus Martiis invitasses! reliquiarum nihil haberemus. at nunc cum his tantum negotii est, ut vestrum illud divinum in rem publicam beneficium nonnullam habeat querelam.* quum igitur M. Antonius paucis post caedem Caesaris diebus in aede Telluris de concordia verba fecisset, eius orationem subsecutus Cicero iecit fundamenta pacis Atheniensiumque vetus exemplum renovavit atque omnem memoriam discordiarum oblivione sempiterna delendam censuit. quum lux quaedam rei publicae oblata videretur, non regno modo sed etiam regni timore sublato, magnumque pignus populo Romano dedisset Antonius, se civitatem liberam esse velle, eo quod dictatoris nomen, quod saepe iustum fuerat, propter perpetuae dictaturae memoriam funditus e re publica sustulisset: ecce repente Caesare funere elato, etiam laudato a M. Antonio miserabiliter, quum saepe haec verba iteraret, *tantum virum, clarissimum civem interfectum*, et veste cruenta ad misericordiam populo commovendam explicata atque hoc pacto multitudine concitata ac paene ad furorem redacta, adeo ut gladiis destrictis coniuratos appeteret et cum facibus ad eorum aedes convolaret, tum et mutavit se ipse Antonius et in peiorem partem versa sunt omnia, Brutusque et Cassius et ceteri patriae liberatores profugere ex urbe coacti sunt. ita M. Tullius audire haec malens quam videre, proficiscendi in Graeciam consilium cepit.

Quum ex Leucopetra, promuntorio agri Rhegini, conscendisset ut transmitteret, non ita multum provectus reiectus austro

est in eum ipsum locum, unde conscenderat. intempesta nocte, accepto a quibusdam Roma recentibus nuntio, M. Antonium repudiatis malis suasoribus, remissis Galliis provinciis ad auctoritatem senatus esse rediturum, tum M. Tullius abiecto profectionis consilio celeriter Veliam advectus Romam rediit, non spe proficiendi aliquid, sed ut si quid sibi humanitus accidisset (multa autem impendere sibi providebat praeter naturam praeterque fatum), eius diei, quo die de re publica in senatu verba faceret, vocem testem populo Romano relinqueret suae erga patriam voluntatis. Romam revertenti tanta hominum multitudo obviam processit reditumque gratulata est, ut dies integer in salutationibus et gratulationibus consumptus sit. die postero quum Antonius senatum adesse iussisset, Cicero autem de via langueret misissetque ad eum pro amicitia qui eum oraret, ut eo die sine eius offensione abesse liceret, ille senatu audiente dixit, se cum fabris et dolabris domum Ciceronis iturum eiusque domum disturbaturum, nisi mature in senatum veniret; statimque misit milites, qui aut eum domo vi abstraherent aut domum eius incenderent: a quo incepto et consilio tamen communibus amicis deprecantibus revocatus pignoribus ablatis et multa irrogata destitit.

His simultatum odiorumque initiis inter Ciceronem et Antonium ortis, quum Antonius multa in re publica contra leges quotidie moliretur, pecuniam publicam dissiparet, exsules sine lege restitueret, vectigalia venderet, provincias de populi imperio tolleret, regna pecunia addiceret, colonias populi Romani oppugnaret tormentisque verberaret: Octavius adolescens, C. Iulii Caesaris sororis filius, qui tum erat Athenis, heredem se Caesaris avunculi professus aditaque hereditate, ingentem pecuniam ex bonis Caesaris a M. Antonio ablatam esse querens eamque repetens, illo recusante, cum eo suscepit inimicitias, et brevi tempore comparato ex veteranis iusto et firmo exercitu M. Antonio cum magnis copiis Brundisio ad urbem advolanti sese opposuit, quum senatus populusque Romanus nullos duces haberet, nullas copias, nullum esset consilium publicum, nulla libertas. quod nisi quis eum senatui populoque Romano obtulisset deus, aut dandae cervices erant crudelitati Antonii nefariae aut fuga quaerenda, quae tamen ipsa exitum non habebat, quia omnia ad perniciem senatus populique Romani pestifero illi patriae eversori patebant.

Quocirca M. Tullius dandum imperium Caesari adolescenti censuit, sine quo res militaris administrari, teneri exercitus, bellum geri non posset. decrevit etiam, ut esset pro Praetore eo iure quo qui optimo, ut adolescentem his praemiis ad causam libertatis defendendam magis ac magis excitaret. signa postea cum Antonio hic idem Caesar, Hirtius et Pansa consules contulerunt: quo in proelio quum Hirtius et Pansa occubuissent, victus fugisset Antonius, Caesar reliquus esset imperator, quem totus populi Romani exercitus sequeretur atque intueretur, coepit tum

senatus potentiam Caesaris extimescere. itaque ut eius opes imminueret, conatus est milites veteranos ab eo praemiis et muneribus avocare. qua ille re cognita veritus ne nudus ab omni praesidio inimicorum iniuriis esset opportunus, quosdam e suis ad Ciceronem allegavit ei qui suaderent, ut sibi consulatum petenti suffragaretur atque una cum ipso se consulem faciendum curaret, Ciceronem omnes Caesaris opes sibi paratas suas esse credere iuberent, omnia Caesarem quae illi expedire aut quae illum velle cognovisset pollicerentur. quae quum facile Ciceroni persuasissent, non quod suae ambitioni consulere suaeve gloriae velificari studeret (quod quidam falso criminantur), sed vel quia exercitum Caesari, quem ipse compararat, adimi debere aut etiam posse non putabat, vel quia quem alium praeter Caesarem eiusque exercitum Antonio et eius copiis, quas post cladem acceptam statim repararat, opponeret non habebat, vel quia Caesarem causam libertatis semel susceptam deserturum ac proditurum non existimabat, omnia eius causa velle coepit omnesque ei honores sua sententia suoque decreto detulit: eripere autem ei aut imperium, quod ei belli necessitas dederat, aut milites, qui illius nomen promissa fidem auctoritatem imperium secuti pro populi Romani libertate arma ceperant, fas esse non putavit.

Neque vero Ciceronem, virum et natura prudentissimum et usu experientissimum, fugiebat quanto suae existimationis ne dicam capitis periculo fidem suam populo Romano pro Caesare adolescente obligasset; neque idem ignorabat, multo graviorem ac difficiliorem esse animi iudicii sententiae, maximis praesertim in rebus, quam pecuniae pro altero obligationem, quoniam pecuniam quam quis promiserit solvere de sua re familiari potest, nisi egentissimus sit, fidem autem suam siquis pro altero rei publicae obligavit, liberare eam non potest nisi is pro quo fidem dederit dependi patiatur — sed sibi persuaserat Cicero, quanquam flexibilis erat Caesaris adolescentis aetas et multi ad depravandum parati, eam tamen et in eo ingenii naturaeque bonitatem seu indolem et in se esse auctoritatem et in causa suscepta pulchritudinem ac dignitatem, ut eum facile retinere posset; et fecisset, nisi vel fata humanis consiliis obstitissent vel pestifera consilia apud Caesarem plus quam salutaria valuissent. qui igitur Ciceronem, quod homo senex ut ab adolescente deciperetur commiserit, reprehendunt, nae illi valde iniqui atque iniusti sunt existimatores, quippe quum aut postulent, ut homo praestet quod non est hominis praestare, aut de consiliis hominum ex eventu iudicent. atqui neque hominis est praestare vel fatum vel fortunam vel quicquam aliud quod vires humanas superat, neque consilia debent eventis ponderari.

Fuit igitur Ciceronis consilium et rectissimum et prudentissimum, ut illa tempora tulerunt, neque quisquam mortalium est qui quicquam illo tempore salutarius a quoquam aut cogitari aut provideri potuisse, quam quod a Cicerone cogitatum ac provisum est, demonstrare possit. summa tum erat in re publica

rei pecuniariae difficultas, qui impeditissimus in omni re et privata et publica nodus est; exhaustum erat aerarium; obsurdescebant homines ad nomen tributi; Antonio furenti sine exercitu obsisti non poterat; nullae erant in Italia copiae, nulli duces praeter Caesarem, qui se Antonio opponeret. quid cuiquam prudenti rei publicae moderatori et bono civi melius poterat in mentem venire, quam ut adolescentem nobilem, locupletem et quum per se potentem tum propemodum Caesaris avunculi potentiae heredem militibusque veteranis gratissimum, honoribus et praemiis ad populi Romani libertatem patriaeque salutem defendendam eliceret atque invitaret? an imperium ei denegando eum a re publica alienaret? quid dementius? non igitur aut temeritas hominem consideratissimum, aut credulitas virum prudentissimum, aut ambitio civem in sua re publica principem et omnibus populi honoribus ornatum ac paene dicam quasi satiatum atque expletum obcaecavit; sed vel Octavii perfidia et regnandi cupiditas, vel temporum inclinatio, vel fatalis quaedam calamitas (quam nemo mortalium humano consilio vitare aut avertere potest), vel haec universa et Ciceronem una cum re publica et rem publicam una cum Cicerone perculerunt atque afflixerunt. fuit enim hoc illius divini viri fatum sine re publica neque posse vincere, neque vinci.

Ita Caesar adolescens coniunctis cum Antonio et Lepido sensibus et copiis Ciceronem, a quo tantopere fuerat ornatus, deseruit et in potestatem inimici crudelissimi tradidit atque permisit: quo facto una cum fratre Quinto proscriptus est. hoc nuntio accepto quum fugere in Macedoniam ad Brutum una cum Quinto quem secum habebat in Tusculano constituisset, Quintus frater autem domum sibi revertendum esse existimaret, quod ad hoc iter faciendum viaticum sibi non providisset nihilque domo ad eius itineris sumptum tolerandum deportasset, complexi inter se multis cum lacrimis alter ab altero distracti ac divulsi sunt. ac Quintus quidem paucis post diebus cum filio interfectus est, a servis suis indicatus ac proditus: Marcus autem nunc omnia gravia et horribilia exspectans, nunc in Caesare aliquid spei habens, et itentidem sententiam consiliumque profectionis et mansionis mutans multisque tristissimis ostentis mortem sibi praesignificari intelligens servorum suorum fidei et custodiae sese credidit potestatique permisit. illi autem eum in villam quandam in ora maritima sitam detulerunt; quo simulatque pervenit, quieti sese dedit, ad omnem eventum paratus. quiescente Cicerone, quum servi diris atque horribilibus corvorum vocibus et volatibus domini iteritum, nisi mature fugam capesseret, denuntiantibus ac significantibus moniti Ciceronem servare in animum induxissent, indignum esse arbitrati committere ut necis domini spectatores essent, praesertim quum aves ipsae salutis eius expediendae rationem viamque ostenderent: subito partim invitum partim precibus omnibus oratum, ut se servari pateretur, eum in lectica collocatum itineribus deviis ad mare circumgestarunt.

interea percussores ab Antonio missi, Herennius centurio et Pilius quidam Tribunus militum, quem patricidii accusatum quondam defenderat Cicero, audacibus hominibus et ad caedem paratis stipati adveniunt. ianua villae Ciceronis clausa reperta et quum foris pulsassent Cicerone non invento, quum ceteri qui intus erant non ita multi ubi esset aut quo ivisset interrogati scire se negassent, adolescens quidam Philologus nomine Quinti libertus, quem Marcus ipse erudierat, nullo metu nulla vi coactus et sponte sua Herennio dicitur enuntiasse Ciceronem a servis ablatum atque ereptum esse, et qua iter faceret indicasse. qua re audita paucis comitibus sumptis Herennius ad Ciceronem accurrit. ille autem eorum adventu ex strepitu et rumore cognito primum consistere servos et iumenta iussit, deinde aperta lectica et quod erat facere solitus barba leviter manu attrectata, contentis ac defixis in percussorem imminentem iam et propinquum oculis, prolixo capillo, barba promissa, toto corpore inculto, squaloris et horroris pleno curisque et vigiliis confecto ultro praebuit iugulum, et quum ceteri omnes illi sicarii a tam taetro spectaculo oculos averterent, tanti viri maiestatem orisque dignitatem reveriti, Herennius caput ei gladio cervicibus abscidit simulque manum eam, qua Philippicas orationes conscripserat, quod ita iusserat Antonius, praecidit. ita vir optimus optimeque de patria meritus hominis importunissimi et crudelissimi iussu, re publica ab tyrannis audacissimis et sceleratissimis oppressa, una cum patria quam toties servarat occidit, neutrum eorum quae maxime exoptarat consecutus: quorum alterum erat, ut moriens populum Romanum liberum relinqueret, alterum, ut ita cuique ut quisque meritus esset eveniret.

Fuit in illo viro singularis iustitia, temperantia, moderatio, frugalitas, abstinentia, lenitas, innocentia, castitas, sanctimonia, integritas, fides, continentia, probitas, prudentia, fortitudo, animi magnitudo et despicientia rerum humanarum. quod autem et a nonnullis timidior dictus est natura et ipse talem se in scriptis suis confitetur, non est ea timiditas intelligenda quae cum fortitudine pugnat et quae ignavia appellatur, qua qui praeditus est a factis fortibus et a periculis pro patria et libertate et dignitate adeundis refugit, sed ea animi affectio, quae considerata ratio rectius appelletur et quae prudentiae maxime finitima et paene gemina est. est enim prudentis timidum esse in magnis periculosisque rebus, semperque magis adversos rerum exitus metuere quam secundos sperare.

Scripta plurima reliquit, quae utinam et omnia et integra ad nos pervenissent. quantum ex omnibus iisque totis et integris fructum percepturi fuerimus, ex eo cognoscere licet, quod ex his reliquis iisque mutilis et laceris tantam ad litterarum studiosos utilitatem pervenire videamus. quum sint autem eius scripta in quattuor genera distributa, aliaque sint quasi *τεχνικὰ* quibus tota ars dicendi continetur, alia quae *Orationes* appellantur, alia quae *Epistolae* alia quae *Philosophica:* eorum nullum est unde quis-

quam quantumvis iniustus rerum existimator quicquam vel minimum ad mores corrumpendos valere vere criminari possit. atque ut omittam *Rhetorica*, quae totam artem dicendi copiosissime prudentissime distinctissime planissime explicatam complectuntur, in *Orationibus* ipsis, praeterquam quod incredibilem singularem admirabilem ac paene divinam sermonis elegantiam venustatem gravitatem vim atque ubertatem continent, multi sunt praeterea loci ad philosophiam pertinentes et gravissime et ad rem accomodatissime tractati. nihil de religione, nihil de pietate, nihil de caritate patriae, nihil de bonis rebus aut malis, nihil de virtutibus aut vitiis, nihil de officio, nihil de dolore aut voluptate, nihil de vita aut morte, nihil de perturbationibus animi et erroribus a philosophis ullis disputatum est, cuius non appareant atque emineant in orationibus M. Tullii illustria quaedam et praeclara lineamenta atque adeo viva simulacra. quod idem de *Epistolis* vere dici potest. iam *Philosophica* totam et veterum Academicorum et novorum, et Peripateticorum qui nihil fere a veteribus Academicis discrepabant, et Stoicorum et Epicureorum et aliorum sententiam rationemque continent. nam quum de rebus omnibus, ut Academicus, non solum in utramque partem disputaret, verum etiam ex omnium philosophorum sententiis quid in quoque veri inesset studiose eliceret, apparet ex eius scriptis, nullius illum philosophiae rudem atque expertem fuisse. neque vero est quod eum quisquam ex tali disputandi genere aut nulla in certa sententia constitisse, neque quicquam quod sequeretur habuisse, aut impium fuisse minusque recte de deo aut de animorum immortalitate sensisse existimet. quin ex eius scriptis intelligere licet, eum et id solum rectum esse sensisse quod honestum, quod iustum, quod denique cum virtute consentaneum et coniunctum sit, et in virtute plurimum esse praesidii ad bene beateque vivendum iudicasse; et deum unum esse huius mundi opificem atque effectorem eundemque mentem solutam et liberam, segregatam ab omni concretione mortali, omnia sentientem et moventem ipsumque praeditum motu sempiterno, in omnes beneficum ac liberalem, omnibus animantibus commoda quibus utuntur, lucem qua fruuntur, spiritum quem ducunt dantem atque impertientem, omnia cogitantem intelligentem providentem atque animadvertentem, bonis et piis suae pietatis praemium persolventem, improbos et impios poenis sempiternis afficientem, persuasum habuisse. sed erat mos ille patrius atque avitus Academicus, semper in dicendo ac disputando omnibus adversari, iudiciumque suum nusquam interponentem ea approbare quae similia veri viderentur, quae contra improbare. hunc morem adamaverat atque expetiverat Cicero, eumque in primis sequebatur diligenterque retinebat, ut affirmandi arrogantiam vitans eadem opera temeritatem fugeret, a sapientia maxime discrepantem plurimumque dissidentem.

Huius igitur divini scriptoris lectionem, Carole, noli putare cum aliorum Latinorum lectionis utilitate esse comparandam. ex

aliis enim vel quod ad unam aliquam artem pertineat, vel si forte etiam ad plures referri possit, quod tamen aut minus distincte aut minus eleganter atque ornate aut minus varie et copiose aut minus erudite scriptum sit petere solemus: ex hoc tanquam uberrimo omnium doctrinarum atque artium fonte sive grammaticum aliquid, sive rhetoricum, sive dialecticum, sive historicum, sive poeticum, sive physicum, sive geometricum, sive musicum, sive astrologicum, sive theologicum (cuiusmodi quidem theologicum illa tempora ferebant), quicquid denique ad ullam omnino artem libero homine dignam pertinens requiras, hinc tibi assidue haurire, hinc avidissimam sitim explere, hinc immensa atque ingentia prata irrigare licet. ab hoc discunt pueri, ab hoc senes, ab hoc privati, ab hoc magistratus, ab hoc rustici, ab hoc urbani, ab hoc miseri et calamitosi, ab hoc beati et fortunati, ab hoc pauperes et egentes, ab hoc divites et abundantes, ab hoc ignobiles et obscuri, ab hoc nobiles et clari viri, ab hoc plebeii, ab hoc patricii, ab hoc sacerdotes, ab hoc profani, ab hoc Galli, ab hoc exterae nationes, ab hoc militares et sagati, ab hoc pacis alumni et togati, ab hoc homines infimi et humiles, ab hoc viri excellentes et principes, ab hoc manipulares, ab hoc imperatores, ab hoc poetae, ab hoc oratores, ab hoc grammatici, ab hoc philosophi, ab hoc medici, ab hoc iuris consulti, ab hoc qui vivunt in regno, ab hoc liberae civitates, ab hoc populares, ab hoc optimates; denique nemo est mortalium, cuiuscunque sit vel aetatis vel loci vel ordinis vel fortunae vel studii vel nationis, quin a Cicerone et melior et doctior fieri possit. quid? existimasne, Carole, tot doctissimis atque amplissimis viris, quos habet Tua Gallia innumerabiles, tot magistratibus, tot Curiarum praesidibus, tot praetoribus, tot legatis, tot supplicum libellorum in Tua Regia magistris, tot consiliariis, tot causarum actoribus et patronis, tot oratoribus, tot iuris consultis aut suppetere posse quod quotidie dicant in tanta varietate rerum, nisi animos suos quum aliorum scriptorum tum maxime Ciceronis lectione excolant? aut tantam contentionem, tot ac tantos labores eis esse tolerabiles, nisi sese huius potissimum eruditissimi disertissimique scriptoris et suavissimo sermone et gravissimis sententiis relaxent? enimvero, Carole, quum multis aliis nominibus gloriari seu, ut Christianius dicam, Deo Optimo Maximo gratias agere debes, tum ob hanc rem maxime, quod Tuus hic populus ita litteras amplecti coepit, ut fugatis tenebris lucem aspicere, pulsa barbarie sermonis munditiem atque elegantiam expetere, posita atque exuta inhumanitate humanitatem et cultum loquendi genus adamare, profligata ac domita ignoratione litterarum atque inertia eruditarum linguarum bonarumque artium studio flagrare coeperit. quemadmodum enim ex superiorum saeculorum inscientia atque ignorantia nata sunt omnium malorum, quae in nostram aetatem redundarunt, semina, ita spes est fore ut, ambitione profusione luxuria intemperantia libidine avaritia iniustitia perfidia impietate ceterisque immanibus animorum et rerum

publicarum pestibus ac venenis extinctis ac funditus deletis, una cum litteris revirescant et reviviscant in Gallia Tua honestae laudis studium frugalitas parsimonia temperantia pudor abstinentia iustitia fides pietas ceteraque animorum et civitatum praesidia ac firmamenta.

Sed ut ad Ciceronem nostrum redeam, hic est ille scriptor, Carole, quem civium Tuorum clarissimi atque amplissimi viri, quorum alii sunt senatores, alii apud externos principes legati, alii in Tua Regia supplicum libellorum magistri, alii Curiarum Centumviralium praesides, alii consiliarii, alii Tuarum causarum actores ac patroni, alii procuratores Tui, alii secretarii, alii causidici, egregie praeter ceteros amplectuntur, habent in sinu, manibus terunt, oculis vorant, assidueque legunt atque ediscunt. hic est, qui quum omnibus cuiusvis fortunae ordinis status loci hominibus immensam atque infinitam rerum ac verborum copiam suppeditat, tum maxime eos qui Tibi assiduam operam navant, quorum consilio et opera in Tuis rebus obeundis explicandis ac gerendis uteris, cancellarium Tuum virum sapientissimum ac prudentissimum, Tuos supplicum libellorum magistros, senatores, oratores, legatos, praetores, iudices, consiliarios, causarum actores ac patronos iis omnibus rebus, quibus instructos esse oportet homines talibus muneribus praepositos, ornat atque instruit. hunc qui legunt, hunc qui non solum oratione et dicendi ratione imitantur atque exprimunt, verum etiam vita factisque sequuntur atque aemulantur, idem spectant idemque intuentur quod ei propositum fuit quodque omnibus rei publicae moderatoribus et regibus propositum esse debet, quod Tu, Carole, unice exoptas, quod Tui maiores vehementer expetiverunt, populi quietem otium salutem ac vitam beatam. fuit enim M. Tullius partium optimatium et, ut Graeci appellant, aristocraticus: statui autem rei publicae optimati, quem aristocratiam illi nominant, idem propositum est quod regali. et ut in aristocratia praesunt ii rei publicae, qui consilio sapientia et virtute praestant, ita reges bene morati et iustitiae fama gloriaque florentes initio ab hominibus quaesiti et constituti sunt, ut talibus regibus tanquam legibus parentes bene beateque viverent, quorum regum filii ac posteri longo ordine regnum acceptum iisdem artibus quibus fuerat partum retinentes regium nomen regiamque potestatem semper apud omnes gentes obtinere consuerunt. et merito. nam praeterquam quod credibile est, sapientium et iustorum regum filios et posteros maiorum suorum similes futuros, eorum qui populum sibi creditum iuste et sapienter gubernarunt ac rexerunt liberis iure hic debetur honos, ut quorum ipsi iustitiae sapientiae clementiae ceterarumque virtutum hereditatem creverunt, eorum quoque amplitudinis maiestatis potentiae heredes existant.

Hunc igitur illum Ciceronem doctissimum virum eloquentissimum integerrimum castissimum sanctissimum conservatorem rei publicae, parentem patriae a senatu appellatum, quem Ro-

mani aspectabant, cuius ob os ora obvertebant sua, cui uni togato post urbem conditam supplicatio decreta est, cuius libri omni doctrinae genere referti sunt, cuius lectione omnes humanitatis participes nationes incredibiliter delectantur, a quo eruduntur, a quo expoliuntur atque excoluntur — hunc, inquam, Ciceronem locis innumerabilibus ope veterum membranarum, quarum bonam partem nobis *Erricus Memmius* vir clarissimus, supplicum libellorum in Regia Tua magister, suppeditavit, a nobis emendatum et propemodum in integrum restitutum (nam omnia quidem eius vulnera sanare neque alii doctissimi et clarissimi viri qui ante me hoc idem facere conati sunt potuerunt, neque ego potui; sed tamen hoc assecutus sum, ut iure gloriari possim, nunquam antea Ciceronis scripta typis impressa in hominum manus integriora pervenisse), interea dum Tu ab urbe Lutetia abes et fines regni Tui peragras, in publicum edendum curavi. meos autem in hoc opere conficiendo consumptos labores clarissimo illo viro quem modo nominavi, *Errico Memmio*, consecravi, primum quia mihi huius negotii suscipiendi suasor atque auctor fuit; deinde quia adiutor ac paene dicam socius; postremo quia me ita facturum fidem ei dedi.

Sed ipse *Memmius*, huius rei a me susceptae et iam tandem confectae magnitudine animo agitata et perspecta, multo ante prospiciens quanta mihi invidiae moles immineat, suasit mihi, ut Tuam istam validissimam et potentissimam dexteram, fidem certissimam et stabilissimam, praesidium firmissimum ac munitissimam implorarem, quibus ego tectus et saeptus invidorum, malevolorum, sycophantarum quorum plena sunt omnia venenatos et pestiferos morsus, furum ac plagiariorum qui omnia aliena inuncant atque harpagant tagaces et rapaces manus effugere possem. hoc igitur facio, Carole, Teque precibus omnibus oro atque obsecro, primum ut me et collegas meos quos in hac urbe totius Galliae maxima celeberrima opulentissima linguas eruditas et ingenuas artes docere voluisti; deinde ut ceteros omnes qui litteras vel profitentur vel docent vel amant et venerantur, ea benivolentia comprehendas eaque fide complectare qua fide Franciscus primus avus Tuus, litterarum ac doctrinarum parens, eos complecti solebat; postremo ut Ciceronem mea quidem opera et diligentia meoque summo labore ac studio, multis denique vigiliis et paene dicam aerumnis, Tui autem supplicum libellorum magistri, *Errici Memmii*, adiumento ac subsidio a mendis innumerabilibus vindicatum Tuae quasi legitimae tutelae ab ipso *Memmio* tradi et commendari patiare traditumque et commendatum tueare.

Vale et regna.

Lutetiae a. d. 10. Kalendas Martias a. 1566.

V.

IN CICERONEM AB DIONYSIO LAMBINO EMENDATUM VIRORUM DOCTORUM ELOGIA.

A.

ΕΙΣ ΚΙΚΕΡΩΝΑ ΤΟΥ ΛΑΜΒΙΝΟΥ ΕΠΙΦΗΜΙΣΜΕΝΟΝ ΕΡΡΙΚΩ ΜΕΜΜΙΩι.

Λαμβῖνος Κικέρων ἄλλος, Κικέρωνα τὸν ἄλλον,
Ἄλλῳ Μέμμιέ σοι τῷ Κικέρωνι τρίτῳ,
Ξύσσας, ῥινώσας καὶ πρὸς κάθετον θάμ' ἐλέγξας,
Πάντα τ' ἀκριβώσας πάντοθεν ἀκρονυχί,
Τηλίκον ἀμφὶ πόνῳ τόσσῳ χρόνον (ὦ μέγα θαῦμα),
Οὐκ ἔτος ἐξ ἔτεος πᾶν ἀναλωσάμενος,
Ἄξιος ἄξια δῶρα, μάλ' ἀξίῳ ἄνθεμα θῆκε,
Τῷ σοφῷ ἀνδρί, σοφός, πανσοφίης ξόανον.
Πολλὰ καὶ ἄλλα πέλει μνημήϊα σοί γε παλαιά,
Χαλκέα χρυσείοις μικτά, καὶ ἀργυρέοις·
Οὐδὲ φιλαρχαϊκῶν ὁ φιλαρχαϊκώτερος ἄλλος,
Οὐδ' ὁ φιλοβίβλων σεῦ φιλοβιβλότερος.
Δῆ γὰρ πλειστάκι πλεῖστα καὶ ἄλλοις βιβλί' ἔχρησας,
Καὶ μάλα Λαμβίνῳ, τῶν σάφα μάρτυς ἐγώ.
Ὧν χάρις ἀντίχαρις τόδε σοι μνημήϊον ἔστι,
Ἀντ' ἐρανισθέντων ἀντερανιζομένον·
Ἀλλ' οὐ τοῖον ἄγαλμα παλαίφατον, οὔτε νόμισμα,
Σεῖ' ἀποθήκη ἔχει πουλυνομισματική,
Οἷον ὁ Λαμβῖνος νέον (ἢ Λαμπῖνον ἂν εἴπω;),
Λάμτρυνεν, τὸν ἰὸν πάντ' ἀποθριψάμενος.
Κτῆμα μὲν ἀμφοτέροις μέγα καὶ κλέος οὐρανόμηκες,
Χρῆμα δὲ τιμαλφὲς τοῖς Κικερωνοφίλοις.

Ἰων. Αὐρᾶτος ἐποίει.

B.

EIUSDEM AD D. LAMBINUM COLLEGAM SUUM DE T. LUCRETIO CARO ET M. TULLIO CICERONE AB EO EMENDATIS.

Correxit Cicero tua carmina, docte Lucreti,
Quum vix tota novum Roma legebat opus.
Haec quoque correxti, multis sed putria saeclis,
Lambine, antiquo pro Cicerone novus.

Hac poterasque tenus consistere, vivida sed vis
Semper ab inventis ulteriora petit.
Ergo quid ulterius tua laus Ciceronis habebat
Aemula, quo coeptum persequeretur iter?
Mira, sed acta loquar: Ciceronem corrigis ipsum.
Vicisti: debet nunc Cicero ipse tibi.

C.

IN CICERONEM A DIONYSIO LAMBINO LOCIS INNUMERABILIBUS EMENDATUM.

Qui iacuit longo post funera rosus ab aevo,
Tullius ille, decus linguae gentisque togatae,
Pulchrior e tenebris surgit lucemque revisit
Munere divino *Lambini*, qui velut alter
Phyllirides illum caeco revocavit ab orco.

P. Ronsardus faciebat.

D.

IN CICERONEM A DIONYSIO LAMBINO EMENDATUM IO. ANT. BAIFIUS.

Qui modo mendosis maculata volumina naevis,
Librariorum incuria, aevi iniuria,
Nomine quaeque tuo passim praescripta, dolenter,
Tulli, dabas terenda doctorum manu,
Omnia iam proprio agnoscas redivivus honore,
Laetusque lucem prodiens petas licet,
Ceu posita verno nitidus sub sole senecta
Serpens iuventae munere elatus novae.
Te tibi nunc docta *Lambinus* reddidit arte,
Dum te indecoro liberat foedum situ.
Naevorum maculae cesserunt protinus omnes,
Nativus ille mansit intactus cicer.

E.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΩΣ ΑΠΟ ΚΙΚΕΡΩΝΟΣ.

Παλλάδος ἠδὲ Λυαίου ἀληθέα μῦθον ἐλέγχεις,
Τοῦ μὲν δισσολεχοῦς, τῆς δὲ κραατογενοῦς.
Μάρτυς ἐγὼ Κικέρων, Λαμβῖνέ, σοι ἄρτι λοχευθείς
Δεύτερον ὡς Βάκχος, Παλλὰς ἅτ' ἐκ κορυφῆς.

F.

AD DIONYSIUM LAMBINUM LITTERARUM GRAECARUM PROFESSOREM REGIUM.

Quae prius innumeros mendis foedata per annos
Scripta putri veterum delituere situ,
Nuper ab obscuris tenebris revocata, nitori
Antiquo docti restituere viri,
Vatibus ipse etiam Caro Flaccoque duobus
Lambinus turpes abluerat maculas:
Tullius unus adhuc passim lacera ora gerebat,
Ullam nec medicae senserat artis opem.
Non pateris, *Lambine*, nefas: sed protinus, inquis,
Hic eget auxiliis, hic eget arte mea.
Admotaque manu veluti Podalirius alter
Sanas in magno vulnera cruda viro,
Cernat ut eloquii non qualem Roma parentem
Pro rostris lacerum viderat ante suis,
Sed qualem expertus sumptis Antonius armis,
Aut magnum strueret quum Catilina nefas,
Audiat et melius dicentem ut Curia, quam si
Reccoctus Rhodii rhetoris arte foret.
Macte animo, *Lambine*, tuo pulchroque labore!
Vindica ab interitu scripta vetusta virum,
Quodque facis, miseras hoc assere tempore Musas,
Quae nunc contemptae, quae sine honore iacent.
Cuius ob eximiam doctrinam vivida fama
Laudibus implebit solis utramque domum;
Et longe invidia post te pallente relicta
Aeterno aeternum nomine clarus eris,
Sequana Lutetiam bifido dum fluminis urbem
Praeteriens cornu caerula salsa petet;
Dum interiecta haec urbs tollens sua lumina cernet
Hinc collem Alarici, Martis et inde iugum;
Dumque novem herboso ludent Helicone sorores,
Dumque erit intonso laurus amata deo.
Tu modo perge, tuus quo te labor improbus urget,
Ire, cave et coepta demoveare via.

Nic. Vergetius faciebat.

G.

PATRICII ADAMSONI SCOTI AD DIONYSIUM LAMBINUM DE CICERONE LOCIS INNUMERABILIBUS EIUS OPERA RESTITUTUM CARMEN.

Ut socer effetis Aeson revirescceret annis,
Medeae factum Colchidis arte fuit,
At natae Pelia elusae fallacibus herbis
Praestare id patri non potuere suo:

Sic Cicero exuta rugosae pelle senectae
Florentes annos induit arte tua.
Nec quisquam eloquii (sic dii voluere) parentem
Candori poterat restituisse suo,
Ni prius eximios vates renovasset et alter
Romanae linguae ni foret ipse parens.
Tentarunt alii, sed erant sine viribus artes
Et frustra medicas apposuere manus.
Quid mirum? multos doctos haec protulit aetas,
Paucos *Lambinos* saecula multa ferunt.

H.

IN DIONYSII LAMBINI CICERONEM AB EO LOCIS INNUMERABILIBUS EMENDATUM REMIGII BELLAQUEI CARMEN.

Hic est, pro rostris quem olim stupuere Quirites,
Fidus togatae testis eloquentiae;
Hic est, oppresso vidit quem Roma senatu
Vere patronum civibus carum suis.
Hic decus est patriae et Latii facundia, cuius
Cadente Roma cecidit abscissum caput.
Nunc tamen integer est, mendis neque cernitur ullis
Scaber, sed a putri repurgatus situ;
Nunc pulchro ore nitet, veteri et fulgore relucet,
Una notatus nobili cicercula.
Quis deus effigiem laceram maculisque refertam
Redintegravit, emaculavit, abluit?
Nomen non edam, sed erit tibi nominis instar:
Antiquitatis restitutor optimus.

I.

IO. AURATI VERSUS GRAECOS SUPRA POSITOS IN LAMBINI CICERONEM AD ERRICUM MEMMIUM SIC LATINOS FACIEBAT OTHO TURNEBUS ADRIANI TURNEBI FILIUS.

Lambinus Ciceronem, alter Cicero, tibi, Memmi,
Qui Ciceroniadum tertius es Cicero,
Tersum, limatum perpendiculoque probatum
Et summo exactum saepius unguiculo,
Tantillo in tanta consumpto mole laboris,
Vix anni alterius tempore (mira fides!)
In primis digno dignus dignissima dona
Vir doctus docto pignora docta dicat.
Plurima prisca alia ex aere argentoque nitenti,
Ex auroque simul sunt monumenta tibi;
Nec signorum inter cupidos cupientior alter,
Nec qui plus veteres curet ametque libros,

Quorum aliis multos, sed plures ipse dedisti
Lambino; locuples testis et unus ego.
Pro quibus haec ab eo tibi gratia iusta refertur,
Unica pro multis mutua charta tuis:
Sed tua tam carum signum librumque vetustum
Nullum apotheca tegit, dives et ampla licet,
Quale tibi nunc *Lambinus* (nisi dicere malis
Lampinum) ingenii *lampade* clarat opus;
Pignus utrique ingens, et laude quod aethera tangat,
Quantivis et emant quod Ciceronicolae.

K.

10. AURATI VERSUS GRAECOS AD ERRICUM MEMMIUM DE CICERONE LAMBINI IDEM PAULLO ALITER LATINITATE DONABAT.

[AD CALCEM TOMI 4. p. 627.]

Lambinus Ciceronem, alter Cicero, Ciceroni
Tertio itemque tibi, candide Memmiada,
Limatum, tersum perpendiculoque probatum,
Unguique exactum ter quater et decies,
Tantillo in tanta consumpto mole laboris
Tempore (rem miram), vix quater exiguis
Sex lunae spatiis, digno tibi munera digna,
Dignus et ipse, viro docto, homo corde vigens,
Cordatam hanc statuam et doctrina atque arte madentem
Ex voto donat, dedicat atque sacrat.
Multa alia innumera ex aere argentoque nitente
Et vetera ex auro sunt monumenta tibi;
Nec cupidorum artis priscae studiosior alter
Te quisquam rerum est usquam alibi veterum,
Nec quos librorum urit amor quisquam exstat eorum,
Cui libri in summis sint mage deliciis.
Unde et aliis multos utendos saepe didisti,
Lambino at plures (testis ego ipse tibi):
Gratia par quorum, hoc monumentum insigne, refertur,
Proque tuis donis dona tibi haec redeunt *).
Sed neque tam carum tua nummum, nec simulacrum
Tale apotheca, licet plena sit usque, tegit,
Quale hoc nunc tibi *Lambinus* (nisi forte vocetur
Lampinus potius, *lampadem* ob ingenii),
Quale, inquam, hoc claravit opus multumque polivit,
Omnibus abstersis sordibus et maculis:
Divitias utrique amplas laudemque perennem et
Rem caram iis, cepit quos Ciceronis amor.

---

*) Lege hoc modo hos versus.
Quorum iusta tibi, hoc monumentum, parque refertur
Gratia, proque tuis dona tibi haec redeunt.

DIONYSII LAMBINI

EMENDATIONES TULLIANAE.

DIONYSII LAMBINI
TULLIANARUM EMENDATIONUM
PARS PRIMA
SIVE
IN LIBROS RHETORICOS ANNOTATIO.

I.
IN CORNIFICII LIBROS QUATTUOR RHETORICORUM AD HERENNIUM.

I. C. 1. §. 1. VIX SATIS OTIUM SUPPEDITARE POSSUMUS. sic in omnibus quidem libris manu scriptis reperi, atque iccirco nihil mutavi. sed vox *otium* videtur mihi ab aliquo adiecta, et ita legendum, *vix satis studio suppeditare possumus*. ut *suppeditare* accipiamus absolute pro ἐπαρκεῖν, id est *sufficere*, quod nostro sermone diceremus *à peine pouvons nous fournir à l'estude*, Italico *à fatica potiamo bastare al studio*. quum simus toti fere occupati negotiis familiaribus, vix quicquam nostri superest, quod in studio versari possit. Tom. I. p. 307. a.

Ibid. COGNOSCERE ARTEM RHETORICAM. deletis vocibus *artem rhetoricam* sic legendum putabam, *non sine causa velle cognoscere intelligebamus*. ut subintelligatur vel repetatur ἀπὸ κοινοῦ *rationem dicendi*, quod antecedit.

Ibid. DEFINITA ANIMI MODERATIONE. vox *definita* abest a quibusdam libris veteribus.

Ibid. ARROGANTIAE CAUSA. vocem *inanis*, quae fuerat alieno loco posita et suo mota (nam debet poni infra quarto abhinc

versu, et coniungi cum voce *gloriae*), ego hinc sustuli et in suum locum restitui.

Ibid. QUAE NIHIL ATTINEBANT. sic legendum, non *quae nihil ad rem attinebant*, aut ut habent alii libri vulgati, *ad propositum attinebant* [vid. Pareum Lex. Crit. p. 124.]. ita enim usitate loquuntur boni scriptores *quae nihil attinent*, sine adiectione. M. Tullius Acadd. Quaestt. [p. 18, 37. II. c. 12 §. 38.]. *nihil attinet de assensione omnino loqui* [sic Lambinus, non *omnia loqui*, ut est in Burmann. ed. p. 3., non correcta ab Lindemanno V. D.]. idem Off. libro 1. [p. 366, 21. c. 31. §. 110.]. *neque enim naturae attinet repugnare* [sunt haec Lambini, Ciceronem fere memoriter laudantis. et cf. Nizolium a Facciolato castigatum p. 90, 2.]. idem Accus. libro 5. [p. 215, 36. c. 66. §. 169.]. *quid enim attinuit* [*quum Mamertini more atque instituto suo crucem fixissent post urbem, in via Pompeia*], *te iubere in ea parte figere, quae ad fretum spectaret?* Horatius lib. 1. od. 19. [vv. 11. 12.]. *et versis animosum equis Parthum dicere, nec quae nihil attinent.*

Ibid. AUT INANIS GLORIAE. sic restitui ex codice ms., quum antea legeretur *aut gloria commoti*. licet tamen [non *etiam*, ut est apud Burmannum l. l.] legere *aut inani gloria commoti* [inserenda haec sunt Thesauro Orelliano Vol. 1. p. 2.].

C. 2. §. 2. DEMONSTRATIVUM. imperite dixerunt Latini *demonstrativum*, quod Graeci ἐπιδεικτικόν, quum *ostentativum* potius debuerint dicere, ut docet Quinctilianus libro 3. cap. 4. [§. 13. vol. 1. p. Spalding. 559.].

§. 3. ET DISPOSITIONIS. copulationem *et* ex codice vetere restitutam quis non videt esse necessariam?

Ibid. TRIBUS REBUS. sic habent tres libri manu scripti, vulgati *tribus modis*. in uno ms. legitur *tribus assequi*, neutra voce adiecta, neque *rebus* neque *modis*. ego tamen legi malim *tribus rationibus*.

Ibid. NUNC QUEMADMODUM POSSINT AD INVENTIONIS RATIONEM ORATORIS OFFICIA ACCOMMODARI. sic hunc locum restitui ex eo, qui sequitur proximâ pagina l. 8. [c. 3. §. 4. extr.]. *nunc quoniam una cum oratoris officiis quo res cognitu facilior esset producti sumus, ut de orationis partibus loqueremur et eas ad inventionis rationem accommodaremus, de exordio primum dicendum videtur.* nam libri veteres nihil me adiuverunt, praeterquam quod mihi mendi suspicionem commoverunt. sic enim habent nonnulli, *possit oratio ad rationem oratoris officii*, alii *possit orator ad orationem ipsius officia accommodare* [codex Trevirensis 301., a me collatus vere primo a. 1824., sic habet: *nunc quemadmodum oracio ad racionem officii oratoris possit accommodari, dicendum esse videtur.* sed illud *esse* erasum est. deinde manus prima vel certe priori non adeo recentior sic correxit, *officia oratoris ad oracionem accommodari possint.*].

C. 3. §. 4. SUMUS DICTURI. libri mss. tres habent *sumus acturi*. ego tamen nihil muto.

Ibid. PRODUCTI SUMUS. legendum fortasse est *provecti sumus.* verumtamen nihil muto, praesertim veteribus codicibus vulgatam scripturam confirmantibus *producti sumus*, quod aequale est Graeco verbo *προήχθημεν* [cf. ad IV. c. 44. §. 58.].

C. 4 §. 7. extr. AUT AD DEORUM IMMORTALIUM RELIGIONEM AUT AD PIETATEM. verba illa, quae erant in libris vulgatis, *nos esse dicturos* sustulimus ut supervacanea. petenda enim sunt *ἀπὸ κοινοῦ* superiora *verba facturos*. adde quod non reperiuntur in tribus libris mss. [cod. Trevir. *religionem pietatem.* sed hoc deletum manus prima voluit, punctis appositis.].

C. 7. §. 11. extr. UT NON PROPRIE. quis non videt negationem hic desiderari in libris vulgatis? separatum enim est id, quod *non* cohaeret.

C. 8. §. 13. extr. VERUM HAEC IN EXERCENDO TRANSIGENTUR. sic habent libri manu scripti. haec autem referenda sunt ad id, quod supra dixit [p. 3, 48. §. 12.], tertium genus esse narrationis a causa civili remotum, in quo tamen *exerceri* conveniat.

C. 9. §. 14. ‖ ATHENIS MEGARAM VESPERI ADVENIT SIMO. *b.* versus sunt Iambei tres, quod animadversum indicavit Auratus primum Memmio, deinde mihi.

§. 16. ME REFERRI POSSIT. sic restitui, approbata Memmii et Aurati coniectura. *referri* autem dictum accipio pro *respondendo obiici* et, ut vulgus loquitur, *replicari* [cf. Pareum Lex. Crit. p. 1067. et 1077. v. *repono.*].

Ibid. CONFLIGENDUM EST. nihil muto, tametsi quidam libri manu scripti habeant *confingendum est* [utrumque habet cod. Trevirensis, et *confligendum* et *confingendum*]. *confligendum* autem interpretor concertandum, contendendum, pugnandum, ut sit translatio.

C. 10. §. 17. extr. FIDEM ABROGAT ORATORI. alii libri habent *fidem abrogat orationi.*

C. 11. §. 18. NOSTER DOCTOR HERMAGORAS. sic habet liber manu scriptus unus et alter [abest utrumque, et *Hermes* et *Hermagoras*, a codd. Erfurt. apud Wunder. p. 28. et Trevirensi]. *Hermagoram* autem saepe commemorat M. Tullius in libris de Inventione [I. c. 6. §. 8., c. 9. §. 12., c. 51. §. 97., item in Bruto c. 76. §. 263. et c. 78. §. 371. laudatur etiam ab Aquila Romano de Figuris Sententt. et Eloc. post Rutilium Lupum p. Ruhnken. 155.] et Quinctiliano I. [c. 5. §. 61. vol. I. p. Spalding. 129.] et II. [c. 21. §. 21. p. 411. et cff. VV. DD. ad III. c. 1. §. 16. p. Burmann. 216.].

§. 19. ET IN SCAPHAM DESCENDERUNT. sic restitui sequutus libri manu scripti longe optimi auctoritatem, quam ratio adiuvat. nam qui navi relicta in scapham se conferunt, non *conscendunt*, sed *descendunt* [copulam abesse iubent codices Gud. 2., Trevirensis et Erfurtensis. v Orell. Vol. 1. p. 10.].

C. 12. §. 21. CISTELLAM DETULIT. sic habent nonnulli libri vulgati, quibuscum congruunt quidam manu scripti. alii habent *deferre* [in Addendd. et Omiss. p. 380. *sitellam* legitur, non *cistellam.* atque ita reponendum.].

Ibid. PONTES DISTURBAT CISTAS DEIICIT. liber manu scriptus quidam habet *gradus pontis disturbat, cistellas deiicit.*

C. 13. §. 23. SI FURIOSUS ESSE INCIPIT. hic locus restitus est ex libro Tusc. Quaestt. [p. 149, 31. 2. c. 5. §. 11.] : *qui ita sit affectus, eum dominum esse rerum suarum vetant duodecim Tabulae. itaque non est scriptum si insanus, sed si furiosus esse incipit.* quanquam Adrianus Turnebus hanc lectionem tuetur et ait, haec verba *esse incipit* esse interpretationem verbi *existit;* quum tamen in libro 2. de Inventione sub extremum [p. 102, 12. c. 50. §. 148.] legatur *si furiosus est* [retractavit hunc locum Lambinus in Omissis ex Annotatione in Primum Tomum suo loco restituendis, Opp. Tom. 4. p. 624. »quanquam Adrianus Turnebus lectionem vulgatam et receptam tuetur . . . . . *si furiosus existit.* cui assentior.«].

Ibid. ET OBLIGATUS CORIO. ex libris manu scriptis alii habent *et obligatus culeo*, alii *et obligatus corio lupino.* ego *culeo* legendum puto [margo cod. Trevirensis, *obvolutus corio lupino et addito serpente et simea et gallo.*].

Ibid. PEDIBUS INDUCTAE SUNT. quidam libri manu scripti habent *indutae*, nonnulli *inditae* [ex alio aliud erroris genus derivantes]. ego *indutae* magis probarim [itaque inserendum Orellianis Vol. 1. p. 12.].

C. 14. §. 24. extr. ET CONSULTO FECISSE CONFITÉTUR. liber unus manu scriptus habet *consulto peccasse* [id est omisso *reus*, perturbatis reliquis. sic enim codex etiam Trevirensis, *quum et consulto fecisse et peccasse confitetur.*].

C. 17. §. 27. extr. EXAEQUABIMUS INDUSTRIA. sic omnes quidem habent libri praeter unum et alterum, in quibus scriptum est *exsequemur.* sed legendum puto *èxsarciemus*, id est reparabimus. utitur hoc verbo et Q. Tullius [p. 458, 26. de Petit. Cons. c. 12.], *aliis te id rebus exsarturum esse persuadeas.* et Terentius Heautontim. [I. 1, 90. 1.] *nisi eos qui opere rústice Faciúndo facile súmptum exsarciánt suum* [cff. Bentleii Comment. ad h. l. p. edit. Lips. repet. 214. 5. et Muret. VV. LL. 7, 13. Opp. Tom. 2. p. Ruhnken. 157. 8.].

Ibid. ACCUMULATISSIME. liber unus ms. habet *accuratissime.* ego nihil muto.

II. C. 1. §. 1. ET IN QUIBUS OFFICIIS ELABORARE. sic restitui deleta voce *artis*, quae fuerat inepte inculcata ab iis, qui scriptum reperissent in quibusdam libris *elaborare are*, quum tres postremae litterae huius verbi a librario aliud agente essent iteratae. ex *are* enim factum est modo *arte* modo *aperte*, nunc *artis* nunc *partibus*. atque ita hic locus depravatus est. *officia* autem orationis intellige inventionem, dispositionem, eloquutionem.

C. 2. §. 2. QUAE PRIMA ET DIFFICILLIMA EST. liber unus manu scriptus habet, *quae prima quaeque difficillima est* [sic certe corrector codicis Trevirensis. nam manus prima dederat *eamque difficillimam esse.*].

C. 3. §. 5. ITA HOMINIS POSSIT ACCOMMODARI. emenda *vita hominis* [et sic correctum in Err. Operarum p. 384. codex Trevirensis 301. *vita hominis eius possit accommodari.*]

Ibid. SI NON POTERIT AVARUM DEMONSTRARE QUEM PECUNIAE CAUSA DICAT MALEFICIUM FECISSE. haec verba restituimus ex cod. ms., quae in vulgatis libris desiderabantur. sententia autem huius loci nunc aperta est. *si non poterit*, inquit, *demonstrare, eum quem pecuniae causa arguat maleficium admisisse avarum esse, demonstret esse corruptorem vel perfidiosum, si quo modo poterit.*

Ibid. ‖ SIN VEHEMENTER VITAE HOMINIS TURPITUDINE. quum p. 308. in uno codice ms. reperissem ita scriptum, *sin vehementer vita hominis turpitudine*, ego *vitae* reposui. quae scriptura perspicue recta est. a.

C. 4. §. 6. BONO FUISSE. sic legendum et ita habent duo libri mss. tum Cassius ille iudex severissimus identidem in causis quaerere solebat, *cui bono fuisset*, ut testatur pluribus locis M. Tullius [Or. pro Rosc. Amer. c. 30. §. 84. cf. pro Milon. c. 12. §. 32., II. Philipp. c. 14. §. 35.]. denique sic loquitur infra haud multis post versibus.

Ibid. QUOD IPSE INSIMULETUR. nihil muto, quamvis liber unus ms. habeat, *quo de insimulatur.* ego enim intelligo *fecisse.*

§. 7. AUT NON EXSPECTATA. liber quidam manu scriptus post has voces habet, *propter agendi cupiditatem.* quem ideo non sum secutus, quod suspicer haec verba ex ora libri in contextum esse translata, neque esse Ciceronis.

Ibid. EX CONSCIIS ARBITRIS ADIUTORIBUS. si haec scriptura recta est, per *arbitros* testes significari dicemus seu spectatores, ut quum ita loquimur, *locus ab arbitris liber ac remotus.* sed Memmius et Auratus legendum putant *administris.* ego nihil muto, non quod eorum coniecturam improbem, sed quod hanc scripturam existimem esse probabilem. adde quod *administri* et *adiutores* idem propemodum videntur sonare, nisi quod *administri* minus sunt quam *adiutores.* itaque infra, ubi vulgo legebatur *de adiutoribus*, *de adiumentis*, nos ita restituimus, *de adiutoribus, de administris.*

C. 5. §. 8. DE ADMINISTRIS. sic restituimus coniectura ducti. nam vox *adiumentis* ad hunc locum quadrare non potest, antecedente voce *quem.*

Ibid. NUM QUID IN EO LOCO. quidam liber manu scriptus habet, *num quo in loco praeter consuetudinem fuerit, aut etiam alieno tempore* [duplicem lectionem iunxit cod. Trevir. 301. sic enim ille, *num quid*] *in loco praeter consuetudinem fuerit vel fecerit.*]

Ibid. EXPALLUISSE. quidam cod. ms. habet *expavisse* pro

expalluisse. sed fortasse utrumque verbum ab auctore horum librorum positum est, deinde a librario alterum per imprudentiam omissum.

Ibid. CONFIDENTISSIME RESISTENS. liber unus manu scriptus habet *consistens.* quae scriptura non est fortasse reiicienda, ut *consistentem* intelligamus constantem, vel non perterritum, neque perculsum conscientia peccati.

C. 7. §. 10. REFELLI POSSENT. quidam liber manu scriptus habet, *refelli non possent.* ego nihil muto, adductus iis quae proxime sequuntur. certum est enim quo quid in loco positum sit aut non positum sit; et quaedam ita certa sunt, ut ea quae oculis cernuntur aut quae simili sensu percipiuntur. si quis igitur in tormento contra haec dicat, refelli possit.

Ibid. AUT ALIQUO SIMILI SIGNO PERCIPI POSSIT. ego malim legi *simili sensu.* supra enim proxime dixit *videri*, quod est visu percipi. visus autem seu aspectus *sensus* est, non *signum.*

Ibid. RECENTIOR SIT IN DOLORE. nihil muto, quamvis duo libri manu scripti habeant, *reticentior sit in dolore.* sic enim loquuntur Latini, *recens in labore, in dolore,* id est ἀκατοπόνητος.

§. 11. INDIGNUM ESSE FACINUS. VOX *facinus* videtur esse supervacanea, abest certe ab uno cod. ms. [sedem mutat in codice Trevir 301.].

C. 8. §. 12. extr. PERSCRUTATI SUMUS. quidam legendum putant *persecuti sumus* [et sic est in cod. Trevir. a manu prima inter versus.].

C. 10 §. 14. extr. BREVITER EXSCRIPTARUM. quum ex veteribus codicibus alii habeant *compositarum*, alii *expositarum*, alii *exscriptarum*, alii ut vulgati *exceptarum*, ego *exscriptarum* excudendum curavi. licet tamen ex illo *exceptarum*, quod meo iudicio mendosum est, facere *excerptarum* [hoc interponendum Orellianis p. 21. duplicem lectionem iunxit, veram falsam, cod. Trevirensis a me inspectus, haec repraesentans, *excerptarum vel exscriptarum.* praeterea manus correctoris inter priorem et alteram vocem nescio quid radendo sustulit.].

§. 15. SCRIPTUM RECITET. liber unus ms. habet *scriptum retinet.* quam scripturam si quis probet, legendum erit infra *interpretatur*, ut sentiunt Memmius et Auratus. ego vulgatam lectionem mihi mutandam non putavi.

Ibid. NUM QUA OBROGATIO. sic legendum etiam invitis libris omnibus, ut et infra quinto abhinc versu, *quod ea lex sanciat, cui legi obrogatum vel* [cod. Trevir. *aut*] *derogatum sit.* quid intersit autem inter *obrogare legi, abrogare legem, derogare legi*, sciunt qui summis digitis litteras Latinas attigerunt.

C. 11. §. 16. med. COGNITIONEM AMPHIBOLIARUM. quum reperissem in omnibus fere libris manu scriptis scriptum *amphibologiarum* et infra *amphibologias*, ego et hic *amphiboliarum* et illic *amphibolias* reposui. ita enim appellant dialectici et rhetores Graeci ἀμφιβολίαν, non ἀμφιλογίαν, multo minus ἀμφιβολογίαν. quamquam *amphilogiam* non improbo, vocem Graecis

usitatam [vid. *Io. Christ. Theoph. Ernesti* Lex. Technolog. Grr. Rhet. p. 15.].

[Ibid. CAUTE EXPEDITEQUE. Orell. p. 23. »*expediteque* L. solus.« id quod ille nec improbavit, et habet haec scriptura quo se tueatur codicem Trevir. 301.]

Ibid. PUERILES OPINIONES liber unus ms. habet *pueriles* || *rationes*, alius *pueriles suspiciones*. deinceps autem, ubi legitur *rectissimis rationibus*, ego legendum puto *certissimis*. b.

Ibid. IN PRAESENTI AUTEM. sic restitui secutus librum ms. atque ita loquuntur Graeci ἐν τῷ παρόντι, ubi subintelligunt χρόνῳ.

Ibid. HAEC INTERSERERE. secutus sum libros vulgatos. nam tres mss. habent *intercedere*, unus *interdicere*. quod posterius videtur non esse reiiciendum, ut *interdicere* positum intelligamus pro *interea* seu *inter illa* quae sunt nostri instituti operis *dicere* atque interponere. verum iudicet lector.

C. 12. §. 18. AUT PERSECUTIONEM. sic restituendum arbitrabatur Aemarus Ranconetus, cui assentior [id est ergo, *aut petitionem aut persecutionem*, non *possessionem aut persecutionem*, ut est apud Orellium p. 23.]. nam vulgati libri mendosi sunt, qui habent *exsecutionem*.

Ibid. QUEM NON OPORTEAT. duo codices non habent haec *quem non oporteat* [absunt et a codice Trevir.].

Ibid. QUAERENTE AUT IUDICANTE. sic restituit Aemarus Ranconetus [non *aut indicante*, Orell. p. 23.].

C. 13. §. 20. ET CUI MORBUS CAUSA EST. legendum fortasse est, *et cui morbi causa est*. sic enim loquebantur veteres, et ita M. Tullius in I. Philipp. [p. 587, 19. C. 11. §. 28.], *nec erit iustior, P. C., in Senatum non veniendi morbi causa quam mortis*.

Ibid. ANTE MERIDIEM CAUSAM CONICITO. sic habent omnes fere libri manu scripti, vulgati *coniicito*. apud Gellium 17, 2. legitur *conscito*. Revardus Brugensis legendum censet *gnoscito* seu *cnoscito* pro *cognoscito*, ut referatur ad iudicem. mendose autem hic typographus impressit *condicunto* [vide in Erratis Operr. p. 384.].

C. 14. §. 21. UTRUM HONESTIUS. sic legendum visum est Ranconeto, Memmio, Aurato, quum et vulgati et manu scripti haberent *venustius*.

C. 15. §. 22. QUOD REUS SUSCEPISSE SE FATEATUR. tres libri mss. habent *suscepisse dicatur*.

Ibid. QUOD EOS IDEM FECISSE DICAT. videlicet accusator. sed quidam legendum putant *dicant*, ut sit *dicant ceteri*.

C. 16. §. 27. FUGISSE RATIONEM. eleganter et prisce dictum. sic Catullus de Vari scorto [10, 29. 30.], *fugit me ratio: meus sodalis Cinna est Caius*. et Plautus Amphitr. [I. 1, 229 sq.], *sciebam equidem nullum esse nobis nisi me servom Sosiam. Fugit te ratio* [cf. Pareum Lex. Crit. p. 307.].

Ibid. SED CULPA CONTAMINABIT. ita certa et recta est huius loci restitutio, ut sine codicum veterum auctoritate probanda

videatur. et tamen eam confirmant quattuor libri veteres. repetendum est autem *se ἀπὸ κοινοῦ*.

C. 18. §. 27. CONSEQUI VIDETUR. quidam libri manu scripti habent *consequens videtur*.

C. 20. §. 31. SI EXEMPLA SUBIECERO DILUCIDE INTELLIGERE POTERIS. tres libri manu scripti habent *nisi exempla subiecero, dilucide intelligere non poteris* [codex Trevir., *si exemplum subiecero*.].

C. 21. §. 34. QUID IRRELIGIO. sic quidem habent aliquot manu scripti [cod. item Trevir.] et vulgati codices, sed altera lectio, quae reperitur item in nonnullis et manu scriptis et vulgatis, *religio*, non est prorsus reiicienda, dummodo religionis nomine stultam et falsam religionem et inanem deorum metum, quam superstitionem appellant, intelligamus. Terentius Andr. [IV. 5, 15.], *nova nunc relligiò in te istaec incessit?* Lucretius I. [105.], *tantum relligio potuit suadere malorum.* nam Epicurus non tollebat preces et vota, et deum ut praestantem naturam veneratione dignum esse existimabat, sed religione tamen, id est, ut ille interpretabatur, inani deorum timore animos hominum liberos ac vacuos esse oportere dicebat.

C. 22. §. 34. STULTITIA EST MATER QUAE. quattuor libri manu scripti habent, *stultitia est mater atque materies quae* [codex Trevir., *omnium malorum stultitia mater est atque materies ea parit immensas cupiditates.*]. ego nihil muto. verumtamen lector iudicet eraditus.

Ibid. CAESA CECIDISSET ABIEGNA. sic habent tres libri manu scripti, et ita iidem versus leguntur III. de N. DD. [p. 251, 35. C. 30. §. 55]. neque quenquam movere debet vox *trabes:* nam *trabes* dicebant veteres numero singulari in recto casu [vide Priscianum VII. 8, 70. Tom. 1. p. Krehl. 318. et cf. Voss. de Analog. 1, 34. p. 128.]. iam vero hi versus ex Ennii Medea, non ita ut verbum verbo sit redditum, expressi [1. sqq. cf. Planck. p. 74. 5.]: *Εἰθ' ὤφελ' Ἀργοῦς μὴ διαπτᾶσθαι σκάφος Κόλχων ἐς αἶαν, κυανέας Συμπληγάδας, Μήδ' ἐν νάπαισι Πηλίου πεσεῖν ποτε Τμηθεῖσα πεύκη κ. τ. λ.*

Ibid. PETEBANT VILLO PELLEM INAURATO. sic reposui Aemari Ranconeti approbata coniectura.

C. 23. §. 35. IMMUNE EST FACINUS. quum hi versus sint ex Trinummo Plauti [I. 1, 2.], apud Plautum autem in exemplaribus antiquis scriptum esse sciam *immoene est facinus* (quod valet *immune:* nam veteres dicebant *moenus* pro *munus* et *moere* pro *muri* et *poenio* pro *punio*, idque notavimus in Commenta-
309 riis nostris || Lucretianis quum alibi tum ad illum locum, *belli fera*
a. *moenera* [I. 33, ut et I, 30. *fera moenera militiai*], initio libri primi); quum praeterea doceat Pompeius Festus *immunis* aliquando poni pro improbo, testemque citet hunc locum Plauti: ego, repudiata vulgata lectione, antiquam et rectam reposui *immune*, seu qui malet, *immoene est facinus.* neque tamen me fugit, vulgatam ferri posse, ut *immane* positum esse intelligamus

pro magno, quemadmodum apud Horatium od. 17. lib. 1. [I. Carmm. 27, 5. 59.], *Vino et lucernis Medus acinaces Immane quantum diserepat.* idem II Satirr. [4, 75. 6.], *Immane est vitium dare milia terna macello, Angustoque vagos pisces urgere catino.* sed quid attinet incerta et probabilia pro certis et veris consectari?

C. 24. §. 38. UTUNTUR IGITUR STUDIOSE. sic legendum, et ita habent duo libri manu scripti. vox *studiosi* autem, quae est in vulgatis, inepta est hoc loco.

Ibid. COGIS LINQUERE. quattuor libri mss. habent *cogis relinquere.* quam scripturam si probabimus, *s* consonans erit elidenda.

C. 26. §. 42. APERTE FATUR DICTIO. [»lege *Apertae fatur dictio. Apertae* autem id est Apollinis.« Ex Omissis p. 380.] *dictio* id est oraculum. sic est autem legendum, itaque habent omnes libri et mss. et vulgati. nam quod in hac editione [id est Lambin. a. 1565. et 1566.] *Pythius* operae excuderunt, hinc natum est. ego e regione vocis *dictio* cuiusdam amici mei coniecturam annotaram, qui putabat legendum *Pythius.* quod quum postea reiecissem neque funditus delevissem, operae hoc incertum pro illo certo impresserunt [vide in Erratis Operr. p. 384. et ex Omissis post Tom. 4. p. 624. a Lambino retractata inserantur haec: »Sed hoc praeterea admonendus »est lector, quod Errico Memmio nuper in mentem venit, »*Apertae* hoc loco legendum esse cum diphthongo *ae* in postre»ma syllaba et maiuscula littera *a* in prima, ut per *Apertam* »Apollo significetur, non *aperte* per *e*, quasi sit adverbium. »Festus *Apellinem antiqui dicebant pro Apollinem; Aperta item* »*Apollo dicebatur, quia patente cortina responsa ab eo dabantur.* hoc totum igitur *Apertae dictio* puto esse periphrasin, »et per *Apertae dictionem* ipsum Apollinem vaticinantem intel»ligendum. qualia sunt illa *sententia dia Catonis* apud Hora»tium, et apud Lucretium *Democriti quod sancta viri sententia* »*ponit.*« Horatii locus est I. Satirr. 2, 32., Lucretii 3, 3772.].

Ibid. FRATERNIS ARMIS. Auratus legendum censet *paternis armis*, quia ibi loquatur Neoptolemus Achillis filius, armaque paterna poscat et sua esse dicat.

Ibid. QUARE ACCUSEM HUNC NEQUEO EXPUTANDO EVOLVERE. huius versus restitutio debetur partim Aurato partim libris manu scriptis. nam quod ita reposuerim *quare accusem hunc*, in eo Aurato assensus sum, reiecta vulgata scriptura *qua causa accusem hunc:* quod autem *exputando* pro *exponendo* excudendum curavi, trium codicum mss. auctoritatem secutus sum. mihi tamen non displicet cuiusdam doctissimi viri coniectura, cui potius ita legendum videtur *quare hunc accusem, nequeo putando evolvere* [»Ego non dubito, quin scripserit poeta *timeo ex»putando evolvere*, quod usurpaverit pro nolo ac detrecto, ut »apud Livium occurrit verbum *metuo*, de quo pater in notis ad »XXXII, 31.« Gronov. ad h. l. p. 16.].

C. 27. §. 44. CORPORE DECOLORATUM. VOX *corpore* abest a duobus mss., et meo quidem iudicio delenda est.

Ibid. DEINDE SI SIT USQUE ADEO IN EO. fortasse legendum *usque in eo*, deleta particula *adeo*.

C. 28. §. 45. AN VEIENTANIS. sic restitui, quum in libris fere omnibus legatur *Vegentinis*. plane mendose. iam paulo post, ubi vulgo legitur *populo Romano profuerunt*, libri manu scripti habent *populo Romano praesidio fuerunt* [cf. Gronov. ad h. l. p. 17.].

C. 29. §. 46. extr. QUID PROPOSITUM. fortasse legendum *quid positum*.

C. 30. §. 48. extr. ALITER IUDICATUM. id est secus, quod valet *male* iudicatum. in uno libro quidem manu scripto legitur *non recte iudicatum* pro *aliter iudicatum*.

Ibid. AUT PERPERAM FACTUM AUT ERRATUM. unus liber non habet *aut perperam factum*.

§. 49. QUAM SACRUM LAEDERE. quidam legendum putant *sacrum legere*. quin ego ita scriptum reperi in uno optimo libro manu scripto.

Ibid. PROPTER INTEMPERANTEM SUPERBIAM. legendum fortasse est *intemperatam*.

C. 31. §. 50. COMMOVEBITUR AUDITORIS ANIMUS. libri manu scripti habent *auditor si variam fortunarum commutationem dicemus* [Gronov. p. 18. »unde in tribus nostris *commovebitur auditoribus?* «].

III. C. 2. §. 3. FINEM SIBI CONVENIET UTILITATIS. quidam legi volunt *utilitatem*.

Ibid. extr. PERPESSIO. liber unus manu scriptus habet *perpensio*.

C. 3. §. 4. DISCIPLINABILEM. videtur exprimere voluisse vocem Graecam *διδακτὸν* seu potius *μαθητόν*. sed quidam liber manu scriptus habet *disciplinalem*. ego nihil muto, tametsi utrumque usurpatum esse a Latinis probabile sit; quod genus *penetralis* et *penetrabilis*, *genitalis* et *genitabilis*, *innumeralis* et *innumerabilis*, *manabilis* et *manalis*. adde, quod quidam annotarunt, *naturalis* et *naturabilis*.

§. 5. NEC IDONEAS PRO DIGNITATE SUA IUDICARE. sic reposui secutus unum librum manu scriptum. quidam tamen legendum
b. censent *nec ido* || *neas dignitati suae*.

C. 4. §. 8. REI DILUCIDANDAE CAUSA. unus liber manu scriptus habet *rei dilucide magnificandae causa*, alius *rei dilucidandae magnificandae*, plane mendose. quidam legendum putant *dilucide manifestandae*.

C. 6. §. 10. GLORIAE CIVITATES. quidam liber manu scriptus habet *gloriae, sodalitates*. ego nihil muto. nam civitatis nomen sic accipio, ut intelligam beneficium aut malignitatem esse fortunae, huius aut illius civitatis esse; verbi gratia, esse Parisiensem aut Sagiensem.

§. 11. AUT QUOD RECTUM SIT EX ALIORUM LAUDE. videor mihi optimam scripturam secutus esse. libet tamen annotare aliam longe diversam, quae reperitur in duobus mss., *debeant velle quod rectum sit: aut ex aliorum laude aut per comparationem ostendere, qualis noster animus sit.*

Ibid. UT ILLIUS FACTA VERBIS CONSEQUI POSSIMUS. sic legendum etiam reclamantibus libris omnibus. nam qui ita loquitur *vereor ne possim,* significat se velle posse.

§. 13. QUONIAM NON APUD IGNOTOS. quidam liber habet *non apud ignaros.* ego autem nihil muto: nam vocem *ignaros* interpretationem esse vocis *ignotos* arbitror. M. Tullius quidem ipse quoque sic usurpavit epistola ad L. Lucceium libri quinti [12. p. Lamb. 52, 1. Gron. 755. post med.]. *atque illi artifices corporis simulacra ignotis nota faciebant.* ignotis, id est ignaris seu ignorantibus. infra quoque ubi legitur *ignoti,* in eodem illo libro legitur *ignari.*

Ibid. QUONIAM IN EODEM VIRTUTIS STUDIO SINT. legendum fortasse est *in eodem virtutis stadio sint.* quemadmodum et in Bruto, ubi de Hortensio loquitur, quo loco [p. 232, 29. c. 64. §. 230.] legitur *me multos annos in studio eiusdem laudis exercuit,* legendum putant viri docti *in stadio;* et libro 1. de Orat. ad Q. Fratrem [c. 32. §. 147.] *sed iis qui ingrediuntur in stadium* [hoc enim reponendum ex Annot. 316, 1.], ubi vulgo legitur *ad studium.*

C. 7. §. 13. AUT EXCELLENTIOREM. sic restituimus libros duos mss. secuti, quum vulgati haberent *excelsiorem.*

§. 14. QUAE CASU ET NATURA. sic habent omnes libri mss., quos quidem viderim, et plerique vulgati. quidam tamen reposuerunt *casu et fortuna;* plane temere et mendose. ita autem et Serv. Sulpicius in epistola ad M. Tullium libro quarto haec duo coniungit *casum et naturam.* sic enim ille [12. p. Gron. 749. 11. p. Lamb. 42, 35.]: *etsi scio non iucundissimum nuntium me vobis allaturum, tamen, quoniam casus et natura in bonis dominatur, visum est faciendum, quoquo modo res se haberet, vos certiores facere.*

C. 8. §. 15. SIN VITUPERABIMUS ALIUD INIUSTE. in libris vulgatis et nonnullis manu scriptis ita legitur, *sin vituperabimus e contrario,* atque hanc esse puto rectam scripturam, aliam autem fuisse ad oram libri adscriptam; quam secuti sumus tamen, tum quia plane et probabilis est, tum quia a me reperta est in exemplis Car. Stephani et in uno libro item manu scripto.

C. 11. §. 20. SED MAXIME CONSERVAT CURA. liber unus ms. habet *conservat accuratio.*

C. 12. §. 21. AUT MULTO GENERE VOCIS EFFUSO. sic restitui, quum in libris omnibus legatur *nullo genere vocis effuso.* significat enim eam vim esse commutationis vocis, ut, quamvis ea varie profundatur, incolumis tamen et integra conservetur.

§. 22. extr. DE FIRMITUDINE ET DE SUAVITATE. voces illas

quae visa sunt ut supercavaneas et ab aliquo semidocto interiectas sustuli.

C. 14. §. 24. INSERERE ATQUE INCULCARE. secutus sum Ioannis Aurati coniecturam, qui, quum reperisset scriptum in uno et altero codice ms. *inserere atque insectare*, sic restituendum coniecit.

Ibid. SI QUAE ADMIRATIONES. liber unus ms. habet *si quae miserationes.*

§. 25. TANTUM INTER SINGULA INTERVALLA. alibi legitur *tantum in singula intervalla.* et melius.

C. 15. §. 26. NEC VENUSTATEM CONSPICUAM. liber unus ms. habet *conspiciendam.*

Ibid. NE AUT HISTRIONES. liber unus manu scriptus habet *ut aut histriones.* quae scriptura non est reiicienda. quin ea fortasse recta et germana auctoris, nimirum hac sententia, non oportere in gestu venustatem conspicuam nec turpitudinem esse, adeo scilicet utramque conspicuam, ut aut histriones aut operarii videamur esse. huius autem, quam secuti sumus, lectionis hic sensus est, oportere in gestu nec venustatem conspicuam nec turpitudinem esse, ne aut histriones aut operarii videamur esse.

C. 16. §. 28. PLACET ENIM NOBIS ESSE ARTIFICIOSAM MEMORIAM. tres libri mss. habent *artifici memoriam*, unus *artificium memoriam.* unde suspicatus sum legendum *artificiosam memoriam.*

§. 29. DOCTRINA ET PRAECEPTIONE. sic habent duo libri
310. mss.; || non displicet tamen mihi altera lectio *doctrina, ingenio,*
a. *praeceptione, natura nitescat.*

C. 17. §. 30. extr. EDERE ET PROFERRE POSSIMUS. libri aliquot mss. habent *videre et proferre possimus.* nos tamen secuti sumus vulgatos, qui habent *edere et proferre possimus.*

C. 18. §. 31. MANUM AUREAM COLLOCEMUS. sic omnes quidem habent libri, sed Auratus arbitratur legendum *manum alteram.* a quo dissentio.

Ibid. CUI PRAENOMEN SIT DECIMO. sic legendum, et ita habent libri omnes et vulgati et mss. falluntur autem qui *Decio* legi volunt. nam primum *Decius* non est praenomen Romanum; deinde vox *Decimus* apta est ad notandum decimum locum, *Decius* non item. postremo quid opus est hic quicquam innovare, quum *Decimus* sit praenomen Romanum et in libris omnibus legatur *Decimo*, non *Decio?*

C. 20. §. 33. extr. MEDICO TESTICULOS. qui hanc lectionem sequuntur et probant, *medico* interpretantur digito eo qui proximus est minimo. sed libri duo mss. habent *medicum testiculos arietinos tenentem.*

C. 21. §. 33. IAM DOMUITIONEM REGES ATRIDAE PARANT. versus est Senarius trimeter nescio cuius poetae. neque vero dubium est, quin sit ita legendus. nam quod in nonnullis mss. legitur *domi ultionem*, ea depravata scriptura est. utitur autem hac voce Pacuvius teste Nonio [2, 209 .p. Mercer. 96, 1.]: *nam so-*

lus Danais hic domuitionem dedit, et Lucilius [ib. et in Reliqq. Satirr. 26, 63. ad calcem Censorini Haverk. p. 389.] *domuitionis cupidi.* id est *domum itionem* et *domum itionis* [Err. Operr. p. 384, 1. »*domutionem*, alii *domitionem*.« cf. Gesner. Thes. L. L. Tom. I. p. 260, 37. et Voss. de Construct. 8. p. 33.].

Ibid. IN ALTERO LOCO AESOPUM ET CIMBRUM SUBORNARE IPHIGENIAM. quidam libri habent *subornare vagantem Iphigeniam ad Agamemnonem et Menelaum.* ex qua scriptura coniicere possit aliquis legendum *subornare vadentem Iphigeniam.*

Ibid. HOC ERIT ATRIDAE PARANT. quia Atridae, quum ad bellum Troianum proficisci pararent, Aulide Iphigeniam ad placandam Dianam immolarunt. Aesopus autem et Cimber tragoedi fuerunt, qui Iphigeniam tragoediam egerunt.

Ibid. IPSI NOBISCUM PRIMUM TRANSEAMUS. liber unus ms. habet *primum transigamus*, ceteri lectionem vulgatam confirmant. ego hunc locum mendo vacare non puto.

Ibid. NATURAE SUPPEDITABITUR DOCTRINA. liber unus manu scriptus habet *suppeditabit.*

C. 23. §. 38. POTUERUNT HAEC VALERE. fortasse legendum est *hae valere*, ut subintelligatur *imagines.*

C. 24. §. 39. ET PLUS HABEANT FACILITATIS. quidam liber manu scriptus habet *et plus habeant facultatis.* et infra, ubi legitur *ad illam facilitatem*, idem ille liber habet *ad illam facultatem.*

IIII. C. 1. §. 2. VIDETUR ESSE ARROGANTIA. quidam liber manu scriptus habet *videtur esse arrogantiae.* legendum fortasse est *videtur esse arrogantis.*

Ibid. NON IGITUR RIDICULUS SIT. sic habent omnes fere libri et vulgati et manu scripti. quod iccirco annotavi, quod quidam temere reposuerunt *nonne igitur.* quasi vero *non* sequente nota interrogationis non idem valeat, quod *nonne.*

C. 3. §. 4. QUOMODO LADAS AUT BOLISCUS SICYONII. sic restituit hunc locum Adrianus Turnebus [Adverss. 20, 25.], quamquam putat *Boiscus* legi posse [cf. Iac. Gronov. ad h. l. p. 27. et patrem eius Observatt. 4, 25. p. 812. sq.].

Ibid. SIC UT IN STADIUM ARTIS. sic reposui, quum in libris omnibus, praeterquam in uno ms., legatur *in studium.* plane mendose [cf. ad III. c. 6. §. 12.].

§. 5. LIBARE LAUDEM. fortasse legendum *limare laudem. limare* autem id est detrahere et deterere [vide Pareum Lex Crit. p. 679.

Ibid. QUIBUS POSSUMUS ET DEBEMUS. haec sunt ex oratione Crassi, quam habuit ad Quirites, quum ageret causam Senatus. sic autem hunc locum restitui ex libro primo de Oratore ad Q. Fratrem [p. 131, 4. c. 52. §. 225. cf. Parad. 5, 3. §. 41. p. 438, 36], ubi plura ad hunc locum pertinentia referuntur, et quibus haec tantum adscribam: *nolite sinere nos cuiquam servire nisi vobis universis, quibus et possumus et debemus.*

Cap. 4. §. 7. extr. NUNC QUAE SEPARATIM. legendum ut habent duo libri mss., *nunc separatim quae dici possunt consideremus* [correctum in Ind. Erratorum p. 384, 1.].

C. 6. §. 9. IPSE AB ALIIS ID MUTUARETUR. vocem *hominibus*, quae interiecta erat inter illas duas *aliis id*, Aurato auctore sustuli.

C. 8. §. 12. post med. QUI AGERE AUSI SUNT AUT QUI COGITARE POTUERUNT. sic hunc locum restitui.

Ibid. VIRGINIBUS MATRIBUS FAMILIAS INGENUIS PUERIS. sic restitui, ‖ Aurati coniectura probata.

b.

Ibid. PRAECIPITEM DETURBETIS. etiam in hoc loco restituendo Aurati auctoritatem secutus sum, quum in libris omnibus legatur *perturbetis*, plane inepte ac mendose. si quis tamen contendet legendum *proturbetis*, non repugnabo.

C. 9. §. 13. post med. PARTIM VOLUNTATE CONSENSERUNT. sic habent omnes libri mss., quos quidem viderim. sed ego putabam legendum *concesserunt*.

C. 10. §. 14. RUBORES ELICERE POSSENT. sic restitutus est hic locus a Ranconeto coniectura ducto, quum in omnibus libris legatur *eiicere*.

C. 11. §. 16. extr. OBLITAM REDDENT. tres libri manu scripti habent *obliquam*.

C. 12. §. 17. QUAE MAXIME ORATORI ACCOMMODATA EST. quum animadvertissem, nonnullos libros vulgatos habere *quae maxime ad modum oratoris*, alios *quae maxime ad commodum oratoris accommodata est*, ego sic restitui *quae maxime oratori accommodata est*, persuasum habens, illud *ad commodum* natum esse ex ea voce quae sequitur, *accommodata*, idque errore seu culpa librarii, qui unam vocem bis scripserit.

§. 18. BACAE EOAE AMOENISSIME. sic restituit Ioannes Auratus. per *bacas Eoas* autem uniones significantur orientales [vid. Burmann. ad Petron. p. 271.].

Ibid. FLENTES PLORANTES. versus est hexameter spondiacus.

C. 14. §. 20. VIDETE ERGO QUID CONVENIAT EOS IMPETRARE. quidam liber manu scriptus habet *quam conveniat eos veniam impetrare*.

C. 15. §. 21. AMICIS INEXORABILEM. duo libri manu scripti habent *amicis implacabilem*.

C. 17. §. 24. DIFFICILE EST PLURIMUM VIRTUTEM REVERERI. sic restituit Ranconetus coniectura ductus, quum in libris omnibus legatur *primum*.

Ibid. OMNIA PRAETER EAM. liber unus manu scriptus habet *omnia praeterea*.

C. 20. §. 27. HOC NON DINUMERATIONE NOSTRA FIET. sic restituimus a veteri codice admoniti, in quo est *denumeratione*.

C. 21. §. 29. HIC QUOS HOMINES ALEA VINCIT. sic legitur in exemplis Manutianis, neque video quo modo aliter legi possit, si modo facere volumus, ut exempla praeceptionibus respondeant. neque tamen *vinciit* potest a verbo *vincio* usitate quod sciam flecti, sed *vinxit* potius.

Ibid. DELIGERE OPORTET QUEM VELIS DILIGERE. liber manu scriptus longe optimus habet *dilegere oportet.* nam a verbo *dilego* fit *dilectus.* ita *dilectus militum.*

C. 22. §. 31. A PUERITIA CONFIRMAVIT. legendum fortasse est *conformavit*, immo sic esse legendum contendo [cf. Moser. ad I. de Legg. c. 6. §. 19. p. 47.].

Ibid. ALEXANDRUM OMNES UT MAXIME. particulam *ut*, quae desiderabatur, reposui.

Ibid. MAIORUM PERFIDIA. secutus sum libros duos mss. et nonnullos vulgatos. nam alii vulgati partim habent *malorum perfidia*, partim *maiorum natu perfidia.* et ita unus antiquus.

C. 23. §. 33. NON MODO HOC NON POTEST DICI. sic hunc locum in integrum restitui, qui antea mutilatus et laceratus erat, quum ita legeretur *non potest dici.* fuerant scilicet omissae a librario hae tres voces *modo hoc non.*

Ibid. GRANDI SPONSIONE VICTUS EST. sic legendum arbitror, et ita habent plerique libri vulgati et mss., nonnulli *vinctus est*, quam lectionem reiici probata altera. nam et in Oratione pro Caecina ita locutus est, *sponsione vincere* [p. 239, 40. c. 31. §. 91.].

C. 24. §. 33. ALIBI HONESTE TRACTATAM. sic restitui, quum reperissem scriptum in libris manu scriptis partim *alicui*, partim *aliui. aliui* enim a librario scriptum esse pro *alibi* facile intelliget qui versatus est in lectione membranarum antiquarum [vide ab Drakenborchio notata ad Livii 5. 24, 5. Tom. 3. P. 1. repet. edit. 194.].

§. 34. REFERAMUS SUBIECTIONEM SIC. liber unus manu scriptus habet *fit sic.*

Ibid. AT QUUM PARVA MANU TUM PRODIREMUS. legendum fortasse est *at cum parva manu quum prodiremus.*

Ibid. LOCUM QUOQUE INIMICISSIMUM. liber unus ms. habet *locum quoque immunitissimum.* et supra l. 25. [hac ipsa sectione], ubi est *convenient*, libri mss. habent *convenit.*

C. 25. §. 34. NEQUE SENSI HOC ET NON SUASI. videntur haec ex Demosthenis Oratione pro Ctesiphonte expressa [p. Reisk. 288.] *Οὐ γὰρ εἴρηκα μέν, ἀλλ' ἐκ ἔγραψα, οὐδ' ἔγραψα μέν, ἀλλ' οὐκ ἐπρεσβευσάμην*, id est, *non enim dixi quidem sed non decrevi, neque decrevi quidem sed non obii legationem* [Demosthenis locus sic habet in Bekkeri Oratt. Atticis Tom. 4. p. edit. repet. 256. *οὐκ εἶπον μὲν ταῦτα, οὐκ ἔγραψα δέ, οὐδ' ἔγραψα μέν, οὐκ ἐπρέσβευσα δέ, οὐδ' ἐπρέσβευσα μέν, οὐκ ἔπεισα δὲ Θηβαίους.*].

§. 35. LABORUM PERPESSIONE. quidam libri habent *dolorum perpessione.* sed parum refert. nam etiam apud Graecos *πόνος* utrumque significat, *dolorem* et *laborem.*

|| C. 26. §. 36. HOC FACILE PERFICI POSSET. verbum *perfici* ab- p. 311 a.
est a nonnullis libris mss.

C. 27. §. 37. QUOD TE REI MILITARI INFREQUENTEM TRADIDISTI. liber ms. unus habet *quod te Tribuni infrequentem rei militaris tradiderunt.* quae fortasse recta scriptura est.

Ibid. OCCULTE FECISSE SUSPICIONEM. reclamantibus libris omnibus *iecisse suspicionem* legendum puto. quamquam *facere suspicionem* usurpavit in Oratione pro Flacco [p. 367, 29. c. 33. §. 83.].

§. 38. AD BREVITATEM CONIUNCTIO. repete *ἀπὸ κοινοῦ est apposita.* mendosi autem sunt hoc loco vetusti aliquot codd., in quibus scriptum est, ut in vulgatis, *brevitatem parit coniunctio.* mendum autem natum est ex eo, quod, quum ab aliquo librario ita scriptum esset *ne satietatem pariat, at brevitatem,* alius librarius postea, quum hunc librum describeret, *at* posterius sive prudens, putans esse supervacaneum, sive imprudens, duarum syllabarum similitudine in errorem inductus omisit; postremo semidoctus aliquis, quum videret aliquid deesse, addidit verbum *parit.*

C. 28. §. 38. AUT COMMISERATIONIS. haec absunt a duobus codd. mss., quare vel delenda putant quidam vel legendum *aut commorationis.*

Ibid. IN CONTRARIO CAUSAE. fortasse legendum *in contraria causa.*

C. 30. §. 41. RELINQUITUR IN AUDIENTIUM IUDICIO. quidam liber ms. habet *relinquitur inchoatum.*

C. 31. §. 42. extr. PLAGIOSIPPUS ISTE. Turnebus legendum putat *Plagioxiphus iste* [sed vide hunc Adversarr. 20, 25.]. malim legi *Philoxiphus iste.* Philippus significatur [ex Omissis p. 380.].

C. 32. §. 43. NEC TAM FACILE EX ITALIA MATERIS TRANSALPINA. sic legendum, et ita edidit Paullus Manutius. est autem *materis* genus teli Gallici. Sisenna [apud Nonium Marcellum 18, 26. p. Merc. 556.]: *Galli materibus, Suevi lanceis configunt* [vide quae disputantur a VV. DD. ad Livii 7. 24, 3. Tom. 4. P. 1. p. 194. sqq.].

C. 33. §. 44. NON ILLAE TE NUPTIALES TIBIAE. quidam putant hic legendum *nuptiales tedae.* sed quum in tribus codicibus mss. Memmianis et in Nicotiano et in ceteris reperiam scriptum *tibiae,* nihil censeo mutandum.

C. 34. §. 45. REVIRESCUNT. duo libri manu scripti habent *revirescent.*

§. 46. PECUARIA CREDEMUS. legendum putant quidam *pecua credemus* seu *pecuda,* quia veteres, inquiunt, teste Nonio [2, 691. p. Mercer. 159, 5.] dicebant *pecua* et *pecuda,* et in singulari *pecu,* ut *genu,* seu *pecuum.* unde *pecuarius, a, um,* ut *res pecuaria.* ego nihil muto.

C. 37. §. 50. DE QUA POSTERIUS DIXIMUS. sic legendum, non ut in vulgatis *superius.* nam posteriore loco de eo licentiae genere praecepit, quod assimulatione et astutia quadam constat, priore loco de ea licentia, quae per acrimoniam tractatur.

C. 39. §. 51. post med. DERIPIUNTUR. sic legendum potius quam, ut est in vulgatis, *diripiuntur.* est enim *deripere* de aliquo loco rapere, *diripere* autem in diversas partes rapere et discerpere, seu dilacerare [cff. ab Lambino disputata ad Horatii I. Carmm. 9, 23. p. 30. E., et vid. Pareum Lex. Crit. p. 337].

C. 41. §. 53. post med. CERTAM SUMERE SCIENTIAM. liber unus manu scriptus habet *sumere sententiam.*

C. 42. §. 54. NON EODEM MODO. sequitur infra *sed commutate*, id est commutata ratione dicendi idque tripliciter, ut mox subiicit ibi *commutabimus tripliciter commutabimus* autem, nempe modum dicendi. mendose autem legitur in libris vulgatis *sed commutare*, quum libri scripti habeant *sed commutate.*

Ibid. QUUM AGETUR INCOLUMITAS. sic restitui fretus auctoritate duorum librorum mss., reiecta vulgata lectione *quum augetur*, quae nata est ex ignoratione Latini sermonis. nam ita loquuntur Latini, *agitur salus rei publicae, agitur vita bonorum omnium, agitur caput;* non *de salute, de vita, de capite.* quod alibi docui pluribus verbis [Commentariis in Horatii I. Epp. 18, 84. p. 285. E. F. adde Pareum Lex. Crit. p. 65, 6.].

Ibid. PRO PATRIA STUDIOSE. lectionem vulgatam retinui, praesertim auctoritate aliquot librorum mss. confirmatam, quam non intelligentes quidam indocti inculcarunt verbum *pugnet*, iudicantes ita legendum *ut pro patria studiose pugnet.* sed non viderunt, adverbium *studiose* pertinere ad verbum *descendat*, nec *quamvis* positum pro quantumvis, ut sit, descendat studiose in quantumvis magnam vitae dimicationem.

C. 43. §. 55. PRODUXIT. fortasse legendum *perduxit.*

C. 44. §. 56. ERGO HUIUSMODI. inter haec verba et ea quae antecedunt interiecta fuerant haec, quae reperiuntur in libris omnibus et vulgatis et manu scriptis, *in hoc libro docuimus cuiusmo || di esset exornatio verbi, cui conclusioni nomen est.* b.
ea ego funditus delevi ut supervacanea, et temere vel a librariis vel ab indoctis hominibus inculcata.

§. 58. DE QUA PRODUCTI SUMUS. fortasse legendum *provecti sumus*, ut supra libro primo p. 2. lin. 9. [c. 3. §. 4.].

C. 46. §. 59. extr. QUOD MINUS EST VERISIMILE. sic est legendum, libris omnibus invitis. sed velim supra etiam legi *hic probabilius* [inserendum Orell. p. 94. cf. Burmann. p. 278. Lindemann. p. 374. 5.].

C. 47. §. 60. extr. HOC SIMILE PER COLLATIONEM UTRIUSQUE REI ET ALTERIUS INSCIENTIAE ARTIFICII ALTERIUS STULTITIAE SIMILI RATIONE COLLATA SUB ASPECTUM OMNIUM REM SUBIECIT. hunc locum ope veterum codicum felicissime restitui, ut intelligent qui vulgatam lectionem cum ea, quam reposuimus, comparabunt.

C. 49. §. 62. PROPE MANU TENTARI POSSIT. quidam legendum censent *manu tractari*, alii *teneri.*

Ibid. IBAT TURNUS IN PROELIUM. nomen *Turnus*, quod abest a libris vulgatis, in antiquis repertum reposui.

Ibid. DENTIBUS INSECARE. legendum censet Auratus *inuncare* [cf. Nonium Marcellum 2, 125. p. Mercer. 124, 15.], quum in vulgatis legatur *dentibus insecare.*

Ibid. CUM DOMO SUA COMEDITUR ET AUFERTUR. liber manu scriptus habet *cum domo sua ut comedatur aufertur.*

C. 50. §. 63. SED OSTENTATOREM PECUNIAE SUAE. sic restitue-

runt Memmius et Auratus, quum in omnibus libris legeretur *ostentatorem pecuniosum.*

Ibid. ASPECTUS OMNIUM PRAESTINGUERE. sic legendum, non *perstringere* neque *praestringere. praestinguere* autem valet obtenebrare, ut docet Nonius [4, 381. p. Mercer. 373.]. de quo verbo vide plura in Commentariis Lucretianis [3, 1057. adi eundem Commentariis Horatianis II. Epp. 1, 14. p. 306. F.].

Ibid. RECEPERANT. liber unus manu scriptus habet *invitarant.*

C. 51 §. 64. VOS HUC DECIMA VENITOTE. quidam libri habent *ad decimam. ad decimam* autem hoc est, circiter decimam.

Ibid. QUAE SINGULIS DIEBUS EFFICIAT. duo libri mss. habent *quae singulis diebus efferat.*

C. 52. §. 65. TENENS IACULUM. quidam libri veteres habent *tenens baculum.*

Ibid. SED TU QUAESO COMMOVEARE. libri vulgati habent *quaeso commovere.* et nonnulli mss.

C. 54. §. 68. INDE THASI PRAESIDIUM RELIQUIT. sic restituit Adr. Turnebus, quum in libris omnibus legatur *Tharsi,* plane mendose. *Tharsus* enim urbs Ciliciae est, *Thasus* insula in mari Aegeo Thraciam versus, non longe a Lemno. atque ita postea scriptum reperi in uno codice Memmiano longe optimo.

Ibid. INDE APPULSUS IN HELLESPONTUM. sic restituit Auratus. nam vulgati libri et duo manu scripti habent *pulsus*, quae tamen scriptura non est reiicienda.

C. 55. §. 68. ET EX ALIIS ATQUE ALIIS PARTIBUS COMMEANT OMNES. alii libri habent *convolant omnes.*

Ibid. AT ISTE SPUMANS EX ORE SCELUS. quidam libri manu scripti habent *at iste spumas ex ore eiiciens.* non probo. et ibidem alii habent *ex intimo.* ego nihil muto; nam hic *ex infimo* idem valet quod ex intimo, ex alto.

Ibid. PERCUTIT TEMPUS. nihil muto, quum liber optimus Memmianus sic habeat. neque me movet, quod in duobus aliis scriptum est, *percutit frontem.* nam et Virgilius libro nono Aeneidos [IX, 418. 9.] dixit, *it* [ita Servius Comment. in Aen. IV, 56. Tom. 2. p. 474.] *hasta Tago per tempus utrumque Stridens.*

Ibid. ILLE NULLA VOCE DELIBANS INSITAM VIRTUTEM CONCIDIT TACITUS. secutus sum omnes fere libros mss. et vulgatos, tametsi mihi ne haec quidem lectio satis probetur. suspectum enim mihi est hoc *delibans,* quod vulgo interpretantur *violans.* malim legi *delimans* [cf. annotata ad h. l. c. 3. §. 5.], seu potius *dedecorans.* quod autem alii habent *ille nullam vocem edens insita virtute concidit,* nihilo magis mihi probatur. ego malim sic legi, *ille nullam vocem edens insita virtute indignam.* verum iudicet lector eruditus.

II.

IN RHETORICORUM QUI SUNT DE INVENTIONE RHETORICA LIBROS.

I. C. 3. §. 2. VIM NATURAE IAM OBTINERET. legendum fortasse est *naturae vicem obtineret.*

C. 5. §. 7. med. TRIBUS IN GENERIBUS RERUM. sic habent omnes libri, sed legendum videtur *tribus in generibus causarum.*

C. 6. §. 8. ECQUID SIT BONUM IN VITA PRAETER HONESTATEM. sic ha || bent duo libri manu scripti. *ecquid* autem, id est utrum aliquid, num aliquid, an aliquid. p. 312.

Ibid. ELECTAS RES COLLOCASSE. sic habent duo libri manu a scripti et omnes fere vulgati. quidam tamen legi volunt *collegisse.*

C. 7. § 9. AD INVENTIONEM PERCEPTIO. vel delendum *ad inventionem*, vel addendum *idoneorum.* ac fortasse paulo ante alieno loco positum est, hic suo reponendum. quidam legi volunt *verborum inventionis.*

C. 8. §. 11. NAM ECQUID FACTUM SIT POTEST QUAERI. sic legendum, non ut habent libri vulgati *nam quid factum sit.* nam quaestio *quid sit* efficit constitutionem definitivam; hic autem de *facti controversia* agitur, in qua quaeritur, vel an aliquid factum sit, vel an fiat, vel an futurum sit.

Ibid. NON QUOD DE FACTO IPSO NON CONVENIAT. post haec verba sequitur deinceps in omnibus libris vulgatis et nonnullis mss., *non quod de facto non constet.* quod ego totum sustuli ut ab aliquo indocto inculcatum, quum adscriptum esset ad oram libri, tanquam interpretatio eorum quae antecedunt. atque ita sane videtur etiam Aurato.

C. 10. §. 13. PARTIS EIUS QUAM HIC DICIT. id est constitutionis generalis. sic autem legendum et ita habent duo libri manu scripti, non *partis eius quod hic dicit* [correctum in Erratis Operr. p. 384.].

C. 11. §. 15. extr. QUUM ALIUD ALIQUOD FACTUM RECTUM AUT UTILE CONTENDITUR. in uno codice manu scripto ita legitur, *quum aliquod aliud ab illo de quo agitur factum rectum aut utile contenditur.*

C. 14. §. 19. extr. ORATIONEM EXORDIENDI. quum in libris mss. reperissem scriptum *in oratione*, ego *orationem* reposui.

C. 16. §. 23. AD SUMMAM REI PUBLICAE. legendum puto *ad summam rem* seu *ad summam rem publicam* [tu confer Annotata ab Car. Frid. Heinrichio, summo viro, ad Orat. pro Tull. p. 69.].

C. 17. §. 23. QUUM ANIMUS AUDITORIS INFESTUS EST. malim legi *infensus* seu *offensus est.*

C. 19. §. 27. AB EO NEGOTIO QUO DE AGITUR. sic legendum,

non ut quidam volunt *quod agitur* [vide Annotata ad IV. Herenn. c. 42. §. 54.].

C. 30. §. 49. extr. POST DESCRIPTE ET ELECTE. quidam libri habent *post discrete et electe* [cf. ab eodem Lambino disputata Commentariis Horatianis II. Carmm. 13, 23. p. 115. E. adde Pareum Lex. Critico p. 337. 8.].

C 32. §. 53. DUBIUM ESSE ID IPSUM NON OPORTEBIT. sic habent libri manu scripti, quos secuti sumus, repudiata vulgata lectione *id ipsum quod inducimus non oportebit.* quis enim non videt has voces, *quod inducimus*, esse ab aliquo lectore ad oram libri adscriptas, deinde a librario scriptore in contextum verborum M. Tullii translatas?

§. 34. LONGIUS PROCEDERE ROGATIONEM. quidam liber vetus habet *longius procedere orationem.*

C. 34. §. 57. IN DICENDO. legendum putant quidam *in docendo*, sed errant [vide ab Drakenborchio notata ad Livii 39. 47, 3. Tom. 11. p. rep. edit. 523.]. nam *in dicendo* hoc est, in causis civilibus.

§. 59. QUOD EX OMNIBUS PARTIBUS COGITUR. quidam legendum existimant *colligitur* [sed vide Pareum Lex. Crit. p. 216. dialecticorum enim verbum *cogere*, uti Graecis *συνάγεσθαι*, nec raro permutatum cum interpretamento suo. cff. notata a. VV. DD. ad III. de N. DD. c. 13. §. 34. p. Creuzer. 538., item II. de Legg. c. 13. §. 33. p. Moser. 261.].

C. 38. §. 67. EX UNA QUOQUE PARTE POTEST ALICUI VIDERI POSSE CONSTARE. sic restitui hunc locum partim auctoritate codd. mss. fretus, partim coniectura ductus. movit me postremo, ut ita reponerem, locus simillimus infra p. 71, 31. [c. 40. §. 74.]. ibi, *si qui autem ex una quoque parte putabunt constare argumentationem, poterunt dicere saepe satis esse hoc modo argumentationem facere: Quoniam peperit, cum viro concubuit.*

§. 69. QUOD HIC FECIT. haec absunt a tribus codicibus manu scriptis; ego tamen ea mihi retinenda existimavi. si quis vero delenda putabit, ita erit deinceps legendum, *quid autem magis utile fuit Thebanis quam Lacedaemonios opprimi?* quam lectionem putaverim esse rectam et antiquam.

Ibid. EXORNATO TROPAEO. sic legendum, non *trophaeo.* est enim nomen Graecum *τρόπαιον, παρὰ τὸ τρέπειν*, a Latinis usu captum. neque est quod quisquam mihi dicat Latinos addere aspirationem, ut dicant *trophaeum*, quum Graeci efferant *tropaeum.* quamobrem enim non item efferunt *trophus* cum aspiratione, sed *tropus*, cuius eadem origo est? eodem errore dicunt vulgo *Bosphorus*, quum sine dubio *Bosporus* sit et scribendum et pronuntiandum, ut alibi ostendimus [Commentariis Horatianis II. Carmm. 23, 14. p. 115. C.].

C. 39. §. 70. fin. QUID CAUSAE EST QUIN ISTUM. duo libri mss. habent *quid dubitatis quin istum.*

C. 40. §. 73. AUT ITA UT EX CONTRARIO. liber unus ms. habet *aut contrarium conclusionis inferimus hoc modo.*

Ibid. ET PERSPICUAM FUGERIS COMPLEXIONEM. sic legendum *fugeris*, non *feceris*; et ita habent duo libri mss. longe optimi. nam et paulo ante dixit, id quod perspicuum || sit in complexio- b.
nem non esse inferendum, et id vitium esse vitandum.

C. 41. §. 76. HOC IDEM EXERCEAMUS. post hoc verbum sequitur deinceps in vulgatis libris et nonnullis mss. *ut quam facile factu sit*, in quibusdam aliis *ut quam facile dictu sit experiamur*. hoc totum delevimus, ut alienum et supervacaneum. alioquin ita legendum erit, *id quod facile factu sit*.

C. 42. §. 78. AUT LEVATUR. tres libri veteres habent *alleviatur* [Io. Matth. Gesnerus Thes. L. L. Tom. I. p. 258, 56. huius verbi testem citat Vulg. Interpr. Act. 29, 38. corrige 27, 38. *et satiati cibo alleviabant navem iactantes triticum in mare*.].

Ibid. QUARE INVENTIONEM ET ARGUMENTATIONUM EXPOLITIONEM SUMPTAM EX ILLIS QUAE ANTE PRAECEPTA SUNT HANC QUOQUE IN PARTEM ORATIONIS TRANSFERRI OPORTEBIT. liber unus manu scriptus habet *et argumentationem et expolitionem*.

C. 44. §. 82. extr. AD ID QUOD AGATUR. legendum fortasse est *ad id quo de agatur* [cf. annotata ad c. 19. §. 17.].

C. 45. §. 85. CUIUS PRAEDAE SECTIO VENIERIT. exempla Veneta Aldina et Parisiensia ab Henrico Stephano impressa habent *cuius praedae sectione venierit*. et ita habent quidam manu scripti. in nonnullis aliis vulgatis legitur *cuius praedae sectio non venierit*, quam lectionem non probo. quidam docti legendum censent *cuius praedae sectio venierit*. quibus assentior; utatur tamen suo quisque arbitratu.

C. 46. §. 86. MAIOREM QUANDAM VIM OBTINET. sic habent duo libri manu scripti; omnes fere vulgati *continet*.

C. 49. §. 91. CAESA CECIDISSET ABIEGNA AD TERRAM TRABES. sic legendum. *trabes* dicebant veteres in numero singulari [cf. notata ad II. Herenn. c. 22. §. 34.].

C. 50. §. 95. IMMUNE EST FACINUS. sic legendum esse admonuimus supra libro secundo Rhetoricorum ad Herennium p. 16, 21. [c. 23. §. 35.].

C. 52. §. 98. ET ITA OMNES BREVITER TRANSIRE. quidam legendum putant *et ita omnes breviter transigere*.

Ibid. ET REDUCERE IN MEMORIAM. quibusdam doctis placet legi *redigere in memoriam*.

C. 54. §. 104. QUAEQUE POST NEGOTIUM CONSECUTA SUNT. legendum fortasse est *quaeque negotium consecuta sunt*.

II. C. 1. §. 1. PROPTER FANI RELIGIONEM REMANSIT. legendum fortasse *permansit*.

§. 3. UNUM IN LOCUM CONDUXERUNT. conduxerunt, *συνήγαγον*. sic Lucretius [1, 398.] *partes conducere in unum*, et alibi

[1, 651.] *conductis partibus.* iterum M. Tullius infra [c. 2. §. 6] *unum in locum conduxit Aristoteles.*

Ibid. MEMORIAE TRADIDERUNT. liber unus manu scriptus habet *prodiderunt.*

C. 2. §. 4. SI QUO VITIO EIUS OFFENDÈREMUR. liber unus ms. habet *si quo invento.*

Ibid. CUIUS ALIQUO BONO PRAECEPTO. secutus sum libros fere omnes vulgatos; nam tres mss. habent *bene praecepto.* quibuscum consentiunt Veneti impressi.

C. 3. §. 10. ET IN HOC TEMPORE. secutus sum libros vulgatos et nonnullos mss. nam ms. unus non habet vocem *tempore*, quae fortasse supervacanea est et aliunde illata. *in hoc* enim ita intelligendum est, in hoc negotio a nobis instituto.

C. 4. §. 14. NUNC AD CONIECTURALEM CONSTITUTIONEM. secutus sum nonnullos vulgatos et mss.; nam alii habent *nunc a coniecturali constitutione proficiscamur,* seu *proficiscemur.* mendose, opinor.

Ibid. QUUM ILLUM ALTERUM VIDELICET QUI NUMOS HABERET. sic omnes quidem libri habent, sed ego legendum puto *quum illum alterum numos habere animadvertisset.*

Ibid. GLADIUM CRUENTUM. liber unus ms. habet *gladium cruentatum.* et ita infra [§. 15.], ubi in aliis est *cruentum.*

C. 7. §. 23. SED QUA COGITATIONE ET SPE AD MALEFICIUM PROFECTUS SIT. libri duo mss. habent *qua cogitatione animus et spe ad maleficium profectus sit.*

C. 8. §. 25. QUAM LENISSIME QUIETISSIMAM [in contextu verborum Ciceronis p. 82, 24. scriptum *levissime.*]. sic omnes quidem habent libri; sed quidam docti arbitrantur esse legendum *quam levissime* [sic corrigendum illud *levissima*], nonnulli *quam lenissime.* ego, si quid immutandum sit, putem potius sic legendum, *quam lenissimam et quietissimam ad partem explicanda.*

C. 9. §. 28. COGNOMEN QUOQUE ET AGNOMEN. in duobus libris mss. non est *et agnomen.*

313. a. || §. 38. PRIVATUS AN CUM POTESTATE SIT. tres libri mss. habent *privatus an in potestate sit* [hoc quid sit, docebit Pareus Lex. Crit. p. 959. sq.].

§. 31. ITEM FACTA ET CASUS. libri duo manu scripti habent *iam facta.*

C. 16. §. 32. extr. UT SI QUEM PECUNIA. sic restitui, quum reperissem in tribus libris manu scriptis *siquidem,* vulgati autem habeant *si quis.* mendose. *quem* autem hoc loco relativum est, ut Grammatici appellant, et legendum *si, quem* divisim, non *siquem* pro *si aliquem*, coniunctim.

§. 34. SI NULLI AFFINIS POTERIT VITIO REUS ANTE ADMISSO DEMONSTRARI. *admittere vitium* videtur durius et insolens, *admittere peccatum* usitatius. itaque sic legendum putem, *si nulli affinis poterit peccato ante admisso reus demonstrari*, aut delendas has duas voces *ante admisso.*

C. 12. §. 38. PARTES GENERUM PLERAEQUE. sic habent omnes libri vulgati et manu scripti, praeter unum in quo est *pleraeque non omnes.* qua ex scriptura coniicere quis possit legendum *pleraeque omnes.* ita enim saepe haec coniunctim ponuntur *plerique omnes* [vide Pareum Lex. Crit. p. 941.].

§. 42. ECQUAE CONSUETUDO. videtur legendum potius *ecqua,* id est num aliqua, et ita infra [Oratione pro Rabirio Postumo C. 4. §. 8. p. 561, 21.] *ecqua lex.* ita denique omnibus in locis, ubi est *ecquae*, legendum putarim *ecqua* [cf. Voss. de Analog. 4, 8. p. 183. 4.].

C. 13. §. 43. QUOD POENITERE FUERIT NECESSE. fortasse legendum, *cuius poenitere fuerit necesse* [sed vide Perizonium ad Sanctii Minerv. II, 3. Tom. 1. p. Bauer. 197. et Ruddimannum Instt. Gramm. Lat. Tom. 2. p. Stallbaum. 205.]

Ibid. QUOD SIMUL DIVERTERIT. quidam libri veteres habent *quod simul deverterit.* quod probo [vide Pareum Lex Crit. p. 345.].

§. 44. AN ITA TEMERE UT NON VERISIMILE SIT QUEMQUAM TAM TEMERE AD MALEFICIUM ACCESSISSE. a duobus codicibus absunt haec verba, *ut non verisimile sit quemquam tam temere.* ex qua scriptura coniicere possit aliquis ita hunc locum esse legendum, *an temere ad maleficium accessisse.*

C. 14. § 45. FACILIUS AUTEM AD INVENTIONEM ANIMUS INCEDET. nihil muto, quamvis tres libri manu scripti habeant *animus incidet.*

C. 17. §. 53. post med. ET EX EO QUOD OSTENDERIS ESSE VERBI CAUSA. id est, et ex eo quod ostenderis esse maiestatem minuere, nempe esse de dignitate aut amplitudine aut potestate derogare, oportebit docere adversarium maiestatem minuisse. sed non dissimulabo, has voces *verbi causa* mihi videri esse delendas. quid enim attinet eas addere, quum paullo ante huius definitionis exempla posuerit?

§. 54. EO CONCESSO OSTENDETUR. liber unus manu scriptus habet *eis concessis*, alius *eius concessis.* plane mendose. ego putabam legendum *ea concessa*, nempe descriptione.

C. 18. §. 56. ACCUSATOREM IN SUI PERICULI CAUSA NON RES SOLUM CONVERTERE VERUM ETIAM VERBA COMMUTARE CONARI. *in sui periculi causa* id est, in suo periculo. *suo* autem, nempe defensoris. quod si quis malit legi *in suo periculo*, non repugnem.

C. 21. §. 64. SUIS HEREDIBUS CONCEDEBAT. liber unus manu scriptus habet *cedebat.*

C. 22. §. 65. POST AUTEM APPROBATA QUAEDAM A CONSUETUDINE. hunc locum in plerisque exemplis perversa interpunctione depravatum interpunctis mutatis emendavi.

§. 66. REVEREMUR ET COLIMUS. duo libri mss. habent *veremur et colimus*, unus *veneramur et colimus.*

§. 68. AUT ALIQUORUM CONSTITUTUM EST. sic legendum, et ita habent duo libri mss et nonnulli vulgati. denique ex simili loco, qui est infra [c. 54. §. 162], perspicuum est ita hic legi debere.

C. 24. §. 72. INCURRIT HUC DEFINITIO. ea verba, quae dein-

ceps sequebantur in omnibus fere vulgatis, trium librorum mss. auctoritatem secuti delevimus. quin sola ratione freti pro nostro iure delevissimus; fuerunt enim a semidocto aliquo temere inculcata. cui rei argumento est, ut alia omittam, ipsa locutio. non enim ita loquitur M. Tullius *laedere maiestatem*, neque ita loquuntur Latini *accusatus est laesae maiestatis* (est enim barbarum), sed *accusatus est lege maiestatis*, vel simpliciter *accusatus est maiestatis*, ut hoc loco.

§. 73. TRACTARI CONVENIET. verbum *conveniet* abest ab uno codice manu scripto, ut fortasse ita sit legendum, *tractari oportebit et adhibere ceterarum quoque constitutionum rationem*. verumtamen nihil muto.

C. 25. §. 74. ATQUE HAEC QUIDEM PLERUMQUE IN HOC GENERE INCIDUNT. tres libri manu scripti habent *in hoc genere accidunt*. ex qua scriptura putabam sic potius legendum, *atque hoc quidem plerumque in genere accidit, ut et coniectura et definitione utendum sit*.

C. 27. §. 81. PERTURBATIONEM IUDICII FUTURAM. repete ἀπὸ
b. κοινοῦ *demonstra* || *re*, et dele verbum *dicemus*, tanquam ab aliquo indocto inculcatum.

Ibid. SI VERO CETERI QUOQUE IDEM FACIANT. in uno codice manu scripto sequuntur deinceps haec, *ut sine iudicio eos puniant quos accusant*. quae ego puto fuisse ab aliquo lectore ad oram libri annotata huius loci declarandi causa, deinde a scriptore librario in contextum verborum Ciceronis coniecta.

C. 28. §. 83. QUAM SIT ILLE PROMERITUS. legendum fortasse *quam sit ille meritus*.

§. 84. VERUM OMNINO HOMINI LIBERO. sic habent tres libri manu scripti, longe melius quam vulgati *verum etiam*. nam hic *omnino* idem valet, quod apud Graecos ἁπλῶς.

§. 86. A DEFENSORE IN EIUS QUEM ULTUS SIT AUDACIAM CONQUESTIO. sic restitui, quum in libris omnibus legatur *conquestione*. plane mendose.

C. 29. §. 87. AUT EX DEFINITIVA. hoc totum abest a duobus libris manu scriptis.

§. 89 IN QUIBUS EST NECESSITUDINIS VIS IMPLICATA. verbum *demonstrabit*, quod deinceps sequitur in vulgatis, non est in duobus manu scriptis. iccirco ego delevi, quum praesertim sit supervacaneum. nam verbum *considerabitur*, quod paullo post sequitur, etiam ad hoc membrum pertinet. adde quod Latini non solent ita loqui, *quod non potuerit demonstrabit*, sed hoc modo potius, *non potuisse demonstrabit*.

C. 30. §. 91. ET IN IPSO NON SIT. alii libri habent *aut in ipso non sit*, in aliis totum hoc desideratur.

Ibid. NEC SI QUOD IN EO SIT DELICTUM. duo libri manu scripti habent, *nec si quid in eo sit delictum*. quae lectio si placebit, *delictum* erit participium.

C. 31. §. 96. MAGNIS COMMOTUS TEMPESTATIBUS. sic omnes quidem libri habent, neque ego quicquam immuto. sed puta-

verim tamen legi debere *magnis commotis tempestatibus*, id est coortis aut excitatis.

Ibid. UT EO TRADUCI. malim legi *ut ea traduci.* quamquam enim *eo* ferri potest, id est per eum fluvium vel ad sacrificium, malim tamen *ea*, id est per eum locum seu per eam viam.

C. 32. §. 99. AC NE SIC FACERET PRAECAVERI. sic restitui, quum in codd. mss. scriptum reperissem *ne sic*, non, ut in plerisque vulgatis, *nisi.*

§. 100. QUI POTESTATÉM HABENT VINDICANDI. sic habent tres libri manu scripti, quos secutus sum, vulgati autem *iudicandi* [lapsu librariorum, qui in scriptis non infrequens est. vide ab Drakenborchio notata ad Livii quum alios locos tum 39. 47, 2. Tom. 11. p. repet. edit. 523. cf. eundem ad Sil. Italic. 2, 456. p. 99.].

C. 33. §. 103. QUOD EX UNO QUOQUE GENERE CONVENIET. sic restitui unum codicem manu scriptum secutus, quum vulgati omnes habeant *ex eo quoque.*

C. 34. §. 104. QUARE PARCE EO GENERE QUUM CAUSAM IN EO CONSTITUERIS UT DEPRECERIS UTI LICEBIT. hunc locum foede depravatum in libris vulgatis felicissime restitui, partim coniectura ductus, partim a codicibus manu scriptis adiutus. sic autem habebant vulgati, *quare parte eius generis, quum causam non in eo genere constitueris, uti licebit.* praeterea haec verba *ut depreceris* desunt in vulgatis, quae reperi in duobus manu scriptis. postremo abest negatio a duobus item mss., quae est in vulgatis.

Ibid. QUUM VIDEARIS NON UTI DEPRECATIONE. non celabo lectorem, uno in codice manu scripto desiderari negationem. quem non sum secutus.

§. 105. DIU DICTUM EST. omnes fere libri manu scripti habent *diu ductum est.* quos non sequor [et in confini vocabulo facilis error. cf. Drakenborch. ad Sil. Italic. 12, 221. p. 600.].

C. 35. §. 106. A TALI RATIONE ABFUTURUM. sic omnes fere libri habent praeter unum atque alterum, in quibus est *a tali ratione cautum futurum.* vir quidam doctus, amicus meus, putabat legendum *sibi a tali ratione cauturum.*

§. 107. SE AUT CONSANGUINEUM MAIORIBUS IN PRIMIS EORUM QUI SE SALVUM VELINT. in duobus libris mss. scriptum reperi *consanguineum aut a maioribus primis.* quae scriptura mihi videtur probabilis. cetera iam huius loci vulnera, verbis in suum ordinem restitutis, a me sanata sunt.

C. 36. §. 108. AUT ALIQUA DE CAUSA FACTA. *facta beneficia* rarum loquendi genus, *beneficia collata* aut *data* usitatius. quamquam proxime ita loquitur.

Ibid. ODIUM ESSE ACRE SUSCEPTUM. liber unus manu scriptus habet *hac re susceptum.* quam scripturam probo. malim tamen ita legi, *odium esse ex hac re susceptum.*

§. 109. VEL QUALE ODIUM HABUERINT. a quibusdam libris manu scriptis abest vox *quale*, et loco disiunctionis *vel* est copulatio *et.*

C. 37. §. 111. NIHIL ATTINET. sic legendum, non, ut in omnibus libris vulgatis et nonnullis manu scriptis, *nihil ad nos attinet* [cf. annotata ad I. Herenn. c. 1. §. 1.].

C. 38. §. 112. VERA AN FALSA QUADAM [hoc maluit Lambinus, quam *falsa quaedam*, expressum in Annotationis parte p. 313., neque correctum in Erratis p. 318.] EX ORATIONE HONESTENTUR. liber unus manu scriptus habet *ratione* [e codd. Gudd. 2. et 153., tum ex August. IV, 11. enotavi *quanam ex ratione*.].

§. 113. AUT DEORUM BONITATIS. huius rei esto exemplum Timothei felicitas, cui dormienti pictores fortunam adstantem urbesque in plagas et retia coniicientem faciebant [cf. Muretum Opp. Tom. 2. p. 554.].

C. 39. §. 113. NIMIUM PERVAGETUR. nihil equidem muto, neque quicquam varietatis in codd. mss. reperi. sed doctus quidam putat legendum *pervulgetur*, ut infra non longe.

p. 314. a. || §. 114. EA EX PRAEMIO PULCHRA. duo libri mss. habent *ea experiendo*, unus *ea experienda*. quos non sum secutus. supra autem legendum quidam putant, *quae enim amara et ardua sunt*.

Ibid. DELIBRARI PUTENT. quum reperissem in quattuor libris mss. et nonnullis vulgatis *deliberari*, ego *delibrari* reposui. *delibrari* autem interpretor detrahi, deminui, deteri; ut apud Lucretium 3, 1100. sqq. *Nec prorsum vitam ducendo deminus hilum Tempore de mortis, nec delibrare valemus, Quominus esse diu possimus morte perempti.* item saepe, de quo leges plura in Scholiis nostris Lucretianis [cf. annotata ad X. Epp. 21. et Pareum Lex. Crit. p. 328.].

C. 40. 116. IN EA SENTENTIA IN QUA. legendum putaverim *in eam sententiam in quam*.

§. 118. EXITUM LEGIS FACILEM ESSE. vocem *legis* reposui ex codice manu scripto. confirmatur autem haec scriptura superiore simili loco, *neque exitum legis in meretrice publicanda*.

C. 41. §. 120. AMENTIAE IGITUR FUISSE. legendum videtur *amentiam igitur*, seu si quis malit, *amentis igitur fuisse*.

C. 42. §. 122. SI MIHI FILIUS GENITUR UNUS. quum in tribus libris manu scriptis ita scriptum reperissem *gignitur unus*, neque in ullo verbum *fuerit* legatur, ego sic reponendum conieci, *filius genitur unus*. ex qua vera et recta scriptura non intellecta alii fecerunt *genitus fuerit*, alii *gignitur*. *geno* autem dixisse veteres pro *gigno* et veteres grammatici docent, et nos admonuimus in Commentariis nostris Lucretianis [ad 3, 799.]. atque eo verbo persaepe Lucretius utitur, ut quidem nos edidimus.

§. 124. TRIBUNUM MILITUM SUUM. sic est legendum et ita habent duo libri manu scripti et nonnulli vulgati. nisi quis malit reponi *Tribunum militarem suum*, ut est apud M. Tullium Oratione pro Milone, ubi commemoratur hoc factum his verbis [p. 545, 8. c. 4. §. 9.]: *pudicitiam quum eriperet militi Tribunus Militaris in exercitu C. Marii propinquus eius imperatoris, interfectus ab eo est cui vim afferebat. facere enim probus ado-*

lescens periculose, quam perpeti turpiter maluit. atque hunc ille vir summus scelere solutum periculo liberavit. eandem rem narrat Plutarchus in Mario, et ei militi nomen fuisse ait Trebonio, Tribuno autem C. Clodio [p. 413. B. Tom. 2. p. Schaefer. 217.].

C. 43. §. 125. MAIOREM AUTEM PARTEM. sic est legendum et ita loquebantur boni scriptores. M. Tullius Orat. Perf. [p. 269, 23. c. 56. §. 189.] *magnam partem iambis nostra constat oratio.* item Offic. libro primo [p. 353, 49. c, 7. §. 24. *maximam autem partem ad iniuriam faciendam aggrediuntur, ut adipiscantur ea quae concupiverunt.*]. Caesar IV. de B. G. [c. 1. §. 8. p. Oudendorp. 170.] *sed maximam partem lacte atque pecore vivunt, multumque sunt in venationibus.* et item Lucretius III, 64. *Non minimam partem mortis formidine aluntur.* idem VI. 1 247. *Inde bonam partem in lectum maerore dabantur.* sic enim edendum curavimus, ubi vulgo legebatur *inde bona ex parte* [adi Nizolium a Facciolato castigatum p. 519.].

Ibid. QUASI INTENTANTIS LOCO PRODUCENDO. duabus his vocibus deletis *intentantis loco*, seu, ut habent quidam alii libri, *intendentis loco*, sic legendum puto *quasi producendo.*

Ibid. AUT CONTRA CONTENDI NEGET. hoc totum quis non videt esse vel corruptum vel foris inculcatum et supervacaneum? nam quod quidam reposuerunt *aut contra contendi posse neget*, primum hoc *posse* addiderunt de suo, deinde sententiam expresserunt ab hoc loco alienam atque adeo huic loco plane contrariam. ita enim esset potius legendum *aut contra contendi posse putet*, vel sic potius *aut contra dici posse contendat.* haec omnino vel delenda esse censeo, vel sic, ut paullo ante admonui, emendanda: nisi ita explicemus, an neget contra scriptum a se factum, aut pugnari contra scriptum, quum factum suum, quod cum scripto pugnat, defendat.

§. 126. NIHIL ESSE QUOD HOMINEM. sic restitui ratione fretus. sic enim loquuntur Latini *nihil est quod*, non *nihil est quo.* sic infra [p. 105, 40. id est c. 57. §. 171.], *nam quum simplex erit necessitudo, nihil erit quod multa dicamus.*

C. 44. §. 128. CONSERVANDA SIT. liber unus habet *observanda sit.*

C. 45. §. 132. QUOD CONTRA LEGEM IUDICARINT. tres libri manu scripti habent *quid contra legem iudicarint.* unde suspicor legendum *siquid contra legem iudicarint.*

§. 133. SI EIUS CAUSAE PROPTER QUAM. quum ab uno codice manu scripto longe optimo abesset vox *causam*, in alio scriptum esset *causae*, ego, deleta voce *rei*, *causae* retinui; quae scriptura mea quidem sententia recta et proba est.

§. 134. AUT LEGEM ABROGARI. haec absunt ab uno codice manu scripto.

Ibid. QUI LATOR SIT. quidam liber ms. habet *qui legis lator sit*, alius *qui lator legis sit.*

Ibid. SE ACTIONES VIDERE. hic locus mihi suspectus est. quidam libri manu scripti habent *eas se actiones.* quidam vir

doctus legendum putat *eam se rogationem videre.* ego putabam potius reponendum *eam se rationem videre.*

b. Ibid. LEGEM CU || IUSCUIUSMODI SIT. id est cuiuscunque modi sit. sed legendum arbitror *cuicuimodi sit*, quod idem valet. nam *cuiuscuiusmodi* duriusculum est, quamquam etiam alibi Cicero hac voce usus est, et Lucretius. quare sequamur libros manu scriptos.

C. 46. §. 137. AUT SI CAUSAE ET RATIONES AFFERENTUR QUARE ET QUO CONSILIO ITA SIT IN LEGE AUT IN TESTAMENTO SCRIPTUM UT SENTENTIA QUOQUE ET VOLUNTAS SCRIPTORIS NON IPSA SOLUM SCRIPTURAE CAUSA CONFIRMATA ESSE VIDEATUR AUT SI ALIIS QUOQUE CONSTITUTIONIBUS FACTUM COARGUETUR. hunc locum partim coniectura ductus, partim a codd. mss. adiutus restitui, in quibus *confirmata* scriptum reperi, non, ut in vulgatis, *confirmatum.*

C. 47. §. 139. SED QUI COGITATIONEM ASSEQUI POSSENT. sic omnes habent libri. sed ego sic omnino legendum contendo, *sed qui cogitatione sententiam assequi possent.*

C. 49. §. 144. SIBI PRAEMII LOCO DEPOSCIT. quidam liber manu scriptus habet *sibi in praemii locum*, alius *sibi in praemium deposcit.*

§. 146. QUAE DILIGENTISSIME SANCITA EST. sic restitui coniectura ductus, quum in libris omnibus legeretur *quae diligentissima et sancta est*, plane mendose atque inepte. *sancire legem* autem et *diligenter sancita lex* usitata sunt Latinis genera loquendi. non dissimulabo tamen, me in uno codice ms. scriptum reperisse *diligentissima et sanctissima.* sed ego hoc *sanctissima* suppositum esse puto ab eo, cui vox *sancta* post vocem *diligentissima* non probaretur. licet etiam legere *diligentissime sancta est*, quod propius aberit ab antiqua scriptura.

C. 50. §. 148. SI FURIOSUS EST. his verbis hanc legem fuisse perscriptam traditum est, *si furiosus esse incipit* [cf. annotata ad I. Herenn. c. 13. §. 23.].

Ibid. PECUNIAQUE SUA LEGASSIT. sic restitui, quum in vulgatis legatur *legaverit. legassit* autem antiquum pro *legaverit* [cf. Ruddimann. Tom. 1. p. Lips. edit. 283.]. sed non dissimulabo, alibi hanc legem his verbis perscriptam reperiri: *Pater familias uti legassit super pecunia tutelave rei suae, ita ius esto* [in Fragmentis Ulpiani 11. §. 14. conferenda nunc sunt, quae disputantur a VV. DD. ad Gaium II. Inst. §. 224. p. edit. Princ. 146.].

§. 149. IN PEDES INDITAE SUNT. libri vulgati habent *inductae sunt*, duo manu scripti *inditae sunt.* unde quidam legi volunt *indutae sunt*, quomodo scriptum est in uno libro ms. libri primi Rhetor. ad Herennium [c. 13. §. 23.]. videbatur tamen potius ita loqui debuisse, *pedes in soleas ligneas induti sunt*, quemadmodum dicimus *induere se in laqueum, in nubem.*

C. 51. §. 156. QUAEDAM SEPARATIUS AD FINEM QUO REFERRI OMNEM RATIONEM OPORTET ADIUNGENTUR. liber unus habet *quae-*

dam separatim. separatius tamen non improbo, ab adverbio positivo *separate*.

C. 53. §. 159. NAM VIRTUS EST ANIMI HABITUS NATURAE MODO RATIONI CONSENTANEUS. liber unus manu scriptus [et Gud. fol. 2.] habet *naturae modo atque rationi consentaneus. modus naturae* autem id est, moderatio naturae seu moderata natura seu lex et regula naturae. si quis lectionem receptam probabit, sic poterit hic locus explicari, *consentaneus rationi, quae ratio naturae modo est.* vel sic, *consentaneus rationi*, per modum et moderationem naturae; vel sic, consentaneus naturae, modo, rationi. omnino suspectus mihi est hic locus, neque videtur mendo vacare; scriptura tamen antiqua satis facilis et plana est.

§. 161. NATURA IUS EST. tres libri manu scripti habent *naturae ius est.* quam scripturam quamvis non improbem (ita enim supra hoc eodem libro locutus est [c. 22. §. 67.] *naturae iura* et *consuetudinis ius*), receptam tamen tueor ac retineo, ut *natura* sit septimi casus. sic enim etiam infra [c. 54. §. 162.] loquitur, *consuetudine ius est.*

C. 54. §. 162. AUT QUOD IN MOREM VETUSTAS VULGI APPROBATIONE PERDUXIT. liber unus mann scriptus habet *produxit.* quod probo, ita enim saepenumero loquitur; nisi quis malit legi *provexit* [cf. annotata ad I. Herenn. c. 3. §. 4].

§. 164. IN ODIUM ALICUIUS INFERIORIS. sic restitui coniectura ductus; nam vox *invectionis*, quae reperitur in omnibus libris, sine dubio corrupta est [codex Gud. fol. 2. sic habet, *clementia est per quam pudor* (sic) *temere in odium alicuius intentionis concitata comitate retinetur.* cod. August. IV, 11. *per quam animi temere in odium alicuius iniectionis* (vel *iniecto*) *concitati* (vel *concitata*) *comitate retinentur.* cod. Gud. 153. *in odium alicuius invectionis concitati quadam comitate retinentur.*].

C. 55. §. 166. DIGNITAS ALICUIUS HONESTA ET CULTU ET HONORE ET VERECUNDIA DIGNA AUCTORITAS. fortasse legendum *honesti.*

C. 57. §. 171. HOC INFERIUS NON ITEM. videtur legendum *in hoc inferiore.*

§. 172. AD QUAS SIMILIS ADIUNCTIO NON ACCEDIT. quidam putant negationis nota deleta sic legendum, *ad quas similis adiunctio accedit.*

Ibid. EXTRA QUAM. necesse est, verbi gratia, homines intereant, extra quam si velint fame perire, id est praeterquam si vel nisi velint fame perire.

C. 58. §. 74. DE HONESTATE DELIBRATUM. quum in duobus libris mss. || scriptum reperissem *delibratum*, hoc ipsum lecto- p. 31
ribus testificari volui, ut desinant iam dubitare omnes litera- a.
rum studiosi homines, ubique in similibus locis legendum esse *delibrare* et *delibratum*, non *delibare* neque *delibatum.* qua de re tamen plura scripsimus in Commentariis Lucretianis [cf. annotata ad c. 39. §. 114.].

III.

IN LIBROS TRES QUI SUNT DE ORATORE.

I. C. 1. §. 1. AC FUIT QUIDEM TEMPUS ILLUD. quidam legendum putant *ac fuit quondam.*

Ibid. QUUM MIHI QUOQUE INITIUM REQUIESCENDI ATQUE ANIMUM AD UTRIUSQUE NOSTRUM PRAECLARA STUDIA REFERENDI FORE IUSTUM ET PROPE AB OMNIBUS CONCESSUM ARBITRARER. post verbum *fore* distinctionis virgula apponenda est. hic enim ordo verborum est: *ac fuit quidem tempus, quum arbitrarer fore mihi initium requiescendi atque animum ad utriusque nostrum praeclara studia referendi iustum et prope ab omnibus concessum.* ut sit *initium iustum et prope ab omnibus concessum;* quanquam quidam legi volunt *prope omnibus concessum.*

Ibid. SI FINITUS RERUM FORENSIUM LABOR. id est, si quando rerum forensium labor et ambitionis occupatio finita, id est terminata decursu honorum, id est adeptione omnium honorum constitisset, id est repressa et perducta ad calcem esset, etiam aetatis flexu, id est etiam ineunte senectute vel aetate ad senectutem praecipitata, et ita mihi in reliqua aetate iam affecta quiescere licuisset. totus autem sermo allegoria exornatus est, ducta a certaminibus Circensibus. sic enim loquuntur Latini *decurrere spatium*, et ita Lucretius 4, 1191. *spatium decurrere amoris*, et *decurrere aetatem* apud Terentium [? V. Adelph. 4, 6., ubi vid. Bentlei. p. edit. Lips. 372.], Plautum [cf. Pareum Lex. Crit. p. 318.], M. Tullium. et *flexus aetatis* significat unius aetatis exitum et alterius initium, translatione sumpta ab illis flexibus, qui fiebant a quadrigis circum metas, quos flexus Graeci *καμπτῆρας* appellant. sic idem M. Tullius in oratione pro Caelio *flexum aetatis* appellat extremam adolescentiam et initium corroboratae et constantis aetatis [p. 506, 3. c. 31. §. 75.]. *finitus* autem reposui reclamantibus libris omnibus, ratione ipsa flagitante.

§. 2. MAXIMAE MOLES MOLESTIARUM. sic habent tres libri manu scripti. *moles molestiarum* autem translatio est. sic *molem mali* dixit III. Catilin. [p. 329, 14. c. 7. §. 17.] et *invidiae molem* [p. 323, 11. I. Catilin. c. 9. §. 23.]. idem M. Tullius ex quodam poeta libro quarto Tuscull. Quaestt. de Thyeste et Atreo, *maior mihi moles, maius miscendum malum* [p. 176, 9. c. 36. §. 77.].

C. 2. §. 6. IN SUMMOS HOMINES. a quibusdam codicibus manu scriptis abest praepositio *in.*

Ibid. IN OMNIBUS ARTIBUS. duo libri manu scripti habent *in omnibus rebus.*

§. 8. CONSILIO AC SAPIENTIA. in quibusdam libris mss. scriptum est *consilio et sententia.*

Ibid. QUAMQUE MULTI SIC FACILLIME. sic hunc locum restitui ex auctoritate unius libri manu scripti multo optimi, qui in vulgatis ita legitur, *quamque multi sint. facillime quanta oratorum sit semperque fuerit paucitas iudicabit.*

C. 3. §. 9. VEL DISSERENDI RATIONE. liber unus ms. habet *vel describendi ratione.*

§. 10. QUIS MUSICIS. quidam liber ms. habet *quis musicus;* quem non sequor.

C. 4. §. 13. NULLA UNQUAM VEHEMENTIUS QUAM ELOQUENTIAE STUDIA VIGUERUNT. hoc totum [*nulla unquam vehementius quam*] abest ab uno codice ms. in eoque ita legitur hic locus, *in hac ipsa civitate profecto eloquentiae studia viguerunt.* ab alio abest vox *profecto.*

§. 14. INCREDIBILI QUODAM NOSTRI HOMINES DICENDI STUDIO FLAGRAVERUNT. quidam docti existimant legendum esse *discendi studio.*

§. 15. EXCITABAT EOS. quidam doctissimi viri legendum censent *excipiebat eos.*

C. 5. §. 8. NON SOLUM ELECTIONE. duo libri manu scripti habent *non solum lectione* [cf. ad II. C. 28. §. 123.].

C. 7. §. 27. UT DIES INTER EOS CURIAE FUISSE VIDERETUR. id est, ut convivium Tusculani videretur fuisse dies, quo Curiales una epulantur. quidam aliter hunc locum intelligunt, sic distinguentes, *ut dies inter eos Curiae fuisse videretur, convivium Tusculani.*

C. 9. §. 38. SED UT RELIQUA PRAETERMITTAM. legendum fortasse est *sed ut reliquos.*

Ibid. VEL DOCTRINAE PRAESIDIIS. liber unus manu scriptus habet *vel doctrinae viribus.*

Ibid. REM PUBLICAM DISSIPAVERUNT. liber unus ms. habet *dispreverunt.* unde quidam viri docti coniiciunt legendum esse *dispararunt*, quod valet disiunxerunt, dissolverunt, *κατέλυσαν, διέλυσαν* [v. Pareum Lex. Crit. p. 370.].

|| C. 10. §. 40. EQUIDEM ET SER. GALBAM. sic legendum, non *Sergium;* quod mendum miror non solum irrepsisse in plerosque codices vulgatos, verum etiam a quibusdam, qui habentur docti, defendi ac probari. Galbae enim erant Sulpiciae gentis, et Galbae omnes sunt Sulpicii. hic igitur praenomine *Servius* est, nomine *Sulpicius*, cognomine *Galba.* at *Sergius* nomen est gentile. non possunt ergo Galbae dici Sergii. nemo enim civis Romanus duobus nominibus gentilibus appellari potest, quemadmodum neque duarum gentium esse. legendum igitur est hoc loco *Ser.*, id est *Servium Galbam,* et item aliis in locis. b.

Ibid. QUEM TU ADOLESCENTULUS PERCULISTI. sic legendum, non *perpulisti,* et ita habent libri manu scripti. *perculisti* autem, id est pervertisti, evertisti; de quo verbo nos plura in Commentariis Horatianis [ad Epod. 11, 3. cf. eundem in Comment. ad II. Satirr. 2, 79].

§. 41. IN OMNI SERMONE. sic habent aliquot libri manu scripti et ita legi debet, non ut in vulgatis, *in omnis sermonis disputatione.*

Ibid. MULTISQUE PRAEISSEM. sic habent duo libri mss. et ita legendum. sic idem pro Milone [p. 544, 12. c. 2. §. 3.], *qui hesterna etiam concione incitati sunt, ut vobis voce praeirent quid iudicaretis.*

Ibid. AUT TE EX IURE MANUM CONSERTUM VOCARENT. Latine dicimus *manum,* non *manu conserere. manum consertum* igitur scribi debet non *manu consertum* [cf. Pareum Lex. Crit. p. 720.].

§. 42. CETERIQUE IN SUO GENERE PHYSICI VINDICARENTQUE. libri duo veteres habent *ceterique suo iure physici vindicarent, ornati homines.* quos sequi malim.

§. 43. ID TE IPSUM SCIRE NEGARET. sic legendum, non *negare cogeret*, ut est in multis vulgatis. negant enim Academici quicquam sciri posse. in quos praeclare disputat Lucretius libro quarto [v. 471. sqq.].

Ibid. AB SE PETI VINCERENT OPORTERE. nihil muto, quamvis duo libri veteres habeant *dicerent oportere.* eleganter enim positum *vincerent* pro argumentis expugnarent, probarent; quo saepe Lucretius et Horatius utuntur, quemadmodum in nostris in utramque Commentariis admonuimus [cf. Pareum Lex. Crit. p. 1251.].

§. 44. UT IN CONCIONIBUS ET SENTENTIIS DICENDIS TUA PLURIMUM VALEAT ORATIO. ante vocem *tua* libri vulgati habent *ad persuadendum*, quod in libris mss. non reperi, retinere tamen licet, si quis hoc malit. ego malim abesse.

C. 11. §. 48. SINE MULTA PERTRACTATIONE RERUM PUBLICARUM. vocem *omnium,* quae abest a tribus libris manu scriptis, sustuli.

§. 50. QUOD NON HABUERIT HANC DICENDI EX ARTE ALIENA FACULTATEM. sic habent libri tres mss., quos secutus sum.

C. 12. §. 53. QUIS ENIM NESCIT MAXIMAM VIM EXISTERE ORATORIS. sic omnes quidam habent libri, sed legendum videtur *consistere.* nisi dicamus non hoc dici a Cicerone, maximam vim oratoris in hominum mentibus vel ad iram aut odium aut dolorem incitandis sitam esse, sed maximam vim oratoris exstare, enitere, elucere in hominum mentibus incitandis. non celabo autem lectorem, in duobus libris mss. legi, *quis enim nescit maxime vim existere oratoris.* paullo post, ubi vulgo legitur *quae nisi qui naturas hominum*, Io. Passeratii viri docti et ingeniosi coniectura approbata, reposui *quare nisi.* quomodo sine dubio est legendum.

C. 13. §. 56. DE COMMUNI CIVIUM DE HOMINUM DE GENTIUM. ab uno libro manu scripto abest vox *gentium;* sed ego putem potius delendum *de hominum*, si quid delendum sit.

§. 57. DE QUIBUS ILLI TENUI QUODAM EXSANGUIQUE SERMONE DISPUTANT. sic habet optimus codex manu scriptus, quae scriptura meo iudicio recta et vera est.

Ibid. CUM OMNI GRAVITATE ET IUCUNDITATE. quidam legendum censent *cum omni gravitate et fecunditate.*

§. 58. DE LEGIBUS INSTITUENDIS. in uno codice manu scripto legitur *de legibus tuendis.*

Ibid. DE IURE CIVIUM GENERATIM IN ORDINES AETATESQUE DESCRIPTO. legendum fortasse est *descriptorum.*

Ibid. VEL NOSTRI DECEMVIROS. *nostri*, id est Latini. *vel nostri* enim opponitur illi *vel Graeci.*

C. 14. §. 61. AD ORATORIS EI CONFUGIENDUM EST FACULTATEM [quod in contextu verborum Ciceronis p. 113, 40. *eis* (*eius?*) repraesentatur, corrigendumne *ei*? sic certe Rom. ed. Pannartz. a. 1469. 12. Ian., Hahn. vero anni 1468. 5. Dec. dedit et ipsa *eius.*]. in tribus libris manu scriptis post illa verba *ad oratoris ei confugiendum est* sequitur deinceps *tanquam ad architecti* [addendumne *potius?*], quae ego non puto esse Ciceronis. apparet enim esse ab eo loco, qui statim sequitur, huc esse a librariis temere translata.

C. 15. §. 68. IN TRES PARTES EST DISTRIBUTA. duo libri habent *in tres partes est tributa.*

C. 17. §. 76. ORNATISSIMAE ORATIONIS. legendum fortasse est *ornandae orationis.*

§. 79. ET HERCULE ETIAM STUDIUM ILLUD DICENDI ACERRIMUM DEFUIT. legendum *studium illud discendi*, etiamsi libri omnes reclament. est autem *studium discendi* ea, quam *φιλομάθειαν* Graeci appellant [ex Omissis Tom. 4. p. 624.].

C. 18. §. 82. PRO SE QUISQUE EORUM UT QUISQUE POTERAT DE OFFICIO ET RATIONE ORATORIS DISPUTABAT. hic locus varie scriptus est in codd. manu scriptis. alii enim sic habent, *pro se quisque eorum quantum quisque poterat*, alii sic, *pro se quisque quantum quisque poterat*, alii sic, *pro se quae quisque poterat*, alii || *pro se* p. 3 #6
quisque eorum ut quisque poterat. quam scripturam secuti sumus. a.

C. 19. §. 87. QUAM SIBI ASCISCERENT. quidam libri mss. habent *quam sibi ascriberent.*

C. 20. §. 90. IN EAM PARTEM FEREBATUR ORATIONE. quidam liber manu scriptus habet *ferebat orationem.*

Ibid. QUOD ITA NATI ESSEMUS UT ET BLANDIRI SUPPLICITER IIS A QUIBUS ESSET PETENDUM ET ADVERSARIOS MINACITER TERRERE POSSEMUS. quum viderem, ita esse in aliis libris vulgatis *blandiri et suppliciter insinuare*, in aliis *blandiri et subtiliter insinuare*, in mss. autem aliis non esse verbum *insinuare*, ut neque in vulgatis Florentinis et Venetis, in aliis ita scriptum esse *et blandiri suppliciter et subtiliter insinuare:* ego, suspicatus hoc totum *subtiliter insinuare* esse inculcatum vel ab arrogante aliquo vel a librario, delevi. si quis tamen retinere volet, non pugnabo, dummodo *blandiri suppliciter* legat, non *blandiri subtiliter.*

§. 91. ME IN ILLO NUMERO. haec verba *in illo numero* delenda censeo. sunt enim ab aliquo addita, qui non videbat aut non intelligebat illud, quod antecedit, *in quibus*, id est in quorum numero.

§. 92. QUI EA OMNIA NON PLANE TENERENT. liber unus ms. habet *non plane cernerent.*

§. 93. QUIBUS DICERE CARNEADES SOLEBAT. docti quidam legendum censent *quibus adiicere.* quibus assentior. iidem superiore pagina v. 45. [c. 19. §. 85.], ubi vulgo legitur *excitabatur homo promptus ab homine abundanti doctrina*, legi volunt *excipiebatur homo promptus.* quod magnopere probo.

C. 21. §. 94. ANTEQUAM AD DISCENDUM INGRESSI SUMUS. duo libri mss. habent *ad discendum ingressi sumus*, vulgati *ad dicendum.* quos non sumus secuti. nam quomodo quisquam ambitione et foro obrui potest, antequam *ad dicendum* ingrediatur?

§. 95. QUUM SE AD AUDIENDUM LEGENDUM SCRIBENDUMQUE MAIORE OPERA DEDERIT. duo libri manu scripti non habent *maiore opera.* quidam docti legendum censent *maiore opere*, ut dicimus *magnopere* seu *magno opere* pro valde, non *magna opera.* et infra v. 15. [§. 97.] legendum puto *quum ab eo nunquam discederem.*

C. 22. §. 100. UT IN CRETIONIBUS SCRIBI SOLET. quum in aliis libris manu scriptis reperissem scriptum *certionibus*, in aliis *Crassi orationibus*, in aliis *certioribus*, ego *cretionibus* reposui, praesertim quum meminissem iam pridem ita a Franc. Duareno [II. Disputt. Anniverss. c. 42.] esse emendatum. est autem *cretio*, ut docet Ulpianus [Tit. XXII. §. 27.], certorum dierum spatium, quod datur heredi ad deliberandum, utrum expediat adire hereditatem necne: veluti, *Titius heres esto cernitoque hereditatem in diebus centum proximis, quibus scierit poteritque; nisi ita creverit, exheres esto.*

C. 23. §. 105. CUIUS VESTIGIA PERSEQUI CUPIUNT. sic restituimus deleto *qui* post vocem *vestigia.*

C. 26. §. 120. DIGNUM RE. haec absunt a duobus codd. mss.

C. 27. §. 124. CETERARUM HOMINES ARTIUM SPECTATI ET PROBATI. liber manu scriptus habet *quod ceterarum.*

C. 28. §. 126. ET AD QUANCUNQUE ARTEM PUTABAT ESSE APTUM. legendum est, ut habent duo libri manu scripti et nonnulli vulgati, *ad quam quemque artem putabat esse aptum* [repositum in Erratis p. 384.] quod nescio quomodo me fugit, quum in uno ex meis vulgatis iampridem sine manu scriptis ita legendum esse notavissem [ex Omissis Tom. 4. p. 624.].

§. 130. NIHIL AB EO NISI PERFECTE. duo libri manu scripti habent *nisi perfectum.*

C. 30. §. 135. EXPONAM VOBIS NON QUANDAM AUT PERRECONDITAM. legendum mihi videtur *quandam non aut perreconditam.*

C. 31. §. 140. AUT ITA UT A SENTENTIA SCRIPTUM DISSIDEAT. quidam liber manu scriptus habet *dissentiat.*

C. 22. §. 146. PRAETEREA EXERCITATIO QUAEDAM SUSCIPIENDA VOBIS EST. varie scriptus est hic locus in codicibus antiquis, in aliis ita ut edidimus, in aliis sic *et exercitatio quaedam* (atque ita habent vulgati), quidam in nonnullis *ea exercitatio suscipienda vobis est.* quae scriptura fortasse omnium est optima; refertur enim ad illud, quod est superiore pagina 121, 43. [§. 145.], *nam de actione et de memoria quaedam brevia sed*

magna cum exercitatione praecepta gustaram [ex Omissis Tom. 4. p. 624.].

Ibid. SED IIS QUI INGREDIUNTUR IN STADIUM. sic restitui secutus codicem manu scriptum longe optimum. translatio autem est, seu potius allegoria a cursoribus [cf. annotata ad II. de Invent. c. 1. §. 1.].

C. 33. §. 153. QUUM REMIGES SUSTINUERUNT. sic esse legendum licet intelligere quum ex hoc ipso loco, tum ex illo qui est libro 13. Epp. ad Atticum [ep. 21. p. Gronov. 984.] inter se comparatis. *retinet*, inquit, *ipsa navis motum et cursum suum intermisso impetu, quum remiges sustinuerunt.* atqui quum remiges inhibent, non sustinent sed alio modo remigant, ut ait in epistola illa ad Atticum. ibi, *inhibere illud* [inquit] *tuum, quod valde mihi arriserat, vehementissime* [vehementer] *displicet.* volebat scilicet Atticus legi hoc loco *inhibuerunt*, idque probarat initio M. Tullius. post quum ad villam suam navi appulsa didicisset, remiges quum *inhibere* essent iussi, non *sustinere* remos, sed alio modo remigare, a sententia posteriore, cuius erat auctor Atticus, destitit et in priore mansit, atque ita scripsit ad Atticum se velle esse in libro, nempe quemadmodum fuit. atque haec quum primus animadvertisset Io. Passeratius, mecum communicavit, ego probavi. scripserat autem primo *sustinuerunt*, non *inhibuerunt* [sed vide disputata ab Io. Frid. Gronovio Observatt. 4, 26. p. edit. Lips. 819. sqq. et cf. Pareum Lex. Crit. p. 609. sq.].

C. 34. §. 158. ELICIENDUM ATQUE DICENDUM. quidam libri manu scripti habent *eliciendum atque dicendum*, quidam *eliciendum* dumtaxat, quidam *eligendum atque eliciendum.* nos primam illam scripturam secuti sumus. verumtamen ut libere, quod de hoc loco sentio, dicam, ego sic puto legendum: *et quicquid erit in quaque quod probabile videri possit eliciendum. perdiscendum ius civile* . . . . . b.

§. 159. LIBANDUS EST ETIAM EX OMNI GENERE URBANITATIS FACETIARUM QUIDAM LEPOS. dissimulare non possum, me in quattuor libris mss. reperisse scriptum *liberandus*, quod depravatum esse suspicor a recto *librandus. librandus* autem (siquidem vera est scriptura; nihil enim affirmo) positum videtur esse pro eo, quod est *delibrandus*, id est decerpendus [cff. quae disputata sunt ad II. Rhetorr. c. 39. §. 114].

C. 35. §. 161. SED HIS OMNIBUS MULTIS MAGNIFICISQUE REBUS CONSTRICTIS AC RECONDITIS. sic reposui libris omnibus reclamantibus, veritate ipsa flagitante. nam quae sunt *constructa*, sunt ordine posita et suo loco collocata: at Scaevola peti vult a Crasso, ut, quae coartavit ac peranguste refersit in oratione, ea dilatet atque explicet et propalam collocet. non igitur erant *constructa*, sed *constricta* et compressa, quae nunc vult explicari et dilatari. sic etiam infra legendum *constrictam uno in loco*, cui opponitur dilatatum atque explicatum [§. 162.].

§. 162. QUASI PER TRANSENNAM PRAETEREUNTES. nihil muto,

praesertim quum Nonius Marcellus hunc locum his verbis testem producat in voce *transenna* [2, 859. p. Mercer. 180, 16.]. sed tamen non celabo lectorem, me ita scriptum reperisse in duobus codd. mss., *quasi navem praetereuntem strictim aspeximus* [de *transenna* vetere et obsoleto verbo vide post Pareum Lex. Crit. p. 1249. sq. disputata a Io. Matth. Gesnero Thes. L. L. Tom. 4. p. 838, 3].

§. 163. SED TU NOBIS HOC DA SCAEVOLA. liber unus manu scriptus Clericanus habet *sed tu hanc nobis veniam Scaevula*, ut fortasse addendum sit *da*, ut sit *da veniam*.

C. 37. §. 168. PETITOR RURSUS QUUM PETERET NE EXCEPTIONE EXCLUDERETUR QUOD EA RES IN IUDICIUM ANTEA VENISSET. sic legendum, non cum negatione *non venisset*. haec enim erat exceptio, qua utebatur interdum is unde petebatur, *ni ea res iam antea in iudicium venit*. quae exceptio hac rursum exceptione repellebatur, *recte exciperes, si ea res a me petita esset, cuius rei dies fuisset*, seu venisset.

C 38. §. 175. TESTAMENTO EXHERES FILIUS. haec absunt ab uno codice ms., et sane videntur esse aliunde invecta. hic enim filius non fuit testamento exheres aut exheredatus, sed praeteritus quod si quis dicat vocem *testamento* dumtaxat esse delendam, ceteras duas retineri posse, non pugnabo.

C. 39. §. 177. QUI ROMAM IN EXSULIUM VENISSET. scribendum esse *exsulium* non *exsilium*, veritas et ratio pervincunt. *exsulium* enim ab *exsule*, exsul autem a *solo* dictus est, quasi de solo patriae suae pulsus, ut docet Festus.

Ibid. QUASI PATRONUM. in uno cod. ms. non est *quasi*.

§. 179. NAM QUUM AEDES L. FUFIO VENDERET. sic legendum vel repugnantibus libris omnibus: nulla enim gens est *Fusia*. at *Fusius* debet esse nomen gentile, non familiae, id est nomen, non cognomen. non est autem cognomen; multo minus est praenomen, neque ulli unquam cives Romani *Fusii* gentili nomine dicti sunt. relinquitur, ut *Fufio* hoc loco scribendum sit. nisi quis dicat legi posse *L. Fuso;* nam *Fusus* cognomen est Romanum. sed non celabo lectorem leve quiddam, infra proximo versu, ibi *Fufius autem*, a quibusdam codicibus abesse *autem*, in aliis scriptum esse *vero* pro *autem*. unde cuivis conjicere licet legendum *Fufius simulatque*, sine alterutra harum particularum. ne illud quidem dissimulabo, supra in uno cod. ms me scriptum reperisse *M. Bubulcus*, et infra *Bubulco* et *Bubulcio*. *Bubulcus* autem cognomen fuit Romanum.

C. 41. §. 185. CASTIGEMUS ETIAM SEGNITIAM HOMINUM ATQUE INERTIAM. Nonius Marcellus [2, 808. p. Mercer. 174, 20.] legit hoc loco *segnitatem*, non *segnitiem* aut *segnitiam*.

C. 42. §. 191. REPLERI ISTA IURIS CIVILIS SCIENTIA. sic habent plerique libri vulgati, quibuscum consentiunt aliquot manu scripti. alii habent *replere istam iuris civilis scientiam*. et ita Parisienses a Carolo Stephano editi et Veneti a Iunta impressi, et duo item mss.

C. 43. §. 191. QUUM AB HOC DISCESSERIS. nihil muto, quamvis duo libri manu scripti habeant *discesseritis.*

C. 45. §. 198. DIGNITATEM REPERISSENT. quidam liber manu scriptus habet *peperissent;* ego tamen nihil muto. ita enim propemodum Terentius locutus est Heautontim. [I. 1, 60.], *atque ibi Simul rem et gloriam armis belli repperi.*

§. 199. UNDE SIBI SI NON. in his verbis hic inclusus est versus Ennianus, *unde sibi populi et reges consilium expetunt* [vid. Planck. p. 107.].

‖ C. 46. §. 202. TAMEN ESSE DEUS PUTARETUR. vel aliquid p. 317 deest post vocem *deus,* ut parens vel auctor vel quippiam simile, a. vel repetendum *ἀπὸ κοινοῦ* antistes, vel legendum *a deo data putaretur.* vel ita haec sunt explicanda, *tamen ea ars esse deus putaretur;* quod placet Aurato [cf. Walch. Emendatt. Livv. p. 176.]. supra autem non longe, ubi est *proclamatorem,* docti quidam legendum censent *clamatorem,* qua voce iam ante usus est [cf. Ellendt. ad Brut. c. 49. §. 182. p. 131.].

Ibid. NON TAM CADUCEO. *caduceum* a Graeco nomine *κηρυκεῖον* ortum esse constat, converso (ut volunt) *ρ* in *d;* sed docti quidam viri *caruceum* Latine scribendum existimant.

C. 50. §. 217. PILA BENE ET DUODECIM SCRIPTIS LUDERE. sic legendum, et ita habent tres libri manu scripti. est autem *scriptus* lapis seu calculus, ut docet Pompeius Festus, quo utebantur veteres in hoc ludi genere [meliora docuit Salmasius Comment. ad Vopisc. Tom. 2. Scriptt. Hist. Aug. p. 836. sqq., et post Salmasium Gronovius de Pec. Vet. 3, 15. p. 233. sqq.]. usurpat idem nomen iterum M. Tullius in Hortensio, quem locum refert Nonius Marcellus [2, 781. p. Mercer. 170, 28. v. *scriptat.*], *itaque tibi concedo quod in duodecim scriptis solemus, ut calculum reducas, si te alicuius dati poenitet.*

C. 51. §. 222. SED ITA PERAGRAT ANIMOS HOMINUM. sic legendum puto *peragrat animos hominum,* deleto *per* [tu cf. ab Ellendtio disputata ad Brut. c. 75. §. 262. p. 192. sq.].

C. 52. §. 226. REGENDI SUI POTESTATEM. delendam censeo vocem *potestatem*; est enim hic *εἰκών.*

C. 53. § 229. NEQUE VERO HOC SOLUM DIXIT. hunc Rutilium accusavit Apicius homo nequissimus ac luxuriosissimus ventrisque vitio contaminatissimus, ut refert Athenaeus lib. 4. [p. 168 E.].

C. 55. § 234. INDOTATAM ESSE ATQUE INCOMITATAM. docti quidam hoc totum *atque incomitatam* putant esse alienum, non Ciceronis.

§. 235. ET CLARISSIMI CIVES EI STUDIO ETIAM HODIE PRAESUNT. duo libri mss. habent *et clarissimi cives ei studio et semper praefuerunt et etiam hodie praesunt.*

§. 263. ET EIUSDEMMODI SOCIAS DIGNITATIS. sic restitui, quum in libris et manu scriptis et vulgatis reperissem partim *eiusdem,* partim *eiusmodi.* utitur eadem vocum compositione et infra libro 2. [locus est in Orat. p. 259, 9. c. 32. §. 113.], *nam quum compresserat digitos pugnumque fecerat, dialecticam aiebat esse eiusdemmodi.*

Ibid. CANTOR FORMULARUM. liber unus ms. habet *cautor formularum.* et supra paullo ante quidam docti viri legendum putant *catus et acutus.*

C. 56. §. 237. QUI QUIBUS VERBIS ERCISCI CIERI OPORTEAT NESCIAT. quidam vulgati libri habent *ercisceri*, mendose opinor. manu scriptorum autem alii habent *ercisci*, alii *ercisci cieri*, ut excudendum curavimus, *alii cretunceri*, quod quid sibi velit fateor ingenue me nescire; nisi dicamus esse *erctum citumque*, quod est apud Pompeium Festum.

§. 238. ET IN C. HOSTILII MANCINI CONTROVERSIA. nihil muto, quamvis duo manu scripti habeant *in P. Lucilii Mancini controversia.* nam *Mancini* Hostiliae gentis fuerunt; nisi quis dicat, codices esse mendosos, et Mancinos esse *Lucillios.*

C. 57. §. 241. IURIS INCONTROVERSI. sic restitui, quum in omnibus libris vulgatis legatur *in controversiis*, nulla nec ratione nec sententia. iam *ius incontroversum*, id est ius certum et de quo nulla controversia est, et de quo inter omnes constat.

C. 58. §. 246. NAM PRIMUM QUOD INERTIAM ACCUSAS ADOLESCENTIUM QUI ISTAM ARTEM FACILLIMAM NON EDISCANT QUAM SIT FACILIS PRIMUM ILLI VIDERINT QUI EIUS ARTIS ARROGANTIA QUASI DIFFICILLIMA SIT ITA SUBNIXI AMBULANT. hunc locum foede et misere in libris vulgatis laceratum adiumento veterum codicum restitui.

Ibid. MANLIANAS VENALIUM VENDENDORUM LEGES. alias legitur *Mamilianas*, ut p. 129, 23. [c. 48. §. 212.] quidam legunt *M. Mamilium.*

§. 250. SI DE TABULIS ET PERSCRIPTIONIBUS CONTROVERSIA EST. sic restitui secutus auctoritatem duorum librorum mss., quum vulgati habeant *praescriptionibus;* plane mendose. nam *perscriptionis* nomen locum habet in nominibus, rationibus et tabulis. idem lib. 4. Epistt. ad Attic. epist. ultima [p. 248, 4. ep. 18. p. 896. Gronov.], *haec pactio non verbis, sed nominibus et perscriptionibus multorum tabulis quum esse facta diceretur, prolata a Memmio est nominibus inductis*, *auctore Pompeio.* idem Philipp. V. [p. 617, 30. C. 4. §. 11.], *illa vero dissipatio pecuniae publicae ferenda nullo modo est*, *per quam septies millies perscriptionibus donationibusque avertit.*

C. 59. §. 251. TAMEN ME AUCTORE NEMO DICENDI STUDIOSUS GRAECORUM MORE TRAGOEDORUM VOCI SERVIET. sic habent libri tres mss., vulgati *Graecorum more et tragoedorum.*

Ibid. PAEANEM AUT MINURITIONEM. ego in hoc loco restituendo Adriani Turnebi [cf. I. Adversarr. c. 12.] coniecturam secutus sum, qui docet in Annotationibus ad Ciceronis ioca *paeana* hoc loco esse cantionem, quae clara et exsultanti voce citatur, *minuritionem* vero cantionem, quae tenui et leni et remissiore voce edatur. huc pertinet et quod scribit Festus, ab
b. illo prolatum, *minuritiones* esse mino ‖ rum avium cantus. adde quod *μινυρίζειν* apud Graecos canere est. restat scrupulus,

quod unde ortum sit minuritionis nomen non est facile mihi quidem exputare. nam a Graeco *μινυρίζειν* non potest; Latinum autem *minurire*, a quo videbatur proficisci posse, non est Latinis quod sciam usitatum.

§. 253. ITAQUE ILLI DISERTISSIMI HOMINES. legendum videtur *illis*, nempe Graecis.

C. 60. §. 256. ET PRUDENTIAM IURIS PUBLICI. fortasse deest *privati et* ante vocem *publici*. nisi quis dicat de iure privato satis esse dictum supra.

Ibid. AD ID QUOD CUPIUNT APISCENDUM. sic restitui auctoritate duorum codicum fretus. *apisci* autem est prehendere, consequi, adipisci, usitatum Plauto [vid. Pareum Lex. Crit. p. 101.], Lucretio, Varroni, M. Tullio, ceteris bonis scriptoribus.

C. 61. §. 259. SI PAULLUM IRRAUSERIT. sic restitui repugnantibus libris omnibus, Prisciani fidem secutus, cuius haec verba sunt libro 10. [c. 9. §. 51. Tom. 1. p. Krehl. 508.], *sarcio, sarsi; farcio, farsi; raucio, rausi; fulcio, fulsi.* deinde affert hunc locum M. Tullii ita, ut excudendum curavi.

II. C. 1. §. 1. QUI QUANQUAM NON ITA SE REM HABERE ARBITRARENTUR. negationem, quae abest ab omnibus codicibus vulgatis, ex manu scriptis restituimus.

C. 2. §. 5. CUIUS TERMINIS SEPTUM TENEATUR. vel sic legendum, vel si legimus *septa*, supra legendum *bene dicendi autem.* subintellig. *ars.*

C. 3. §. 13. AD DISPUTANDUM ELICERE. in uno cod. ms. reperi scriptum *ad disputandum ducere.*

C. 6. §. 22. INCREDIBILITER REPUERASCERE SOLITOS. nihil muto, quamvis in duobus libris mss. scriptum sit *repuerescere*, quoniam Nonius Marcellus *repuerascere* probat et hunc ipsum locum profert in hoc verbo [2, 741. p. Mercer 165, 25. *repuerascere* Plautinum est Mercat. II. 2, 25. cf. Cicer. Cat. Mai. c. 23. §. 83.].

C. 7. §. 27. QUOD AD FRATREM PROMISERAT. vel subintellige *iturum se*, vel dic *ad fratrem futurum* id est apud fratrem, vel lege *apud fratrem.*

§. 28. QUONIAM NEQUE DOMI IMPERARAM. non dubium est mihi quidem, quin hic locus sit integer; sed lectorem celare nolui, in uno cod. ms. legi *neque domi paraveram.* quod non probo. iam illud *neque domi imperaram* sic declaro, non imperaram meis cenam, non dixeram me domi cenaturum; quum se apud fratrem Iulium cenaturum promisisset.

Ibid. HOMINEM ENIM AUDIETIS DE SCHOLA. aut haec ironia est, aut legendum *non de schola neque a magistro neque Graecis litteris eruditum.*

C. 8. §. 32. PRAECEPTA POSSE QUAEDAM DARI PERACUTA. quidam legendum putant *peraccommodata.*

Ibid. ET AD EXCIPIENDAS EORUM VOLUNTATES. liber unus ms. habet *et ad captandas* [cf. Nonius Marc. 4, 158. p. Mercer. 293, 9.].

§. 34. ARTIFICIOSA VERBORUM CONCLUSIONE. unus liber ms. habet *verborum constructione.*

C. 9. §. 36. VERBORUM AUT FACIENDORUM AUT DELIGENDORUM SCIENTIAM. manu scripti duo habent *dilegendorum.* quod non temere admonui, sed ut meminerit lector, *dilectum militum* dixisse veteres, quem nos hodie *delectum* dicimus, fortasse inscienter. sic Festus, *dilectus*, inquit, *militum et is qui significatur amatus a legendo dicti sunt* [cf. annotata ad c. 68. §. 275.].

C. 10. §. 40. ATQUE URBANITATIS. quum in omnibus libris mss. scriptum reperissem *urbanum*, idque in quibusdam non sine litura in extrema syllaba, ego *urbanitatis* reposui, facile suspicatus ab iis *inurbanum* esse repositum, qui *urbanum* mendosum et huius loci sententiae repugnans esse intelligerent.

§. 43. AUT IN LITE ORDINANDA. tres libri mss. habent *aut in lite ornanda.*

C. 11. §. 46. PATIENTER CARUISSE. quis non videt ita legendum, non ut in libris vulgatis *sapienter?* nam fortunae et naturae bonis sapienter uti aliquem convenienter et apte dicimus, carere autem sapienter non convenit. sic contra apud Horatium corruptus erat locus in prima satira libri 1. [vers. 37. 8.], *et illis utitur ante Quaesitis sapiens.* ubi nos reposuimus *patiens*, auctoritatem codd. mss. secuti.

p. 318. a. ‖ §. 47. QUONIAM INEST IN RATIONE RERUM. legendum fortasse est *in natura rerum.*

Ibid. QUAE CADUNT ALIQUANDO IN ORATOREM. legendum videtur potius *in orationem.*

§. 48. QUASI IN ARTE TRADERE. hoc totum *quasi in arte* alienum puto et subditicium; nisi quis dicat ita legi posse *arte tradere*, vel *quasi tradere*, vel *quasi arte tradere*, vel *quasi in arte tradere*, id est, quasi ea quae a magistris traduntur in scholis.

C. 14. §. 61. QUASI ALIENA QUADAM LINGUA. si emendata scriptura est, *aliena lingua* id est non sua. sed non dissimulabo me in duobus libris mss. scriptum reperisse *quasi alia* [sic corrigendum fuit vulgatum *aliena*, etiam non monente Lambino] *quadam lingua locutos;* quam scripturam magnopere probo. *aliam* autem linguam intellige, quam qua populus aut ceteri homines loquuntur. iam oratoris oratio non debet esse aliena a sermone vulgi, nisi quod debet esse ornatior. verba quidem ipsa propria debent esse, popularia et usu trita ac recepta.

C. 15. §. 65. ADDAT SI QUIS VOLET ETIAM LAUDATIONES. sic habent duo libri mss. et ita legendum; nam vulgata lectio *laudationis* reiicienda est. non displicet mihi tamen docti cuiusdam viri coniectura, qui putat legendum *laudationibus*, ut re-

spondeat superioribus illis *in litibus, in deliberationibus.* sed probarem magis, si ita legeretur, *addat si quis volet quae in laudationibus.* quare scripturam veterum codicum retineamus.

C. 16. §. 69. UT IN PICTURA QUI HOMINIS SPECIEM PINGERE PERDIDICERIT POTEST EUM CUIUSVIS VEL FORMAE VEL AETATIS ETIAM SI NON DIDICERIT PINGERE. hic locus flagitiose fuerat depravatus a semidoctis iisdemque, ut fit, arrogantibus hominibus. nam quum quo referretur vox *eum* non viderent, putarentque pictorem subintelligendum, ex *potest* fecerunt *posse*, et item supra pro *est* supposuerunt *esse.* et ita totum hunc locum corruperunt, quem in suam integritatem restitui a veteribus codicibus adiutus. vox *eum* igitur, si quis forte quaerat, non pictorem sed hominem refert.

§. 70. SIMILITER ARBITROR IN HAC SIVE RATIONE SIVE EXERCITATIONE DICENDI. hic est ἀνταπόδοσις seu redditio similitudinis a pictore. animadverte autem verbum *arbitror* esse positum pro verbo *statuo*, quod est supra, quia longius aberat ab hoc loco, idque factum esse, ut subveniatur memoriae vel lectoris vel auditoris.

C. 19. §. 78. QUAESTIONEM AUTEM REM POSITAM IN INFINITA DUBITATIONE. librorum manu scriptorum alii habent *in infinita divisionis dubitatione*, alii *in infinita dictionis dubitatione.*

C. 20. §. 84. UT TAMEN ARS IPSA LUDICRA ARMORUM ET GLADIATORIA MILITI PRODEST ALIQUID SIC ANIMUS ACER ET PRAESENS ET ACUTUS IDEM ATQUE VERSUTUS INVICTOS VIROS EFFICIT NON DIFFICILIUS ARTE CONIUNCTA. quam sit corruptus hic totus locus in libris vulgatis, quam feliciter a nobis in suum statum restitutus, cognoscent qui hanc scripturam cum vulgatorum librorum lectione comparabunt.

C. 21. §. 88. REVOCANTUR EA QUAE SESE NIMIUM PROFUDERUNT. legendum fortasse est *resecantur.*

§. 89. VIDI STATIM INDOLEM NEQUE DIMISI TEMPUS. non celabo lectorem meam suspicionem, sed primum proponam unius libri veteris, scripturam. sic igitur in eo scriptum est, *neque dimisi ipsum perdere tempus.* quo quid ineptius est? quis non videt haec verba *ipsum perdere* ab aliquo indocto esse ad oram libri adscripta, deinde ab indoctiore librario in ordinem et contextum verborum M. Tullii esse coniecta? sed progrediar longius. suspicatus sum aliquando etiam vocem *tempus* esse alienam, atque ita legendum *neque dimisi*, vel *neque eum dimisi et sum cohortatus.* verumtamen nihil sine auctoritate codd mss. mutandum censeo. nam et *dimittere tempus* dixit Philipp. III. [p. 612, 21. c. 13. §. 33.], *hanc vero nactus facultatem nullum tempus, P. C., dimittam neque diurnum neque nocturnum, quin de libertate populi Romani, de dignitate vestra quid cogitandum sit cogitem.*

Ibid. NISI EODEM STUDIO ATQUE IMITATIONE INTENDISSET. secutus sum duos libros manu scriptos; nam vulgata lectio *incidisset* mendosa et prava est. reperi in uno alio codice *incepisset;*

quae scripturae varietas me in hanc opinionem adduxit, ut putem, veram vocem esse depravatam, et neque *intendisset* neque *incepisset* neque *incidisset* esse legendum, sed aliud nescio quod verbum a M. Tullio esse positum. qua de re si quis forte meam coniecturam requirat, suspicatus aliquando sum, legendum *incubuisset.* amicus quidam meus legendum putabat *nisi eodem studio et imitatione se incitasset.* ego *incubuisset* malim. verumtamen iudicet lector. interea *intendisset* non improbo. nam et in Oratione pro Murena ita locutus est [p. 314, 17. c. 9. §. 22.], *ut eo quo intendit mature cum exercitu perveniat.*

C. 22. §. 93. OMNES ETIAM TUM RETINEBANT ILLUM [sic Lambinus in contextu quidem verborum Ciceronis, non *illi*] PERICLI SUCUM. sic excudendum curavi, ne quis forte librarii erratum esse putet. nam huiusmodi nomina sic inflexisse veteres in pa-
b. trio casu, *Pericli, Thucydidi, Timarchidi, Theo* || *phani, Dicli, Oronti, Archonidi,* reliqua, observatum est a viris doctis, quorum nos exempla in Bruto proponemus [ad c. 7. §. 29., ubi vide quae annotantur ab Ellendtio p. 26. sq.].

§. 94. MERI PRINCIPES EXIERUNT. quum scirem notatam et argumentis confirmatam a P. Victorio [VV. LL. 18, 6.] hanc scripturam eandemque a Nonio Marcello [4, 295. p. Mercer. 344, 1.] testatam, non putavi mihi esse repudiandam, quamvis eam in nullis libris manu scriptis repererim expressam. itaque licebit, si cui placeat magis, vulgatam lectionem retinere *innumeri principes.* sed non dissimulabo, verba illa *magister istorum omnium* mihi videri non esse M. Tullii, sed ex ora libri in contextum esse translata. quod si quis aciem contendet, facile videbit, nisi eam habeat obtusiorem. nec me movet, quod ea proferat Nonius Marcellus. ostendam enim, eum ipsum saepenumero errare [cf Ruhnken. Hist. Crit. Oratt. Graecorum p. LXI.].

C. 23. §. 98. INUSITATUM QUIDEM NOSTRIS ORATORIBUS. codex unus ms. habet *nostris auribus;* unde coniicere possit aliquis legendum *inauditum quidem nostris auribus.*

C. 24. 101. DUM OPERAM SUAM MULTI AESTIMARI VOLUNT. duo libri mss. habent *multam,* unde quidam legendum putant *multum;* quia, inquiunt illi, ita loquuntur Latini *magni aestimare* et *multum aestimare,* non *multi aestimare.*

Ibid. ITA DUM INERTIAE VITUPERATIONEM QUAE MAIOR EST CONTEMNUNT ASSEQUUNTUR ETIAM ILLAM QUAM MAGIS IPSI FUGIUNT TARDITATIS. suspectus mihi est hic locus. nam primum quomodo *inertiae* vituperatio maior est quam *tarditatis?* deinde quid significat *per inertiam?* utrum negligentiam, an inscientiam? si negligentiam, maior est vituperatio perfidiae: si inscientiam, non video, cur vituperabilior sit inscientia tarditate, maxime quae sit culpa contracta. itaque putabam vel sic legendum potius, *ita dum inertiae vituperationem quae minor est contemnunt,* vel sic, *ita dum et inertiae vituperationem quae minor est, et perfidiae quae maior est contemnunt: assequuntur etiam illam quam magis ipsi fugiunt tarditatis.*

§. 104. QUOD INTER HOMINES AMBIGATUR. legendum fortasse est *quo de inter homines ambigatur*.

Ibid. SIVE EX CONTROVERSIA. fortasse legendum *sive ex re controversa*.

C. 27. §. 114. QUUM IGITUR ACCEPTO CAUSAE GENERE ET COGNITO. codex unus manu scriptus habet *accepto causae genere cognitam rem tractare coepi*.

Ibid. AD ID QUOD VOLUMUS. fortasse legendum *ad id quo volumus*.

C. 28. §. 122. EGO IS QUI SUM QUANTUSCUNQUE SUM AD IUDICANDUM. locus mihi suspectus, de quo quid sentiam breviter exponam. illud totum *ad iudicandum*, vel ut habent libri vulgati *adiudicandus*, delendum puto ut alienum ac supervacaneum. fuit enim declaratio ad oram libri annotata, deinde in contextum translata.

§. 123. CONFIRMARO. id est corroboraro, ut sit translatio ab aetate corroborata. sed legendum fortasse est *confirmaro*, ut in prooemio libri 1. [p. 109, 1. id est C. 5. §. 17.], *et ipsa oratio conformanda non solum electione sed etiam constructione verborum*. ubi vulgo legitur *confirmanda*.

C. 29. §. 127. ET PRAECEPTIS PERVAGATA. in quibusdam libris legitur *pervulgata*.

§. 129. AUT DEFENSIONIS ARGUMENTIS ADDUCATUR AUT ANIMI PERMOTIONE COGATUR. hunc locum restituendum putabam ex alio loco huic simillimo ac plane gemino, qui est pagina proxima [151, 37. C. 31. §. 135.], ibi *argumenta criminum et defensionis revocentur oportet ad genus et ad naturam universam*. argumenta criminum autem ea sunt, quibus utitur accusator ad probandum crimen; argumenta defensionis, quibus reus aut defensor. sic igitur putabam hic quoque reponendum *aut criminum vel defensionis argumentis*; ut intelligamus accusatori et defensori praecepta dari. nam nisi ita legamus, ad defensorem dumtaxat pertinebunt.

C. 30. §. 131. SUBACTO MIHI INGENIO OPUS EST. hunc locum profert Nonius ad verbum *subigo* [4, 439. p. Gothofr. 710. Mercer. 400, 25.].

C. 31. §. 133. CONSTITUUNT ENIM IN PARTIENDIS ORATIONUM MODIS DUO GENERA CAUSARUM UNUM APPELLANT IN QUO SINE PERSONIS ATQUE TEMPORIBUS DE UNIVERSO GENERE QUAERATUR ALTERUM QUOD PROPRIIS NOMINIBUS PERSONARUM LOCORUM AC TEMPORUM DISTINCTUM EST IN QUO UNO ILLI OCCUPATI SUNT SUPERIUS VERO ILLUD QUOD TOTUM EST IN RATIONE GENERIS POSITUM QUASI NON NECESSARIUM SIT NULLIS PRAECEPTIS APERIUNT IGNARI OMNES CONTROVERSIAS AD UNIVERSI GENERIS VIM ET NATURAM REFERRI. hoc loco deerant aliquot voces, quas ex uno libro antiquissimo et optimo Memmiano restituimus.

C. 32. §. 140. PERTIMESCENDA EST MULTITUDO CAUSARUM EST ENIM INFINITA SI IN PERSONIS PONUNTUR QUOT HOMINES TOT CAUSAE. hunc locum sic legendum et distinguendum censeo: *est*

enim infinita, si in personis ponatur, quia quot homines tot causae; sin ad generum universas quaestiones referuntur, ita modicae et paucae sunt, ut eas omnes diligentes et memores et sobrii oratores percursas animo et prope decantatas habere debeant.

Ibid. A M' CURIO CAUSAM DIDICISSE. legendum fortasse est *a M' Curii nomine causam duxisse L. Crassum.*

C. 33. §. 142. extr. ET AD ARTEM FACILEM REDACTURUM. haec absunt ab uno manu scripto codice.

C. 34. §. 145. STUDIOSI QUI ESSENT DICENDI. legendum fortasse est *studiosi qui essent discendi.* ut *studiosos discendi* intelligamus, quos Graeci *φιλομαθεῖς* dicunt.

p. 319. a. || C. 35. 149. UT VOCEM UT VIRES. codex unus manu scriptus habet *ut vocem ut aures.*

C. 36. §. 152. OMNIS ARGUMENTANDI RATIO. sic habent duo libri mss., unus *argumentandi via,* vulgati *argumentatio.*

C. 40. §. 172. EX MAIORE SI BONA EXISTIMATIO DIVITIIS PRAESTAT ET PECUNIA TANTOPERE EXPETITUR QUANTO GLORIA MAGIS EST EXPETENDA? si quis attente considerabit, reperiet, hoc argumentum esse a minore, non a maiore.

C. 41. §. 175. SED UT DOCTISSIMIS HOMINIBUS USUS NOSTRI QUAEDAM QUASI MONITA TRADAMUS. sic habent omnes libri vulgati et nonnulli mss., alii *admonita,* quidam *monimenta;* mendose.

C. 43. §. 184. SI EST SUAVITER ET CUM SENSU TRACTATUM. quid sit hoc *cum sensu,* non satis intelligo. putavi aliquando legendum *et sensim tractatum;* aut addendum *iucundo,* ut sit *cum iucundo sensu;* aut, ut statim infra, *et cum sensu ac ratione tractatum.*

Ibid. FACILITATEMQUE SIGNIFICANTI. vel sic legendum est, ut in uno codice manu scripto reperi, vel sic, ut olim emendandum putaveram, *facilitateque significanda* [Hahn. a. 1468. sic dedit *facilitateque significandi*].

C. 44. §. 188. FLEXANIMA ATQUE OMNIUM REGINA RERUM ORATIO. in duobus libris manu scriptis non est copulatio *atque.* et statim infra in tribus non est *et repugnantem* [Pacuviana lucem acceperunt notis ad Mureti Orat. 7. Vol. 1. p. 65.].

C. 45. §. 188. TAM VERAE TAM NOVAE. duo libri manu scripti habent *tam variae, tam novae.*

C. 46. §. 192. IN FORO ACCIDERE MIREMUR. in uno codice ms. sequuntur deinceps haec verba, *videmus etiam id evenire in quibusdam aliis rebus confictis a nobis et nostra cogitatione adinventis;* deinde, *quum agitur* [non *igitur*] *non solum ingenii nostri existimatio.* quae non esse Ciceronis, sed alicuius indocti, qui tamen sibi valde doctus videretur, deesse hic aliquid existimantis, esse puto neminem mediocriter eruditum qui non videat. atque hoc iccirco lectorem scire volui, ut meminerit, quemadmodum saepe admonui in Commentariis nostris Lucretianis, multos passim versus alienos Lucretianis versibus, quasi aliquid deesset, ab indoctis esse admistos: ita in ceteris bonis scriptoribus multa esse aliena. quoniam autem ab illo loco

[C. 46. §. 191.], *ac ne forte hoc magnum ac mirabile esse videatur*, multa sunt interposita, ut subveniat memoriae lectoris, iterat infra eandem rem aliis verbis, quomodo fieri solet.

§. 192. SPONDIALIA ILLA DICENTIS. sic habent omnes libri manu scripti: sed quid sibi velit hoc *spondialia*, non est facile explicare. nam si quis dicat esse dicta a spondeo, hoc carmen non est spondiacum, sed trochaicum. Isidorus docet [1, 16. cf. Mar. Victor. Act. Gramm. 1. p. 2487.], *Spondiales* esse nominatos eos, qui in sacris gentilium tibiis canebant, ut fortasse spondialia hic sint intelligenda, quae ad tibias canebantur. sed hoc non probatur Aurato, existimatque hanc vocem esse depravatam et legendum *Sophoclea* pro *spondialia*, quia hi versus sint Latini facti ex Sophoclis Teucro [sed *spondialia* Turnebus defendit Adverss. 20, 17. et Rhodigin. LL. AA. 6, 9.; *spondaulia* emendabat Salmasius ad Solin. T. 1. p. 88.].

C. 48. §. 199. extr. RENOVABAM ATQUE REVOCABAM. in uno codice manu scripto non sunt haec *atque revocabam*.

C. 53. §. 212. ET EX HAC VI NONNUNQUAM ANIMI ALIQUID INFUNDENDUM EST ILLI LENITATI. vox *animi* abest ab uno codice. iam vocem *infundendum* coniectura ductus substitui in locum eius, quae est in vulgatis codicibus, *influendum*, quae nullo modo probanda aut ferenda est. quidam substituunt *instillandum*, nonnulli *inspergendum*; in uno codice ms. reperi *inflammandum*. omnino locus est mendosus, ad quem restituendum nihil me libri veteres adiuverunt.

§. 213. ET EXITUS TAMEN SPISSI ET PRODUCTI ESSE DEBENT. legendum fortasse est *et exitus item spissi*.

§. 215. NON EFFICI EX POSITIS NEC ESSE CONSEQUENS. sic legendum est, atque ita habent veteres codices duo. *ex positis* autem, id est quod dicit Aristoteles ἐκ τῶν κειμένων.

C. 54. §. 216. INQUIBUS TU LONGE ALIIS MEA SENTENTIA CAESAR EXCELLIS. non dissimulabo, me in duobus libris mss. reperisse scriptum *excelles*. quod non est fortasse reiiciendum; veteres enim dixerunt utrumque *excelleo, es* et *excello, is* [Priscian. 8, 17. §. 96. Tom. 1. p. Krehl. 428. et 10, 6. §. 36. p. 498. Voss. III. de Analog. 28. p. 104.].

§. 217. OMNI DE RE FACETIUS. tres libri mss. habent *omni de re facilius*.

§. 218. LEVE NOMEN HABET UTRAQUE RES QUIPPE LEVE ENIM EST TOTUM HOC RISUM MOVERE. sic habent omnes quos quidem viderim codices, nisi quod nonnulli interpunctum non habent post *quippe*. at Ioannes Passeratius vir doctus et ingeniosus legendum putat *quippini? leve est hoc totum risum movere*.

C. 55. §. 224. extr. ET SE ETIAM IN BALNEIS LOCUTUM CUM FILIO. sic habent libri veteres, quos || secutus sum, vulgati *totum*. b.
quae tamen lectio non est plane reiicienda, ut fatetur Adrianus Turnebus, qui haec ioca eruditissimis et elaboratissimis explicationibus illustravit.

C. 59. §. 242. TIBI EGO ANTIPHO HAS SERO. sic legendum,

non *assero*, ut est in vulgatis codicibus. *has* autem subintellige arbores. verba sunt Antiphonis filii, patris senis orationem imitantis.

C. 61. §. 249. VIDES ME A TE NON CONVENIRI SED CIRCUMVENIRI. a tribus codd. mss. absunt haec *non conveniri sed* [absunt et ab Gud. 38. et August. XII, 13.; nam in Gud. 2. totus hic locus a C. 60. §. 245. *in quos nolis* ad C. 71. §. 233. *nihil credere* non legitur], ut si eorum auctoritatem sequi velimus, ita sit hoc loco legendum, *video me a te circumveniri.*

§. 250. CALVUS SATIS EST QUOD DICIT PARUM. NE MULTA, NULLUM GENUS EST IOCI QUO NON EX EODEM SEVERA ET GRAVIA SUMANTUR. hunc locum sic distinguendum curavi, quamvis scirem in aliis libris sic distingui, *Calvus, satis est quod dicit. parumne multa?* plane, nisi fallor, mendose. ego superiorem distinctionem magis probo, quam et Adrianus Turnebus secutus est.

C. 62. §. 252. EX HOC ORATORIO LOCO. putant quidam esse legendum *ex hoc oratorio ioco.* quibus ego ita assentior, ut ita prorsus reponendum putem.

C. 63. §. 256. IN QUO UT EA QUAE SINT [hoc enim maluit Lambinus quam *sunt*] FRIGIDIORA VITEMUS. Priscianus lib. 10. [c. 1. §. 2. Tom. 1. p. Krehl. 473.] legit hoc loco *inquio, ut ea quae sunt;* atque ex eo probat scilicet, *inquio* usurpatum esse a M. Tullio. sed errat Priscianus et usus est mendoso codice, quod item ei saepe alias et Nonio Marcello et aliis veteribus grammaticis accidit [Hahnianam a 1468. in loco Ciceronis repraesenta revidi *in quibus*, id est *in quib.*; quod compendium librarii aliud agentes quum non satis assequerentur, ipsi turpiter lapsi in errorem induxerunt quum alios, tum Priscianum].

C. 64. §. 260. NON HERCULE INQUIT EX ANIMI MEI SENTENTIA. secutus sum codd. mss.; nam vulgati habent *non hercle, inquit, ex animi tui sententia.* utriusque lectionis sententia probabilis est; sed ego magis probo scripturam antiquam.

C. 65. §. 263. COHORTEM IN PALATIO. sic habent libri mss., quae lectio plana et facilis est. significabat enim Glaucia, Metellum villam habere loco opportuno aedificatam et sumptuosam, et homines habere in Palatio sive armatos sive inermos. vulgati libri autem habent *cortem*, quae vox ita accipienda erit, ut si *cohortem* scriptum esset, si cui forte magis probetur [*cortem* dedit de Romanis Pannartz. a. 1469., *cohortem* Hahn. a. 1468.].

C. 66. §. 266. SUB NODIS DISTORTUM. sic omnes quidem codices habent, et manu scripti et vulgati. *sub nodis* autem interpretatur Turnebus sub vinculis. sed malo legi reclamantibus libris omnibus *sub Novis*, quod neque improbat vir ille doctissimus. *sub Novis* autem subintelligendum *tabernis*, quemadmodum apud Plinium est [35, 4. et 10. Tom. 2. p. Harduin. 683. et 701.] *sub Veteribus.* loca erant scilicet in foro sic dicta. Varro lib. 5. de L. L. [c. 7. p. 56, 4.], *sub Novis dicta pars aedificiorum in foro, quod vocabulum eius pervetustum, ut*

Novae Viae, quae via iam diu vetus est [Orell. Vol. I. p. 310. »in marg. 1584. *Novis* tribuitur Lambino.«].

C. 67. §. 271. SP. MUMMIUM CUIVIS TEMPORI HOMINEM ESSE. quidam legi volunt *cuiusvis temporis hominem esse;* in uno quidem cod. ms. reperi *quidvis temporis* [et codices Gud. 38. et August. XII, 13. *quidvis tempori* habent. nec aliter Romanae editiones quum Hahn. a. 1468. tum Pannartz. a. 1469. scribendum erat *quivis.* cf. Scaur. de Orthogr. p. 2261.]. adde quod *Sp.* legendum est, ut excudendum curavi, non *P.*

§. 272. QUUM ILLE SE CUSTODIAE CAUSA DICERET IN CASTRIS REMANSISSE. in uno cod. ms. scriptum reperi *quum ille se custodem diceret,* in alio *quum ille se custodiae diceret in castris remansisse.* quae posterior scriptura priorem confirmat *custodem.*

C. 68. §. 275. UT EGO QUI IN DILECTU. sic habent duo codd. mss., et ita legi debet. *dilectum* autem *militum* dixisse veteres pro eo, quem vulgo *delectum* dicimus, docet Festus [cf. annotata ad. C. 9. §. 36.].

§. 277. QUANDO AD ME CUM TUA COLU ET LANA VENIS? secuti sumus et in hoc versu in suum numerum restituendo et in aliis Adriani Turnebi auctoritatem.

C. 70. §. 285. EST LOCUS EST FAMILIA SAPIENS SI ALGEBIS TREMES. Adrianus Turnebus ex auctoritate codicis manu scripti bona ex parte hunc versum restituit. sic enim legit, *est iocus, est familia; sapiens si algebis, tremes.* atque ita explicat: quantumvis facetus et urbanus sis, quantumvis bono loco natus, tamen ista non facient, quin, si algeas, tremas. docte et praeclare; itaque ego eum secutus sum, praeterquam quod ex unius item ms. codicis auctoritate reposui *locus;* ut excepto illo urbanitatis bono eadem sententia maneat: quantumvis honesta in familia, quantumvis bono et honesto loco natus sis, tu sapiens effugere non poteris, quin, si algeas, tremas.

C. 71. §. 289. NATURIS ALIORUM IRRIDENDIS IPSORUM RIDICULE INDICANDIS. codices duo manu scripti habent *iudicandis.* omnino mihi hic locus suspectus est. fortasse legendum est *suis ipsorum ridicule indicandis* [inserenda haec sunt Orellianis p. 314. et Romanae editt. a. 1468. et 1469. proclivi lapsu *iudicandis* prae se ferunt.].

C. 74. §. 297. QUUM QUIDEM EI FUERIT OPTABILIUS OBLIVISCI POTIUS POSSE QUOD MEMINISSE NOLLET. videtur legendum *optabile oblivisci potius posse*, aut delendum *potius* [neutrum placet: non enim raro additur comparativis aliud vocabulum, in quo vis inest comparationis. vid. Perizonium ad Sanctii Min. 4, 9. Tom. 2. p. Lips. edit. 359. et cf. Heusinger. ad Vechneri Hellenolex. c. 2, 6. p. 168.].

|| C. 75. §. 305. UT QUUM TE IPSUM SULPICI OBIURGABAM QUODP. MINISTRATOREM PETERES NON ADVERSARIUM. sic habent omnes fere libri vulgati et aliquot mss., alii *me oratorem.* ego autem *ministratorem* retineo, *me oratorem* reiicio, quod puto esse declarandi causa annotatum, deinde in contextum translatum [inter- 320. a.

pretamentum tenuit Romana edit. Hahn. a. 1468., Pannartz. vero a. 1469. dedit *ministratorem.* huius editionis exemplum asservatur in Bibl. Regiae Univers. Rhenanae Bonnensis, quo utor. docta manus correxit *me ministratorem*, in marginem reposita altera lectione *oratorem.*].

C. 77. §. 311. QUAE ETSI NIHIL DOCENT ARGUMENTANDO PERSUADENDO TAMEN ET COMMOVENDO PROFICIUNT PLURIMUM. videtur legendum *conciliando tamen et commovendo.* nam qui argumentatur quive argumentando docet, persuadet.

§. 312. SI HABET EAM CAUSA DIGNITATEM EAMQUE COPIAM RECTE UT FIERI POSSIT. secutus sum libros vulgatos, quibuscum congruunt nonnulli manu scripti. nam quidam alii habent *si habet ea res eam causam dignitatis atque utilitatis;* mendose opinor [Rom. edit. Hahn. 1468. sic habet, *si habet ea res causam dignitatis atque copiam tamen utilitatis.* a vero propius abest Pannartz. a. 1469. sic repraesentans hunc locum, *si habet cum causa dignitatem atque copiam*, omissis reliquis. corrigendum erat *si habet eam causa dignitatem.* sed docta manus adscripsit illud *res*, ut sit hoc modo, *si habet res cum causa dignitatem.*].

Ibid. EAEQUE CAUSAE SUNT AD AUGENDUM ET AD ORNANDUM GRAVISSIMAE. quidam libri veteres habent *ad agendum atque ornandum*, quidam alii *ad agendum atque orandum*, alii ita ut nos excudendum curavimus; quae scriptura reperitur in plerisque vulgatis.

C. 78. §. 317. QUANTO HOC MAGIS IN ORATIONE EXSPECTANDUM EST. sic habent duo libri mss. et omnes fere vulgati, tres alii mss. *spectandum est.* quidam docti viri legi volunt *praestandum est* [*expectandum* Rom. edit. Hahn. 1468., *spectandum* Pannartz. 1469., sed utraque omisso substantivo.].

C. 79. §. 321. AUT EX RE AUT EX EIS APUD QUOS AGITUR SENTENTIAS DUCI LICEBIT. sic habent duo libri manu scripti, vulgati *decebit.*

§. 324. AD MOTUS ANIMORUM CONFICIENDOS. quidam legunt *conciendos.*

C. 80. §. 326. VIDEANT ILLAM. secutus sum tres libros manu scriptos; nam vulgati habent, nisi fallor, mendose *videlicet illa. videant illam* autem scilicet narrationem, quae est apud Terentium in Andria [I. 1, 24.]: *Nam is postquam excessit ex ephebis.* verumtamen, ut dicam quod sentio, mihi videntur neque *videlicet illa*, neque *videant illam* Ciceronis esse, sed aliunde illata.

§. 328. ET MULTO APERTIUS AD INTELLIGENDUM EST SI CONSISTITUR ALIQUANDIU AC NON ISTA BREVITATE PERCURRITUR. hunc locum in vulgatis depravatum sic emendavi ope veterum codicum. nam vulgata lectio *constituitur* ferri non potest.

C. 82. §. 335. PRAESIDII MILITUM CETERARUM RERUM. vocem *utilitates*, quae huc fuerat inculcata, delevi [Hahn. a. 1468. dedit *utilitates et ceterarum rerum*, Pannartz. a. 1469. *utilitates ceterarum rerum.*

C. 83. §. 339. SI QUOQUO [sic corrigendum quum ex Annotatione p. 320., tum ex Indiculo Erratorum p. 384.] ANIMI VITIO DICTUM ESSE ALIQUID VIDEATUR. liber unus ms. habet *si cum animi vitio* [et sic habet cod. Gud. 2.]; ex qua scriptura quidam legendum putant *si quocunque.* ego, si quid mutandum sit, malim legi *si quo alio animi vitio*, aut codicis veteris scripturam reponi, aut vulgatam lectionem retineri *si quoquo animi*, praeterea paullo ante, ubi est *orationis peccato aliquo*, quidam legendum putant *oratoris peccato aliquo.*

C. 84. §. 341. NEC ILLUD TERTIUM GENUS EST DIFFICILE. vocem *laudationem* [Romm. editt. a. 1468. et 1469. maluerunt *laudationis*] delendam censeo, quam verisimile est ex ora libri in contextum esse translatam. per tertium genus enim *laudationes* significantur, quae tertium genus causarum constituunt. at qui tertium laudationum genus dicit, tria laudationum genera a se poni significat. ad hunc locum pertinent illa, quae sunt supra paucis post principium huius libri paginis [141, 16. C. 10. §. 43.]: *Nam illud tertium, quod et a Crasso tactum est et, ut audio, ille ipse Aristoteles, qui haec maxime illustravit, adiunxit, etiam si opus est, tamen minus est necessarium. quidnam? inquit Catulus; an laudationes? id enim video poni genus tertium.* non dicit *laudationum genus tertium.*

Ibid. QUAE AD ORATIONIS LAUDEM MINIME ACCOMMODATA EST. codex manu scriptus habet *ad oratoris laudem* [vid. ad I. Herenn. C. 10. §. 17.].

§. 344. SAPIENTIA ET MAGNITUDO ANIMI QUA OMNES RES HUMANAE TENUES ET PROPE PRO NIHILO PUTANTUR. verbum *geruntur*, quod fuerat ab indoctis inculcatum, sustuli partim auctoritatem codd. mss. secutus, partim ratione adductus [illud *prope* neque apparet in codd. Gud. 38. et August. XII, 13. abestque ab Rom. edit. a. 1469., satis tamen firmatur quum aliorum librorum tum Gud. 2. et Rom. Hahn. a. 1468. auctoritate. quem librum qui descripsit e vetere codice, deceptus similibus confinium vocabulorum ductibus, *prope* dedit pro *et prope pro* vel potius *propeque pro.*].

Ibid. ADMIRATIONIS HABET NON MINUS, IUCUNDITATIS MINUS. duo codd. mss. habent *admirationis habet multum* [Romana editio Hahn. a. 1468. *admirationis habet multum minus vere iocunditatis*].

Ibid. FERIUNT ENIM AURES HOMINUM QUUM ILLA QUAE IUCUNDA ET GRATA TUM ETIAM ILLA QUAE MIRABILIA SUNT IN VIRTUTE LAUDATA. quum in omnibus libris et manu scriptis et vulgatis reperissem *feriunt* et in uno ms. *laudati*, ego ex *laudati* feci *laudata*, levi immutatione facta. placet tamen mihi magno opere P. Victorii coniectura, qui putat esse legendum, *ferunt enim aures hominum quum illa quae iucunda et grata, tum etiam illa quae mirabilia sunt in virtute laudari* [Victorii coniecturam egregie firmant quum alii libri, tum Gudd. 2. et 38. et August. XII, 13., firmant ex editorum numero Hahn. a. 1468. et Pannartz. a.

1469., nisi quod haec habet illud *feriunt.*]. ut *aures* sit recti casus.

C. 86. §. 354. EFFINGENDA ANIMO ATQUE IN HIS LOCIS COLLOCANDA. codex unus manu scriptus habet *effigenda animo;* unde suspicor legendum *affigenda animo.* sic enim paucis post versibus loquitur [p. 177, 11. C. 87. 357.], *ea maxime animis affigi nostris, quae essent a sensu tradita atque impressa.* quamquam ille ipse locus sic legitur in alio codice ms., *ea maxime animis effingi nostris.*

C. 87. §. 358. IMAGINIBUS AUTEM AGENTIBUS. codex unus manu scriptus habet *ingentibus;* mendose, opinor [labem eandem concepit Rom. edit. a. 1469.].

b. Ibid. || ET SIMILIUM VERBORUM CONVERSA ET IMMUTATA CASIBUS AUT TRADUCTA EX PARTE AD GENUS NOTATIO. quidam libri habent *conversa et imminuta casibus*, nonnulli alii, quibuscum aliquot vulgati consentiunt, *conservata et immutata* [primum *et* abest ab editt. Romm. a. 1468. et 1469., tum harum altera, quae est Pannartzii, tenet cum reliquis *conservata et immutata.*].

C. 89. §. 362. ET PRO MEO FRATRE RESPONDEO. tres libri mss. habent *et pro meo fratre spondeo.* ego tamen nihil immutandum censeo [Hahn. a. 1468. sic habet. *pro me hoc et meo fratre respondeo*, Pannartz. a. 1469. *pro me hoc et pro meo fratre spondeo.*].

§. 263. NEMINEM SAPIENTIAE ET ELOQUENTIAE LAUDEM SINE SUMMO STUDIO ET LABORE ET DOCTRINA CONSEQUI POSSE. in duobus codd. mss. non est vox *sapientiae.*

§. 364. SUBSECIVIS OPERIS UT AIUNT. sic habent aliquot libri manu scripti, nonnulli *subsicivis;* quod aeque probandum est. atque alterutro modo sine dubio legendum est; quod qui negant, eos fenum esse oportet [de vocabulo *subsecivus* sive *subsicivus* cff. Parei Lex. Crit. p. 1194. sqq. et Gesneri Thes. L. L. Tom. 4. p. 612, 56. sqq. praeterea post Chr. Godofr. Schützium Rhetoricorum Vol. 2. P. 2. 281. haec notabo, in codd. Gud. 2. esse *quae subsicui operis*, in August. XII, 13. vero *quae substitui subsicivis operis.* totum hunc locum sic dedit Hahn. a. 1468. *An se hoc nescire? quae ego sero cursim arripui, quae subsicivis operis?* horum Pannartz. a. 1469. nonnulla retinuit, alia mutavit librarius, suum sequutus iudicium. dedit ille primum *an se nescire*, tum *quae cursim arripui*, dempto utrobique pronomine. et Nonius Marcellus (2, 815. p. Mercer. 175, 4.) a. 1476. *An se haec nescire quae ego sero: succedunt omnes, ut aiunt.*].

III. C. 1. §. 4. NON TIBI ILLA SUNT CAEDENDA SI CRASSUM VIS COERCERE. codex unus ms. habet *sunt concidenda*, et statim infra *incidenda lingua* [in *caedenda* consentiunt codd. Gudd. 2. et 38. cum August. XII. 13., praenomen *Lucii* Crasso vindicant Gud. 2. et Romm. editt. a. 1468. et 1469.].

C. 2. §. 5. UT POPULO ROMANO SATIS FIERET. duo libri mss. habent *satisfaceret.*

§. 8. SED II TAMEN REM PUBLICAM CASUS SECUTI SUNT. codex unus manu scriptus habet *sed ii tamen rei publicae casus secuti sunt.*

C. 5. §. 19. NEQUE VERBA SEDEM HABERE POSSUNT SI REM SUBTRAXERIS. codex unus antiquus habet *neque verba fidem.* ego nihil muto.

§. 20. QUI OMNIA HAEC QUAE SUPRA ET SUBTER UNUM ESSE ET UNA VI ATQUE UNA CONSENSIONE NATURAE CONSTRICTA ESSE DIXERUNT. in uno codice manu scripto non est *quae*, et in duobus paullo post ita legitur *atque consensione*, sine voce *una* [et ab Rom. edit. a. 1469. abest.].

C. 6. §. 23. RIVIS EST DIDUCTA ORATIO NON FONTIBUS. duo libri mss. [et Rom. edit. Pannartzii] habent *rivis est deducta.*

§. 24. NON PARTITIS EXPRESSISQUE SENTENTIIS. sic omnes quidem habent libri et manu scripti et vulgati; sed quid sibi velit hoc *partitis*, non video. alii legendum putant *non paratis*, alii *non partis*, ego non *repertis.* ita enim *reperire sententias* dicere licet, ut supra proxime *verborum ornatum inveniri.* atque hoc etiam modo loquitur in Bruto. *paratis* tamen probo.

C. 7. §. 27. QUAMQUE OMNIBUS PAR PAENE LAUS IN DISSIMILI SCRIBENDI GENERE TRIBUATUR. sic restitui reclamantibus libris omnibus, levi tamen immutatione facta, nempe ex *quamquam*, quod est in omnibus libris, facto *quamque.* referuntur enim haec ad illud *quam sint inter sese Ennius, Pacuvius Acciusque dissimiles.*

§. 28. extr. ET SUO TAMEN QUISQUE IN GENERE PRINCEPS. codex unus manu scriptus habet *princeps fuit.* unde suspicor vel sic esse legendum, *quis horum non princeps temporibus illis fuit? et suo tamen quisque in genere princeps fuit;* vel sic, *quis horum non princeps temporibus illis et suo tamen quisque in genere princeps fuit?*

C. 9. §. 36. UT ID CONFORMARET IN UTROQUE QUOD UTRIUSQUE NATURA PATERETUR. quum ita restituendum iampridem sine auctoritate codicum veterum existimassem, codex unus ms., in quo *conformaret* sine ulla litura scriptum reperi, paucis abhinc mensibus iudicium meum comprobavit [cf. ad I. de Orat. C. 5. §. 17.].

C. 10. §. 38. PURI DILUCIDIQUE SERMONIS. libri duo mss. habent *lucidique sermonis.*

C. 11. §. 41. ME AUTEM TUUS SONUS ET SUAVITAS ISTA DELECTAT. qui pro *suavitas*, ut erat in omnibus libris vulgatis, reposuerunt *subtilitas*, quamvis repertum in cod. ms., iudicio et

sensu se carere declararunt. nam et ex iis, quae, tertio abhinc versu sequuntur, perspicuum est *suavitas* legendum, ibi, *sed hanc dico suavitatem quae exit ex ore,* et ex illis quae posterius leguntur, ibi [p. 184, 2. §. 43.], *tamen eruditissimos homines Asiaticos quivis Atheniensis indoctus non verbis sed sono vocis, nec tam bene quam suaviter loquendo facile superabit* [cum Lambino facit codex Gud. 38.; nam a Gud. 2. fol. abest totus hic locus inde a verbis *etsi admonitum* C. 5. §. 17. usque ad illa C. 28. §. 110. *sed ita;* tertius Aug. XII, 13., quem utique in Gudianis numerant, cum Romana utraque in *subtilitas,* errore plane tralaticio, consentit, quarum quae priore loco est, Hahn. 1468. *et ista subtilitas*, altera Pannartz. 1469., suum et ipsa codicem ab Hahniano exemplo diversissimum secuta, *et subtilitas ista* repraesentat.].

§. 43. extr. Q. VALERIUM SORANUM. fortasse legendum *Serranum* [sed vide disputata ab Ellendtio ad Brut. C. 46. §. 169. p. 122.].

C. 12. §. 44. IN QUA NIHIL OFFENDI NIHIL DISPLICERE NIHIL ANIMADVERTI POSSIT. quidam legi volunt *nihil offendere.*

§. 45. UT NIHIL OSTENTATIONIS AUT IMITATIONIS AFFERRE VIDEATUR. sic habent omnes libri vulgati et item manu scripti praeter unum et si forte alterum, in quibus est *auferre;* plane mendose. ego, si quid mutandum sit, malim legi *praeferre* aut *prae se ferre* [cf. Heusinger. ad I. de Off. C. 3. §. 9. p. 29.].

§. 47. TU VERO INQUIT ILLE QUONIAM MONUIT IDEM UT EA QUAE IN QUOQUE MAXIMA ESSENT IMITAREMUR. sic emendavi hunc locum ex optimi codicis auctoritate, in vulgatis plane mendosum. *tu vero* subintelligendum potes me sine periculo reprehendere [et codd. Gud. 38. et August. XII, 13. et Romm. editt. a. 1468. 69. tuentur absurdissima haec, *tum ille tum quod monuit idem.*].

C. 14. §. 51. QUAM ALIAS RES AGAMUS. sic legendum, non ut in aliis libris *quum alias res agamus.* est autem εἰρωνεία.

Ibid. RELICTIS UT REBUS OMNIBUS. sic omnes quidem habent libri veteres et item vulgati, sed delenda fortasse vox *omnibus;* sic enim loquebantur antiqui. Plautus Truculento [II. 1, 25.], *Probus est amator qui relictis rebus rem perdit suam.* Teren-
p. 321. tius An ‖ dria [II. 5, 1. sq.], *Herus me relictis rebus iussit*
a. *Pamphilum Hodie observarem, quid ageret de nuptiis.* Lucretius libro 3. [v. 1085. sq.], *Quam bene si videat, iam rebus quisque relictis Naturam primum studeat cognoscere rerum* [cf. Parei Lex. Crit. p. 1070.].

C. 15. §. 56. SED CONSILIO AD VITAE STUDIA DISPARI. legendum fortasse *ac vitae studio dispari.*

C. 17. §. 63. extr. HAC PRAESERTIM RE PUBLICA. sic restitui reclamantibus libris quidem omnibus, sed leviter immutatis. nempe ex copulatione *ac* feci *hac;* quae lectio perspicue recta est [Lambino unus favet cod. August. XII, 13., in quo sic est, *ac,* id est, *hac praesertim re publica.* reliqui, quos equidem adhibui, omnes inepte sane, cod. Gud. 38. et edit. Rom. a.

1468 *hac praesertim a re publica*, Rom. a. 1469. *ac praesertim etiam a re publica*.]. supra autem versu 6. [c. 16. §. 61.] legendum *discidium* per *c* a verbo *discindo*, et ita excudi iusseram, quod ita habeant omnes libri manu scripti [vid. Ruhnken. ad Mureti Oratt. Opp. Tom. 1. p. 33.].

C. 20. §. 74. ANNOSQUE NATUS UNDEVIGINTI. sic legendum reclamantibus libris omnibus. scribit enim Tacitus [Dial. de Oratt. c. 34, 8. p. Dronk. 44.] hoc esse factum a Crasso decimo nono aetatis anno [sed cf. Ciceronem Bruto C. 43. §. 159. et II. de Off. c. 13. §. 47.].

C. 21. §. 80. IN UTRAMQUE PARTEM POSSIT DICERE. quum in duobus libris mss. ita scriptum reperissem *in utramque partem sententiam possit dicere*, vulgati autem omnes haberent *in utramque sententiam possit dicere*, vocem *sententiam* delevi, suspicatus eam primum adscriptam esse ab aliquo lectore ad verbum *dicere*, deinde scriptorem aliquem indoctum eam vocem in contextum coniecisse, postremo alium omissa vera voce *partem* eam, quae esset adulterina, retinuisse. si quis tamen lectionem vulgatam probabit magis *in utramque sententiam*, id per me faciat licebit.

§. 81. PULLOS SUOS EXCLUDERE E NIDO QUI EVOLENT. sic habent tres codd. mss., praeterquam quod distinctionem immutavi, vulgati autem *excludere in nido;* quae scriptura mihi minus concinna visa est [cf. Nonium Marcellum haec excitantem 2, 105. p. Mercer. 82, 19. Gothofr. 530.].

C. 23. §. 86. AT Q. VELOCIUS PUER DIDICERAT [hoc in contextu verborum Ciceronis Lambinus maluit quam *addidicerat*.]. secutus sum in hoc loco restituendo P. Victorii Florentini coniecturam, quam explicat VV. LL. 6, 21. [cf. Adr. Turneb. Adversarr. 25, 10.]. fuerunt autem *Samnites* gladiatorum genus sic appellatum a Samnitibus Italiae populis. *magister Samnitum* seu *Samnitium* id est gladiatorum [cf. Lips. Saturnn. 2, 7. sqq. Opp. Tom. 3. p. Vesal. edit. 936. sqq. et Io. Passerat. Epp. 60. in Thes. Crit. Gruter. Tom. 1. p. 812. sqq.].

Ibid. SAMNIS IN LUDO AC RUDIBUS CUIVIS SATIS ASPER. quum libri vulgati omnes recentiores habeant *causis*, manu scripti autem partim *cuius* partim *cuuis*, et ita fere vulgati antiquiores; neque ullo modo quadret ad hunc locum vox *causis:* ego *cuivis* reposui, proxime accedens ad scripturam librorum manu scriptorum [firmant correctionem codd. Gud. 38. et August. XII, 13. *civis satis asper* coniecerat Iustus Lipsius LL. AA. 5, 2. Opp. Tom. 1. p. Vesal. edit. 420. et sic est in edit. Rom. a. 1469.]. *rudibus* autem id est virgis, quibus gladiatores donabantur, quum a populo liberabantur, quibusque interdum dimicabant discendi causa [rem tetigit Lambinus Commentariis Horatianis ad I. Epp. 1, 2.].

[§. 87. DIES ET NOCTES VIRUM SUMMA VIRTUTE ET PRUDENTIA VIDEBAMUS PHILOSOPHO QUUM OPERAM DARET Q. TUBERONEM. Hahn. edit. a. 1468. *quotidie enim virum summa virtute et prudentia*

videbamus. Pannartz. a. 1469. *dies et noctes quotidie enim.* sed hoc ipsum *quotidie* glossam sapit, quae successit in locum verae scripturae. II. Philipp. c. 45. §. 116. *Quae est autem vita, dies et noctes timere a suis?* scripti quidam editique libri habent *multos dies timere a suis.*].

§. 88. LIBET AUTEM SEMPER DISCERE. quidam putant haec cum superioribus ita esse connexa, ut uno quasi spiritu contineantur, hoc modo, *memoria studiumque permaneat, libeat autem semper discere: ut si velim ego talis optime ludere, aut pilae studio tenear, etiam fortasse si assequi non possim.*

C. 24. §. 94. NAM APUD GRAECOS CUICUIMODI ESSENT. vel sic legendum ut restitui *cuicuimodi,* vel *cuiuscuiusmodi,* id est cuiuscumquemodi [alterum, ignarus huius correctionis, reponi volebat Io. Aug. Görenzius ad II. de Legg. c. 5. §. 13. Philosophh. Tom. I. p. 121.]. praeterea infra, ubi est in vulgatis *humanitatem dignam scientia,* adiutus a codicibus antiquis *humanitate dignam scientiam* reposui.

C. 25. §. 99. ET MAGIS LAUDARI QUAE TERRAM QUAM QUAE CROCUM OLERE VIDEANTUR. secutus sum codices vulgatos et aliquot manu scriptos, quamvis altera lectio, quae est in uno et altero manu scripto, sit probabilis et speciosa *quod ceram quam quod crocum olere videatur* [est in meis libris Gudd. 2. et 38. et August. XII, 13., item principibus Romanis, Hahn. a. 1468. et Pannartz. a. 1469]. movit me Plinius, qui hunc locum testem producit XVII, 5. [sect. 3. Tom. 2. p. Harduin. 53.]. *certe Cicero lux doctrinarum altera, Meliora, inquit, unguenta sunt, quae terram quam quae crocum sapiunt. hoc enim maluit dixisse, quam redolent.* ex quibus Plinii verbis et hoc apparet, hic apud M. Tullium legendum *sapere videantur.* putant tamen quidam Plinium esse mendosum et utrobique legendum *ceram* [Brodaeus Miscellann. 4, 5. eumque secuti Scaliger et Salmasius ad Solin. p. 1063. cf. Plin. 13, 3. sect. 4. Tom. 1. p. 682.].

Ibid. QUIQUE DULCITUDINE PRAETER CETEROS SENSUS COMMOVETUR. sic excudendum curavi, quamquam reclamantibus libris omnibus, Nonii Marcelli auctoritatem secutus, qui hunc locum proferens in nomine *dulcitudine* ita legit [2, 215. p. Mercer. 96, 26. Gothofr. 538., ubi locus citatur e libro III. de N. DD. in *dulcitudine,* rariore verbi forma et novata a Cicerone, consentiunt libri mei quum scripti tum editio Rom. Hahn. a. 1468. (nam altera, quae est Pannartzii, servat *dulcedine*), neque aliud interest inter haec duo, *dulcedinem* et *dulcitudinem,* quam quod alterum a *dulceo* deductum est substantivum a verbo, alterum ab adiectivo factum videtur. quo de genere formarum accurate, ut omnia, monuit vir plane egregius C. Frid. Heinrichius Emendatt. et Coniecturis ad Cic. de Re P. librum primum p. 160. sq.]. infra quoque paucis post versibus, ubi vulgo legitur *sine reprehensione* [§. 100.], *sine respiratione* reposuimus, ab illo loco admoniti in Orat. Perf. [p. 252, 26. nobis C. 16. §. 53.],

distincta alios et interpuncta, intervalla, morae, respirationesque delectant.

§. 100. QUOD SENSU IN NIMIA VOLUPTATE NATURA NON MENTE SATIATUR. ordo verborum hic est, quod natura in nimia voluptate sensu, non mente satiatur. ita autem esse legendum, non ut in vulgatis *sensus in nimia voluptate*, ratio et veritas ipsa pervincunt. iam paullo ante, ubi vulgo legitur *non posse in delectatione esse diuturna*, neque aliter in libris manu scriptis, ego malim legi *diuturnam*, ut referatur ad illa, poesim vel orationem *concinnam, distinctam, ornatam, festivam.*

C. 28. §. 109. AUT INFINITA DE UNIVERSO GENERE QUAESTIONE. hunc locum, qui sic legitur in vulgatis *aut infinite de universo genere quaerentis*, emendavi ex iis quae paullo post sequuntur, *haec autem altera quaestio infinita et quasi proposita consultatio appellatur.*

§. 110. AUT VI DENIQUE RECUPERARE AMISSAM POSSESSIONEM. quis neget hunc locum εὐστοχώτατα esse restitutum? adiuverunt me tamen nonnihil codd. mss., in quibus *aut denique* scriptum || reperi, non ut in vulgatis *ut denique.* b.

Ibid. UT PRAETERIRI OMNINO FUERIT SATIUS QUAM ATTACTUM DESERI. sic restitui partim coniectura ductus, partim auctoritate codd. mss. fretus. alii enim plane et sine ulla litura habent *attactum*, alii *ac tantum*, alii *ad tantum*; quae duo posteriora depravata sunt ex recto *attactum* [Romm. editt. a. 1468. et 1469. sic dederunt, *quam tale ac tantum deseri.*].

C. 29. §. 115. UT SI DISSERATUR IDNE SIT IUS QUOD MAXIMAE PARTI SIT UTILE. quidam libri manu scripti habent *deseratur*, plane mendose; ego *disquiratur* seu *quaeratur* legendum puto.

C. 31. §. 124. IN HOC IGITUR TANTO IMMENSOQUE CAMPO. quum in tribus libris manu scriptis reperissem ita scriptum *tanto tam immensoque campo*, coniunctionem *tam* delevi. licet tamen vulgatam lectionem tueri [tuentur codd. Gud. 2. et 38., August. XII, 13. editt. Romm. Hahn. a. 1468. et Pannartz. a. 1469. a Gudiano 38. tamen abest *que.*].

§. 125. NAE ILLE HAUD SANE QUEMADMODUM VERBA STRUAT ET ILLUMINET A MAGISTRIS ISTIS REQUIRET. *nae* particulam affirmantis vulgus scribit per *ae* diphthongum, sed docti plerique sine diphthongo; atque ita scriptum reperiri in libris manu scriptis testantur egoque reperi, verumtamen in praesenti consuetudinem secutus sum [cf. annotata ad Orat. pro Fonteio C. 6. §. 11., Cort. ad Sallustii Catil. 52, 27. p. 339., Voss. de Arte Gramm. 1, 43. p. 149.].

Ibid. SINE DUCE NATURA IPSA. quidam deleta praepositione *sine* legi volunt *duce natura ipsa* [deinceps in *delabetur*, quod est interponendum Orellianis p. 357., consentit cum Lambino cod. Gud. 2.].

C. 32. §. 127. QUAE DE REBUS PUBLICIS DISSERUNTUR. quum in nonnullis mss. scriptum reperissem *diceruntur* et supra *continentur*, non ut in vulgatis *continerentur*, ego sic excudendum

curavi *quae de rebus publicis disseruntur.* nam sic et infra non longe loquitur [§. 128.], *quorum unusquisque plurimum temporibus illis etiam de natura rerum et disseruit et scripsit.*

Ibid. SED ANNULUM QUEM HABERET. haec ex Platonis Hippia Minore, ubi sic Socrates [p. 368. B. Part. I. Vol. 2. p. Bekker. 210.], *ἔφησθα δὲ ἀφικέσθαι ποτὲ εἰς Ὀλυμπίαν, ἃ εἶχες περὶ τὸ σῶμα ἅπαντα σαυτοῦ ἔργα ἔχων, πρῶτον μὲν δακτύλιον κ. τ. λ.* id est, *dixisti autem te aliquando Olympiam venisse, quum ea omnia, quae gereres quaeque indutus esses, abs te facta essent, primumque annulum quem haberes*, et reliqua.

C. 33. §. 135. ATQUI UTROQUE IN GENERE ET ELABORAVIT ET PRAESTITIT. quum libri manu scripti habeant partim *atque utroque*, partim *quia utroque*, dubito utrum potius sit reponendum *atqui utroque*, an *quin utroque*. mihi quidem alterutro modo legendum videtur [abest illud *atqui* sive potius *at*, quod unde in contextum verborum irrepserit praecedente *negligebat* nemo est qui non videat, a cod. Gud. 2. aliisque libris. tum *elaboravit* comprobatur iudicio egregii viri Car. Beieri Comment. ad. I. de Off. C. 1. §. 3. Tom. 1. p. 8. sed cff. ab Goerenzio disputata ad Cat. Mai. C. 7. §. 24. p. 46. et Doering. Synon. P. 1. p. 116.].

C. 34. §. 138. AT HUNC NON CLAMATOR ALIQUIS. quid erat quare consensum omnium librorum manu scriptorum aspernarer ac repudiarem, in quibus legitur *clamator*, non *declamator* [de meis solus Gud. 2. maluit *declamator*]?

C. 38. §. 153. NEC PROLEM AUT SUBOLEM. *subolem* esse dicendum, non *sobolem*, iam pridem admonuimus ex Festo et aliis grammaticis antiquis [Commentariis Horatianis III. Carmm. 13, 8.].

§. 154. TUM PAVOR SAPIENTIAM MIHI OMNEM EX ANIMO EXPECTORAT. quod *ex animo* excudendum curavi, non *exanimato*, ut habent codd. mss., in eo Nonium secutus sum [qui hunc locum excitat 1, 52. p. Mercer. 16, 7. Gothofr. 491. Nonii tamen editio Veneta a. 1476. sic dedit, *tum pavor sapientiam mihi omnem exanimato expectorat*]; quod autem *ex animo* separatim, vulgatos codices et rationem. nam si *exanimo* legeremus, quomodo ei, qui iam animo caret, sapientia ex animo aut ex pectore eiici potest? dictum autem *ex animo expectorare*, quemadmodum *οἰνοχοεύειν οἶνον*, et *aedificare aedes*, et illud Caelii in Annalibus *in latebras inlatebrare* apud Nonium [2, 466. p. Mercer. 129, 23.]. est autem hic versus Ennii iterumque profertur a M. Tullio IV. Tusc. Quaestt. [p. 165, 50. id est C. 8. §. 19. et hoc quidem loco codd. Gud. 2., Rehdigeranus et Duisburgensis, a me diligenter explorati, consentiunt in *sapientiam omnem mihi ex animo* sive *ex anima.* tum Gud. 2. *expellerat*, Rehdig. *pellerat*, Duisburg. *expectaret*, alius aliud erroris genus refert. Lambini ratio probatur Bothio Scenn. Poett. Latt. Vol. 5. p. 32., paucissima quaedam, ut metri Trochaici lex constet, immutanti ac ne immutanti quidem, *mi* pro *mihi*, *animod* pro *animo* reponenti.].

Ibid. NUMQUID VERO NON VIS HUIUS ME VERSUTILOQUAS MALITIAS. hic versus alio atque alio modo scriptus reperitur in codd. mss.; quin ne Nonius quidem [2, 922. p. Mercer. 189, 8. Gothofr. 591.] ita profert, ut est in vulgatis, ut omittam, quod eum profert tanquam Ciceronis, quum sit vel Accii vel Pacuvii. secutus sum autem probabilissimam scripturam, ita ut sit octonarius iambicus [cf. Bothium l. l. p. 75.]. neque vero est quod in huius versus sententia exquirenda valde laboremus, quum aliquid desit ad sententiae integritatem. satis enim habuit M. Tullius ostendere et ex nomine *versutiloquas*, quod est in hoc versu, et ex verbo *expectorat*, quod est in superiore, verba interdum novari per coniunctionem seu compositionem, ut vulgo loquimur.

Ibid. UT ILLUD DISERTI SENIS DII GENITALES. sic reposui partim codd. mss. secutus, partim coniectura ductus. vulgata enim lectio ferri non poterat, quum *ingenitalis*, si modo nomen est Latinum, sit nomen iunctum, hic autem subiici debeat exemplum nominum novatorum sine compositione, quale est nomen *genitalis*. per *disertum senem* autem Ennius significatur, cuius est hic versus [apud Servium Commentariis in Virgil. Aen. 6, 764. Tom. 3. p. 120. cf. Cic. I. Tusc. C. 12. §. 28.], *Iuppiter in caelo cum dis Genitalibus aevum Degit.*

Ibid. INCURVISCERE. sic reposui auctoritate et testimonio Nonii Marcelli adductus, qui ita profert in verbo *incurviscere* [2, 412. p. Mercer. 122, 17. Gothofr. 553.]. versus autem integer, et aliquot alii ad eandem sententiam pertinentes referuntur primo libro Tusculanarum Quaestionum, cuiuscunque sint poetae [p. Lamb. 126, 28. nobis c. 28. §. 69.].

C. 39. §. 157. INHORRESCIT MARE. hic versus integer est libro primo de Divinatione [p. 259, 41. C. 14. §. 24.], *Interea prope iam occidente sole inhorrescit mare, Tenebrae conduplicantur, noctisque et nimbum occaecat nigror.* sunt autem Pacuvii versus [apud Bothium l. l. p. 121.].

§. 158. SI TELUM MANU FUGIT. sic omnes quidem libri habent; sed docti quidam viri, a quibus non libenter dissentio, scribendum existimant *si telum manum fugit* [cf. ad Topic. C. 17. §. 64.], quemadmodum Homerus dicit [Iliad. δ', 350. ξ', 83., Odyss. α', 64. aliisque locis], *ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων*, id est, *quale tibi verbum vallum dentium fugit? qualis oratio labra tua fugit?* id est, cur tam inconsiderate locutus es?

C. 40. §. 159. UT NEXUM QUOD PER LIBRAM [hoc in contextu verborum Ciceronis p. 197, 16. Lambinus maluit, quam quod vulgo editur *per aes et libram* cf. Orell. Vol. 1. p. 364.] AGITUR. sic Festus *nexum* definit [p. Gothofr. 127.]: *Nexum est quodcunque per aes et libram geritur, idque necti dicitur, quo in genere sunt testamenti factio, nexi datio, nexi* || *liberatio.* Varro p. 32 a. autem libro sexto de Lingua Latina [c. 5. p. Gothofr. 58.] refert Manilium item scripsisse, *nexum esse omne quod per aes et libram geritur, sed ita, ut in eo sit res mancipi* [vidd. quos

laudavit Gesner. Thes. L. L. Tom. 3. p. 415, 84. ceterum codd. Gudd. 2. et 38. Aug. XII, 13. in vulgata lectione *quod per libram agitur* consentiunt. Rom. vero edit. Hahn. 1468. *ut nexum quod libra agitur*, Pannartz. a. 1469. *ut nexus quo libra agitur*, non *quod libra agitur*, ut est apud Orell. p. 364., suum utraque codicem secuta prae se ferunt.].

Ibid. UT IN UXORE DIVORTIUM. nam proprie dicuntur aquarum et fluminum divortia, ut supra [p. 187, 8. C. 19. §. 69.], *haec autem ut ex Apennino fluminum, sic ex communi sapientium iugo sunt doctrinarum facta divortia.*

§. 161. ET DULCEDO ORATIONIS. non dissimulabo me in uno cod. ms. reperisse scriptum *dulcitudo;* verumtamen *dulcedo* retinui, non pugnaturus si quis alterum malit. nam et supra hoc eodem libro [p. 190, 26. c. 25. §. 99.] eadem voce est usus, ut ostendimus ex Nonio Marcello.

C. 41. §. 164. COMISSATIO TEMPESTATIS. sic excudendum curavimus Varronis auctoritatem secuti libro sexto de Lingua Latina [c. 5. p. 56.]. nisi forte apud Varronem *comassatio* legendum sit, a verbo Graeco κομάζω, quod est natum ἀπὸ τοῦ κώμου. nam neque *comesatio* neque *comessatio* scribi aut dici debet [cff. Commentt. Horatiana ad IV. Carmm. 1, 11. p. 212. F. et vid. Bentlei. ad Terent. Eun. 3. 1, 52.].

C. 42. §. 168. extr. NOS SUMU' ROMANI QUI FUIMUS RUTULI. secutus sum libros vulgatos; nam manu scripti habent *qui fuimus ante Rutilli*, quam scripturam mendosam esse puto [utrumque mendosum, et *Rutilli* et *Rutuli*. verum est *Rudini*, auctore etiam Lipsio LL. AA. 5, 2. Opp. Tom. 1. p. Vesal. 421., qui sic compleri putabat versum heroicum, ut rescriberet *qui fuimus ante Rudaei* sive *Rudini*. coniecturam firmat cod. Gud. 2. et Rom. Hahn. a. 1468. e Pannartz. a. 1469. notandum *qui fuimus ante Rutilius*. cf. Orat. pro Arch. p. Lamb. 389, 42. nobis C. 10. §. 22.].

C. 43. §. 170. AURIBUS CONSUETUDINIQUE PARENDUM. sic habent tres libri manu scripti et quidam vulgati, alii [in quibus codd. Gudd. 2. et 38. August. XII, 13. Rom. edit. Hahn. a. 1468.] *parcendum.*

§. 171. ET STRUERE VERBA. duo libri mss. habent *et instruere verba.* ego nihil muto.

Ibid. COAGMENTATUS ET LEVIS. nihil muto, quamvis doctus quidam censeat legendum et hic et ubivis locorum *coamentatus* et *coamentare* sine *g*, ab *amentis* quibus hastae vinctae iaciuntur, unde *hastae amentatae.* ego nondum consuetudinem scribendi receptam in hoc verbo immutare ausus sum [cf. annotata ad Brut. c. 17. §. 68.].

Ibid. ENDO PAVIMENTO ATQUE EMBLEMATE VERMICULATO. iam pridem admonuimus ita hunc versum esse legendum [Commentariis Lucretianis ad 2, 1094.]. *endo* autem valet *in*, ut *endoitium*, *endo procinctu*, *endo iure*, *endo plorato*, *endoiacito*, id est initium, in procinctu, in iure, implorato, iniicito. Lex

XII. Tabb. [Tab. 1., cuius tabulae haec ipsa verba expressit Lucilius 17. Satirr. 5. ad calcem Censorini Havercamp. p. 364.], *si calvitur pedemve struit manum endoiacito*, id est, si fallere aut fugere parat seu cogitat, manum iniicito. iam *emblemata vermiculata* sunt, ut docet Turnebus, dicta minutissima et elaboratissima varietate caelata, a vermiculis qui lingua erodentes species designant mira subtilitate et tenuitate insignes [ex Omissis Tom. 4. p. 624. haec addenda sunt: »sed videtur legendum »*atque emblemata vermiculata*, ut sit hic ordo verborum, quam »lepide lexes compositae sunt? omnes ita sunt compositae, ut »tesserulae et emblemata vermiculata in pavimento.« sed quae deinceps sequuntur in Omissis l. l., ea tanquam supervacanea et quae Lambino imprudenti exciderunt, omnino delenda videntur, ego certe negligenda esse duxi. ceterum hos versiculos integros adhibuit Cicero in Oratore C. 44. §. 149., particulam posuit in Bruto C. 79. §. 274. cf. Quintilianum IX. Inst. Orat. C. 4. §. 113.].

C. 45. §. 179. NULLAM PARTEM CORPORIS SINE ALIQUA NECESSITATE AFFICTAM. non video quare hic quicquam immutare debuerim; quamvis non negem in uno et altero cod. ms. scriptum esse *affectam*, ex quo alii fecerunt *effectam* [hoc dedit corrector codicis Gud 2., *affectam* habent Gud. 38. et August XII, 13.]. *afflictam partem* autem interpretor additam aut adiunctam seu adiectam.

Ibid. TOTAMQUE FORMAM QUASI PERFECTAM REPERIETIS ARTE NON CASU. semper suspicatus sum hunc locum esse mutilatum; nam non satis hic exprimitur quod vult et sentit M. Tullius. vult enim ostendere, in plerisque rebus utilitatem ac necessitatem cum dignitate et venustate coniunctam; idque praeclare in ceteris praestitit, hic autem necessitas satis aperte demonstratur, venustas obscurius. neque me codices manu scripti adiuverunt; nihil enim in eis varietatis reperi, nisi quod pro *afflictam affectam*, pro *perfectam refertam* in uno legitur. unde fortasse ita legendum videatur, *totamque summo quasi lepore refertam perfectam reperietis arte non casu.*

C. 46. §. 180. QUAM CARINA QUAM PRORA. libri tres manu scripti habent *quam caverna.* unde suspicari possit aliquis legendum esse *quam gubernacula* aut, quod propius accedit, *guberna. guberna* autem id est gubernacula, qua voce usi sunt Ennius et Lucretius et alii veteres [quod est in pluribus libris *cavernae,* Pearcii auctoritate receptum ab Ernesto summo viro, id mei quoque libri et Hahn. a. 1468. et Pannartz. a. 1469. non inepte defendunt. in navibus *cavernae* quae sint, docere instituit Servius Commentariis Virgilianis II. Aen. 19. Tom. 2. p. 192.].

C. 47. §. 182. extr. ALIAE SUNT GEMINAE. liber unus ms. habet *alterae;* ego nihil muto. quod si quid mutandum sit, ego legendum putem *at hae sunt geminae,* videlicet percussiones.

C. 48. §. 185. ETENIM SICUT ILLE SUSPICATUR EX ILLIS MODIS

QUIBUS HIC USITATUS VERSUS EFFICITUR. legendum videtur potius *ex illis pedibus*. deinde infra eodem versu delendam censeo vocem *numerus* atque ita legendum, *post anapaestus quidam procerior effloruit;* vel sic, *post anapaestus procerior quidam pes effloruit.*

C. 51. §. 198. QUUM CIRCUITUM ET QUASI ORBEM VERBORUM CONFICERE NON POSSENT. liber unus manu scriptus habet *quum circulum* [et sic dedit Gud. 2.].

C. 52. §. 199. ET TENUIS NON SINE NERVIS AC VIRIBUS. ego sublata negatione legendum *et tenuis sine nervis ac viribus* arbitror [cod. Gud. 38. et editio Rom. Pannartz. a. 1469. *et tenuis et non sine nervis ac viribus.*].

§. 200. AD GRAVITATEM ORATIONIS UTATUR. sequuntur deinceps in libris vulgatis haec verba, *ut ii qui in armorum tractatione versantur.* quae qui non videt esse supervacanea et aliunde invecta, nihil videt [libri recens a me collati mire turbant, primum a cod. Gud. 2. et edit. Rom. Pannartz. a. 1469. haec absunt *sic verbis quidem ad aptam compositionem et decentiam, sententiis vero ad gravitatem orationis utatur;* deinde insiticium illud *ut hi* sive *ii qui in armorum tractatione versantur* Gud. 38. et August. XII, 13. alieno loco intruserunt, deinceps post illa *ut cum venustae moveantur.*].

C. 53. §. 203. TUM REDITUS AD REM APTUS ET CONCINNUS ESSE DEBEBIT. liber quidam ms. habet *aptus et continuus* [Hahn. a. 1468. *aptus et concinnens*, quod ipsum habent codd. Quinctilianei ad. IX. 1, 28. Tom. 3. p. Spalding. 377.].

C. 55. §. 211. extr. DEBET VIDERI. secutus sum libros vulgatos; nam plerique manu scripti habent *debent videri* [hoc ipsum sive potius *debent videre* tenent Romanae editiones Hahn. a. 1468. et Pannartz. a. 1469., alterum firmatur auctoritate codd.
b. Gudd. 2. et 38. et August. XII, 13.]. ego puto haec ver ‖ ba non esse M. Tullii; nam repeti potest ἀπὸ κοινοῦ refert [delenda censebat Schütz. vid. Orell. p. 376.].

C. 56. §. 213. extr. ACTORE MUTATO. sic habent tres libri manu scripti et ita legendum, non ut est in vulgatis [etiam Rom. Pannartz. a. 1469.], *auctore mutato* [atque hi proclivi ruunt errore. vid. quae annotantur ab Drakenborchio ad Silii 17, 490. p. 873. mei libri cum Hahniana a. 1468. faciunt, *actore mutato* repraesentantes.].

C. 58. §. 217. MANDEM NATOS. memini me iam aliquot ante annis hunc locum ita restituendum censere, coniectura tantum ductum; quam quando video auctoritate codicum veterum esse confirmatam, in sententia maneo. sic enim habent duo mss., non ut vulgati *manderem* [nostri tamen hoc ipsum *manderem* defendunt, alterum plane ignorant. cf. IV. Tusc. C. 36. §. 77.]. praeterea in superiore versu reposui *ipse hortatur me frater*, codd. tres mss. secutus, quum vulgati habeant *impius hortatur.*

§. 218. ITERUM THYESTES MECUM ALTERCATUM VENIT. sic reposui veteris scripturae vestigia secutus. supra autem *sanguen*

retinui, quamvis duo libri manu scripti habeant *sanguine.* nam et libro quinto de Finibus [p. 102, 50. c. 11. §. 30.] et apud Nonium Marcellum ita refertur [3, 203. p. Mercer. 224, 16. Gothofr. 610. cf. Priscian. VI. p. 708. Putsch. c. 12. §. 66. Tom. I. p. Krehl. 262. et Voss. de Analog. 1, 36. p. 150. et 2, 8. p. 278.].

§. 219. TENERUM HILARATUM AC REMISSUM. tres libri manu scripti non habent vocem *tenerum;* unde mihi orta suspicio est, ea deleta legendum *hilarum ac remissum* [abest illud *tenerum* et ab edit. Rom. Pannartz. a. 1469., firmatur Hahn. a. 1468. sic repraesentante hunc locum, *et bene et tenerum et hilaratum ac remissum.* codex Gud. 2. *effusum et tenerum*, omisso *lene* sive *leve*, August. XII, 13. *effusum leve tenerum.*].

Ibid. TUNC AD TE LUDIBUNDU' DOCTE ET DELICATE DETULIT. sic reposui secutus omnes fere codices vulgatos, nisi quod habent *ludibunda;* nam manu scripti habent *ludibunda voce*, alii *ludibunda dote.* omnino hi versus valde sunt corrupti, tum in vulgatis tum in manu scriptis codicibus.

C. 59. §. 220. DIGITIS SUBSEQUENS VERBA NON EXPRIMENS. sic habent omnes libri tum vulgati tum manu scripti, nisi quod distinctionem mutavi. quidam docti tamen legendum putant *digitus subsequens verba non exprimens.*

IV.

IN LIBRUM DE CLARIS ORATORIBUS QUI DICITUR BRUTUS.

I. C. 2. §. 7. AUT ERRORE HOMINUM AUT TIMORE. sic legendum etiam reclamantibus libris omnibus, non *terrore.* sic idem pro Ligario [p. 573, 38. c. 6. §. 17.], *Scelus tu illud vocas, Tubero? cur? isto enim nomine illa adhuc causa caruit. alii errorem appellant, alii timorem, qui durius spem, cupiditatem, odium, pertinaciam* [habent *terrore* codd. Gud. 38. Aug. XII, 13. edit. Rom. Pannartz. a. 1469.].

§. 9. ITAQUE II MIHI VIDENTUR. nihil muto. verumtamen lectorem admonebo, in aliquot veteribus codicibus legi *itaque ei mihi videntur. ei* autem dicebant veteres pro *ii* [de meis *ciui* dedit Gud. 38., iuncta duplici lectione *ei ii*, August. XII, 13. vero ei. neutrum habet libri huius editio princeps, Rom. a. 1469.].

C. 4. §. 15. ILLUD HESIODIUM. sic Hesiodus [OO. et DD. 349.].

Αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώϊον, εἴ κε δύνηαι, id est, *eadem mensura et meliore si possis.*

§. 16. VOLUNTATEM TIBI PROFECTO REMETIAR. sic legendum etiam invitis codicibus omnibus, non *emetiar. remetiar* autem id est referam, rependam, remunerabor. sed docti quidam putant praeterea mendum inesse in voce *profecto*, et *pro facto* legendum.

C. 5. §. 19. EISQUE NOSMET IPSI AD RERUM NOSTRARUM MEMORIAM COMPREHENDENDAM IMPULSI ATQUE INCENSI SUMUS. quum in libris mss. aliis reperissem scriptum *ad rerum nostrarum memoriam*, in aliis *veterum annalium*, in vulgatis autem *rerum naturalium*, ego *rerum nostrarum* edendum curavi; quamvis docti quidam *ad rerum memoriam* simpliciter legi malint [quae nunc recepta lectio est *ad veterum annalium memoriam comprehendendam*, ea firmatur auctoritate codicis Gud. 38., a me denuo explorati; August. XII, 13. mihi, Gud. B. aliis sed minus accurate, cum aliis nonnullis in monstrum illud *rerum naturalium* aberravit.].

C. 6. §. 24. ELOQUENTEM NEMINEM VIDEO FACTUM ESSE VICTORIA. victoriam Caesaris notat.

C. 7. §. 29. EX THUCYDIDI SCRIPTIS. sic excudendum curavi duos codd. mss. secutus et nonnullos vulgatos. sic enim huiusmodi nomina inflectebant veteres in patrio casu, *Thucydides Thucydidi, Pericles Pericli, Ariobarzanes Ariobarzani, Orontes Oronti* et similia. idem II. Accus. [p. 109, 38, ubi tamen legitur, invito quidem Lambino, *Timarchidis.* locus nobis est c. 54. §. 136.], *in Timarchidi potestate sociorum populi Romani antiquissimorum atque amicissimorum liberos, matres familias, bona fortunasque omnes fuisse.* IX. Epp. ad Attic. [1. p. Lambin. 298, 39. Gronov. 937.], *et Lucceii consilia et* [reponendum *ac*] *Theophani persequimur.* II. de Orat. [p. 147, 10. c. 22. §. 93.], *omnes etiam tum retinebant illum Pericli sucum.* Terentius Heautontim. [V. 5, 21.] *Archonidi filiam.* Virgilius I. Aeneid. 220. *Nunc acris Oronti Nunc Amyci casum gemit.* quae sunt commemorata a Prisciano libro sexto [c. 11. §. 62. Tom. 1. p. Krehl. 259. cf. ad II. de Orat. c. 22. §. 93. in *Thucydidi* consentiunt cod. Gud. 38. et editio princeps a. 1469.].

C. 8. §. 33. VERUMTAMEN NATURA MAGIS TUNC CASUQUE NONNUNQUAM QUAM AUT RATIONE ALIQUA AUT OBSERVATIONE FIEBAT. secutus sum libros vulgatos, qui omnes fere sic habent, ut excudendum curavi, nisi quod quidam non habent copulationem *que* post vocem *casu*, sed *casu* simpliciter. verumtamen dissimulare nolui, Priscianum hunc locum aliter legere, ubi de numeris oratoriis disputat [?], nempe hoc modo, *verumtamen natura magis tunc casuque nonnunquam, haud ratione aliqua aut observatione fiebat.* quarum lectionum utra sit potior, iudicet lector eruditus atque acutus [cum Prisciano facit cod. August. XII, 13.; nam a Gudiano 38. abest hic locus incuria librarii.].

C. 9. §. 35. NIHIL ORNATUM VEL VERBORUM GRAVITATE VEL SENTENTIARUM. lego *vel verborum granditate vel sententiarum gravitate.*

§. 37. SED NON TAM ARMIS INSTITUTUS QUAM PALAESTRA. vel legendum *quam palaestrae*, si retineamus *institutus*, vel *non tam armis instructus quam pa* || *laestrae.* p. 323. a.

C. 10. §. 40. IAM TROICIS TEMPORIBUS. sic edendum curavi secutus et vulgatorum et manu scriptorum codicum scripturam. sed non dissimulabo tamen, doctis quibusdam placere legi *Heroicis.*

C. 11. §. 42. QUONIAM QUIDEM CONCESSUM EST. alii legi malunt *quandoquidem* [est in Romana principe a. 1469., ut et *ementiri*], et in sequenti versu *mentiri* legendum censent, non *ementiri.*

[§. 43. extr. OMNIA FUISSE IN THEMISTOCLE PARIA ET IN CORIOLANO. sic non inscite, ut plurima, Lambinus, repetita praepositione. sed praepositionem neutro loco firmant codd. Gud. 38. et August. XII, 13., et exulare iubet Rom. edit. a. 1469. itaque Cuiaciani libri lectio *omnia fuisse Themistocli paria*, laudata Grutero p. Gronov. 150. admittenda videtur Ellendtio p. 37.]

C. 12. §. 47. HUIC ANTIPHONTEM RHAMNUSIUM SIMILIA QUAEDAM HABUISSE CONSCRIPTA. quidam legi volunt *hinc Antiphontem;* idque ex auctoritate veteris codicis [est in edit. pr. Rom. a. 1469.].

§. 48. TOTUMQUE SE AD ARTES COMPONENDAS TRANSTULISSE. a duobus codicibus manu scriptis abest vox *componendas.*

C. 13. §. 51. OMNEMQUE ILLAM ATTICAE DICTIONIS QUASI SANITATEM. sic est legendum, et ita reperi in optimo codice manu scripto. nam vox *salubritatem*, quae reperitur in vulgatis deinceps post haec verba *omnemque illam*, adiecta est ab ignaris linguae Latinae, qui aliquid deesse putarent neque hoc loquendi genus intelligerent *Atticae dictionis quasi sanitatem* [*et quasi suauitatem* Rom. edit. a. 1469.], in qua *quasi* additum est ad leniendam translati nominis asperitatem. simile mendum simili indoctorum culpa contractum irrepsit in Orationem pro P. Quinctio, ibi, [p. 4, 3. c. 2. §. 8.], *et si qua in re id quod parati sunt facere, falsum crimen quasi venenatum aliquod telum iecerint, medicinae faciendae locus non erit.* nam delendae sunt tres illae voces *falsum crimen quasi*, quum sit allegoria.

C. 14. §. 55. NONDUM LEGE MAENIA LATA. quidam docti legendum arbitrantur *lege Gabinia lata.*

§. 56. PLEBEI [plebi] CONTRA PATRES CONCITATIONE ET SEDITIONE NUNCIATA. sic legendum [et habent codd. Gud. 38. et Aug. XII, 13. *plebi*, quod idem est, maluit Rom. edit. a. 1469.]. *plebei* autem generandi casus est pro *plebis*, quo saepe utuntur Latini scriptores [cf. Voss. Art. Gramm. 2, 25. p. 253. et de Analog. 2, 20. p. 347.].

C. 15. §. 58. ORE CETHEGUS MARCU' TUDITANO COLLEGA. sic

legendum, non ut depravavit Parrhasius, *Ore Cethegus Veturio collega Philoni* [sed hoc ipsum repraesentare narratur »ve»tus illud Rivii exemplar«, hoc est Romana edit. Pannartz. a. 1469., in qua sic scriptum reperi, *suauiloquente Ore cetegus uetturio* (non *Veturio*) *collega philoni*. Lambino favent codd. Gud. 38. et Aug. XII, 13., in quibus haec scripta leguntur, *suaviloquenti* sive *suavieloquenti ore Cethegus M. studio collegam filius*.]. nam quum Cethegus numquam Philonis fuerit collega, tum libri omnes manu scripti sic habent, ut nos curavimus excudendum. est autem hic versus spondiacus.

Ibid. FLOS DELIBATUS POPULI. sic legendum, non, ut habent libri quidam vulgati, *illibatus*. *flos delibatus* autem id est flos sensim decerptus. liber unus manu scriptus habet *delibutus*, atque hanc lectionem initio probabam. *florem delibutum* autem intelligebam florem, qui praeter innatam suavitatem sit etiam unguento suaviter olenti perunctus ac perfusus, ut scilicet, amisso naturali odore, eo qui sit foris insitus naribus gratus sit ac iucundus. sed lex carminis non recipit; secunda enim syllaba huius nominis brevis est.

C. 17. §. 66. NAM UT HORUM CONCISIS SENTENTIIS INTERDUM ETIAM NON SATIS APERTIS OFFICIT THEOPOMPUS ELATIONE ATQUE ALTITUDINE ORATIONIS SUAE. verba aliquot, quae fuerant huc inferta, *quum brevitate tum nimio acumine*, quia neque reperi in duobus libris mss. et a Budaeo, Rivio, ceteris viris doctis reiecta sunt, ego quoque reieci [vulgatam firmant libri mei, et defendit Ellendt. V. D. p. 52. 3.].

§. 67. HANC IN CATONE NE NOVERUNT QUIDEM. sic restitui, codd. mss. auctoritatem secutus. alii sic legunt, *hanc in Catone non noverunt. quid enim? Hyperidae volunt esse et Lysiae* [Ernest. ad h. l. Vol. 1. p. 516. not. 34. »*non noverunt quidem*. an *ne noverunt quidem?*«].

Ibid. HYPERIDAE VOLUNT ESSE. volunt esse Hyperidae et Lysiae, id est volunt Hyperidae et Lysiae dicendi genus imitatione exprimere; volunt esse Hyperidae et Lysiae similes. *Hyperidae* et *Lysiae* sunt numeri multitudinis, recti casus; itaque legendum item statim infra, *sed cur nolunt Catones?* atque ita fere locutus est in Oratore Perfecto [p. 249, 48. c. 9. §. 32.], *germanos se putant esse Thucydidas*. quamquam non ignoro quosdam ita legere, *Hyperidae et Lysiae volunt esse similes;* sed hi vocem *similes* addunt de suo. nam nullis in libris reperitur.

§. 68. ET QUASI COAGMENTA. quidam legunt *coamenta*, non hic solum, sed ubicunque hoc verbum reperitur, *coamentare* sine littera *g* scribi volunt; de quo alibi dicemus [cf. ad III. de Orat. C. 43. §. 171.].

C. 18. §. 70. AT IN AETIONE. sic legendum, non ut in quibusdam vulgatis *Actaeone*, nec ut in aliis *Ectione*. non displicet tamen *Echione*. fuit enim et Echion nobilis pictor, quem commemorat in Paradoxo Ὅτι μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος [5. p.

438, 12. c. 2. §. 37. sed et hoc loco variant libri *Acteonis* vel *Actionis* repraesentantes.].

§. 71. QUID NOSTRI VETERES VERSUS UBI SUNT? sic Ennius [in Orat. c. 47. §. 157. et c. 51. §. 171. cf. I. de Divin. C. 50. §. 114.], *scripsere alii rem Versibu', quos olim Fauni vatesque canebant.*

§. 73. LUDIS IUVENTATIS. sic fere habent codices manu scripti; nam eorum alii habent *Euentatis*, alii *inentatis.* atque ita iam pridem emendarat P. Victorius. *Iuventas* autem iuventutis seu iuventae dea est [et Gud. 38. et August. XII, 13. a me denuo explorati, firmant receptam. in Rom. a. 1469. sic est *buentatis*, scripturae, opinor, compendio male intellecto.].

C. 19. §. 75. QUEM VATIBUS ET FAUNIS ANNUMERAT ENNIUS. quum in duobus libris mss. reperissem scriptum *annumerat*, ego praepositionem *in* ante vocem *vatibus* sustuli. nam etiam alibi infra ita loquitur, ubi de Sulpicio et Cotta loquitur [c. 57. §. 207.], *his duobus eiusdem aetatis annumerabatur nemo tertius.* quod si quis praepositionem retinere volet, erit legendum *numerat*, non *enumerat* neque *annumerat* [horum non satis memor fuit Lambinus quum h. l. p. 219, 48. c. 32. §. 123., ubi, *enumera me in plerisque*, tum in oratione pro Rosc. Amer. p. 28, 41. C. 32. §. 89. reliquit ille hoc quidem loco intactum *in grege annumerer;* ubi quod post Beckium et Garatonium probatur Orellio Vol. 2. P. 1. p. 48. *in gregem*, codd aliquot Anglicanis firmatum, est illud etiam in edit. Veneta a. 1472. cf. Heins. et Burmann. ad Ovidii Epp. 16, 328. Tom. 1. p. 239.].

§. 76. QUI A NAEVIO VEL SUMPSISTI MULTA. legendum videtur *a Livio.*

C. 22. §. 85. QUAE PECUARIA DE P. CORNELIO L. MUMMIO CENSORIBUS REDEMISSET. quidam libri vulgati [in his Rom. Pannartz. a. 1469., sed et codd. Gud. 38. et Aug. XII, 13.] habent *quae picarias*, et paullo ante, ubi legitur *in silva Scantia*, docti quidam legunt *in silva Sita*, alii *in aestivis*, ‖ alii *in silva Sila* b.
[haec est emendatio Turnebi, proposita in Adversariis 11, 1. et 26, 12. potest illa, si tanti res est, firmari codd. monstro lectionis quum aliorum, tum Gud. 38. et August. XII, 13., quorum alter sic habet *quum isti uas ita caedes est facta*, alter *quum istiuas ita facta caedes esset.*].

C. 23. §. 90. TUM IGITUR RECUSANS GALBA PRO SESE. assentior Sebastiano Corrado, qui hoc loco legendum putat *tum igitur nihil recusans Galba.* nam Galbam constat omnem spem salutis suae non in causa, sed in misericordia iudicum collocasse.

C. 25. §. 97. TUM DUO CAEPIONES MULTUM CLIENTES CONSILIO ET LINGUA PLUS AUCTORITATE TAMEN ET GRATIA SUBLEVABANT. ordo est, multum sublevabant clientes suos consilio, et plus tamen auctoritate et gratia. sed quidam legendum putant, *multum valentes consilio et lingua, plus auctoritate tamen et gratia sua valebant.* ego nihil mutandum censeo.

C. 27. §. 106. NAM ET QUAESTIONES PERPETUAE HOC ADOLESCENTE

CONSTITUTAE SUNT. lectionem receptam servavi. nam Seb. Corradus testatur ita scriptum esse in codice quodam vetere *quaestiones p. hoc adolescente, p.* autem vult ille significare *publicae.* hoc non probat Cuiacius noster, iuris consultus doctissimus, putatque scriptum initio fuisse *nam et quaestiones p. rep.*, id est *pecuniarum repetundarum.* ego nihil mutandum censeo. nam lex de pecuniis repetundis a Pisone lata fecit, ut quaestiones iam et essent et dicerentur *perpetuae.* quamquam nihil pronuncio. Antonius Huraldus consiliarius Regius legendum putat *quaestiones pecuniae publicae*, quem adiuvaret locus ille XI. Philipp. [p. 644, 32. c. 2. §. 5.], *verberibus ac tormentis quaestionem habuit pecuniae publicae.* nisi eo loco de quaestione, quae habetur per tormenta, ageretur.

C. 28. §. 109. C. GRACCHUM COLLEGAM ITERUM TRIBUNUM FREGIT. sic reposui assensus Sebastiano Corrado. nam vulgata lectio *fecit* ferri non potest.

C. 29. §. 110. NEUTER SUMMI ORATORIS HABUIT LAUDEM UTERQUE IN MULTIS CAUSIS VERSATUS. hunc locum foede depravatum in vulgatis libris et in multis etiam manu scriptis ope quorundam mss. restitui.

§. 111. SAPIENTIS HOMINIS ET RECTI. sic habent omnes fere libri vulgati et mss.; quidam tamen *tecti* non improbant.

C. 30. §. 113. MAGNUM MUNUS DE IURE RESPONDENDI. usitatius videtur esse ita loqui *munus iuris respondendi*, quam *de iure respondendi* [cf. II. de Legg. c. 12. §. 29.].

C. 33. §. 127. NAM ROGATIONE MAMILIA. sic edendum curavi, Sebastiani Corradi sententia probata. hac autem rogatione tulit Mamilius, *ut quaereretur in eos, quorum consilio Iugurtha Senatus decreta neglexisset.* qua de re legito Sallustium in Bello Iugurthino [c. 40, 1. p. Cort. 599.].

C. 34. §. 131. QUUM AB L. SABELLIO MULTAM LEGE AQUILLIA DE INIURIA PETIVISSET. sic legendum putat Paullus Manutius, cui assentiuntur plerique omnes docti viri. *Lex Aquillia*, inquit Ulpianus IX. DD. [2. l. 1. pr.], *omnibus legibus, quae ante se de damno iniuria locutae sunt, derogavit.*

C. 35. §. 133. SED NEC MEA CULPA EST. sic habent codd. Aldini, et ita legendum censent viri docti. nam vulgati et nonnulli manu scripti habent *sed haec mea culpa;* mendose ni fallor [explicationi locus hic erat, non correctioni. et solent librarii, natio non doctissima, litteras *h* et *n*, praesertim initiales, commutare. vid. Drakenborch. ad Sil. Italic. 5, 580. p. 327. itaque mirum non est, codices plerosque in *haec mea culpa* consentire.].

C. 36. §. 137. QUAE FUERIT ASCENSIO. sic emendaram multis iam ante annis in libro meo, quum haberet ut et ceteri vulgati *assensio.* idem, quum incidissem postea in Castigationes Rivii, reperi quod mihi visum fuerat multo ante viro illi doctissimo in mentem venisse. postremo meam et illius coniecturam libri mss comprobarunt [nec aliter de meis Gud. 38. et

August XII, 13. item Rom. edit. a. 1469., qua primum Rivius usus est.]. quae fuerat *ascensio* autem, id est quae progressio oratorum et per quos quasi gradus ad summam eloquentiam ascenderint.

C. 37. §. 140. SED ILLA QUAE PROPRIA LAUS ORATORIS EST. hic longum est hyperbaton, pendetque oratio ab illo loco *verba ipsa non illa quidem* usque ad eum qui est infra *sed tamen Antonius*, hoc modo: *sed illa quae propria laus oratoris est, in verbis eligendis, ponderandis et collocandis et comprehensione devinciendis nihil non ad rationem et tanquam ad artem dirigebat.* interponit deinde multa prius, quam sententiam claudat ac terminet. debebant autem talia quaedam ad sententiam finiendam subiungi, *illa, inquam, laude non caruit Antonius.* quod quia non factum est, et quoniam credibile erat vel auditorem vel lectorem oblitum esse superiora, ea ipsa repetit, et mutata orationis forma sententiam claudit. solet autem in huiusmodi repetitionibus uti his particulis *verumtamen, sed tamen*, et similibus. sic igitur hoc loco, *sed tamen is, quem dico, Antonius in verbis collocandis et ponderandis et comprehensione devinciendis nihil non ad rationem et tamquam ad artem dirigebat*, id est, ea laude non caruit, quae propria laus oratoris est. Fui longior in hoc loco declarando, quem video a viris alioqui doctissimis non satis esse intellectum.

§. 141. EA MAXIME ORNANT ORATOREM. legendum fortasse est *orationem.* verumtamen parum admodum refert.

C. 38. §. 141. SED HOC VITIUM HUIC UNI IN BONUM VERTEBAT. sic legendum, non ut quidam reposuerunt *convertebatur* [non hoc, sed *convertebat*, quae nunc recepta lectio est, habent codd. Gud. 38., Aug. XII, 13. et Rom. ed. a. 1469.]. *vertebat* autem hoc loco significationem habet absolutam, ut quum dicimus *bene tibi vertat, male tibi vertat.* sic Lucretius libro sexto [1168. 9.], *Nil adeo posset quic* || *quam leve tenueque membris* p. 324. a.
Vertere in utilitatem. sic Livius locis innumerabilibus [vid. ab Drakenborchio notata ad II. 62, 2. Vol. 1. P. 2. p. repet. edit. 514. sq. adde Pareum Lex. Crit. p. 1284. et Ruhnken. ad Rutilium p. 73.].

§. 142. HABEBAT ENIM FLEBILE QUIDDAM IN CONQUESTIONIBUS. sic restitui et ita legi debet, nisi quis forte malit *quaestionibus*, ut est in libris vulgatis [et tuentur codd. Gud. 38. Aug. XII, 13. Rom. editio a. 1469. sed vid. Orell. p. 409.]. cum quo non pugnem, modo *questionibus* dictum pro conquestionibus accipiat; nam quod alii quidam *questionibus* legunt per *ae* diphthongum et *questionibus* interpretantur *publicis iudiciis*, non probo.

C. 41. §. 152. ET QUAE QUIBUS POSITIS ESSENT QUAEQUE NON ESSENT CONSEQUENTIA. sic edendum curavi, quum in libris vulgatis legatur *quibus propositis.* sed praeter veterum codicum auctoritatem mecum facit similis locus in Partt. Orat. [c. 23. §. 78.

p. 295, 45.], *dialectica quibus positis quid sequatur distinguit et iudicat.*

C. 42. §. 156. TANTUM ABEST AB OBTRECTATIONE INVIDIAQUE. sic habet codex multis ante annis Romae impressus [Rom. Pannartz. a. 1469.] et unus ms., et ita restituit Rivius. sic Livius XXIII. Annalium *obtrectationem* et *invidiam* coniuncte ponit in oratione Q. Fabii [non 23. sed. 28, 40. §. 8. Tom. 8. p. Stuttg. 975.]. sic Caesar libro primo de Bello Civili [c. 7. §. 1. p. Oudendorp. 532.], *a quibus deductum et depravatum Pompeium queritur invidia et obtrectatione laudis suae* [receptae vindices codd. Gud. 38. et Aug. XII, 13., denuo a me excussi.].

C. 43. §. 160 IDQUE NOBIS NARRAVISSET LUCILLIUS. nonnulli libri habent *idque nobis bis narravisset;* alii non habent alterum *bis,* quos secutus sum [placuit Orellio post Ellendtium *idque bis nobis narravisset Lucilius,* concinniore, ut videtur, verborum ordine; sed huius lectionis auctorem meorum quidem neutrum deprehendi. nam in Gud. 38. sic est, *idque nobis bis narravisset,* in August. XII, 13. *idque narravisset bis nobis Lucilius.* vid. Schützium V. C. Vol. 3. P. 2. p. 65. cum Lambino facit Rom. editio a. 1469.].

C. 46. §. 172. OMNINO SICUT OPINOR IN NOSTRIS EST QUIDAM URBANORUM SICUT ILLE ATTICORUM SONUS. sic restitui, etiam reclamantibus libris omnibus, itaque contendo esse legendum. nam sive *omnium,* quod est in libris vulgatis, coniungas cum superiore voce *optime,* sive ad posteriora referas, ineptam locutionem efficies. hoc autem modo saepe loquitur M. Tullius, ut notat Rivius. I. Offic. [c. 23. §. 79. p. 361, 38.] *Omnino enim illud honestum, quod ex animo excelso magnificoque quaerimus, animi efficitur non corporis viribus.* idem in Cat. Maiore [c. 20. §. 76. p. 416, 44.], *omnino, ut quidem mihi videtur, rerum omnium satietas vitae facit satietatem* [non *omnium* sed *omnino sicut opinor,* habent codd. Gud. 38. et August. XII, 13. sola Rom. a. 1469. *optimeque loqueretur omnium.*].

Ibid. ID EST AD NOSTROS REVERTAMUR. existimet quisque de hoc loco suo arbitratu, ego hanc interpretationem esse puto illorum verborum *domum redeamus*, ex ora libri in contextum a librario translatam.

C. 48. §. 178. NAM OFELLA CONCIONIBUS APTIOR QUAM IUDICIIS. sic hunc Lucretium cognomento appellant Plutarchus [in Syll. p. 471. C.], Appianus [I. de B. C. fol. 28, 1.], Paterculus [2, 27. p. Ruhnken. 161.]; alii *Aphiliam* [ut et codd. Gud. 38. et Aug. XII, 13.], alii *Asellam.* sed *Ofella* [de quo v. Burmann. ad Poet. Lat. Min. Tom. 2. p. 349.] legendum puto, et ita apud Asconium [ad Orat. in Toga Candida p. Gronov. 433.] reponendum censeo [Rom. editio a. 1469. sic habet, *A. filia.*].

C. 50. §. 187. QUARE TIBICEN ANTIGENIDAS. fuit et citharista quidam Aspendius, de quo sic M. Tullius Verrina tertia, quae est de Anteactis [I. Accus. c. 20. §. 53. p. 71, 9.]: *Atque etiam illum Aspendium citharistam, de quo saepe audistis id quod*

est Graecis hominibus in proverbio, quem omnia intus canere dicebant, sustulit et in intimis suis aedibus posuit, ut etiam illum ipsum suo artificio superasse videatur [de Antigenida tibicine cf. Athenaeum 4. p. 131. B.].

C. 51. §. 191. ANTIMACHUM CLARIUM POETAM. sic legendum, non ut est in nonnullis vulgatis [etiam Rom. a. 1469., temere consentientibus Gud. 38. et Aug. XII, 13.] *clarum.* fuit enim Antimachus Colophonius; Clarus autem urbs est in insula Colophone, a qua et Apollo *Clarius* dictus est. de hoc Antimacho sic Ovidius libro primo Tristium [6, 1. et vide quae ad eum locum annotavimus p. 29]: *Nec tantum Clario Lyde est dilecta poetae, Nec tantum Coo Batis amata viro.*

Ibid. PLATO ENIM MIHI UNUS INSTAR EST MULTORUM MILLIUM ET RECTE. hic locus mirum in modum depravatus est in libris omnibus, in quibus ita fere legitur, *instar est omnium me illum et recte* [sic certe codd. Gud. 38. et August. XII, 13.]; plane mendose. atque huic vulneri alii sic medentur, *instar est omnium: merito ille et recte* [est haec Rivii coniectura, quam suppeditavit exemplum illud vetus Romanum, id est Pannartzii editio a. 1469.]. sed quum hoc divinaro sit, tum horum duorum *merito et recte* alterum supervacaneum videtur. Ego autem veteris et vulgatae scripturae vestigiis insistens sic repono, *instar est multorum millium: et recte.* quod autem vocem *omnium* deleo, hanc causam mei facti affero: sic erat scriptum in libris manu scriptis antiquissimis, ut ego edendum curavi. indoctus simul et negligens scriptor omisit vocem *multorum*, similitudine vocis proximae, ut fit, deceptus; deinde ex *millium* fecit *me illum.* qui postea hoc exemplari usi sunt, ubi ita scriptum esset, *Plato enim mihi unus instar est, me illum,* quum aliquid deesse viderent', inferserunt vocem *omnium.* ita hunc locum puto fuisse corruptum, atque ita emendandum. Quo vero magis credas hanc esse veram et rectam lectionem, non dubito quin Antimachus ita Graece dixerit, ὁ γὰρ Πλάτων εἷς ἐμοὶ μύριοι. quae verba sic interpretatum esse M. Tullium non est mirum, *unus enim Plato mihi est instar multorum millium.* hoc enim plane sonant verba Graeca, nisi quod μύριοι *decem* millia significat. atqui decem millia *multa* sunt millia. Haec igitur mea sententia est, quam confido probaturos omnes his literis politos homines; eam quidam scio multis doctis probari.

Ibid. POEMA ENIM RECONDITUM PAUCORUM APPROBATIONEM ORATIO POPULARIS ASSENSUM VULGI DEBET MOVERE. hic locus ita legitur in libris vulgatis, *poema enim reconditum paucorum admiratione, oratio popularis ad sensum vulgi debet moveri.* sine dubio mendose. Rivius primus ad haec vulnera sananda operam navavit, qui ita legendum iudicavit [secutus exemplum Rom. a. 1469., quod dudum laudo], *poema enim reconditum paucorum approbationem, oratio popularis assen* || *sum vulgi debet mereri.* b.
Sebastianus Corradus secundo loco non ita pridem cetera Rivii emendationem approbans in verbo *mereri* improbavit, longeque

propius ad antiquam scripturam accedens *movere* reposuit. huius igitur loci restitutionem duobus illis viris debemus [Corradi emendationem egregie firmat codex Gud. 38., nec abest August. XII, 13., in quo tamen haesit illud *moveri*.].

§. 192. EAE SI INFLATUM NON RECIPIUNT AUT SI AUDITOR CUM ILLO TANQUAM EQUUS NON FACIT AGITANDI FINIS FACIENDUS EST. sic habent libri et vulgati et manu scripti, *aut si auditor omnino tanquam equus non facit.* quae lectio quum sit depravata et mendosa, mendum videtur inesse in voce *omnino.* significat autem M. Tullius, nisi auditor adiuvet oratorem dicentem, attente audiendo et approbando, dicendi finem esse faciendum: quemadmodum auriga agitandi finem facere debet, si equus cursu aurigam agitantem non adiuvet. ego igitur pro voce *omnino cum illo* reposui. iam *facere cum aliquo* est adiuvare [in vulgata, praeter illud *cum illo*, consentiunt codd. Gud. 38. et Aug. XII, 13. horum tamen alter *faciet* repraesentare maluit. in edit. Rom. a. 1469. sic est, *aut si auditor omnino tanquam equus non favet agendi finis faciendus est.* loci nondum explanati interpretationem proposuit Turnebus in Adversariis 14, 22.].

C. 54. §. 199. QUAM SCIENTER EI PULSI SINT. sic habent boni et manu scripti codices, et hanc lectionem confirmat Priscianus his verbis: *Quid habet notandum hoc pronomen* (loquitur de pronomine *is*)? *quod nominativum pluralem masculinum tam in ei faciat, quam in ii* [locus est de Duodecim Vers. Aen. C. 10. §. 177. p. Putsch. 1269. Tom. 2. p. Krehl. 341. cf. eundem 12. 5, 22. p. Putsch. 948. Tom. 1. p. Krehl. 552.].

§. 200. NONNUNQUAM ETIAM CIRCULANTEM. libri quidam vulgati [in his Rom. editio a. 1469., primum a Rivio sed negligenter adhibita] habent *calculantem;* ego *circulantem* probo, a verbo *circulari*, quod est verba in circulis facere [vid. Victorium VV. LL. 8, 13. et Pareum Lex. Crit. p. 198.].

Ibid. QUAESITOREM UT DIMITTAT ROGANTEM. iudicem *mittentem ad horas* (hic distinctionis notam adscribe); *iudicem*, inquam, *rogantem quaesitorem*, id est Praetorem, ut dimittat omnes iudices [sed vid. Schützium V. C. Vol. 3. P. 2. p. 81.].

C. 56. §. 206. SCRIBEBAT TAMEN ORATIONES QUAS ALII DICERENT UT Q. METELLO F. iis assentior, qui *F.* aut delendum aut ita accipiendum, ut significet *fecit*, arbitrantur. est tamen aliquid tertium; nempe ut ita scribamus, *Q. Metello Balearici F.* non est enim incredibile, vocem *Balearici* a scriptore esse omissam [sed cf. C. 62. §. 222., laudante Orellio p. 421.].

C. 57. §. 209. ALIQUID ITA DICERE UT SIBI IPSUM NON CONVENIAT. sic est sine dubio legendum, non ut in libris vulgatis *sibi ipse.* neque enim hoc dicit M. Tullius, esse difficile in longa oratione non aliquando aliquid ita dicere, ut sibi ipse orator non conveniat: sed ut id ipsum, quod ab eo dicitur, sibi non conveniat et secum pugnet.

C. 58. §. 212. IDEMQUE PERCOMIS EST HABITUS. quidam hic *patronus* legi volunt, non *percomis;* sed alii negant *patronus*

legi posse, quia in numero oratorum non fuerit, ut supra dicitur his verbis [C. 26. §. 102. p. 217., 30.], *Mucius autem Augur quod opus erat ipse per se dicebat, ut de pecuniis repetundis contra T. Albucium. is in oratorum numero non fuit, iuris civilis intelligentia atque omni prudentiae genere praestitit. comem* autem fuisse declarant illa, quae de eo scribuntur in Laelio [C. 1. §. 1. p. 418, 32.], *Q. Mucius Augur multa narrare de C. Laelio socero suo memoriter et iucunde solebat, nec dubitare illum in omni sermone appellare sapientem.* et libro primo de Oratore [c. 9. §. 35. p. 110, 44.], *Tum Scaevola comiter ut solebat, Cetera, inquit, assentior Crasso, ne aut de C. Laelii soceri mei aut de huius generi aut arte aut gloria detraham.*

§. 213. O GENEROSAM INQUIT STIRPEM ET TANQUAM IN UNAM ARBOREM PLURA GENERA SIC IN ISTAM DOMUM MULTORUM INSITAM ATQUE ILLIMINATAM SAPIENTIAM. sic reposui coniectura ductus, parva immutatione scripturae veteris et vulgatae facta, quippe qui ex *illuminatam,* quod nullo modo huc quadrare potest, *illiminatam* feci. *illiminatam* autem mirifice convenit cum voce *domum*, quae intercedit. est enim verbum a *limine* factum, quod significat in limen seu in domum introducere atque intromittere. nihilo autem debet durius videri *illiminare* seu *inliminare* quam *eliminare*, quo usus est Horatius Epistola ad Torquatum [I. Epp. 5, 25.], *ne fidos inter amicos Sit qui dicta foras eliminet.* nam quemadmodum *eliminare* est extra limen efferre, ita *illiminare* est intra limen et in domum inferre atque inducere [cff. a Lambino disputata ad eum Horatii locum Comm. p. 225. A.].

C. 59. §. 215. NEQUE CUIQUAM BONO ORATORI ULLAM EX ILLIS QUINQUE PARTIBUS PLANE ATQUE OMNINO DEFUISSE. mendose hic libri vulgati et nonnulli item manu scripti habent *rem ullam;* nam ullam *partem* intelligere debemus. itaque ego vocula*m rem* sustuli.

C. 62. §. 221. ERAT IN VERBIS GRAVITAS. fortasse legendum *granditas*, ut et alibi [in cod. Gud. 38. sic est, *et auctoritatem quandam naturalem.* cf. Ellendt. p. 160.].

§. 222. TAMEN EX ACCUSATIONE M' AQUILLII DILIGENTIAE FRUCTUM CEPERAT. sic edendum curavi *M';* nam Aquilliis fere omnibus *Manius* praenomen fuit, non Marcus. *Manii* autem dicti sunt a *mane*, quod is qui primus Manius dictus est mane natus esset. est autem hic Aquillius, quem defendit Antonius, C. Marii collega [anno U. C. 653. a. Chr. n. 101. summum magistratum quintum gerentis], de quo libro secundo de Oratore duobus locis [II. C. 45. §. 189. p. 157, 25. et C. 47. §. 194. p. 158, 23.] et Oratione in Verrem de Suppliciis [V. Accus. c. 1. §. 3. p. 188, 23.]; aliusque est ab eo, quem accusavit P. Lentulus, de quo de Divinatione in Verrem [c. 22. §. 69. p. 54, 10.].

Ibid. ID EST A IUDICIIS. quidam putant haec verba initio interpretationis causa fuisse adscripta, postea in contextum verborum Ciceronis translata. quod credibile est.

C. 64. §. 230. ET ME ADOLESCENTEM NACTUS OCTO ANNIS MINOREM QUAM ERAT IPSE. secutus sum quorundam librorum vulgatorum et unius manu scripti lectionem; nam alii habent *adolescentem natus octo annis minorem*, plane mendose. quod autem nonnulli legi volunt *natu octo annis minorem*, non probo. inauditum enim est hoc loquendi genus atque insolens. quodsi quis mecum contendat *natu* esse legendum, nolim pugnare; sed tamen hoc dato et concesso pudenter ab eo petiverim, ut has duas voces *octo annis* uno tempore tollat.

p. 325. a. Ibid. IN STADIO EIUSDEM LAUDIS. assentior Rivio, || qui ita legendum arbitratur. et recte; est enim translatio. *in stadio* autem id est in curriculo. atque ita esse legendum declarat verbum *exercuit*. sic libro primo de Oratore [C. 32. §. 147. p. 122, 2.], ubi vulgati libri habent *sed iis qui ingrediuntur in studium*, ille legendum putat *stadium* [vide ab Lambino annotata ad h. l. et ad III. Herenn. C. 6. §. 13.].

C. 66. §. 234. ADMIRANDO IRRIDENDO LATEBAT IN AGENDO UT EA QUAE DEERANT NON DESIDERARENTUR. sine dubio mendum subest in verbo *calebat*, quomodo legitur in omnibus libris vulgatis; neque tamen ulla est in libris mss. varietas. ego vel *celabat* legendum arbitror, quod iam ante visum est Sebastiano Corrado, vel *latebat*, quod mihi magis probatur. *latebat in agendo* autem *intervallis, exclamationibus, voce suavi et canora* id est actione et rebus illis omnibus inopiam verborum et tarditatem suam tegebat. sed ne quid dissimulem, vellem hunc totum locum sic legi, *sic intervallis exclamationibus voce suavi et canora admirando irridendo agendo denique latebat, ut ea quae deerant non desiderarentur* [vid. Ellendt. V. D. p. 170. sqq. et cf. ab Orellio notata ad h. l. p. 427. editio Rom. a. 1469. sic habet, *admirando irridebat: callebat in agendo*.].

C. 69. §. 242. QUOD IDEM FACIEBAT Q. ARRIUS QUI FUIT M. CRASSI QUASI SECUNDARIUS. sic habent libri vulgati, verum ego *secundarum* scriptum reperi in tribus libris mss. quocirca tutius esse iudicaram hanc scripturam sequi, quam vel *secundanus* vel, ut Budaeus et Rivius, *secundarius*, si mihi operae typographi obtemperare voluissent. in *secundarum* porro subintelligendum *partium*. si quis tamen *secundarius* probet, non reluctor; ut secundarium intelligamus eum esse, quem Graeci *δευτεραγωνιστὴν* appellant, id est actorem secundarum partium, secundas partes agentem [cf. Lambin. Commentt. Horatianis ad I. Epp. 18, 14. p. 280. E. et Heindorf. ad I. Satirr. 9, 46. p. 196.].

C. 71. §. 250. MAXIMEQUE LAUDANDUS EST QUI HOC TEMPORE IPSO QUUM IACEAT IN HOC COMMUNI NOSTRO ET QUASI FATALI MALO CONSOLETUR SE QUUM CONSCIENTIA OPTIMAE MENTIS TUM ETIAM USURPATIONE ET RENOVATIONE DOCTRINAE. licuit mihi opinor et semper licebit ex variis et dissimilibus scripturis eam potissimum sumere atque eligere, quae probabilissima videatur. quum igitur viderem alios legere, ut habent libri fere omnes vulgati [et Romanum illud exemplar vetustissimum, consentientibus codd. Gud. 38. et

Aug. XII, 13.], *qui hoc tempore ipso quum liceat*, cuius lectionis nulla sententia est, nisi forte addas *esse*, quod facit Corradus; alios *quantum liceat*, alios *quoniam liceat*, alios *quum iaceat:* ego hanc postremam secutus sum, cuius sententia facillima atque apertissima est. hoc enim significat his verbis M. Tullius, laudandum esse M. Marcellum, qui, quum communibus malis ac miseriis afflictus sit, se consoletur tamen et conscientia optimae mentis et renovatione doctrinae.

C. 72. §. 253. VERBORUM DILECTUM ORIGINEM ESSE ELOQUENTIAE. duo libri manu scripti habent *verborum dilectum*, quos secutus sum. *dilectum* enim *militum* dicebant veteres potius, quam *delectum*, ut testatur Festus [vid. ad II. de Orat. C. 9. §. 36. et ad C. 68. §. 275.].

Ibid. AC SI UT COGITATA PRAECLARE ELOQUI POSSENT NONNULLI STUDIO ET USU ELABORAVERUNT. verba sunt Caesaris ad M. Tullium, quae, ut sunt nunc a me restituta, aperta et plana sunt.

C. 73. §. 255. HANC AUTEM INQUIT GLORIAM TESTIMONIUMQUE CAESARIS TUAE QUIDEM SUPPLICATIONI NON SED TRIUMPHIS MULTORUM ANTEPONO. sic legi debet et ita habent tres libri manu scripti et nonnulli vulgati [etiam Rom. exemplar a. 1469.]; nam mendose in aliis [ut et Gud. 38. et August. XII, 13.] legitur, *non solum, sed triumphis multorum antepono.* quid autem hic significet Cicero, sciunt qui tertiam Catilinariam [C. 6. §. 15. p. 328, 40.], et Orationem in Pisonem [C. 3. §. 6. p. 527, 19.]. et Orationem pro Sylla [C. 30. §. 85. p. 384, 38], et Philippicam Secundam [C. 6. §. 13. p. 591, 12.] et Quartamdecimam [C. 8. §. 24. p. 668, 23.] legerunt, ubi supplicationem Diis immortalibus suo nomine verbis amplissimis decretam esse ait; nempe quod rem publicam conservasset, quod ei primum post urbem conditam togato contigerit.

§. 256. OMISSIS ILLIS DIVINIS CONSILIIS QUIBUS SAEPE CONSTITUTA EST IMPERATORUM SAPIENTIA SALUS CIVITATIS AUT BELLI AUT DOMI. si hic M. Tullii sensus est, ut omittamus ea oratorum consilia, per quae imperatorum sapientia belli, salus civitatis domi constituta est, videtur obscurius esse locutus. debuit enim ita dicere, *quibus saepe constituta est imperatorum sapientia belli, salus civitatis domi.* sin hoc sentit, omissis consiliis, per quae salus civitatis per sapientiam imperatorum domi aut belli constituta est, genus est loquendi Ciceroni indecorum. omnino locus est non satis facilis mihi quidem ad explicandum. quod si quis sententiam meam exquirat, fortasse ita legi debeat: *omissis illis divinis consiliis, quibus saepe constituta est imperatorum sapientia salusque civitatis aut belli aut domi.* et ita vox *sapientia* erit recti casus, ut in priore sensu. quod si *sapientia* erit septimi casus, loquendi genus erit, ut dixi, Cicerone indignum.

C. 74. §. 258. extr. QUO MAGIS EXPURGANDUS EST SERMO ET ADHIBENDA RATIO QUAE MUTARI NON POTEST. quum sic habeant

libri omnes vulgati *et adhibenda quam obtrusa ratio,* perspicuum sit autem hoc totum *quam obtrusa* foris intrusum, delendum curavi. atque ut ne hoc temere a me factum esse dicas, facti mei rationem exponam. in tribus libris mss. non est *quam obtrusa ratio,* sed in uno *quantum obrusa,* in duobus *quantum obrussa* [de meis codicem Gud. 38. sic repraesentare memini hunc locum, *quantum obtrussa ratio;* ab altero, qui est Aug. XII, 13., abest illud *obtrussa* sive *obtrusa,* sed retento *quantum.* Rom. editio a. 1469. utique mendose, *quantum obtusut ratio,* mutatis *t* et *r*.]. si igitur alterutra mihi scriptura esset retinenda ac tuenda, levius profecto peccarem, si antiquam, quam si hanc recentem et vulgatam retinerem. at ego ostendam, antiquam esse respuendam ac reiiciendam, ut et ipsam spuriam atque adulterinam: multo igitur magis vulgatam improbare debui. quomodo illud ostendo? ad haec verba *expurgandus sermo* annotavit lector aliquis Ciceronis studiosus *tanquam*
b. || *aurum obryzum* seu *tanquam obruzum,* significans hanc esse mentem Ciceronis, sermonem purgatum et purum esse oportere tanquam aurum excoctissimum et purissimum, cuiusmodi est obryzum seu obrussum. hanc annotationem ad oram libri adscriptam scriptor librarius, ut factitari solebat, in contextum verborum coniecit existimans esse Ciceronis, et quod gravius fuit, non quo debuit loco sed alienissimo locavit. nam si ita scripsisset, *quo magis expurgandus est sermo tanquam aurum obrussum et adhibenda ratio,* peccasset ille quidem (Ciceroni enim verba non sua, sed aliena affinxisset), sed tamen tolerabilius peccasset. sententiam enim non corrupisset, sed potius, ut fortasse non nemini videri possit, illustrasset. nunc autem quum post vocem *adhibenda* posuerit, posteaque ex *obrussum* factum sit ab aliquo doctulo *obrussa,* ut cum voce *ratio* congrueret, hunc locum foedum in modum deformavit. Haec mei facti ratio est. quod si quis vocem *obrussum* retinendam esse contendet, equidem non reluctabor, modo ita legatur ut supra exposui, *expurgandus est sermo tanquam obruzum* seu *obrussum.* hoc tantum vereor, ne vox *obrussum* parum sit Ciceroniani sermonis integritati et nitori consentanea. mallem ita ab eo scriptum esse credere, *expurgandus est sermo tamquam aurum et adhibenda ratio* [ex Omiss. p. 380. addantur haec: »Adrianus Turnebus homo singulari doctrina legit *adhibenda,* »*tanquam obrussa, ratio. obrussa* autem est probatio et nota »auri atque argenti, ut ait ille. sic igitur lege« emendavit e vetere codice Victorius, emendationem probat Turnebus Adversarr. 14, 22. habetque Lambinus in Erratis Operarum post Tom. 1. p. 384., loco suo reponendam hoc modo, *adhibenda tanquam obrusa ratio;* alii *obrussa.* Lambini vero Erratorum Indicem non semel equidem neglectum deprehendi, quum ab aliis, monstra lectionum Lambino vindicantibus, tum ab optimo Orellio V. C.].

§. 260. QUO ACCUSANTE CHIRTILIUM. sic habent duo libri

manu scripti, unus *Chircilium*, quidam vulgati *C. Rutilium* [codd. Gud. 38. et August. XII, 13. habent *Chritilium*.].

C. 75. §. 261. extr. VOCE MOTU FORMA ET MAGNIFICAM ET GENEROSAM QUODAMMODO. sic restitui ex Suetonio, qui hunc locum tanquam testem producit in Caesare [c. 56. Tom. 1. p. Wolf. 77.], ubi de eloquentia eius scribit. vulgati autem libri atque etiam manu scripti mendose habent *magnifica et generosa* [sed et codd. Gud. 38. et August. XII, 13. receptam tuentur, hoc ipsum *forma etiam magnifica et generosa* repraesentantes, et Rom. edit. a. 1469. sic habet, *forma etiam et magnifica*.].

§. 262. DUM VOLUIT ALIOS HABERE PARATA. sic habent omnes libri; sed docti quidam malunt legi *paratum*, quibus assentior. nec me movet vox *illa*, quae sequitur.

C. 76. §. 264. ET CELERITATE CAECATA. quidam testantur in uno codice ms. scriptum esse *celeritate citata* [Orell. p. 433. »*citata* codex Rivii.« Romanum exemplum, opinor, a. 1469.].

C. 77. §. 269. EFFRENATUS ET ACER NIMIS. duo libri mss. habent et *acerrimus;* ego tamen nihil muto [sed a Romana ed. abest *nimis*.].

C. 78. §. 272. ERATQUE VERBORUM ET DILECTUS ELEGANS ET APTA ET QUASI ROTUNDA CONSTRUCTIO. sic habent duo libri mss., et ita legi debet non *delectus*, ut saepe iam diximus.

C. 79. §. 273. extr. CECIDITQUE POSTEAQUAM EOS IMITARI COEPIT QUOS IPSE PERVERTERAT. sic habent libri tres manu scripti [etiam Gud. 38. et August. XII, 13. et Rom. edit. a. 1469.], tametsi vulgata lectio *ceciditque postea quum* non sit reiicienda.

§. 275. QUA DE RE AGITUR AUTEM. quidam legendum censent *quo de agitur* [solus Gud. 38., non item August. XII, 13., *qua de re autem agitur*. vid. Orell. p. 436.].

C. 80. §. 276. DEMULCERET VOLUPTATE. sic restitui, primum orta mihi mendi suspicione ex unius ms. codicis scriptura, ubi ita scriptum erat *devinceret* [nec aliter Rom. edit. Pannartz. a. 1469.]; deinde suspicatus a scriptore, *devinceret* et *demuceret* scriptum pro *demulceret;* postremo considerato hoc loquendi genere *devincire voluptate*, et cum hoc comparato *demulcere voluptate*, quorum alterum sine controversia usitatum et tritum est Latinis, alterum inusitatum et insolens [codd. Gud. 38. et August. XII, 13., quem vulgo numerant in Gudianis, sed parum certa ratione, vereor equidem ut afferant aliquid diversum a vulgato *devinciret*].

Ibid. QUORUM ALTIOR ORATIO. legendum fortasse est *elatior*.

Ibid. HOC UNUM ILLI SI NIHIL UTILITATIS HABEBAT AFUIT SI OPUS ERAT DEFUIT. sic loquebantur veteres, et ita legi debet *afuit* potius quam *abfuit*. de quo alias [cf. Comment. Horat. ad I. Satirr. 4, 101. p. 50. A. et vide notata ab Oudendorpio ad Caes. I. de B. G. 36, 5. p. 56.]. quamquam infra paullo *abfuit* edendum curavimus, quod ita scriptum in libris omnibus reperimus, religione quadam inepta fortasse deterriti, ne *afuit*, quod est rectum et verum, edi iuberemus [a vulgata non rece-

dit Romanum exemplar a. 1469., nisi quod ibi legitur *si opus fuerat.* Gud. 38. qui descripsit, is codicem suum interpolavit annotatiuncula quadam hoc fere modo, *si nihil utilitatis habebat quid referat inter abesse et deesse?* ab Aug. XII, 13. haec absunt, *opus erat defuit quin etiam nemini.*].

C. 83. §. 286. ISQUE SE ITA PUTAT ATTICUM UT VEROS ILLOS PRAE SE PAENE AGRESTES PUTET. alibi legitur *ut viros illos.*

C. 87. §. 297. LONGI SERMONIS INITIUM DETULISTI. quum ex libris manu scriptis alii habeant *depulisti*, alii *detulisti*, vulgati autem plane mendosissime *pepulisti:* ego putabam legendum vel *tetulisti* vel *attulisti*, sed non sum ausus tamen ab auctoritate codicum antiquorum tam longe discedere. omnino *detulisti* mihi non placet; *attulisti* malim [in *depulisti* conspirare vidi cod. Aug. XII, 13. et Romanum illud exemplar a. 1469. et *pepulisti* et *depulisti* sive *detulisti* abest a Gud. 38., librarii incuria.].

§. 299. EXISTIMARI VELIM. alii legi malunt *nolim.* utraque lectio probabilis est et usitata.

C. 89. §. 305. extr. ORATORIIS TANTUM EXERCITATIONIBUS CONTENTUS NON ERAM. alii quidam libri habent *oratoriis tamen*; quod ita probo, ut hoc amplectar tamen [et tuentur codd. Gud. 38. et August. XII, 13., iidemque *oratoris* pro *oratoriis* repraesentantes. sed confinium vocabulorum sollennis confusio. vid. ad Orator. C. 3. §. 11.].

§. 306. EGO AUTEM IURIS CIVILIS STUDIO MULTUM OPERAE DABAM Q. SCAEVOLAE P. F. QUI QUANQUAM NEMINI SE AD DOCENDUM DABAT TAMEN CONSULENTIBUS RESPONDENDO STUDIOSOS AUDIENDI DOCEBAT. ego haec verba *iuris civilis studio* putabam delenda atque ita legendum, *ego autem multum operae dabam Q. Scaevolae.* quod valet, ego discebam ius civile, Scaevola magistro; auditor eram Scaevolae ius civile docentis, saltem consulentibus respondendo. nam *dare operam studio iuris civilis* et *dare operam Scaevolae* fortasse diceremus separatim et disiuncte, sed coniunctim vix, nisi *studio* ita accipiamus ut sit septimi casus; proinde ac si diceret M. Tullius, studio iuris civilis adductus seu incensus Q. Scaevolae multum operae dabam.

C. 90. §. 307. QUEMADMODUM SIMUS IN SPATIO Q. HORTENSIUM IPSIUS VESTIGIIS PERSECUTI. legendum fortasse est *ipsis vestigiis.*

§. 308. PRIMAS IN CAUSIS AGEBAT. quidam libri habent *pri-*
p.326. *mis in causis agebat;* mendose, opinor. quidam hoc totum de-
a. lendum existimant. ‖ ego sic legendum putarem, si quid immutandum esset, *in causis agendis Hortensius magis magisque quotidie probabatur.*

§. 312. ET TANQUAM ELUCUBRATAS. sic hunc locum restituit Rivius ex codicibus, ut testatur, manu scriptis, ubi vulgo legitur *etiam quam elucubratas;* plane mendose [firmant correctionem quum alii libri, tum Gud. 38. et August. XII, 13. et sic est in Rom. a. 1469., quam Rivius pertractavit.].

C. 91. §. 314. UT CONSUETUDINEM DICENDI MUTAREM. docti

quidam viri hoc totum putant ex ora libri in contextum esse illatum, quum esset annotatum ad illud explicandum, *ea causa mihi in Asiam proficiscendi fuit.* omnino si haec verba deleantur, nihil de sententia decedat.

§. 316. ET SUPERFLUENTES IUVENILI QUADAM DICENDI IMPUNITATE. tres libri manu scripti habent *supra fluentes* [sic et Gud. cod. 38. et August. XII, 13. non minus barbare ac reliqui. Romana editio a. 1469. sola, ut videtur, *superaffluentes* habet.].

Ibid. NAM ET CONTENTIO NIMIA VOCIS RESEDERAT ET QUASI DEFERBUERAT ORATIO. sic legendum, non *reciderat. resederat* autem id est remissa fuerat seu conquieverat. sic Caelius Epp. ad Cic. VIII. [2, p. 84, 27.] *Marcelli impetus resederunt, non inertia sed, ut mihi videbatur, consilio.* Horatius ode 3. lib. 3. [29. sqq.] *Nostrisque ductum seditionibus Bellum resedit: protinus et gravis Iras et invisum nepotem, Troica quem peperit sacerdos, Martī redonabo* [codd. Gud. 38. et Aug. XII, 13. cum Rom. a. 1469. consentiunt in *reciderat*, damnatum nec tamen loco motum ab Orellio V. D., quem vid. p. 445. deinde codices mei item *referverat*, Romanum illud exemplar *referbuerat.* cf. Voss. de Analog. 3, 24. p. 91. Struv. de Latinorum Decl. et Coniug. p. rep. edit. 240.].

C. 94. §. 324. UT QUI NON SATIS DIU VIXERIT HORTENSIUS. sententia horum verborum haec videtur esse, siquidem Ciceronis sunt: adeo ut Hortensius quamvis non satis diu vixerit, hunc cursum tamen confecerit, quem nos commemoramus. Sed ut quod sentio libere dicam, non videntur mihi esse Ciceronis, sed aliena et ab aliqua annotatiuncula nata. vulgo autem ita legitur hic locus, *ut qui non satis diu vixerit Hortensius;* et volunt quidam esse *αἰτιολογίαν*, quare Brutus solus causas egerit. iidem legendum censent *ut quum*, eodem propemodum sensu, vel *atqui* et post *vixit, confecit.* Ego malim legi *ut, quamvis non satis diu vixerit.*

C. 96. §. 330. ET AB AMATORUM IMPETU. sic habent aliquot libri vulgati, quibuscum congruunt duo mss., videturque haec lectio probabilis, ut quos dixit supra *procos impudentes*, nunc appellet *amatores.* alii habent *armatorum* [hoc tenuit August. XII., 13., et Rom. edit. a. 1469., sed *amatores* satis firmat Gud. 38.].

§. 331. QUAE SI RECTE ESSET SALUTE REI PUBLICAE SIN SECUS INTERITU IPSO TESTIMONIUM MEORUM DE RE PUBLICA CONSILIORUM DARENT. horum verborum haec sententia est, *quae*, videlicet a me gesta, *si recte esset*, id est si res publica bene haberet, si res publica salva esset, salute rei publicae testimonium meorum de re publica consiliorum darent: *sin secus esset*, id est si res publica interiret bellis civilibus, ipso interitu idem testimonium darent. opposuit saluti rei publicae interitum eiusdem. sed libri aliquot et manu scripti et vulgati sic habent, atque hanc lectionem sequitur et probat Budaeus in Annotationibus in Pandectas, *quae si recte esset saluti rei publicae, sin secus, interitu ipso testimonium meorum de re publica consiliorum da-*

rent. atque ille sic explicat: quae si recte esset saluti rei publicae, id est si salva esset res publica, tum, subintelligit, perpetuam mihi gloriam compararent; sin secus, etc. verum ignoscant mihi Budaei nostri manes; errat Budaeus. nam si hoc sensisset Cicero, non esset ita locutus *si recte esset saluti rei publicae*, sed ita *si recte esset rei publicae.* sic enim loquuntur Latini *recte est* simpliciter, vel *recte est mihi, tibi, nobis, rei publicae*, non autem *recte est saluti meae, tuae, nostrae*, et cetera. quamquam, si bene memini, sententiam postea mutavit Budaeus legendumque *salute*, non *saluti* indicavit [alteram lectionem, Lambino aliisque doctissimis viris probatam, firmant codices Gud. 38. et Aug. XII, 13. *saluti* habet Romanum exemplar a. 1469.].

C. 97. §. 331. QUASI QUADRIGIS VOLANTEM. libri vulgati sic habent, *quasi quadrigis vehentem.* quam lectionem quidam sic explicant: adolescentiam, quae te vehit quadrigis per medias laudes. sed ineptum est hoc loquendi genus neque satis Latinum, *adolescentia te vehit quasi quadrigis.* dicerent enim potius Latini, *adolescentiam tuam quasi quadrigae vehunt.* nam equus, cursus, quadrigae vehunt, non autem res ulla vehit equo, curru, quadrigis [sed vide quae disputantur ab I. Fr. Gronovio ad Livii 2. 19, 8. Tom. 1. P. 2. p. edit. Stuttgart. 166.]. praeterea vis affertur verbis Ciceronis, quum subaudiri volunt *te.* omnino igitur haec lectio ferri non potest, neque ab auribus purgatis et Ciceronis aliorumque similium scriptorum lectioni assuefactis probari debet. Atque ut fidentius hanc lectionem respuerem et *volantem* reponerem, perpulit me duorum librorum manu scriptorum scriptura, in quibus scriptum est *vohantem.* fuit autem facilis lapsus calami a littera *l* ad aspirationis notam; deinde facile fuit ex *vohantem* facere *vehentem*, quum praesertim prope esset nomen *quadrigis*; postremo quid non audent semidocti? qui quum hoc verbum translate positum esse non viderent, corruperunt. atqui sic loquuntur item alii. Virgilius Aen. V. [819.], *Caeruleo per summa levis volat aequora curru.* idem XII. [650. 1.], *Vix ea fatus erat, medios volat ecce per hostis Vectus equo spumante Sages* [Lambini ratio quum aliis viris doctissimis improbatur, tum Oudendorpio ad Appul. Tom. 1. p. 12. vid. Ellendt. p. 240.]

Ibid. HIC ME DOLOR ANGIT HAEC ME CURA SOLLICITAT ET HUNC MECUM SOCIUM EIUSDEM ET AMORIS ET IUDICII. sic restituo reclaclamantibus libris omnibus. sic enim loqui solet M. Tullius *angit me cura, angor cruciatu timoris, angor dolore, angor meis incommodis*, et similia. Neque me movet Virgilianum illud IX. Aen. [138. 9.], *nec solos tangit Atridas Iste dolor;* nec illud XII. Aen. [932. 3.], *miseri te si qua parentis Tangere cura potest.* aliud enim dicit, qui dicit *haec cura me tangit, hic dolor me tangit;* hoc enim significat, haec cura vel hic dolor me aliquantulum commovet seu ad me pertinet: aliud, qui *haec cura* et *hic dolor me angit*; hoc enim vult intelligi, se cura et

dolore sollicita || ri atque excruciari. quare dubium non est, b.
quin hoc loco ita sit legendum, idque etiam declaratur verbo proxime sequente *sollicitat*, quod, ut docet Festus, significat *loco movet*. est autem factum ex *solo* et *cieo:* quo fit, ut significet acri quasi plaga concutere. itaque *angit* et *sollicitat* cohaerent et conveniunt inter se, *tangit* et *sollicitat* non item. postremo, ne aliena inventa mihi iniuste videar arrogare, hoc idem iam ante venit in mentem Sebastiano Corrado, viro doctissimo.

§. 332. ARCESSIVISTI EX URBE EA. sic habent duo libri manu scripti, ne quis forte me mea sponte ita edi iussisse existimet; et vero ita ubique legendum est. nam *accerso* non est Latinum, neque eius ulla est origo, nullum etymon; *arcesso* autem veteres Grammatici [in his Priscianus 1. p. 45. Tom. 1. p. Krehl. 43.] docent deduci a verbo *accio*, verso *c* priore in *r*. sed de hoc plura in Commentariis Horatianis [ad I. Epp. 5, 6. p. 223. E. F.].

§. 333. NIHIL DICO AMPLIUS TANTUM DICO. quaedam hic desiderantur, sed non admodum multa; et quod propemodum aeque dolendum est, quicquid est ab hoc loco usque ad extremum, non satis est integrum neque emendatum. quod autem quidam divinant, quae veri simile sit a M. Tullio ab hoc loco esse dicta, laudo, divinare non est meum. optemus potius, ut nobis aliquando alicunde codices mss. contingant, unde et quae desunt explere et quae corrupta sunt emendare possimus.

V.

IN ORATOREM.

C. 2. §. 5. AUT IALYSI QUEM RHODI VIDIMUS. sic legendum est. hoc primum; deinde *Ialysus* fuit opus Protogenis, signum pulcherrimum Rhodi, ab urbe una ex tribus Rhodi insulae, *Ialyso* nomine.

C. 3. §. 9. CUIUS AD EXCOGITATAM SPECIEM. duo libri manu scripti habent *cuius ad cogitatam speciem*. melius.

Ibid. QUAE SUB OCULOS IPSA CADUNT. sic legendum, non ut in vulgatis *ipsa non cadunt*. atque ego ita coniectura ductus hunc locum emendaveram in meo codice, antequam P. Victorius libros VV. LL. edidisset [vide hunc l. l. 11, 14. sed et Gud. cod. 38. et August. XII, 13. *non cadunt* praeferunt.].

§. 11. NON EX ORATORIS DISPUTATIONIBUS. quidam legi volunt *oratoriis* [vide annotata ad Brut. C. 89. §. 305.].

C. 5. §. 20. QUOD IPSUM ALII ASPERA. quidam legi volunt *quorum ipsorum.*

C. 6. §. 21. EST AUTEM QUIDAM INTERIECTUS INTER HOS [sic reponendum ex Indice Erratorum p. 384.] MEDIUS ET QUASI TEMPERATUS. legendum puto *interiectus inter hos et medius et quasi temperatus*, vel, ut apud Nonium [1, 295. p. Mercer. 59, 30. v. *cinnus*], *interiectus inter hos medius.*

Ibid. UT CINNUS AMBORUM. Nonius Marcellus in voce *cinnus* [1, 295. p. Merc. l.], qua voce docet commistionem rerum plurimarum significari, hunc locum profert et ita legit *ut cinnus amborum;* quam scripturam multi doctissimi viri sequuntur et probant. alii vulgatam lectionem tuentur ac retinent *vicinus amborum* [tuentur ac retinent codd. Gud. 38. et August. XII, 13.; nam a Gud. 2. abest tertia fere huius libri pars.]; alii nondum statuere se potuisse scriptum reliquerunt, utra sit potior. ne ego quidem quicquam statuo: verumtamen Nonii Marcelli testimonium respuendum esse non putavi, non luctaturus, si quis vulgatam lectionem retinere malit. suum cuique iudicium liberum est: mihi magis placet ea quam secutus sum.

Ibid. PRAETER FACULTATEM. alii legunt *facilitatem*, quod non improbo [cf. Ernest. Lex. Technol. Lat. Rhet. p. 162. v. *facilis.* et proclivem in confini vocabulo lapsum esse, docuit post alios Spaldingius noster ad Quinct. IV. 1, 61. Tom. 2. p. 48. in *facultatem* consentire vidi codd. Gud. 38. et August. XII, 13., *facultatem et aequalitatem* praefert Gud. 38. vid. VV. LL. ad I. de Offic. c. 25. §. 88. p. Heusinger. 211.].

C. 8. §. 25. ET TANQUAM ADIPATUM DICTIONIS GENUS. ab *adipe adipatum*, non *adipale* derivant Nonius et Charisius [1, p. 73. Putsch.], in quo eos secutus sum. sed quod Nonius hunc locum testem producens in v. *adipatum* [2, 4. p. Mercer. 69, 2.] legit, *et tanquam adipatae dictionis genus*, in hoc non sum eum secutus. quis enim non videt, Latini sermonis usum ac rationem postulare, ut ita legatur, *opimum et tanquam adipatum dictionis genus?*

§. 27. *IN HOC IN EUM* HUC AN ILLUC MANUM PORREXERIT. locus corruptus et insanabilis sine ope aliorum codicum antiquorum; nam ii quidem, quibus usus sum, nihil me adiuverunt. ego ex Demosthene tale quiddam deesse puto, *hoc an illud verbum posuerim*, seu *hoc an illud locutus sim*, seu *hoc an illo verbo usus sim*, seu *hoc an illud verbum usurparim.* ita enim Demosthenes in Oratione pro Ctesiphonte [p. Reisk. 355. Bekker. Oratt. Att. Tom. 4. p. edit. Berolin. 272.], *πάνυ γὰρ παρὰ τοῦτο (οὐχ ὁρᾷς;) γέγονε τὰ τῶν Ἑλλήνων πράγματα, εἰ τουτὶ ῥῆμα ἀλλὰ μὴ τουτὶ διελέχθην ἐγώ, εἰ δευρὶ τὴν χεῖρα ἀλλὰ μὴ δευρὶ παρηνεγκα·* id est, *scilicet enim in hoc fortunae Graecorum positae sunt, hoc an illud verbum in oratione posuerim, huc an illuc manum porrexerim.*

C. 9. §. 32. NEQUE VERBORUM NEQUE SENTENTIARUM GRAVITATEM. legendum fortasse est, *neque verborum granditatem neque sen-*

sententiarum gravitatem [cf. quae disputantur ad Brut. C. 62. §. 221.].

§. 32. GERMANOS SE PUTANT ESSE THUCYDIDAS. sic esse legendum, non ut habent plerique libri vulgati, *germanos se putant esse Thucydidis*, iam pridem viderunt doctissimi aliquot viri, in his Rivius [Castigatt. in Cic. Oratt. p. 917.] et Hieronymus Ferrarius, idque ex auctoritate codicum manu scriptorum. *germanos* Thucydidas autem, ‖ id est veros et meros et ipsissimos, p.327.
ut ita dicam, Thucydidas. a.

C. 11. §. 37. ET HISTORIARUM. vocem *historiarum* delendam censeo.

C. 12. §. 38. UT VERBA VERBIS QUASI DIMENSA. sic legi debet, non ut in libris vulgatis, *demensa*. idem in Timaeo [c. 14. p. Gronov. 1420.], *dimensae ad spatium temporis annorum conversiones* [locus p. 447, 26. sic habet: *nunc vero dies noctesque oculis cognitae tum mensium annorumque conversiones numerum machinatae sunt et spatium temporis dimensae, et ad quaestionem totius naturae impulerunt.*]. in Catone Maiore [C. 17. §. 59. p. 414, 29.], *mirari se non modo diligentiam, sed etiam sollertiam eius, a quo essent illa dimensa.*

§. 39. MINUTA ET VERSICOLORIUM SIMILIA QUAEDAM NIMIUMQUE DEPICTA. sic restitui haud dubia coniectura ductus, reclamantibus libris omnibus, in quibus legitur *versicolorum* [versiculorum?]; plane mendose. quis enim non videt, *versicolorium* seu *versicolorum* [sic fidenter correxi istud *versiculorum*, commentum operarum] esse legendum, tum ex voce *minuta* quae antecedit, tum ex iis quae sequuntur *nimiumque depicta?* nam columbarum plumae ut *versicolores* ab eodem dicuntur [III. de Finn. C. 5. §. 18. p. 74, 16.], ita ab aliis *pictae* seu *depictae*. et *arma* a Virgilio *picta* dicuntur libro 8. [Aen. VIII, 588.], *pictis conspectus in armis*. ab eodem libro decimo *versicoloria* [Aen. X, 181.], *Astur equo fidens et versicoloribus armis*. postremo coniecturam meam confirmat locus ille, qui est infra p. 253, 42. [c. 19, §. 65.], ubi de Sophistarum oratione loquitur, *verba apertius transferunt eaque ita disponunt, ut pictores varietatem colorum* [cf. Heindorf. ad Platon. Phaedr. p. 266. E. Diall. Selectt. Tom. 1. p. 316. et quae annotavit ad hunc Ciceronis locum Meyerus p. 22.].

C. 13. §. 40. ARTE QUADAM VERBA IUNXISSE. duo libri manu scripti habent *verba vinxisse* [Meyerus p. 23. »*iunguntur* verba, »*vincitur* oratio.« cf. h. l. C. 19. §. 68. causa tamen erroris primaria fuisse videtur litterarum *iu* et *ui* similitudo, unde et aliis locis in hoc genere nonnihil turbatum reperias. cf. ab Drakenborchio notata ad Livii 6. 22, 7. Vol. 3. P. 2. p. edit. repet. 205.].

C. 14. §. 44. QUAE TAMEN CAUSA EST VACUA PRUDENTIA? secutus sum nonnullos libros vulgatos et obscura scripturae veteris vestigia. cuius lectionis quamvis sit probabilis sententia, non videtur ea tamen mihi omni ex parte mendo vacare. quin,

ut dicam quod sentio, totus hic locus mihi videtur adventicius et alienus.

§. 45. NAM QUONIAM QUICQUID EST QUOD IN CONTROVERSIA AUT IN CONTENTIONE VERSETUR. ab hoc loco pendet sententia usque ad illa verba, *haec igitur quaestio.* quae iccirco adscripsi, ne quis hic mendum subesse existimet.

§. 46. HAEC IGITUR QUAESTIO A PROPRIIS PERSONIS ET TEMPORIBUS AD UNIVERSI GENERIS ORATIONEM TRADUCTA APPELLATUR THESIS. haec est ἀνταπόδοσις illorum verborum, *nam quoniam quicquid est.*

C. 16. §. 53. ELABORANT ALII IN LENITATE ET AEQUABILITATE ET PURO QUASI QUODAM ET CANDIDO GENERE DICENDI. legendum putant quidam *levitate*, prima syllaba producta, quibus propemodum assentior.

C. 19. §. 62. EXTITIT ET SUAVITATE ET GRAVITATE PRINCEPS PLATO. abest a libris vulgatis *et suavitate*, quod reperitur in manu scriptis [abest a Gud. 38. et Aug. XII, 13.]: sed ego mallem legi, *et ubertate et gravitate.* nam in Xenophonte suavitas, in Platone ubertas est et gravitas. fortassis autem Ciceronis studiosus aliquis quum hic sentiret nonnihil deesse, addidit de suo *et suavitate* [sed conferre iubet Meyerus I. de Divin. c. 36. §. 78.].

C. 22. §. 73. QUUM HOC DECERE QUOD SEMPER USURPAMUS IN OMNIBUS DICTIS ET FACTIS MINIMIS ET MAXIMIS QUUM HOC INQUAM DECERE USQUEQUAQUE QUANTUM SIT APPAREAT IN ALIOQUE PONATUR ALIUDQUE TOTUM SIT UTRUM DECERE AN OPORTERE DICAS. sententia pendet ab hoc loco usque ad illum [p. 255, 2. §. 74. extr.], *sed quum hoc tantum sit, quid in causis earumque quasi membris faciat orator viderit.* cetera enim sunt interposita. iccirco et suo et aliorum scriptorum more, quod veri simile erat, auditorem seu lectorem quae hic ponuntur esse oblitum, eadem iterat in antapodosi. iam verba aliquot, quae aliunde post illa verba *quum hoc (inquam) decere* inferta fuerant, auctoritate librorum manu scriptorum fretus, funditus delevi [ea verba sunt *dicimus illud non decere et id*, et a nostris etiam codicibus Gud. 38., August. XII, 13. frustra defenduntur. horum alter, si hoc tanti est, *dicimus*, alter *dicamus* repraesentat].

C. 23. §. 77. PRIMUM IGITUR EUM. quidam legi volunt *eam*, ut ad subtilitatem referatur.

Ibid. SUNT ENIM QUIDAM UT SCIS ORATORII NUMERI. quidam legi malunt *oratori* [idque in Erratis Tom. 1. p. 384. probatur ipsi Lambino. in *oratorii* conspirare vidi codd. Gud. 38. et August. XII, 13.].

C. 24. §. 79. ORNAMENTUM ILLUD SUAVE ET AFFLUENS. sic habet codex ms., vulgati autem mendose *ornatum* [et sic codd. Gud. 38. et August. XII, 13.].

C. 25. §. 84. ET IMMUTATIONE LITTERAE QUAESITAE VENUSTATES. particulam *quasi*, quae nata erat ex voce sequente *quaesita*, propter similitudinem *quasi*, *quaesi*, ego haud dubiis

coniecturis ductus funditus sustuli [cf. Iulium Victorem p. 107., a Meyero laudatum.].

C. 26. §. 87. IN DICENDO MIRUM QUANTUM VALENT. quidam legendum putant, *mirum quantum valeant;* ego hic nihil sum ausus mutare. ita enim Graeci loquuntur, *θαυμαστὸν ὅσον*, id est *mirabile quantum;* quod genus loquendi ita Graeci explicant, *tantum quantum mirabile est.* Sed non celabo lectorem, me in duobus mss. ita scriptum reperisse, *nimium quantum;* quae scriptura non est reiicienda. nam sic quoque loquuntur Graeci *ἀμήχανον ὅσον, οὐράνιον ὅσον.* idem M. Tullius libro quarto de Finibus [p. 95, 45. c. 25. §. 70.], *sed differre inter honestum et turpe nimium quantum, nescio quid immensum.* nisi forte etiam ibi legendum putet aliquis *mirum quantum* [nemo id quidem; vid. Görenz. ad h. l. Opp. Philoss. Tom. 3. p. 509. sed in *nimium quantum* nostro etiam loco consentiunt codd. Gud. 38. et August. XII, 13.; nec aliter habet Nizolius a Facciolato castigatus, p. 481. v. *nimis.*].

§. 90. QUONIAM QUICQUID EST SANUM IN ORATIONE ID PROPRIUM ATTICORUM EST. hunc locum ope unius veteris codicis restitui. nam sine dubio mendosus est in vulgatis, in quibus sic legitur, *quicquid est salsum et salubre* [et codd. Gud. 38. et August. XII, 13. *salsum aut salubre* habent. cf. Quinctilian. 6. 3, 18. Tom. 2. p. Spalding. 532.].

C. 27. §. 93. QUUM DIXIT ENNIUS ARCE ET URBE ORBA SUM. sic legendum esse || pervincit locus integer, quem profert libro tertio Tusculanarum Quaestionum [p. 155, 28. c. 19. §. 44], *quid petam praesidii aut exsequar? quove nunc auxilio aut fuga Freta sim? arce et urbe orba sum. quo accedam? quo me applicem* [apponam codicum Gudianorum, qui denuo sunt a me explorati, lectionem integram. sic igitur est in Gud. 2. *quod dixit arcem et urbem orbam alio modo si patriam arcere dixisset,* in Gud. 38 *quum dixit arcem et urbem orbas alio modo pro patria arcem dixisset.* nec abludit August. XII, 13, nisi quod *dixerit* habet proclivi errore, non *dixit.*]. b.

§. 95. ET LOCI COMMUNES SINE CONTENTIONE INDUCUNTUR. sic legendum, atque hoc eodem modo locutus est libro secundo de Inventione [c. 15. §. 49.], *loci communes raro inducendi* [sic Nizolius p. 372. v. *inducendus,* sed Ciceronis locus p. 85, 46. sic habet: *Distinguitur autem oratio atque illustratur maxime raro inducendis communibus locis et aliquo loco iam certioribus illis argumentis auditoribus confirmatis.*].

C. 29. §. 103. QUOD IGITUT IN ACCUSATIONIS QUINQUE LIBRIS. sic legendum est etiam reclamantibus libris omnibus. nam *quinque* dumtaxat Accusationis libri numerantur et a veteribus et ab ipso Tullio [h. l. C. 62. §. 210. p. 271, 50. et p. 272, 2.], *primus* de ante actis, *secundus* de iure dicundo, *tertius* de re frumentaria, *quartus* de signis, *quintus* de suppliciis. ea autem oratio, quae Divinatio inscribitur, contentionem de constituendo accusatore continet, neque est accusationis nomine appellanda.

quae sequitur porro, cohortatio est iudicum ad severe iudicandum et comminatio, nisi severe iudicent. sed hoc pluribus verbis ostendit Fr. Hotomanus [de nostris Gud. 2. sic habet *in accusationis VII.*, Gud. 38. et August. XII, 13. *in accusationis septem libris.* grammaticorum locos posuit Meyerus p. 58. sed hi sunt tamen eiusmodi, ut a Lambini ratione viris doctissimis probata minime discedendum videatur.].

Ibid. QUOD IN AVITI. sic legi debet, non ut habent codices vulgati *Habiti* [cf. annotata a Meyero p. 58., Beck. ad Cic. Orat. pro Cluent. C. 1. §. 1. Oratt. Tom. 3. p. 5. et Spalding. ad Quinctilian. 4. 2, 16. Tom. 2. p. 68.]. sic enim appellabatur Cluentius Avitus; qua de re scripsimus in Commentariis nostris Lucretianis.

C. 30. §. 108. AT [sic] PRO AVITO PRO CORNELIO. legendum fortasse est *et pro Avito*, vel *ut pro Avito* [idque repositum in contextu verborum Ciceronis p. 258, 28. emendationem firmat corrector codicis Gud. 38.].

C. 36. §. 125. TUM SUNT MAXIME LUMINOSAE ET QUASI ACTUOSAE PARTES DUAE. sic habent omnes libri et manu scripti et vulgati, quos quidem viderim: sed Nonius Marcellus in v. *actuosae* [scribendum *iactuosae*, id est 2, 473. p. Mercer. 130, 14.] videtur hic legisse *iactuosae*, atque adeo, quod mihi magis mirum videtur, *iactuose*. sic enim ille, *iactuose positum pro iactanter. Cicero Oratore, quum sint luminosae et quasi iactuose partes duae* [idque probatur Robortello Annotationum sive Emendatt. 2, 45. in Thes. Crit. Gruteri Tom. 2. p. 114. sed *iactuosus* vocabulum incertae vel nullius auctoritatis est. grammaticum fefellit locus Ciceronis III. de Orat. C. 26. §. 102. *actuosae* firmant libri Gudiani, quorum qui est August. XII, 13., is *quasi* omisit cum Dresdensi apud Meyerum p. 73.].

§. 126. ID ITA DICI PLACET. quidam libri vulgati non habent verbum *dici*. mihi quidem supervacaneum videtur.

C. 39. §. 135. AUT QUUM GRADATIM SURSUM VERSUS REDITUR. notant quidam viri docti, in his Rivius, quosdam libros habere *sursum versus tenditur* [sed conferre iussit Meyerus Partitt. Oratt. c. 7. §. 24.].

Ibid. VEL ADMIRATIONIS VEL CONQUESTIONIS. duo libri mss. habent *vel questiones* [cf. annotata ad Brut. C. 38. §. 142.].

C. 40. §. 137. UT VERSET SAEPE MULTIS MODIS EADEM ET UNA IN RE HAEREAT IN EADEMQUE COMMORETUR SENTENTIA. trium codicum mss. auctoritate fretus ita edendum curavi, atque a lectione vulgata recessi, quae talis est, *ut verset saepe multis modis eandem et unam rem, et haereat in eadem commoreturque sententia.* visa enim mihi est antiqua scriptura concinnior [a vulgata non recedit cod. Gud. 2., nisi quod *multimodis* praefert, dimidiati soni littera causa brevitatis subtracta. vid. Noltenii Lex. Antibarb. p. 154. et Voss. Art. Gramm. 2, 16. p. 213. reliqui duo sic habent, Gud. 38. *ut verset saepe multis modis eadem et unam in rem haereat et in eadem commoretur sententia*, Aug.

XII, 13. *eandem et unam in rem haereat et in eandem commoretur sententiam.*].

§. 138. UT DENUNCIET QUID CAVEAT. duo libri manu scripti habent *quid caveant.* quae scriptura fortasse recta est, ut subintelligamus *auditores.*

C. 41. §. 142. HOMINUMQUE CLARISSIMORUM. usitatius erat dicere *virorumque clarissimorum.* itaque notandus est hic locus.

C. 42. §. 144. SI QUIBUS VERBIS SACRORUM ALIENATIO FIAT DOCERE HONESTUM EST UT EST. has duas voculas, quae desunt in omnibus libris vulgatis, ego restitui ex auctoritate trium mss., quae sine dubio omissae fuerunt a scriptore librario. atque ita saepe loquitur M. Tullius, ut XI. Epp. ad Atticum ep. 3. [p. 326, 4.], *quae tu profecto vides, ut sunt, vides gravissima esse.* idem libro duodecimo ad eundem [XII, 37. p. 346, 43. ep. 36.]. *quamvis prudens ad cogitandum sis, ut es.* et libro primo Tusculanarum [c. 18. §. 41. p. 121, 47.], *sed hic quidem quamvis eruditus sit, sicut est, haec magistro concedat Aristoteli.* idem Philipp. [II. c. 28. §. 68. p. 599, 23.], *quamvis enim sine mente, sine sensu sis, ut es* [exempla huius loquendi generis plura dedit Nizolius a Facciolato castigatus p. 755. voce *ut.*].

C. 43. §. 148. NEC VERO TALIBUS MODO. vocem *rebus,* quae fuerat ab indocto aliquo adiecta, qui putaret eam deesse, sustuli. nam repetendum *ἀπὸ κοινοῦ* litteris, quod est paullo ante.

C. 44. §. 150. NEMO UT TAM RUSTICUS SIT QUIN VOCALES NOLIT CONIUNGERE. sic habent aliquot libri mss. [et Gud. 2.], et ita legendum esse docuit P. Victorius libro XII. VV. [LL. c. 17. cf. Turnebi Advers. 8, 3.]. qui autem legunt *qui,* non vident a Cicerone hoc dici, etiam rusticos vocalium concursum vitare. quod autem hic [in editione Operum Ciceronis a. 1566.] ita impressum est, operarum erratum est [notatum in Erratis p. 483.].

C. 45. §. 153. MULTI' MODIS ARGENTEI' VASIS PASSI' CRINIBUS TECTI' FRACTIS. quum hic agatur de contrahendis et corripiendis nominibus sive vocalibus, quis non videt esse mendosos codices vulgatos, in quibus ita legitur *vasi' argenteis, palm' et crinibus? passis crinibus* id est expansis, dispansis. Terentius Phorm. [I. 2, 56.], *capillus passus, nudus pes.* Virgilius [I. Aen. 480.], *crinibus Iliades passis.* Ennius apud Nonium [4, 368. v. *passum,* p. Mercer. 370, 20.], *Aegro corde, comis passis.* quo loco tamen Nonius *passis* adiungit ad nomen *palmis* [haec sic repraesentare vidi codicem Gud. 2. *multi modis et vas argenti palmet crinibus,* Gud. 38. sic, *palma et crinibus,* denique August. XII, 13. *multi modis tutias* (sic) *argenteas palma et crinibus.* Lambini correctionem refutavit C. L. Schneiderus Elemm. Gramm. L. L. p. 350.].

Ibid. QUOMODO ENIM VESTER AXILLA AHALA FACTUS EST? scio vulgo dici *Servilius Ala,* vel ut alii volunt *Hala.* sed doctiorum consensum et veterum marmorum auctoritatem secutus sum, in quibus scriptum est *Ahala.* omnino *Ala* videtur eadem ra-

tione dicendum ex *Axilla,* qua ratione *velum* fit ex *vexillo* [cf. Muretum VV. LL. 12, 20. Opp. Tom. 2. p. 297].

§. 154. QUIA SI ITA DICERETUR OBSCAENIUS CONCURRERENT LITTERAE. immo syllabae. nam si *cum nobis* dicamus, audietur *cumno,* quod erit finitimum *cunno,* quod nomen est obscaenum. superiore versu [p. 264, 20.] lege, *et dein pro deinde et exin pro exinde dicimus* [repositum in Erratis Operarum p. 384., sed neglectum ab editoribus. v. Meyerum p. 93.].

p.328. a. ‖ C. 47. §. 158. QUAE PRAEPOSITIO PRAETER HAEC DUO VERBA NULLO ALIO IN VERBO REPERIETUR. si praepositio *ab* nullo alio in verbo reperitur, quam in his duobus, peccant igitur qui scribunt *abfuit,* scribendumque est *afuit,* ut admonuit anno superiore Muretus, et ut scribitur in omnibus fere libris manu scriptis [vid. annotata ad Brut. C. 80. §. 276.].

C. 48. §. 160. BURRUM SEMPER ENNIUS NUSQUAM PYRRHUM. ita legendum esse, quemadmodum excudendum curavi, testatur Quinctilianus libro primo [c. 4. §. 15. Tom. 1. p. Spalding. 72.], his verbis: *sed b quoque in locum aliarum dedimus aliquando, unde Burrus et Bruges et baiaena.* testatur et Pompeius Festus in voce *balaena.*

C. 49. §. 165. IN HUIUS CONCINNITATIS CONSECTATIONE. liber unus manu scriptus habet *confectione* [et sic Gud. 38. cum Viteberg., *consectione* August, XII, 13. cum Dresdensi apud Meyerum p. 107., *s* et *f* propter similitudinem ductuum, quibus hae litterae formari solent, confusis. vid. Drakenborch. ad Sil. Italic. 9, 335. et ad Livii 5. 3, 8.].

§. 166. ID QUOD NESCIS OBEST. videtur aliquid deesse ad id, ut contrarium contrario omni ex parte opponatur. nempe sic legendum sit, *id quod scis prodest nihil; multum id quod nescis obest* [Lambini coniecturam egregie firmat cod. Monacensis apud Meyerum p. 108., in quo sic est scriptum, *id quod scis prodest nihil; id quod nescis obest multum.*]. quod apparet ex iis, quae sequuntur.

C. 50. §. 167. IN QUARTO ACCUSATIONIS. si Divinationem et orationem, quae deinceps sequitur, in qua iudices cohortatur ad severe iudicandum, numeres in actionibus Verrinis, haec, unde hic locus est, erit *sexta.* est enim in Oratione de Signis [IV. Accus. c. 52. §. 116. p. 181, 26.].

§. 168. extr. SED EAS AUT VINCIEBANT AUT EXPLEBANT PARUM. secutus sum quosdam vulgatos, quibuscum congruunt et nonnulli manu scripti. nam alii partim habent, *sed eas haud vinciebant aut explebant parum,* partim, *haud vinciebant haud explebant parum hoc me ipsum delectat.* quae lectio mea sententia reiicienda est [pravae lectionis fontem indicare mihi videtur cod. August. XII, 13., a quo plane absunt haec *sed eas aut vinciebant aut explebant,* ita ut quod deinceps sequitur *parum*, indoctus aliquis librarius quum non haberet quo referret, coniungeret cum reliquis hoc modo, *parum hoc me delectat, inquiunt.*

sed in recepta consentiunt, Lambini correctionem egregie firmantes, codd. Gudd. 2. et 38.].

C. 51. §. 170. NIMIS ENIM INSIDIARUM. quidam hic legi volunt *nimium*.

§. 171. ANTE HUNC. quae ad hunc locum pertinent, repete ex Bruto [C. 18. §. 71. p. 213, 50.], *quum neque Musarum scopulos quisquam superarat, Nec dicti studiosus erat.* — *Ante hunc.*

§. 173. THEATRA TOTA EXCLAMANT. legendum *reclamant*, quomodo loquitur libro tertio de Oratore p. 201, 49. [c. 50. §. 196.[.

C. 52. §. 174. IN HOC EUM SUMMIS LAUDIBUS FERUNT. alii libri vulgati habent, *hoc in eius summis laudibus ferunt* [et ita codd. Gudd. 2. et 38. et August. XII, 13.]. quam lectionem ob id non sum secutus, quod ita potius dixisset, *hoc in eius summis laudibus ponunt.* malim tamen ita legi, *hoc in eius orationibus summis laudibus ferunt.* arbitror enim vocem *orationibus* a scriptore librario esse praetermissam.

C. 56. §. 186. NUMERUS AUTEM NONDUM DEPREHENDEBATUR. sic est legendum, non ut in aliis vulgatis, *non domo depromebatur*, in aliis, *non modo depromebatur* [hoc est in Gud. 2., alterum in Gud. 38., neutrum in August. XII, 13., a quo absunt haec *domo depromebatur neque habebat aliquam necessitudinem*, culpa, ut equidem arbitror, scriptoris librarii.]. ita autem legendum esse quum ex huius loci sententia, tum ex antiqua scriptura conieci, quae talis est, *non domo depremebatur;* nam *depremebatur* depravatum est ex *deprendebatur.*

§. 183. SESQUIPLEX PAEAN. sic habent omnes fere libri vulgati, sed duo scripti *sesqui paean.* ego hoc parvi momenti esse puto. illud non negligendum, quod dicat aequalem fieri dactylum, duplicem iambum, sesquiplicem paeanem, quum dicere debeat, fieri aequalem partem dactyli, duplicem iambi, sesquiplicem paeanis. itaque sic forte [*fortasse*] legendum est, *ita fit aequalis dactyli, duplex iambi, sesquiplex paeanis.* subintellige aut repete e superioribus *pars.* paullo ante autem sic censet legendum Budaeus, *aut altero tanto maiorem aut sesqui* [ex Aristotelis Rhetor. 3, 8. hunc locum explicare aggressus est Meyerus p. 123. unum moneo, codd. Gudd. 38. et August. XII, 13. in *sequens pean* sive *paean* cum Dresdensi conspirare, Gud. 2. perplexe ut solet *sesquens pean* repraesentare.].

C. 58. §. 198. NEC VERO NIMIUS IS CURSUS ESTO NUMERORUM ORATIONIS DICO. sic ego restitui, atque ita legi debet. supra autem primo versu huius paginae [p. 270, 1. C. 57. §. 193. legendum, *sed ipsos non sentire cur utantur.*

C. 62. §. 210. NON ENIM ID AGIT UT INSIDIATOREM OBSERVET. sic esse legendum, etiam si nulli codd. mss. adiuvarent, sententia et veritas ipsa declarat. numquam enim iudex insidiatur oratori aut actori, sed ab oratore tamquam insidiatore sibi interdum timet [eaque correctio probatur Ernesto, summo viro, not. ad h. l. 94. Vol. 1. p. 652. sed mutandi causam non esse satis

idoneam, Meyerus ostendit locis tum ipsius Ciceronis h. l. C. 61. §. 208., tum Quinctiliani IX. 4, 129. Tom. 3. p. Spald. 629.].

§. 211. NEC DICO IN ORATIONE *QUAM IPSE INCLUDIT* SED IN ORATIONIS RELIQUIS PARTIBUS. haec verba [*quam ipse includit*] arbitror non esse Ciceronis, sed aliena atque ab aliquo ad oram libri adscripta, quibus significabat ille quisquis fuerit, perorationem numeratam et quodammodo inclusam esse in iis orationis partibus, in quibus numerose fusam orationem locum habere dixit M. Tullius. quodsi quis contendat esse Ciceronis, ita esset legendum, *quam ipse inclusi;* quod tamen loquendi genus non esset satis concinnum. quod autem alii haec verba, *quam ipse includit,* sic interpretantur, quam ipse orator terminat, ut sit haec huius loci sententia, de peroratione non esse opus praecipere, quamdiu haec numerosa oratio in ea sit retinenda, utpote quam ipse orator includit ac terminat, ut longior esse non possit, multo minus probo. dixisset enim potius, quam ipse finit ac terminat, vel quam ipse claudit ac terminat.

b. C. 63. §. 212. INSISTIT AUTEM AMBITUS || PEDIBUS PLURIBUS. quis non videt ita legendum, non ut est in vulgatis libris omnibus, *modis pluribus?* insistit, inquit, id est finitur et terminatur ambitus *pedibus* pluribus, e quibus pedibus (non *modis*) unum pedem (non *modum*) est secuta Asia, qui *pes* (non, qui *modus*) Dichoreus vocatur.

§. 213. DEIN [non *deinde*, ut est apud Meyerum p. 137.] MEMBRATIM TERNIS »TU DICERE SOLEBAS SACRAM ESSE REM PUBLICAM.« hunc locum miserabilem in modum laceratum et mutilatum partim coniectura ductus, partim a codd. mss. sublevatus in integrum restitui. quem sic explico: haec quae sequuntur membratim dicuntur ternis, id est, ita ut singula membra ternis pedibus constent. quum igitur duo membra sint, sex insunt pedes. *tu dicere solebas;* hoc est unum membrum, in quo sunt tres pedes, spondeus, trochaeus seu tribrachys, spondeus. *sacram esse rem publicam;* alterum membrum, in quo sunt item tres pedes, iambus sive anapaestus, si *m* non elidatur, iambus, dactylus.

§. 214. HAEC ITEM MEMBRATIM QUATERNIS. hunc locum felicissime restitui, quem, ut a litterarum studiosis gratiam ineam, etiam declaro. deinde, inquit, quae sequuntur similiter membratim dicuntur, pedibus quaternis. singula enim membra quaternis pedibus [ita correxi vulgatum *membris,* operarum vitium] constant, et dichoreo quo ambitus clauditur, hoc modo: *Quicunque eam violavissent;* hoc est primum membrum, in quo sunt pedes quattuor, spondeus, iambus, anapaestus, spondeus. *ab omnibus esse ei poenas;* secundum membrum, quod item quattuor pedibus constat, iambo, anapaesto, iambo [hoc addidi, neglectum a librario], spondeo. sequitur et clausula ambitus, id est pes extremus dichoreus, qui periodum seu ambitum terminat, *persolutas* [locus integer sic est a Lambino constitutus p. 272, 24.

Me stante C. Carbo C. F. Tribunus Plebis in concione dixit his verbis: O M. Druse, patrem appello! *haec quidem duo binis pedibus incisim. dein membratim ternis:* Tu dicere solebas, sacram esse rem publicam. *deinde item membratim quaternis, post clausula ambitus:* Quicunque eam violavissent, ab omnibus esse ei poenas persolutas. persolutas *dichoreus; nihil enim ad rem, extrema illa longa sit an brevis.* cf. Quinctilian. IX. C. 4. §. 103. Tom. 3. p. 610.].

C. 65. §. 220. ALTERUM SI FIT INTOLERABILE VITIUM EST ALTERUM NISI FIT DISSIPATA ET INCULTA ET FLUENS EST ORATIO. nihil muto, verumtamen non celabo lectorem, in quibusdam libris mss. scriptum esse *alterum si sit*, et mox *alterum nisi sit* [vid. Drakenborch. ad Sil. Italic. 9, 335. p. 469.].

C. 66. §. 221. NE BREVITAS DEFRAUDASSE AURES VIDEATUR. liber unus manu scriptus habet *defrudasse*, fortasseque ita legendum. sic enim scribitur apud Nonium [1, 123. v. *defrudare* p. Mercer. 31, 8.] et item apud Terentium in Phormione [l. 1, 10.], *suum defrudans genium* [vide Pareum Lex. Crit. p. 324.].

§. 222. QUASI HEXAMETORUM INSTAR VERSUUM QUOD SIT. legendum videtur *quae sint.*

Ibid. SIN MEMBRATIM NOLUMUS DICERE. quum ex aliis multis locis, tum ex hoc intelligere licet, quam tardi sint atque hebetes ludimagistri isti, qui in nugis sunt loquaces et si voles diserti, in elicienda vero cuiusvis scriptoris sententia, et in iudicando utrum mendosa sit lectio an emendata, aut muti aut inepti et ridicule facundi: ut in hoc loco mirum quam caecutiant, quem non viderunt in omnibus libris vulgatis et manu scriptis esse mendosum, quod tamen ex eo quod subiicitur exemplo intelligere licebat. *missos faciant patronos: ipsi prodeant.* quae verba diserte ait Cicero esse intervallo, id est caesim legenda, non membratim. legerentur enim membratim hoc modo: *missos faciant patronos, ipsi prodeant;* et ita esset senarius. nunc autem quum intervallo leguntur aut pronuntiantur, *missos faciant patronos: ipsi prodeant,* vitatur senarius. praeterea dicet haec duo esse *κόμματα*, quae Latini *incisa* dicunt.

§. 223. DEINDE TERTIUM *κῶλον* ILLI NOS MEMBRUM. hic locus vitiosa interpunctione obscurabatur neque ab istis ludimagistris intelligebatur, nedum alii ex iis intelligere poterant. sic igitur distinctus atque interpunctus, ut est in hac editione, hoc modo est intelligendus: tertium, sive *κῶλον* Graece sive membrum Latine, sequitur non longa comprehensio (non longam autem dixi, quia duobus membris absoluta est), et in spondeos cadit. hanc comprehensionem vulgo esse putant in his verbis, *Cur de perfugis nostris copias comparat is contra nos?* a quibus quidam dissentiunt. ubi igitur est? non est, inquiunt, a Cicerone posita.

C. 67. §. 224. DICHOREO FINITUR. videtur hic aliquid deesse, ut ita sit legendum *dichoreoque finitur*, vel *et dichoreo finitur* (ut edendum curavimus), vel *dichoreo enim finitur*, vel *quia di-*

choreo finitur, vel simili quodam modo. subintelligitur autem *comprehensio*, et pertinet hoc ad illa superiora *comprehensio longior sustinetur*, quae mendose leguntur in vulgatis libris *comprehensione longiore sustinentur*. sunt autem illa ex Oratione pro Scauro, ut docti quidam existimant. extant enim ex hac oratione pauca quaedam dumtaxat fragmenta, in quibus tamen hic locus non reperitur. [cf. ab Spaldingio nostro disputata ad Quinctiliani IX. 2, 15. Tom. 3. p. 389. nunc tamen locum habent ista, qualiacunque sunt, in Scauriana Maii et Peyronis, summorum virorum, industria egregie aucta et locupletata, §. 45. n. Vol. 2. P. 2. p. Orell. 296.].

C. 70. §. 232. MULTI VENALICII MERCATORESQUE. legendum *venaliciarii*; nam *venaliciarii* mangones sunt, qui servos venales habent, *venalicii* autem servi ipsi sunt venales. at hic non servi, sed servorum venditores significantur; itaque *venaliciarios* cum mercatoribus coniungit [vulgatam scripturam contra Lambinum et Patricium defendit Lipsius VV. LL. 3, 26. Opp. Tom. 1. p. Vesal. 299 sq., auctoritate quum Nonii Marcelli, haec laudantis II, 919. p. Mercer. 188, 28. v. *venalicii*, tum Quinctiliani IX. 4, 14. Tom. 3. p. Spalding. 530 sq.]

VI.

p. 329. a. ‖ IN TOPICA.

C. 1. §. 1. QUAE SUNT AB ILLO PLURIBUS LIBRIS EXPLICATA. duo libri manu scripti non habent vocem *libris*.

§. 2. UT SINE ULLO ERRORE AD EAM RATIONE ET VIA PERVENIREMUS. in duobus libris mss. non est *ratione*, neque *rationem*, quomodo legitur in vulgatis; et sane videtur esse supervacanea. nam vel repetitur vox *disciplinam*, vel legendum *ad ea*, ut subintelligamus *argumenta*. ego *ratione* edendum curavi, ne nimis longe a lectione vulgata discessisse videar.

§. 3. MINIME SUM ADMIRATUS. legendum fortasse est *demiratus*, seu *miratus* simpliciter.

§. 4. MULTA SAEPE SCRIPSISSES. et P. Victorius in Annotationibus in librum septimum Epistolarum [VII, 14.] scribit se incidisse in librum antiquum, in quo ita scriptum esset *multa saepe scripsisses*, et ego ipse in codice ms. Barnabae Brissonii, iuris consulti doctissimi et causarum actoris Parisiensis facundissimi, sine ulla litura vidi. *scribere* autem dicuntur iuris consulti, qui litigatoribus consulentibus scribendo cavent.

C. 2. §. 10. APPELLATUS AB ASSE DANDO. sic est legendum, non ut vulgo, *ab aere dando.* quis enim non videt, *assiduum* dictum esse non ab *aere*, sed ab *assibus*, vel ab *assidendo*, id est a muneris obeundi pro re familiari assiduitate? quod quidem et tradidit Gellius XVI, 10. et Sextus Pompeius Festus in verbo *assiduus.* iam vero quid aliud huius legis verba significant, quam (quod traditum est a Varrone libro primo de Vita Populi Romani, ut refert Nonius [1, 340. v. *proletarii* p. Mercer. 67.]) assiduis, id est locupletibus cives assiduos, id est locupletes contracto aere alieno creditoribus addictos licuisse assibus datis in libertatem vindicare et e vinculis eximere? idem autem proletariis non licuisse, quia quum essent tenui et angusta re familiari, quumque rei publicae prodessent ea re dumtaxat, quod liberos procrearent, se et suos liberos familiamque totam in discrimen adducerent servitutique ac sectioni subiicerent, si debitorem creditori addictum vindicare vellent? non fuit autem haec lex Aelia neque Sentia, sed XII. Tabularum. iccirco has voces delevi [abest primum istud *Aelia Sentia* sive *Santia* sive *Sanctia* a codd. Boethii Vossiano sive Leidensi, quo in Topicorum Commentariis emendandis utor, et ab Oxonn. B et U, tuentur insiticium Regius 7711 olim Colbertinus et Oxonn. ϱ, ψ, si vera narrant qui Operum Ciceronis Oxoniensi praefuerunt; nec aliter turba editorum librorum, quos equidem non paucos inspexi. deinde in vulgata *ab aere dando* quum scripti tum editi mire consentiunt. firmat eandem codex antiquissimus Vaticanus II. de R. P. c. 22. p. repet. edit. 174. unus Oxoniensis est ψ, qui tuetur Lambini correctionem. taceo codicem Boethii Monacensem, in quo Comment. 1. p. 773, 17., ubi haec leguntur ab Orellio p. 506. laudata, *assiduus quippe est locuples a dando aere nominatus*, pro varia lectione manus prima dedit hoc ipsum quod quaerimus, *ab asse dando.*].

§. 11. ALIA EX FORMA. sic restitui reclamantibus libris omnibus vulgatis, in quibus legitur *formula*, unum codicem manu scriptum secutus. quae lectio perspicue recta est [tuentur correctionem et scripti et editi, quos equidem Boethii causa pervestigavi, omnes.].

C. 3. §. 16. AN IN TABULIS PATEAT. sic legi debet, non ut in libris fere omnibus, *debeatur.* sic enim loquebantur veteres. M. Tullius Philipp. II. *septies millies sestertium, quod in tabulis, quae sunt ad Opis, patebat* [ita Nizolius p. 522. v. *pateo.* locus Ciceronis p. 603, 3. C. 37. §. 93. sic habet: *Ubi est septies milies sestertium, quod patet in tabulis, quae sunt ad Opis?*]. idem pro Quinctio [scribendum *pro Q. Roscio*]: *Non habere se hoc nomen in codice fatetur, sed in adversariis patere contendit* [dabo locum e Rosciana p. 38, 32. C. 2. §. 5. pleniorem: *non habere se hoc nomen in codicem accepti et expensi relatum confitetur, sed in adversariis patere contendit.* Lambinus ut solet Nizolium est secutus, quem v. l. l.].

C. 4. §. 18. SECUNDUM PUERULORUM. quidam libri manu scripti habent *puerorum* [sic certe narrantur habere codd. Oxonn. B. U. ψ et habet Vossianus meus. utrumque repraesentare video Boethii codices II. Comment. p. 781. sq.].

§. 20. QUICUM CONNUBII IUS NON ESSET. liber unus ms. habet *connubium non esset* [utrumque aeque firmant libri et scripti et editi, quorum recensum agam suo loco.].

§. 23. QUONIAM USU AUCTORITAS FUNDI BIENNIUM EST. sic hunc locum emendavi detracta littera *s* de voce *usus*. per *usu auctoritatem* autem significari puto iuris firmitatem ac stabilitatem quaesitam usu rei bienni. quod autem quidam sic legi volunt et hic et in Oratione pro Caecina [p. 233, 46. C. 19. §. 54.], *usus auctoritas fundi biennis est*, hac sententia, usus biennis fundi est fundi auctoritas; id est, si quis fundo usus sit biennium, ius ei usu quaesitum est, seu is usu cepit fundum: non probo. hanc eandem autem sententiam ex ea quam sequor lectione elicio, neque tantam vim verbis affero. iam sic dictum puto *usu auctoritas*, ut *usu capio* [codex Boethii Regius 7711. sic habet, *quando auctoritas usus*, particularum *quoniam* et *quando*, id est *qm* et *qn*, propter haec ipsa compendia non infrequenti confusione. consentit in *auctoritas usus* Boethii Operum editio princeps a. 1491. docta manus adscripserat *usus auctoritasque*.].

Ibid. AT IN LEGE AEDES NON APPELLANTUR. ad hunc locum explicandum ac declarandum pertinent verba legis, quae sunt huiusmodi: *Usu auctoritas fundi biennium esto; ceterarum rerum usus annus esto.* id est, biennium valeat ad quaerendam fundi possessori auctoritatem et usu capionem; quod similem vim habet ac si quis dicat, fundus biennium possessus usu capitur et ius quaerit possessori, ceterae res annum possessae usu capiuntur. si quis igitur dicat, *at in lege aedes non appellantur*, id est non commemorantur, seu de aedibus silet lex, ideoque in ceterarum rerum, quae anno uno usu capiuntur, numero habendae sunt: summo iure ita iudicandum esset, sed aequitas plus valere debet, *quae paribus in causis paria iura desiderat.* aedes autem fundo eo sunt pares aut similes, quod quemadmodum fundus in rebus soli numeratur, ita et aedes.

Ibid. ET SUNT CETERARUM RERUM QUARUM ANNUS EST USUS. [sic interpungendum, *quarum annus est usus*]. id est, et sunt in numero aliarum rerum, quarum usu auctoritas annus est. ‖ sic esse legendum, veritas et ratio pervincunt. *annuus* autem factum ex *annus*, propter vocem *usus*: quasi vero hae voces ita cohaerere deberent *annuus usus*; quod longe aliter est. nam ut scriptum est in lege, usus seu usu auctoritas fundi *biennium* esto, ita ceterarum rerum usus *annus* esto. potest tamen deleta voce *usus* hoc modo legi, *ceterarum rerum annus esto* [scribendum *ceterarum rerum, quarum annus est*]; ut subintelligatur auctoritas [non *omnium*, sed *rerum* omittit codex Erfurtensis apud Wunderum V. C. p. 30., omittunt codd. Boethii Voss. et Regius,

editi quoque, quod sciam, omnes. sola enim Princeps a. 1491. habet illud *ceterorum omnium quorum*.].

§. 24. QUOAD PARIETIS COMMUNIS TEGENDI CAUSA TECTUM PROIICERETUR, EX QUO TECTO IN EIUS AEDES QUI PROTEXISSET AQUA DEFLUERET. hic locus erat antea inexplicabilis, quum scilicet ita legebatur, *ex quo in tectum eius, aedes qui protexisset, aqua deflueret*. nunc autem restitutus in antiquum statum planissimus est [sic corrigenti Lambino assunt Boethii codices quum scripti tum editi, tenent illi tamen partim *quantum*, partim *quod*, praeter Venetam a. 1570., quam repraesentare video Lambinianum *quoad*. sed *quod* pro *quoad* valet *quantum* sive *in quantum*. vid. Oudendorp. ad Caesarem V. de B. G. c. 18. §. 1. p. 234.].

C. 5. §. 27. QUO EX GENERE QUAEDAM INTERDUM NOBIS DEFINIENDA SUNT. legendum *quaedam interdum vobis definienda sunt* [ex Omissis post Tom. 1. p. 380. repositumque in Erratis p. 384.].

Ibid. EST TAMEN QUAEDAM CONFORMATIO INSIGNITA ET IMPRESSA INTELLIGENTIAE QUAM NOTIONEM VOCO. partim sic habent libri veteres, partim *impressa intelligentia*, quam posteriorem lectionem quidam magis probant, ego priorem magis probo [ex Omissis l. l. p. 380., sed id ipsum corrigendum ex Omissis post Tom. 4 p. 624. hoc modo: *quam posteriorem lectionem quidam improbant, ego autem probo*. ergo *et impressa intelligentia* probabat Lambinus, alterum condemnabat. quod reliquum est, et Boethii et Ciceronis codices quum scripti tum editi partim hoc ipsum tuentur *et impressa intelligentia*, partim habent *et impressa in intelligentia*. solus ut videtur, Oxon. ρ. cum editione Operum Boethii principe a. 1491. consentit in tertium illud *et impressa intelligentiae*.].

C. 7. §. 30. SED INUTILITER AD MUTANDOS CASUS IN DICENDO. legendum potius, ut habent libri duo veteres, *in docendo* [ex Omiss. post Tom. I. p. 380. vid. annot. ad I. de Invent. C. 34. §. 57.].

§. 32. QUA FLUCTUS ALLUDERET. sic esse legendum vidit homo doctus Io. Passeratius. nam *eludebat* [id est *eluderet*] plane ineptum est. sic autem Catullus in Carmine de Pelei et Thetidis Nuptiis [62, 67. 8.], *Omnia quae toto delapsa e corpore passim Ipsius ante pedes fluctus salis alludebant*. sic et Propertius III. 16. [1. 2. p. Burmann. 657.], *Clausus ab umbroso qua alludit pontus Averno Humida Baiarum stagna Misenus aqua*. nam sic emendavit Io. Auratus [Lambini correctio probatur Colero in Parergis p. 358. et Heindorfio ad II. de N. DD. C. 39. §. 100. p. 212. sq., ubi tamen cff. post Davisium annotata ab reliquis interpretibus p. Creuzer. 365. sq. sed codices Boethii consentiunt, opinor, in *eluderet* sive *elideret*. et sic Boethius de Definit. p. 657. *septima est*, inquit, *κατὰ μεταφοράν*, *id est per translationem, ut Cicero in Topicis, l i t u s e s t q u o d f l u c t u s e l u i t*.]. idem Passeratius paullo post [p. 279, 27. C. 8. §. 34.] legendum censet *in oratoriis partibus*, ubi vulgo legitur *artibus* [nempe in tam affinibus *parte* et *arte* facilis est lapsus.

cf. Interpp. ad Livii 1. 15, 4. Tom. 1. P. 1. p. repet. edit. 134. sed libri nostro quidem loco nihil variant.].

C. 10. §. 45. ORATORIBUS ET PHILOSOPHIS. legendum potius, ut habet liber vetus mihi a Leod. Querno, collego meo, viro humanissimo commodatus, *oratoribus et poetis* [ex Omissis l. l. p. 380. sed et scripti et editi vulgatam tuentur, nec favet correctioni Boethius Comment. 4. p. 814.].

C. 11. §. 46. REI MAXIME CONTRARIA SUPERIORI. delenda vox *rei* [ex Omissis l. l. p. 380. repositumque in Erratis p. 384., sed non addicunt Boethii codices, quorum plerique habent *re maxime contraria superiori*.].

C. 12. §. 51. NIHIL HOC AD IUS AD CICERONEM INQUIBAT GALLUS NOSTER. libris omnibus invitis legendum censeo, *nihil hoc ad nos* [nec aliter Boethius IV. Comment. p. 818.].

Ibid. NIMIUM TE AMARE VIDEARE. quod est *Ἐπικουρεῖον*. erat autem Trebatius Epicureus. sic in epistola quadam ad eundem libro septimo [p. 76, 11. VII, 12]: *Indicavit mihi Pansa meus, Epicureum te esse factum. o castra praeclara!* sequitur, *sed quonam modo ius civile defendis; quum omnia tua causa facias, non civium?*

C. 13. §. 55. HUNC METUERE ALTERUM IN METU NON PONERE. liber unus manu scriptus habet, *hoc metuere, alterum in metu non ponere.* et ita legendum [de meis solus Vossianus dedit *hoc metuere*, idque apposita interrogandi nota. vid. Ernestum, summum virum, not. ad h. l. 61. Vol. 1. p. 675.].

Ibid. ID QUOD SCIS PRODEST NIHIL ID QUOD NESCIS OBEST. fortasse aliquid deest, atque ita legendum, *id quod scis prodest nihil, multum id quod nescis obest* [cf. annotata ad Orat. C. 49. §. 166.].

C. 16. §. 61. AB EO A QUO CERTE FIT. libri omnes vulgati *in quo* habent, plane mendose; duo libri manu scripti *a quo*, quod perspicue rectum est.

Ibid. CAESA CECIDISSET ABIEGNA AD TERRAM TRABES. mendose legitur in quibusdam libris vulgatis *caesae cecidissent abiegnae ad terram trabes.* primum enim constat, veteres dixisse *trabes* in numero singulari recto casu pro *trabs;* deinde sic habent aliquot libri mss., quemadmodum edendum curavi. non dissimulabo tamen ita legi apud Varronem et Priscianum *caesa accidisset* [cf. annotata ad II. Rhet. ad Herenn. C. 22. §. 34. et ad I. de Invent. C. 49. §. 91.]

C. 17. §. 63. ETIAM EA QUAE FIUNT PARTIM SUNT IGNORATA PARTIM VOLUNTARIA. Goveanus tollebat particulam *etiam* et coniungens cum superioribus haec ita legebat, *ut ea quae fiunt partim sint ignorata partim voluntaria.* cuius sententiam et coniecturam adiuvat codex unus mss. Memmianus et alter Brissonianus.

§. 64. QUAE AUTEM FORTUNA VEL IGNORATA VEL VOLUNTARIA. quidam sic legi volunt, *quae autem fortuna, ignorata.* quibus facilius assentirer, si adderetur copulatio *etiam*, hoc modo, *quae autem fortuna, etiam ignorata* [ex Omissis p. 380.].

Ibid. SI TELUM MANU FUGIT MAGIS QUAM IECIT. legendum puto *manum fugit*, ut et libro tertio de Oratore [p. 197, 12. C. 39. §. 158.]. in duobus quidem libris mss. reperi scriptum *manus fugit* [illud *manum fugit* tuetur Veneta librorum Boethii Dialecticorum editio a. 1566., quam alteram nominabo, neglectam ab Eberto viro sagacissimo. in Veneta ea, quae mihi prima est, a. 1497 - 99., manus docta correxerat *manus fugit*, correctionem firmare videtur codex Vossianus, in quo sic est scriptum, *si telum manu est manusve fugit magis quam iecit.*].

§. 65. ET ADHIBENTUR IN CONSILIO. legendum videtur *in consilium*, vel, ut habet liber vetus Leod. Querni, *in consilia* [ex Omiss. p. 380. de meis nullus *in consilium*, at codd. Voss. et Regius, et edd. Ven. 2. et Glareana 2., quae vulgo habetur praestantissima, hoc ipsum tuentur *in consilia*].

§. 66. PLURIMUS EORUM USUS EST. haec absunt a quibusdam libris mss., unde mihi orta suspicio est, verendum esse ne sint aliena. nam iis sublatis integra erit sententia, ut scilicet haec omnia pendeant usque ad id quod mox sequitur, *parati esse debent*, hoc modo: *in omnibus igitur iis iudiciis, in quibus ex bona fide est additum: ubi vero etiam ut inter bonos bene agier*, id est, in fiduciae iudicio, *in primisque in arbitrio rei uxoriae, in quo est quod aequius melius, parati esse debent* iurisconsulti. denique in exemplis Manutianis haec verba non comparent, neque in Florentinis [absunt et a codice Vossiano, habet ea Regius et inter Oxonn. *ρ*. Boethii codices repraesentare vidi, partim *primus causarum usus est*, partim *plurimus earum usus est*, verbis leviter immutatis.].

Ibid. UT INTER BONOS BENE AGIER. verbum *oportet*, quod erat foris et aliunde inculcatum, delevi codicum aliquot mss. auctoritate fretus. abest item in epistola quadam ad Trebatium, cuius initium est *Mirabar quid esset* [p. 76, 15. VII. Epp. 12.], atque ita in ea legendum, *Ubi porro illa erit formula fiduciae, inter bonos bene agier* [cf. omnino III. de Off. c. 15. §. 61. et c. 17. §. 70.]?

C. 20. §. 74. NAM ET VERBERIBUS TORMENTIS IGNI FATIGATI QUAE DICUNT EA VIDETUR VERITAS IPSA DICERE. sic excudendum curavi, secutus et librorum manu scriptorum auctoritatem et Manutianorum exemplum. nam alii vulgati habent mendose, *nam et verberibus torti in igni fatigati quae dicunt* [correctionem de meis tuentur codd. Vossianus et Regius.].

§. 75. UT STALENO NUPER ACCIDIT. sic est legendum atque ita legitur in exemplis Manutianis, non ut in aliis vulgatis, *Stalerio*. est enim hic ille Stalenus, quem commemorat et in Bruto, his verbis [p. 234, 3. c. 68. §. 241.]: *C. Stalenus in facinore manifesto deprehensus poenas legibus et iudicio dedit* [locum suppeditavit Nizolius p. 551. v. *poena*]. et in Cluentiana, his verbis [p. 265, 41. C. 28. §. 78.], *iam cetera nota sunt omnibus, ut cum illo* (Staleno) *Oppianicus egerit de pecunia;*

ut ille se redditurum esse dixerit; ut eorum sermonem omnem
p.330. *audie* || *rint viri boni, qui tum consulto prope in occulto stetis-*
a. *sent; ut res patefacta atque in forum prolata et pecunia omnis a Staleno extorta atque erepta sit* [de *Staleno* iudice nummario vix dubites. cf. II. Accusat. c. 32. §. 79. de meis qui propius absunt a vero, hi *Staieno* habent, mutatum deinceps in *Stageno* et *Stagerio* sive *Stagenio;* reliqui *Staterio* sive *Stalerio* praeferunt. cf. Peyron. Fragmm. Oratt. Ciceronis Inedd. p. 190.].

§. 78. RENTUR EOS ESSE QUALES ESSE SE IPSI VELINT. quidam legi volunt, idque ex auctoritate veterum librorum, *videntur eis esse quales esse se ipsi velint.* ego si haec vetus est scriptura, malim sic, *videntur ii tales esse quales esse se ipsi velint* [ex Omissis p. 380. libri a me adhibiti paucissimi firmant receptam, plures *videntur* et *viderentur* praeferunt. sed *reri* et *videri* confinia vocabula varie corrumpi a librariis docuit Drakenborchius ad Livii 22. 57, 7. Tom. 7. p repet. edit. 330.].

C. 21. §. 80. NEC TAMEN IN MAXIMIS. legendum fortasse est *nec tamen certis.*

Ibid. SED OMNIS QUAESTIO EARUM ALIQUA DE RE EST QUIBUS CAUSAE CONTINENTUR AUT UNA AUT PLURIBUS AUT NONNUNQUAM OMNIBUS. existimant quidam legendum, *sed omnis quaestio earum de aliqua rerum est, quibus causae continentur.* quibus propepemodum assentior [idem in Omissis p. 380. »Quidam sic legi volunt, *pars causae est, si quidem omnis quaestio earum aliqua de re est, quibus causae continentur.*«].

C. 22. §. 83. ADDITUR ETIAM DESCRIPTIO QUAM GRAECI *χαρακτῆρα* VOCANT. nonnulli libri vulgati habent *quam Graeci καταγραφὴν vocant,* quidam *quam Graeci χαρακτῆρα vocant,* quos sequimur, alii *quam Graeci ὑπογραφήν* [mei Voss. et Regius *quam χαρακτῆρα Graeci vocant* praeferunt. reliquam lectionis varietatem, e libris Boethii collectam, dabo alias. horum nullus tamen est qui tueatur illud *quem.* cf. annotata ad Somn. Scip. p. 9. in Appendice editionis Bonnensis Ciceronis Librorum de Re Publica].

§. 84. COMPARATIONUM AUTEM DUO UNUM DE EODEM ET ALIO ALTERUM DE MAIORE ET MINORE. Goveanus dicebat, se non videre, quamobrem *tertium* genus comparationis praetermiserit, in quo quaeritur, paresne an aequales res sint, an impares et inaequales. ego ei respondebam, eo quaestionis genere, quo quaeritur, sitne aliquid idem an aliud, ut si quaeratur, sitne idem amicus et assentator, contineri id quod ille appellat tertium genus: ut si quaeratur, tantumdem peccet mendax, quantum periurus necne, vel sintne peccata aequalia?

Ibid. SINTNE EXPETENDAE DIVITIAE SITNE FUGIENDA PAUPERTAS? vel sic legendum vel, ut habet liber unus manu scriptus, *sintne expetendae divitiae, fugienda paupertas* [ex Omissis p. 380. sed et alterum *si expetendae divitiae, si fugienda paupertas?* vel, si quis hoc malit, *si expetendae divitiae, fugienda paupertas?* recte dici pluribus defendit Cuiacius Observatt. 3, 37.]?

C. 23. §. 88. CONSEQUENTES ANTECEDENTES REPUGNANTES. liber unus manu scriptus habet *consequens, antecedens, repugnans*; quae lectio non est reiicienda. malim tamen legi, *a consequentibus, ab antecedentibus, a repugnantibus.*

§. 90. INSTITUTIO AUTEM AEQUITATIS TRIPARTITA EST. lego, *institutum autem aequitatis tripertitum est;* et mox, *altera* [voluitne *alterum?*] *aequitati conveniens.*

C. 26. §. 97. UT MORATAE. sic habet liber unus manu scriptus, et item exempla Manutiana; neque dubium est quin haec lectio recta sit, vulgata autem *moderatae* prava et mendosa [de meis firmant *moratae* Venn. 1. et 2.].

VII.

IN PARTITIONES ORATORIAS.

C. 1. §. 3. ELOQUENDI COMES EST. tres libri mss. habent *eloquendi communis est.* verumtamen nihil muto.

Ibid. EARUMQUE OMNIUM RERUM CUSTOS EST MEMORIA. duo libri manu scripti habent *sed earum rerum omnium custos est memoria* [et sic codex Rehdiger., a quo abest etiam illud *est*, de Ernesti sententia damnatum a Chr. Gothofr. Schützio Vol. 3. P. 2. p. 296.].

§. 4. QUAM CONTROVERSIAM SEU CAUSAM NOMINO. duo libri manu scripti habent *quam causam nomino*, unus ita ut edendum curavimus.

C. 2. §. 5. ARGUMENTIS QUAE DUCUNTUR EX LOCIS AUT IN RE IPSA INSITIS AUT ASSUMPTIS. videtur distinctio locanda post vocem *insitis*, aut sic legendum, *argumentis aut in re ipsa insitis aut assumptis, quae ducuntur ex locis* [ex Omiss. p. 380.].

§. 7. [TUM EX TOTO . . . . . AUT PARIUM AUT MINORUM.] quum ego saepe multumque dubitassem quumque etiam nunc quaeri a doctis viderem, cur hic paene dicam inepta et supervacanea inculcaretur earundem rerum aliquantum discrepantibus verbis iteratio et inanis *ταυτολογία*, consultis tandem libris veteribus comperi, illa quae infra ponuntur ab illo loco *ut definitio, ut contrarium* usque ad illa verba [p. 283, 13. c. 3. §. 8.], *omnibusne igitur ex his locis*, abesse ab illis libris. qua re comperta primum coepi suspicari, illa omnia esse aliena; deinde quum viderentur mihi Ciceronis sermoni simillima et quasi gemina, revocans me idemtidem atque animum modo huc modo distrahens illuc, Topicorum eum locum, in quo *de locis* dispu-

tat, cum hoc in quo versamur diligenter contuli. quo facto reperi haec ita esse eadem, ut ex Topicis plane ad verbum descripta et in hunc locum translata videantur. tum vero non dubitavi, quin haec primum ab aliquo Ciceronis studioso ad oram libri e regione eorum, quae hic de locis disseruntur, fuerint adscripta, deinde a librario in contextum verborum relata. postremo ab aliis ea, quae petita erant e Topicis, hic sunt retenta ac servata, quae autem sunt huius libri, ut supervacanea et aliena omissa ac reiecta. haec igitur mea sententia est, totum hunc locum, quem his duabus notis [ ] inclusi, esse delendum, ut e Topicis [c. 2. §. 8. p. 277, 6. et c. 3. §. 11. p. 277, 17.] ab aliquo lectore, non a Cicerone, repetitum [hunc ipsum locum paullo contractiorem dedit codicis Gud. 2. scriptor librarius parum diligens. sic enim ille: *Tum ex toto, tum ex* (hoc om. cod. Rehdiger.) *partibus, tum ex notatione* (cod. Rehdiger. *ex nota*), *tum ex his rebus quae quodammodo affectae sunt ad id de quo quaeritur, alia coniugata appellantur, alia ex genere, alia ex forma* (haec absunt a cod. Rehdiger.), *alia ex similitudine, alia ex differentia, alia ex contrario, alia ex coniunctis, alia ex antecedentibus, alia ex consequentibus, alia ex repugnantibus, alia ex causis, alia ex effectis* (cod. Rehdiger. *ex effectibus*), *alia ex comparatione maiorum aut parium aut minorum.* pergit ille: *ut diffinitio, ut contrarium, ut ea quae sunt quasi coniuncta aut ea quae quasi pugnantia inter se,* omissis quae sunt his interposita apud Ciceronem.].

C. 3. §. 10. AUDITORUM EAM GENERE DISTINGUI. duo libri manu scripti habent *auditorum eam genera distinguere*, quam scripturam rectam esse puto, tametsi vulgatam retinuerim ut probabilem et tolerabilem [codex Rehdiger. sic habet, *auditorum tria sunt genera distingue*, id est *distinguenda.* ad marginem libri posita leguntur haec: *auditorum tria distingui oportet genera.*].

C. 4. §. 12. INCREDIBILIA PROBABILIBUS INTEXIMUS. duo libri manu scripti habent *interserimus* [accedit codex Rehdiger.].

C. 6. §. 20. SI ET VERBA GRAVITATE DELECTA PONUNTUR. sic omnes quidem libri habent, sed tamen existimo legendum vel
b. sic *verba granditate* || *delecta*, vel sic *verba grandia et lecta ponuntur.* supra autem eadem p. 289, 2. [c. 5. §. 15.] legendum fortasse est *firmamenta ad fidem apposita.*

C. 7. §. 23. DIDUCITUR. quidam libri manu scripti et item vulgati habent *deducitur.* deinceps autem legendum videtur, *in verbum autem contrahitur oratio, quum aut definitio ad unum verbum revocatur.*

§. 26. QUAE EST GEMINA LITTERATURAE QUODAMMODO. sic est legendum et ita scriptum est in omnibus libris manu scriptis. *gemina* autem id est simillima; *germana* vero, ut habent libri omnes vulgati, praeter Manutianos, aliud est. significat enim quod Graeci dicunt γνήσιον, *verum*, ut, *germanos se putant esse*

Thucydidas [Orat. c. 9. §. 32. p. 249, 48.], id est veros Thucydidas. et in epistola quadam ad Atticum lib. 1. [17 (18). p. 210, 7.], *germani negotiatoris est sub lustrum censeri.*

C. 11. §. 39. CLAMOR EDITUS. liber unus ms. habet *clamor auditus.*

C. 12. §. 42. AUT IURE FACTUM DEFENDITUR AUT ULCISCENDI DOLORIS GRATIA. sic legendum esse ratio vincit. ita enim loquitur idem Cicero locis innumerabilibus, nunquam quisquam *depellitur.*

§. 44. QUONIAM IN CONFIRMATIONEM ET REPREHENSIONEM DIVISERAS FIDEM. vulgati libri habent *diviseras orationis fidem*, in mss. autem tribus non est vox *orationis.* et vero supervacanea est; iccirco eam delevi.

C. 13. §. 47. ET SI NON OMNIA DISPUTANDO CONFIRMABIMUS. haec lectio ita perspicue recta est, ut vel sine auctoritate codicum manu scriptorum probanda et recipienda sit. nunc autem eam trium librorum veterum auctoritas confirmat.

C. 14. §. 51. QUONIAM IN UTRAQUE PARTE SUNT EXEMPLA. legendum fortasse est *in utramque partem* [dedit hanc scripturam libris firmatam Gruterus, et habet cod. Gud. 2.].

C. 15. §. 53. GRANDIA PLENA SONANTIA. sic reposui, unius codicis manu scripti auctoritatem secutus; nam vulgati habent *gravia, plena, sonantia,* plane inepte et mendose. sic autem et supra dixit [c. 5. §. 17. p. 289, 13.], *verba sonantiora, grandiosa, laeviora et quodammodo nitidiora.* praeterea sententiae potius graves, quam verba dicuntur. postremo idem M. Tullius in Bruto scribit Demosthenem verborum *granditatem* a Platone sumpsisse [p. 219, 36. C. 31. §. 121.].

§. 54. QUIBUS ACTIO VOCE VULTU ET GESTU CONGRUENS ET APTA AD ANIMOS PERMOVENDOS ACCOMMODANDA EST. hic locus sic in integrum ope codicum manu scriptorum restitutus, quanto planior quantoque concinnior est quam ut in vulgatis legitur?

Ibid. CAUSA ERIT TENENDA ET PRO RE AGENDA. non videtur hic locus mendo vacare vel ex scripturae, quae in veteribus codicibus reperitur, varietate. alii enim habent *causa erit providenda*, hoc tantum, alii *causa erit tenenda et providenda*, alii, *causa erit ad peragendum ponderanda.* ego putem sic legendum, *causa erit tenenda et ponderanda.*

Ibid. NAM QUIA HAEC VIDENTUR PERABSURDA QUUM GRAVIORA SUNT QUAM CAUSA FERT DILIGENTER QUID QUAMQUE DECEAT IUDICANDUM EST. sic erat in vulgatis libris omnibus, *quum graviora sunt quam causa, diligenter fere quid quamque deceat.* quae lectio plane inepta et inconcinna est; haec autem, quam reposui ex auctoritate codicum manu scriptorum, et elegans et concinna.

C. 16. §. 55. ET INTER SE PUGNANTIUM RERUM CONFLICTATIO. sic habent tres libri manu scripti, neque video, quamobrem hanc vocem reformidare debuerim. nata enim est a verbo *con-*

flicto seu *conflictor*, ut *conflictio* a *confligo* [cf. Gell. NN. AA. 6, 3.].

§. 56. fin. ET MISERATIO NASCITUR EX IIS REBUS AUT AMISSIS AUT AMITTENDIS. ex his paucis verbis multa sunt menda exempta: primum praepostera et perversa erat interpunctio; deinde totum hoc *proprius locus augendi* aliunde irruerat in hunc locum, quum esset annotatiuncula; postremo vox *periculo* erat adventitia et a nescio quo fuerat afficta. quibus omnibus sublatis et correctis veram scripturam restituimus.

C. 17. §. 60. QUORUM DISSOLUTIO IN BREVITATE NON LATEBIT [reponendum ex Omissis in Indice Erratorum p. 384. *non lucebit*, quod ipsum praefert Annotatio ad h. l. p. 330. b.] ACULEI PUNGENT. in uno codice manu scripto perspicue ita scriptum reperi *non lucebit*, in alio *non latebit*. ego *non lucebit* probo, aut, ut habent libri vulgati, *latebit*, sine negatione. deinceps autem in proximo membro quidam desiderant vocem *magis* aut aliquam aliam similem, ut legatur hoc modo, *aculei magis pungent*.

C. 18. §. 61. QUORUM ALTERUM FINITUM TEMPORIBUS ET PERSONIS CONTROVERSIAM SEU CAUSAM APPELLO. duo libri veteres non habent *controversiam seu*, sed in eis ita legitur, *quorum alterum finitum temporibus et personis causam appello* [atque hanc scripturam recte videtur firmare cod. Gud. 2. cf. ad h. l. c. 1. §. 4.]. in eisdem ita legitur infra, *sed est propositum quasi pars causae quaedam. inest enim infinitum in definito, et ad illud tamen referuntur omnia.*

C. 19. §. 65. AUT QUID SIT SUPERBIA. duo libri manu scripti habent, *aut quid sit superbus.*

§. 67. AUT IN TIMORE TOLLENDO. duo libri manu scripti habent, *aut in timore deliniendo.* ego nihil muto.

C. 21. §. 72. APTO QUASI QUODAM VERBORUM MODO. malim legi *apto quodam quasi verborum modo*, seu potius *nodo;* ut per *nodum verborum* apta verborum clausula et concinna terminatio intelligatur. verumtamen iudicent eruditi [ex Omissis post Tom. 1. p. 380., quibus addantur ex Omm. post. Tom. 4. p. 624. haec: »Vox *quasi* adiecta significat esse εἰκόνα, id est si»militudinem et imaginem quandam. itaque hoc ipso *quasi* de»tracto translatio esset. at quae translatio sit *verborum modus?* »praeterea, quid sibi volunt haec verba *modus verborum?* non »enim id significant quod sentit et vult Cicero. vult enim ad »extremum ita apte claudi orationem oportere, ut neque quic»quam redundet neque quicquam desideretur. hanc igitur aptam »orationis clausulam atque hunc verborum nexum non *modum* »*verborum*, sed *nodum* potius videtur appellare debuisse. sic »igitur scribendum censeo libris omnibus invitis et reclamanti»bus; quamquam animadverti, in uno antiquissimo ex *nodo*, »quod fuit initio scriptum, factum esse postea *modo*, et alia ma»nu quam qua scripta cetera sunt duabus tibiis litterae *n* tertiam »esse adiectam et ex *n* factum esse *m*.«].

C. 22. §. 74. IN QUIBUS QUOD VIRTUTEM MAXIME SIGNIFICAT FACILLIME FORMA LAUDATUR. non placebat mihi vulgata lectio *in quibus quidem quae virtutem maxime significat*, etiam ante quam in codd. mss. incidissem, in quibus partim sic || legitur, p.331. ut excudendum curavi, partim sic, *in quibus quod quasi virtutem maxime significat.* a.

§. 75. AUT MULTA ET VARIA FACTA IN PROPRIA VIRTUTUM GENERA SUNT DIGERENDA. quidam libri mss. habent *dirigenda.* ego nihil mutandum censeo.

§. 77. DUOBUSQUE MODIS IN REBUS COMMODIS DISCERNITUR. hoc totum *in rebus commodis* [cod. Gud. 2. *in rebusque commodis*] abest ab uno codice manu scripto. ego retinendum censeo; sequitur enim quod huic opponitur, *in rebus autem incommodis est itidem duplex.*

Ibid. ET OMNE QUOD EST EIUS GENERIS GRAVE SEDATUM NON TURBULENTUM. fuerat hic locus confidenter ab iis depravatus, qui eum ad vocem proxime antecedentem *iniuriis* referebant, neque videbant referri ad superiora illa, *simulque altitudo animi in accipiendis incommodis.* est enim hic ordo verborum et sententia: *liberalitas in usu pecuniae simulque altitudo animi in accipiendis incommodis et maxime iniuriis et omne quod est in iis, quae sunt eius generis grave, sedatum, non turbulentum, est animi altitudinis.* vellem autem ita legeretur, *et omne quod est in rebus eius generis grave, sedatum, non turbulentum.*

C. 23. §. 79. QUO ILLA QUAE IN DISPUTANDO. videtur aliquid deesse, ut consumitur, occupatur, versatur, sive quid aliud tale [et cod. Gud. 2. post *disputando* addit *est.* cf. Ernest. ad h. l. p. 709.].

§. 80. SUNT AUTEM ALII QUIDAM ANIMI HABITUS AD VIRTUTEM QUASI PRAECULTI ET PRAEPARATI RECTIS STUDIIS ET ARTIBUS. quum lectio vulgata multo iam ante, quam codd. mss. consuluissem, mihi displiceret (est autem haec talis, *sunt autem alii quidam perfecti animi habitus*), posteaque in aliis codicibus manu scriptis vocem *perfecti* non reperissem, in aliis in eius locum *ficti*, ego non sum veritus utramque de medio tollere ut alienam et supervacaneam.

C. 24. §. 84. QUOD ENIM PERMAGNUM EST PRO NECESSARIO SAEPE HABETUR. sic reperi scriptum in duobus libris calamo exaratis, atque ita legendum est, non ut in vulgatis, *permagni interest* [Lambini correctionem firmant codd. Oxon. ψ. et Gud. 2., sed v. Orellium Vol. 1. p. 544.].

C. 25. §. 88. EST ETIAM QUAEDAM QUASI MATERIES SUBIECTA SUASORI HONESTAS QUAE MAXIME SPECTATUR IN AMICITIIS. hic locus quum esset in omnibus libris vulgatis mendosus, miserum in modum interpretes et ludimagistros antea torquebat: nunc autem a me restitutus non eget interprete. atque ad hanc me emendationem quasi manu duxit vetus codex, in quo scriptum

reperi *honestas* in recto casu. quam scripturam quum attentius considerassem, et viderem locum ut vulgo legitur (sic autem legitur, *materies subiecta honestati*) esse obscurum et paene dicam inexplicabilem, restituta voce *suasori*, quae omissa fuerat a librariis, planum et vel puero ad intelligendum facilem atque explicatum reddidi.

§. 90. ALTERUM HUMANUM ATQUE EXPOLITUM. quis neget hanc lectionem vulgatae illi, cui deerat vox *humanum*, multo esse anteponendam? nam sive quis dicat *humanum* opponi *indocto*, conveniet oppositio (*indocti* enim sunt *inhumani*, et studia *humanitatis* appellantur studia *doctrinae* et litterarum, et appellatione *humanitatis* saepe doctrina et litterae intelliguntur, et ἀπαίδευτοι id est indocti *inhumani* Latine dicuntur, et doctrina ἡμέρους id est cicures et humanos efficit); sive quis malit opponi *agresti*, aeque quadrabit. nam agreste ferum est, fero autem humanum opponitur. ita utrocunque te vertas, haec lectio multis partibus vulgata melior est.

C. 26. §. 91. extr. UT DOCEAMUS QUA VIA BONA CONSEQUI MALAQUE VITARE POSSIMUS. sic habent duo codices manu scripti [sed v. Ernest. ad h. l. p. 713.].

§. 93. ECQUID AUTEM POSSIT EFFICI NECNE POSSIT. ita legendum, idque tum ex illo *necne*, quod paullo post sequitur, tum ex antiqua scriptura *et quid* intelligere licet. nam *et quid* depravatum est a recto *ecquid* [v. Bentlei. ad Terentii Andr. Prol. 25.]; *ecquid* autem idem valet quod *numquid*, seu utrum aliquid, seu an quid [vid. annot. ad I. de Invent. C. 6. §. 8.].

Ibid. ALIAE QUAE VIM ALIQUAM AD CONFICIENDUM AFFERUNT. duo codd. mss. habent *quae viam aliquam;* ex qua scriptura coniicere possit aliquis legendum infra paullo post *aperiunt*, ut sit, *quae viam aliquam ad conficiendum aperiunt.* veramtamen nihil mutare ausus sum, tametsi duriusculum videatur hoc loquendi genus *vim afferunt* pro adiumentum afferunt, seu vim habent. rursum monet me, ut legendum putem *viam afferunt* seu potius *aperiunt*, non, ut est in libris vulgatis, *vim afferunt* pro adiumentum afferunt, quod earum causarum, quae per se conficiunt, alias vult esse absolutas, alias adiuvantes et efficiendi socias. quodsi in priore causarum divisione *vim afferunt* idem valeat quod adiumentum afferunt, membrum alterum posterioris divisionis concurret cum membro altero prioris. quod erit absurdum. qua ratione adducor, ut existimem nobis persequentibus antiquae scripturae vestigia ita hunc locum emendandum, *quae viam ad conficiendum aperiunt.* atque hae demum causae recte dicentur causae, sine quibus res confici non potest. Omnino haec tota de causis disputatio aliquantum est hic implicata atque obscura, longe autem explicatior et planior in Topicis.

§. 94. CONFICIENS AUTEM CAUSA ALIA EST ABSOLUTA ET PERFECTA PER SE ALIA ALIQUID ADIUVANS ET EFFICIENDI SOCIA QUAEDAM.

non videntur haec mihi satis inter se convenire satisve apte inter se respondere. debuit enim vel ita dicere po || tius: *conficiens autem causa alia est absoluta et perfecta per se, alia quae aliquid aliuvari velit et efficiendi sociam quaerat;* vel hoc modo: *coficiens autem causa alia est absolvens et perficiens ipsa per se, alia aliquid adiuvans et efficiendi socia quaedam.* lege Topca sub finem, ubi de causis disputat [p. 282, 5. C. 14. §. 58. sqq.]. b.

C. 28. §. 99. AUT CONFECTA SUNT. negationem, quae sententiam corrumpebat, nec erat in libris mss., funditus delevi.

Ibid. NON A ME PETERE DEBUISTI. haec verba *petere debuisti*, quae deerant in codicibus omnibus vulgatis, ex auctoritate trium manu scriptorum restitui. quae quam sint necessaria, quamque sententiam huius loci illustrent, nemo est litteris mediocriter tinctus qui non perspiciat [istud quicquid est interpretamenti non habet cod. Gud. 2.].

C. 30. §. 104. IN QUA QUID DEVENIAT IN IUDICIUM ET DE QUO DISCEPTETUR QUAERI SOLET. legendum fortasse est *quid veniat in iudicium* cod. Gud. 2. *quid eveniat*, isque fons erroris extitit, quum sic scriptum reperisset librarius *quodeveniat*, incertus utrum elgeret, *quod veniat* corrigeret, an vero *quid deveniat* acceptum exemplari suo referret.].

§. 10[illegible]. MAIESTAS EST IN IMPERII ATQUE IN NOMINIS POPULI ROMANI DIGNITATE. sic restitutus est hic locus ex auctoritate duorum librorum manu scriptorum, qui in vulgatis sic legitur, *in imperii aque in omni populi Romani dignitate;* plane inepte [a cod. Gud. 2. abest hic locus, incuria scriptoris librarii, qui sic dedit, *quoniam est magnitudo quaedam populi Romani dignitate*, omissis mediis.].

C. 31. §. 107. NE IN DEFINITIONEM QUIDEM VENIT GENUS SCRIPTI IPSIUS. mendose habebant libri omnes vulgati *genere.*

C. 32 §. 112. SPECTANTUR ETIAM AD CAUSAM FACTI. quidam legendum putant *spectant etiam.* quibus propemodum assentior [v. Ernest. ad. h. l. p. 719.]

C. 33. §. 114. QUORUM MODO INTERFUERIT ALIQUID. multis iam ante annis videram, lectionem vulgatam *quorum non interfuerat aliquid* esse mendosam, et hanc negationem e meo codice pro neo iure deleveram. quis enim non videt, M. Tullium hoc sentire, *causas* valere etiam contra eos qui non arguantur, si modo eorum interfuerit seu si modo eis bono fuerit; *effecta* autem eos proprie attingere qui arguantur quique in iudicium vocati sint? hoc igitur videram, sed unde haec negatio nata sit non videram. hoc mihi indicaverunt duo codices manu scripti, in quibus ita sine ulla litura aut varietate scriptum est, *quorum modo interfuerit aliquid. modo* enim a librariis depravatum fuerat et *non* ex eo factum [scriptore librario ductuum *mo* et *no* similitudine decepto]. atque haec scriptura sine dubio vera et recta est.

Ibid. IN QUO LOCO FACINUS FACTUM FUERIT. haec est antiqua scriptura optima fide a me in locum vulgatae, quae erat mutila et lacera, reposita; deerant enim hae voces, *loco factum fuerit. facere facinus* autem, ne quis forte de eo dubitet, genus est loquendi bonis scriptoribus usitatum. Catullus ad Iuventium [81, 5. 6.], *quid tibi nunc cordi est? quem tu praeponere nobis Audes? ah nescis, quod facinus facias!* M. Tullius libro secundo de Finibus [p. 67, 21. C. 29. §. 95.], *si enim ita es, vide ne facinus facias, quum mori suadeas.* idem pro Rabirio Perd. reo [p. 312, 42. C. 6. §. 19.], *et id facinus pulcherrimum fieri arbitrarer* [locus omissus in Annotatione ac p. 312, 42. ibi *esse* repositum, non *fieri.* sed cf. Pareum Lex. Crit. p. 462.].

C. 36. §. 123. ET AD EAM PRAECEPTIONEM. sic omnes quidam habent libri. quae lectio si emendata est, *praeceptionem* appellat eam, quam alibi *anticipationem* et *praenotionem* [p. 202, 5. et 15. I. de N. DD. c. 16. §. 43. et c. 17. §. 44.], Graeci *πρόληψιν.* sed ego *perceptionem* legendum puto. est autem *perceptio* ea, quam Graeci *κατάληψιν* appellant idemque Tullius alibi *comprehensionem* [II. Academm. C. 10. §. 31. p. 17, 2. cf. Nizolium a Facciolato castigatum p. 155.].

§. 125. NEGAT ENIM PROBARI OPORTERE EOS QUI LEGES SCRIPSERUNT RATUM HABERE IUDICIUM SI TOTUM CORRUPTUM SIT SI UNUS ACCUSATOR CORRUPTUS SIT RESCINDERE. vitiosa erat huius loci interpunctio; nihil praeterea. est autem haec eius sententia: negat accusator esse probabile, eos qui leges scripserunt ratum habere iudicium, si totum sit corruptum; si autem unus accusator sit corruptus, rescindere atque infirmare. proinde ac si ita dicat: qui leges scripserunt voluerunt iudicium rescindi, si accusator corruptus sit ab reo, id est si praevaricatio facta sit. voluerunt enim reum, qui praevaricatione liberatus atque absolutus esset, in iudicium revocari eiusque causam de integro cognosci. illi autem fuerunt sapientes; sapientes autem nihil absurde, nihil stulte, nihil temere faciunt: absurdum sit autem, stultum ac temerarium hoc statui, ratum haberi iudicium, si totum sit corruptum, rescindere, si accusator dumtaxat corruptus sit. ergo multo magis voluerunt latores legis iudicium rescindi, si totum sit corruptum, quam si accusator tantum a reo corruptus sit.

Ibid. NITITUR AEQUITATE ET UTILITATE QUASI SCRIBENDA LEX SIC ESSET *QUI IUDICIA ACCUSATOREMVE CORRUPERIT* QUAECUNQUE TAMEN COMPLECTERETUR IUDICIIS CORRUPTIS EA VERBO UNO PRAEVARICATIONIS COMPREHENDISSE DICIT. negari non potest, quin hic locus sit corruptus. ego partim ex codicibus mss., in quibus scriptum est *utilitate* pro *ut illa* [vid Drakenborch. ad Livii 22. 50, 1. Tom. 7. p. 289.], quod est in vulgatis; partim ex libro Aemari Ranconeti, ad cuius libri oram haec erant adscripta ipsius manu litteris Romanis QVI IVDICIA ACCVSATOREMVE CORRV-

PERIT, quantum potui lucis his tenebris attuli; nihil de meo addidi, ne inveteratum vulnus novo amplificarem. quae autem reperi in libro Ranconeti, qui nunc est Memmii, videri possunt ex aliquo antiquo codice petita; nihil tamen affirmo. fieri enim potest, ut ab illo acerrimi || ingenii limatissimique iudicii p.332. viro fuerint excogitata. verumtamen malim ita legi: *quod si* a. *scripta lex sic esset, qui iudicia accusatoremve corruperit, quaecunque tamen complecteretur iudicii corrupti nomine, ea verbo uno praevaricationis comprehendisse dicit.*

§. 126. EX CONSEQUENTIBUS QUOD EA LITTERA DE ACCUSATORE SOLEAT DARI IUDICI. Ranconetus ad hunc locum explanandum haec verba Asconii Pediani in Orationem pro Cornelio in codice suo annotarat [p. Gronov. 432.]: »M. Silanus quinquennio »ante Consul fuerat, quam Domitius Tribunus Plebis, atque ipse »quoque adversus Cimbros rem male gesserat. quam ob causam »Domitius eum apud populum accusabat. criminabatur, bellum »cum Cimbris iniussu populi gessisse, idque principium fuisse »calamitatum, quas eo bello populus accepisset; *ac de eo ta-* »*bellam quoque dedit.* sed plenissime Silanus absolutus est: »nam duae solae tribus eum, Sergia et Quirina, damnaverunt.« puto Ranconetum illorum Pediani verborum haec tantum ad hunc locum accommodari voluisse, *ac de eo tabellam quoque dedit.* sed Franc. Hotomanus per illam litteram *P. praevaricationis* litteram significari putat, quae scilicet cum littera *A.* coniuncta dabatur, haeque duae accusatorem significabant esse praevaricatum.

C. 38. §. 132. QUA NITETUR IPSE. secutus sum codices manu scriptos; nam vulgati habent *qua utetur ipse.*

§. 135. AUT ALIA CAUSA OBTEMPERANDI ALIA ABROGANDI. fortasse legendum *alia causa temperandi* [sed v. Orellium p. 554.].

C. 40. §. 140. NULLUM MAIUS EXSPECTO. codex manu scriptus habet *nullum maius expeto* [vid. Drakenborch. ad Livii 10. 7, 12. Tom. 5. P. 2. p. 61.].

VIII.

IN LIBELLUM DE OPTIMO GENERE ORATORUM.

C. 1. §. 1. QUOD MINUS EST TRACTATUM A LATINIS. memini, quum Romae essem, locum sic a Romulo Amasaeo restitui. nam revera dithyrambicum poema nemo umquam Latinus scripsit, ut ille dicebat. quod autem Adrianus Turnebus [1. Adversarr. 4.] lectionem vulgatam retinet [dedit ille tamen e co-

dicibus *quo magis est*, non *quod*], et hunc locum sic explicat, ut intelligat hoc dici a Cicerone, poema magis esse tractatum a Latinis quam orationem, mihi paene incredibile est, et pugnat cum iis quae sunt in Prooemio libri primi Tusculanarum Quaestionum [p. 115, 23. C. 1. §. 3.], *nam quum apud Graecos antiquissimum e doctis sit genus poetarum, siquidem Homerus*
b. *fuit et* || *Hesiodus ante Romam conditam, Archilochus regnante Romulo, serius poeticam nos accepimus.* et quae sequuntur.

C. 2. §. 5. ET AD PROBANDAM REM ACCOMODATUM ORDINEM. in voce *probandam* mendum subesse suspicor. quid enim confert ordo ad rem probandam? omnino vel delenda est, vel alia in eius locum substituenda.

Ibid. UT AEDIFICIORUM. videntur haec esse supervacanea.

C. 4. §. 10. DICI PRO MILONE DECUISSE. legendum fortasse est *debuisse*.

§. 12. AT SI AMPLE ET ORNATE ET COPIOSE CUM EADEM INTEGRITATE ATTICORUM EST CUI DUBIUM EST UTRUM ORATIONEM NOSTRAM TOLERABILEM TANTUM AN ETIAM ADMIRABILEM ESSE CUPIAMUS? quum et liber unus ms. et exempla Manutiana sic haberent, *at ample*, ego *at si ample* reposui. et infra proximo versu, ubi vulgati libri habent *quid dubium est, cui dubium est* restitui.

C. 6. §. 17. AESCHINES TAMQUAM AESERNINUS. hic Aeserninus fuit Samnis, id est gladiator, et compositus cum praestantissimo gladiatore Placidiano seu Pacidiano, quem commemorat Horatius satira septima libri secundi [96. 7.], *quum Fulvi Rutubaeque* [sic correxi illud *Rutubique*] *Aut Placideiani contento poplite miror Proelia rubrica picta, aut carbone* [vid. Comment. Lambini Horat. p. 188. E. F.]. eundem commemorat M. Tullius libro tertio Epistolarum ad Q. Fratrem, his verbis [p. 426, 1. III, 4.], *sed me alia moverunt. non putasset sibi Pompeius de illius salute, sed de sua dignitate mecum esse certamen; in urbem introisset; ad inimicitias res venisset; cum Aesernino samnite Placideianus comparatus viderer; auriculam fortasse mordicus abstulisset; cum Clodio quidem certe rediisset in gratiam.* idem libro quarto Tusculanarum Quaestionum [IV. C. 21. §. 48. p. 170, 30.], *sed in illo genere sit sane Placideianus aliquis hoc animo, ut narrat Lucilius, Occidam illum equidem et vincam, si id quaeritis, inquit.* et reliqua. proferuntur autem hi versus a Nonio Marcello ex Lucilio [4, 425. v. *spurcum*], *Aeserninu' fuit flacco ore. Samnis spurcus homo, vita illa dignu' locoque Cum Placidiano componitur? optimu' longe Post homines natos gladiator qui fuit unus?* et item a M. Tullio [quum hoc loco, tum II. Tusc. C. 17. §. 41. v. Io. Passerat. Epp. 60. Thes. Crit. Gruter. Tom. 1. p. 813.].

§. 18. UNUM HOC VERUM MELIUS GRAECI. unum genus hoc, quod ita dicit, nobis obiiciens scilicet, *at melius Graeci quam tu Cicero.* cui respondens Cicero, *a quo genere*, inquit, *quae-*

ratur, num possint ipsi aliquid melius scribere, quam quod a nobis scriptum est.

C. 7. §. 19. QUUM ESSET LEX ATHENIS. argumentum est et summa Orationum inter se contrariarum Aeschinis et Demosthenis, quas nos eodem fere tempore, quo haec scribebamus, auditoribus nostris Lutetiae explicabamus et in Latinum sermonem convertebamus, longe deterius scilicet, quam divina eloquentia praeditus M. Tullius Cicero, quis neget? neque vero cum illa Suadae medulla certare volui: *quid enim contendat hirundo cycnis?* ut ait Lucretius [3, 6.]. sed paullo, opinor, melius convertimus, quam qui ante nos eas interpretati sunt. verumtamen iudicent homines; sunt enim editae.

DIONYSII LAMBINI
TULLIANARUM EMENDATIONUM
PARS ALTERA
SIVE
IN ORATIONES ANNOTATIO.

I.

IN ORATIONEM PRO P. QUINCTIO.

Tom. 2. p. 675. a.

C. 1. §. 1. ELOQUENTIA Q. HORTENSII. Hortensii nomen scribendum videtur in secunda syllaba per *e* solum, sine *n*, *Hortesii*. neque est quod nos moveant aut vetusti codices, aut antiqui lapides. nam fuit error temporis, natus ex consuetudine scribendi, qua utebantur antiquissimi Romani. notabant enim interdum *e* vocalem, si longa esset, linea tenui et non ita longa, hoc modo, *quotiēs*, *totiēs*, *deciēs*, *viciēs* et *Hortēsius*. inde factum est, ut indocti scriptores librarii, quum existimarent lineolam illam vicem litterae *n* obtinere, ita descripserint *totiēs* vel *totiens*, *quotiēs* [vel *quotiens*, *deciēs* vel] *deciens*, et cetera. quae scriptura iam pridem tacito omnium consensu eiecta et explosa est. Ὁρτήσιος autem a Graecis semper scribitur per η solum, non Ὁρτήνσιος, quomodo scriberetur, si Latine scribendum esset *Hortensius*.

§. 3. ILLUD QUOQUE NOBIS ACCEDIT INCOMMODUM. docti quidam legendum putant *accidit*.

C. 2. §. 7. ORNATISSIMOS. libri manu scripti duo habent *horrentissimos*, unde suspicabatur Ranconetus legendum *potentissimos* [vid. Ernest. Vol. 2. P. 1. p. 4.].

§. 8. ET SI QUA IN RE ID QUOD PARATI SUNT FACERE VENENATUM ALIQUOD TELUM IECERINT MEDICINAE FACIENDAE LOCUS NON ERIT. verba haec, quae fuerant ex annotatiuncula nata et in contextum orationis ex ora libri translata, *falsum crimen quasi*, ego, certissima coniectura ductus, funditus sustuli. utitur enim hic M. Tullius allegoria, quae est continuata translatio. per *venenatum telum* autem falsum crimen significatur, per *tela depellere* et *vulneribus mederi* diluere argumenta adversariorum et crimina illata refellere, per id quod est *tela iacere* crimina inferre, sive vera sive falsa. quid multa? totus locus allegoria mera constat. quodsi legatur ut vulgo, *falsum crimen quasi* [hoc abest a cod. Oxon. C., qui est inter Laudinos H. 58.] *venenatum aliquod telum iecerint*, minus apte sequetur *medicinae faciendae locus non erit;* debebit enim potius hoc sequi *refellendi locus non erit.* quod qui non videat, caecum eum in litteris esse arbitror [cf. ad Orat. C. 13. §. 51. ceterum Lambini emendatio probatur Ernesto, summo viro, Vol. 2. P. 1. p. 5.].

C. 3. §. 11. SANE CETERARUM RERUM PATER FAMILIAS ET PRUDENS ET ATTENTUS. semper hic locus mihi suspectus fuit. nam quo pertinet illud *ceterarum rerum*, aut quo referendum est? si quis dicat referri ad nomen *prudens*, primum durum genus est et prope insolens, quamvis Horatius dixerit Oda 9. Lib. 4. [v. 34. sqq.], *est animus tibi Rerumque prudens et secundis Temporibus dubiisque rectus.* deinde etiamsi demus, ita dici posse, *ceterarum rerum prudens*, tamen non video, quomodo ferri possit haec locutio, *ceteraram rerum pater familias et prudens et attentus.* nam nomen *attentus*, quod deinceps sequitur, eundem casum regere debet atque vox *prudens*, si lex bene Latine loquendi servetur. dico igitur hic legendum esse, *sane cetera pater familias et prudens et attentus. cetera* autem dictum, ut illud a Virgilio Georg. 3. [v. 63.], *cetera nec feturae habilis nec fortis aratro.* et Aeneid. 3. [v. 594.], *consertum tegmen spinis, at cetera Graius.* et ab Horatio Epist. ad Aristium [I. 10, 50.], *excepto quod non simul esses, cetera laetus.* et Oda 2. Lib. 4. [vv. 59. 60.], *qua notam duxit niveus videri, cetera ful* ‖ *vus.* et a Livio Lib. 4. Annal. 22. [id est 22. 50, 1.], *haec est pugna clade Cannensi nobilitata, par cetera Alliensi.* et a Sallustio [Iugurth. 19, 7. p. Cort. 510.], *Mauris omnibus Bocchus imperabat, praeter nomen cetera populi Romani ignarus.* sumptum est autem hoc genus a Graecis; quod leviter docti non intelligentes hunc locum corruperunt cff. Bentlei. ad Horat. I. Epp. 10, 3. Tom. 2. p. ed. repet. Lips. 40. et Drakenborch. ad Livii 37. 7, 15. Tom. 10. p. 701. adde laudatis ab Drakenborchio Ruddimann. Inst. Gramm. Lat. Tom. 2. p. edit. Lips. 62. et Vechnerum Hellenolex. Lib. 1. b.

Part. 2. cap. 20. p. 300. sqq. e Lambino profecit Pareus Lex. Crit. p. 193. sqq.]

Ibid. NEQUE INHUMANUS PRAECO. Memmius et Auratus putant legendum *neque inurbanus praeco.* quibus propemodum assentior.

§. 13. ARBITRIO PRO SOCIO. sic legendum videtur Hotomanno; *arbitrio pro socio* autem id est iudicio pro socio. iam vero *iudicium pro socio*, ut et cetera bonae fidei iudicia, id est iudicia omnia quibus additur *ex fide bona*, iccirco appellatur *arbitrium*, quia in hoc iudex non sequitur summum ius sed aequitatem. Ranconnetus autem legendum putabat *ad arbitrum*, id est apud arbitrum. sic enim saepe loquitur Cicero [Ranconnetum sequitur Nizolius p. 75. tu cf. Orat. pro Q. Roscio Comoedo c. 4. §. 10.].

C. 4. §. 17. NISI A QUAESTORIBUS QUAESISSET. non displicet mihi Hotomanni sententia, qui legendum censet *quaesisses*, verumtamen nihil muto. nam hac lectione servata licet eandem atque ille elicit ex his verbis sententiam elicere; nisi quod negari non potest, alteram lectionem faciliorem et planiorem esse. C. Aquillius enim sumptus fuit arbiter. is igitur quaesivit a Quaestoribus urbanis, propter aerariam rationem, id est propter dissimilitudinem pecuniae Romanae a Gallicana, quantum Scapulis solveretur. *ad denarium* autem id est ad rationem pecuniae Romanae. atque haec omnia doctissime sunt ab Hotomano explicata.

C. 5. §. 18. SIMULATQUE SIBI HIC INNUISSET. sic legendum censeo reclamantibus libris omnibus, in quibus legitur *annuisset.* nam *annuere* est alteri nutu assentiri et approbare nutu quod alter dicat aut faciat: *innuere* autem est alteri significare quod fieri velis. Terentius Adelph. [II. 1, 17.], *ne mora sit si innuerim, quin pugnus continuo in mala haereat* [cf. Nizolium a Facciolato castigatum p. 381.].

§. 19. QUAM SI QUUM IN AUCTIONE VENDERET. subintellige *bona.* sic autem videtur legendum, non ut vulgo *quum auctionem venderet.* mendum fortasse natum ex praepositione *in* a librario depravata, quum *m* pro *in* scripsisset, deinde ab aliquo plus satis ingenioso *m* esset ultimae vocali nominis *auctione* adiectum. licet tamen legere *quum auctione venderet*, ut placet Hotomano. sed Adrianus Turnebus tuetur lectionem receptam *quum auctionem venderet*, atque eadem ratione dictum *auctionem vendere*, qua a Caesare *sectionem vendere* [II. de B. G. 33, 6. p. Oudend. 128.]. ego *sectionem vendere* putó esse Latinis usitatum, et ita M. Tullius quoque loquutus est libro de Inventione [I. c. 45. §. 85], *cuius praedae sectio non venierit: auctionem vendere* nusquam alibi me legere memini. quin alibi M. Tullius sic loquitur, *bona constituta auctione venderet* [pro Rosc. Amer. c. 8. §. 23.]. unde colligere licet, *vendere auctionem* non dici a Latinis, sed *vendere bona auctione* seu

in auctione. verumtamen iudicent eruditiores. Praeterea paulo post putabat Memmius legendum, *cui* ‖ *piam promisisset.* p.676.

§. 21. DAT ISTE AMICUM M. TREBELLIUM. subaudiendum *arbitrium.* sane in quibusdam vulgatis legitur, *dat iste arbitrum Trebellium.* a.

§. 22. NEQUE QUICQUAM PERFECTUM ESSET. legendum fortasse est, *neque quicquam profectum esset.*

C. 6. §. 24. ROMA EGREDITUR ANTE DIEM II. KALEND. FEBRUARII. sic legendum, ut recte putat Hotomanus. *ante diem II.* autem id est pridie Kalendas, quomodo loquitur infra [p. 10, 39. C. 18. §. 57.], *invenitur dies profectionis pridie Kal. Febr. ante diem II. Kal.* autem et *pridie Kal.* eundem diem esse argumento est, quod *ante diem III. Kal.* et *die tertio Kal.* idem valent. hoc igitur sic ostendo. Gellius lib. 15. cap. 28. scribit M. Tullium natum esse *a. d. III.*, id est *ante diem tertium* Nonas Ianuarias Q. Caepione Q. Serrano Css. at constat eum natum esse tertio Nonas Ian.; sic enim ipse lib. 7. ad Att. [p. 276, 2. ep. 5.], *tertio Nonas natali meo.* et Plutarchus [Vita Ciceronis p. 861. C.], *τεχθῆναι δὲ Κικέρωνα λέγουσι ἀνωδίνως καὶ ἀπόνως λοχευθείσης αὐτοῦ τῆς μητρὸς ἡμέρᾳ τρίτῃ τῶν νέων καλανδῶν, ἐν ᾗ νῦν οἱ ἄρχοντες εὔχονται καὶ θύουσιν ὑπὲρ τοῦ ἡγεμόνος.* id est, *editum esse in lucem Ciceronem dicunt sine ullo matris in partu dolore ac labore die tertio post Kal. Ianuarias, in quo magistratus vota faciunt et sacrificant pro salute Principis.* adde his c. 233. [non 232.] de Verborum Significatione [§. 1. l. 233. DD. 50, 16.]. *post Kalendas*, inquit Gaius, *Ianuarias die tertio pro salute Principis vota suscipiuntur.* ex quibus locis inter se comparatis perspicuum est, haec tria, *ante diem tertium Nonas Ian.* et *die tertio Nonas Ian.* et *post diem tertium Kalendas Ian.* eundem diem esse. nam quum dicimus *ante diem tertium Kalendas*, non significantur neque continentur dies quattuor sed tres dumtaxat. Hoc praeterea *ἐν παρόδῳ* sciat lector in his litteris tiro, ubicunque reperitur ita scriptum in libris vulgatis, *ad quartum, quintum, sextum Kal.*, mendose id scriptum esse et esse ita legendum *a. d.*, id est *ante diem* [cf. Pareum Lex Crit. p. 32.].

§. 27. ATQUE IMBIBERIT EIUSMODI RATIONIBUS. sic habent libri mss. atque ita emendavit et dedit Paulus Manutius, ita denique legendum. *imbiberit* autem valet in animum induxerit, ita constitutum in animo habuerit, ut sententiam mutare nolit. sic Lucretius Lib. 3. [v. 1009. 10.], *qui petere a populo fasces saevasque secures Imbibit, et semper victus tristisque recedit.* idem Lib. 6. [v. 71.], *ut ex ira poenas petere imbibat acres.* qua de re Muretus lib. Variarum Lectionum 1. c. 6. [Operum Tom. 2. p. Ruhnk. 15. sq.] plura.

§. 28. CONTRA IUS CONSUETUDINEM EDICTA PRAETORUM. sic habent codices veteres, atque ita eorum fidem secutus emendavit Hotomanus [edebatur olim *contra ius et consuetudinem, edicto* aut *Praetorum*, aut *Praetoris.*].

C. 7. §. 29. ISTE POSTULAT UT PROCURATOR. videtur legendum *postulabat* et mox *negabat*, vel his retentis legendum *satis det*.

C. 8. §. 29. VENIT ROMAM QUINCTIUS AD VADIMONIUM SISTIT SE. hunc locum in omnibus libris vitiosa interpunctione depravatum restituta recta interpunctione praeclare emendavi. legebatur autem sic, *vadimonium sistit.* quod genus locutionis Latine loquendi consuetudo non patitur, aures Latine doctorum respuunt. sic igitur emendavi: *venit Romam Quinctius ad vadimonium. sistit se.* loquitur autem bis hoc eodem modo infra [p. 9, 46. C. 16. §. 52.], *ad vadimonium non venit. quis? socius.* et infra [p. 10, 5. §. 53.], *horae duae fuerunt. Quinctius ad vadimonium non venit. quid ago* [Retractavit hunc locum Lambinus in Omiss. post Tom. 4. p. 624. »Profert tamen Gel»lius [2, 14.] ex M. Catone contra Tiberium exulem haec verba, »*Quid si vadimonium capite obvoluto stitisses?* et Apuleius lib. »4. [c. 76. p. Oudendorp. 278.] *veluti expilationis vadimonium* »*sistimus.* ex quibus *vadimonium sistere* a veteribus dictum »esse intelligere licet. quare recepta lectio, *venit Romam* »*Quinctius, vadimonium sistit,* retineri potest atque adeo debet.«]?

§. 30. QUIN ITA SATISDARE IUBERET. *iuberetur* legendum vel invitis libris omnibus; quod et Hotomano videtur, sed ita, si modo reperiatur in libro ms. [et sic repertum in Franc. 1. Graevius probavit.].

Ibid. IUBET P. QUINCTIUM AUT SATIS DARE AUT SPONSIONEM CUM S. NAEVIO FACERE. deerant haec *aut satis dare* in libris vulgatis quae et necessarie hic scribenda sunt et in uno codice ms. scripto reperi.

Ibid. NI BONA SUA EX EDICTO P. BURRIENI PRAETORIS DIES TRIGINTA POSSESSA NON ESSENT. sic est legendum. nam primum sic concipiebantur sponsiones per *ni;* deinde concipiebantur ex parte eius, qui sponsione lacessebat. at hic P. Quinctius iniquitate Praetoris Naevium sponsione lacessere coactus erat, hoc modo: *ni mea bona ex edicto Praetoris dies triginta possessa non sunt, centum, verbi gratia, dare spondes, Naevi?* praeterea sic loquitur infra [p. 14, 33. C. 27. §. 84.]: *sponsio quae in verba facta est? ni ex edicto Praetoris bona P. Quinctii possessa non sint.* exempla autem sponsionum complura sunt apud scriptores, ex quibus haec pauca carpamus. M. Tullius Off. III. [p. 398, 19. C. 19. §. 77.], *Fimbriam consularem audiebam de patre nostro puer iudicem M. Lutatio Pinthiae fuisse, equiti Romano sane honesto, quum is sponsionem fecisset, ni vir bonus esset* [v. Beier. ad h. l. Tom. 2. p. 328.]. idem pro Caecina [p. 232, 31. C. 16. §. 45.], *ut statim testificati discederent, optime sponsionem facere possent, ni adversus edictum Praetoris vis facta esset.* idem lib. Accus. Verr. 3. [p. 143, 3. C. 59. §. 135. corrige Nizolium, haec laudantem p. 671, 2.], *sponsio est, ni te Apronius*

in decumis socium esse dicat. idem in Pison. [p. 535, 41. C. 23. §. 55.], *quum ego Caelimontana porta introisse dixissem, sponsione me, ni Esquilina introisset, homo promptissimus lacessivit* [cf. Muret. VV. LL. 16, 19. Operum Tom. 2. p. Ruhnk. 406. sqq.].

C. 11. §. 38. CERTIS NOMINIBUS. quid sit *certis nominibus*, non satis mihi quidem exploratum est. quamvis enim legatur apud Horatium Epist. ad Augustum [II. 1, 105. Tom. 2. p. Bentl. 93.], *cautos nominibus certis* ‖ *expendere numos*, tamen *b.* et Porphyrio legit *rectis*, et in quibusdam mss. itidem legitur *rectis;* quemadmodum admonuimus in nostris Commentariis [p. 312. A. cf. Beier. ad II. Off. C. 23. §. 84.].

Ibid. AB EO QUICUM CONTRAXISSET. sic reperi scriptum in codd mss., et ita legi debet.

Ibid. QUOD VIRI OPTIMI FACIUNT. nihil mutandum; recta enim et incorrupta est lectio. *viri* autem *optimi*, qui scilicet non sunt avari neque S. Naevii similes. tantum mox legendum *et si qui*, deinde infra *claros et honestos*, ut et Hotomanus censuit. quod autem idem vult legi *iure optimo* pro *viri optimo*, non placet.

C. 12. §. 40. SI NON PAULO AT ALIQUANTO. sic reperi scriptum in libris mss., atque ita legi debet. *si non paulo*, inquit, *at aliquanto; post* subintellecto.

C. 13. §. 43. ET EAM QUUM PERORARIT. assentior Hotomano, qui ita legendum existimat.

C. 14. §. 46. INVENIRI RATIO. legendum fortasse est *iniri ratio* [cf. ad II. Agrar. C. 25. §. 67.].

Ibid. QUI POSTEA QUAM VADIMONIUM MISSUM FECERIT. mendose legitur in omnibus libris vulgatis *postea quoque*.

C. 15. §. 49. ALTERIUS OPES ID QUOD MISERRIMUM EST NON EXPECTAT. falluntur qui hic aliquid mutandum censent. haec enim lectio est integra et incorrupta, et emendata, mirorque a doctis quibusdam non esse satis intellectam. comparat enim eum, qui ex divite pauper factus sit, salva existimatione, cum eo qui ignominia affectus sit, salvis et integris fortunis. et postquam ostendit, utrumque miserum quidem esse sed habere tamen aliquod suae miseriae solatium: colligit, eum esse egregie calamitosum qui famam cum bonis omnibus amiserit; qualis est is, cuius bona ex edicto Praetoris voci praeconis subiiciantur et publice veneant. aliquis, inquit, ex pecunioso et divite pauper et egens factus est. grave hoc quidem est; verumtamen dum existimatio et fama salva est, habet unde egestatem suam consolari possit. alius est, qui ignominia affectus est omnemque honestatem suam perdidit: attamen bona eius salva sunt neque ex alterius opibus vitae suae rationes suspensas habet, id est, non cogitur propemodum mendicare et aliunde cibum petere. haec est huius loci sententia, quam pluribus verbis exposuimus, ne quis auctoritatem quorundam secutus sanae parti scalpellum adhibere conetur.

Ibid. ETENIM MORS HONESTA SAEPE VITAM. ita impeditus et obscurus est hic locus, ut doctissimi homines eum esse mendosum existimarint. omnino sententiam prae se fert paene dicam secum pugnantem et, ut Graeci dicunt, ἀσύστατον. verumtamen nullum in eo mendum subest, quod illi putaverunt, neque quicquam est mutandum. sic igitur eum explico: *mors honesta saepe vitam quoque turpem exornat*, id est, si quando evenerit ut is qui turpiter vixerit honeste moriatur, puta pro patria, pro aris et focis et pro libertate mortem oppetat, talis mors vitam etiam turpem exornat. *sed vita turpis ne morti quidem honestae locum relinquit*, id est, sed non est credibile neque sperandum, eum qui turpiter vivat honeste moriturum: nam vitam turpem non nisi mors turpis consequi potest. si tamen fors ita ferat, ut qui turpiter vixerit honeste moriatur, haec mors honesta vitam ante actam, alioqui turpem, honestabit. vita autem Quinctii turpis futura est, si eius bona voci subiicientur praeconis, atque hoc modo ne morti quidem honestae locum relictura, quum ei vivo et videnti funus ducatur.

C. 16. §. 53. SI DUPONDIUS UNUS AGERETUR S. NAEVI. haec est vera et sincera scriptura, quam in codd. mss. reperi et Budaeus noster multis ante annis coniectura ductus restituerat, nisi quod *tuus*, non *unus* ut legi debet, legi posse existimaverat. quomodo et apud Rufinianum de Figuris [post Rutilium Lupum de Figuris p. Ruhnk. 203.] habet. dupondius autem valet duos asses seu duas libras aeris: as enim libram aeris pendebat.

Ibid. EO TEMPORE TU NON MODO C. AQUILLIUM. sic legendum non *ad C. Aquillium*. nam praepositio *ab* supervacanea est, nec reperitur in duobus mss.

C. 17. §. 54. EGO PRO TE NUNC HOS CONSULO. sic restitui, quum in omnibus libris et vulgatis et manu scriptis legatur *hoc consulo;* plane mendose. quemadmodum et paullo post, ubi est *quod*, reposui *quos;* quae scriptura ita recta et plana est, ut non egeat neque confirmatione neque explicatione. quid enim? ea quae statim sequuntur deliquant, ita esse legendum: *haec, inquam, quaeso abs te C. Aquilli, L. Luculle, P. Quinctili, M. Marcelle.* en tibi C. Aquillium, L. Lucullum [sic correxi *L. Lentulum*], P. Quinctilium, M. Marcellum consulit M. Tullius in aliena re, id est non sua, quos Naevius in sua re consulere neglexit.

Ibid. QUAM AD HANC RATIONEM EXTREMAM AC NECESSARIAM DEVENIRE. sic est legendum, non ut est in libris vulgatis, *extremam necessariam* sine copulatione, nec ut volunt quidam, *extremam nec necessariam.* nam *rationem extremam ac necessariam* intelligit rationem postulandi a Praetore, ut bona possidere liceat. sic infra [non hoc, sed p. 9, 17. id est C. 15. §. 48.], *ad haec extrema et necessaria iura tam cupide decurrebas, ut tibi nihil in posterum, quod gravius faceres, reservares.* et paulo ante [p. 9, 37. C. 16. §. 51.], *timide tamen et pedetentim istuc descendunt, vi ac necessitate coacti.*

C. 18. §. 56. MALITIOSUM NON NEGAS. hunc locum sane feliciter sola coniectura ductus || restitui, qui sic legitur in libris vulgatis: *num malitiosum? negas.* qua lectione quid ineptius, atque adeo a sensu Ciceronis alienius? vult enim Cicero Naevium esse impudenter et improbe et sine ulla dissimulatione malitiosum ac fraudulentum. p. 677. a.

C. 19. §. 60. DICI HOC DE P. QUINCTIO NON POTEST. haec et quae deinceps sequuntur, usque ad illa verba *quo tempore,* desiderantur in omnibus libris vulgatis, restituimus autem in mss. reperta; neque tamen reperimus ea Ciceronis verba, quae testatur Hotomanus se una cum verbis edicti reperisse, *ne hoc quidem.* neque vero sunt necessaria [v. Orell. Tom. 1. p. 19.].

Ibid. QUOD PRAETOR FIERI NON EX EDICTO SUO IUBEBAT [sic corrigenda erant et ab Orellio V. D. quae habet Lambin. p. 11, 13., ab eodem retractata quum b. l. tum inter Operarum Errata ad calcem Tom. 2. p. 848.]. mirum in modum hic locus depravatus est in codicibus vulgatis, in mss. paulo integrior reperitur. vulgati enim partim sic habent: *quod Praetor, sed ex edicto suo iubebat;* partim sic: *quod Praetor non modo fieri sed ex edicto suo fieri iubebat;* partim sic: *quod Praetor fieri, sed non ex edicto suo fieri iubebat.* quibuscum consentiunt aliquot manu scripti. alii quidam mss. habent non ita mendose: *quod Praetor non fieri, sed ex edicto suo fieri iubebat.* hanc igitur scripturam sic in integrum restituo: *quod Praetor fieri, non ex edicto suo iubebat.* natum primo mendum est ex traiectione verborum, quum librarius fortasse, qui sibi sapere videretur, inverso ordine scripsisset *quod Praetor non fieri,* pro *fieri non.* ex qua deinde scriptura haec nata est, *quod Praetor non fieri sed ex edicto.* ita hic locus miserabilem in modum depravatus est, posteaquam semel a vero et recto deerratum est, ut temeritate hominum stultitia solent propagari falsa et prava. hunc igitur locum sic a me restitutum ita declaro. haec erant edicti verba: QVI FRAVDATIONIS CAVSA LATITARIT, CVI HERES NON EXTABIT, QVI EXVLII CAVSA SOLVM VERTERIT, QVI ABSENS IVDICIO DEFENSVS NON FVERIT, EIVS BONA POSSIDERI IVBEBO. at Quinctius non latitavit, Quinctio heres extitit, Quinctius non exulavit, Quinctius absens a Procuratore suo Alpheno iudicio defensus est. quum igitur Praetor Quinctii bona possideri iubebat seu decernebat, non ex edicto suo, sed contra edictum suum decernebat; neque quisquam divinare poterat eum hoc decreturum. non igitur attinebat hoc recusare, id est, non erat opus hoc recusare; praesertim quum paratum esset aut a collega aut a Tribunis Plebis auxilium adversus iniquum decretum Praetoris. Operae male hic impresserunt *non ex edicto fieri suo*, quum ego eis praescripsissem verba hoc ordine *non ex edicto suo fieri* [hoc voluit *fieri non ex edicto suo*, vid. Retractata l. l. et cf. Scheller. Observatt. in Priscc. Scriptt. pag. 41.].

C. 20. §. 63. ITA IUBEBARE. approbata Hotomani coniectura sic edendum curavimus.

Ibid. QUAE NAEVIUS EDEBAT NON RECUSASSE. hic omissa sunt a scriptore librario verba aliquot, nempe haec: *quum satisdare iuberetur, recusasse.* occasionem huius errati ei praebuit verbum *recusasse* bis a M. Tullio positum; quum ille minus attendens ab hoc loco *non recusasse* ad alterum *recusasse*, quod sequebatur, oculis transvolasset. omissa autem esse haec verba ex eo intelligere licet, quod qui non recusabat quin iudicium acciperet Tribunorum auxilio non egebat; sed is Tribunos appellabat, qui se iudicium iccirco accipere nolle iurabat, quod sibi aequo iure cum adversario contendere non liceret. quum igitur Alphenus iudicium accipiebat, non appellabat Tribunos; sed quum satisdare a Praetore, a quo adversarius omnia iniqua impetrabat, ipse nihil aequi obtinere poterat, iubebatur, tum, inquam, ad Tribunos confugiebat.

§. 64. CUIUS PROCURATOR OMNIA IUDICIA ACCEPERIT. sic legendum, non, ut in aliis libris vulgatis omnibus, *non omnia;* quod vidit Hotomanus. idem paulo post recte iudicat, tollendam esse praepositionem *ad* ante vocem *Tribunos;* idque ex auctoritate librorum manu scriptorum.

§. 65. NON MORAE SED AUXILII CAUSA? sic est omnino legendum, quicquid alii dicant, et ita scriptum est in duobus libris mss. et in quibusdam vulgatis. sed contemnamus sane librorum veterum aliorumque auctoritatem et consensum, nisi veritas ipsa hanc scripturam postulet. hoc igitur ipsum ostendamus. hoc obiiciebat Alphenus, Tribunos Plebis ne audivisse quidem Alphenum, nedum intercessisse; atque ita Tribunos Plebis appellatos esse morandi et prolatandi iudicii, non auxilii obtinendi causa. hoc falsum esse sic probat Cicero: »Brutus Tribunus »Plebis intercessionem se dixit palam, nisi quid inter ipsum »Alphenum et Naevium conveniret.« intercessit ergo appellatio Tribunorum non morae, id est non morandi iudicii, sed auxilii causa. quod autem aiunt illi, id quod a magistratu fit inique, hoc fieri dici non more et novo exemplo, esto. sed quid hoc ad rem? hac de re non agit Cicero neque haec eius sententia est, sed hoc vult ostendere, falsum esse quod arguebat Naevius,
b. appella || tionem Tribunorum fuisse interpositam ad eludendum aut morandum iudicium, non ad auxilium implorandum. ita igitur hoc ostendit: »videturne intercessisse appellatio Tribuno»rum non morae, ut tu dicis, Naevi, sed auxilii causa, quod »licuit more maiorum, quum Alphenus a Praetore nihil aequi »impetrare posset et potentia gratiaque Naevii opprimeretur? »certe videtur.« sic loquitur M. Antonius apud M. Tullium libro secundo de Oratore [p. 166, 27. C. 64. §. 257.], *sentin' senem tactum esse triginta minis?* et item locis innumerabilibus Lucretius [II, 277.], *iamne vides igitur . . . .?* et Terentius in Prologo [Andr. 17.], *faciuntne intelligendo ut nihil intelligant?* id est, nonne faciunt intelligendo, ut nihil intelligant?

C. 21. §. 66. SE IUDICIUM IN ID QUOD EDAT ACCIPERE. primum libri omnes mss. habent *iudicium*, non ut vulgati *iudicio;* deinde ego consuetudinem Latine loquentium et ipsius Ciceronis morem secutus, praepositione *in* addita, *in id quod edat* reposui. *in id quod edat* autem, id est in ea verba, quae edat. sic enim paulo ante loquitur [p. 11, 34. C. 20. §. 63.], *iudicium quin acciperet in ea ipsa verba, quae Naevius edebat, non recusasse.*

§. 69. UT NOBILI NE GLADIATORI QUIDEM CEDERET. sic restituit Hotomanus, et recte. nam quis non videt mendosam esse lectionem vulgatam? quam tamen doctissimi quidam viri tuentur et sic explicant: utne cum gladiatore quidem nobili unquam versaretur. ego a me impetrare non possum, ut probem. quis enim unquam bonus Latinitatis auctor ita locutus est, *haerere alicui* pro *versari cum aliquo*? omnino genus est loquendi mihi quidem inauditum [vid. Pareum Lex. Crit. p. 535.]

Ibid. AN OMNES TU ISTOS VINCERE VOLEBAS. quidam legi volunt *vincere nolebas.* ego nihil muto. *vincere* autem id est superiores et victores esse.

C. 22. §. 70. NEQUE ENIM INTER STUDIUM VESTRUM QUICQUAM UT OPINOR INTERFUIT. quidam legi volunt *aliud interfuit.* ego nihil addo. nam revera nihil interfuit inter studium Naevii et Alpheni: earundem enim partium studio tenebatur nempe Mariananarum. ingenio, vetustate, artificio aliquid interfuit: Naevius enim his Alphenum superabat.

§. 71. IUDEX IPSE ARCESSETUR. duo libri mss. habent *arcebitur.* ego nihil muto.

C. 23. §. 74. QUI QUUM IPSI NIHIL DEBERETUR ULTRO QUASI EXIMIO PRAEMIO SCELERIS EXPOSITO CUPIDISSIME CONTENDERET. secutus sum quorundam doctorum virorum coniecturam, quae, ut speciosa sit, non est tamen mihi quidem plane certa aut a scrupulo vacua. nam vulgata ferri non potest. primum enim Naevius nihil Quinctiis debebat; deinde fac aliquid debuisse, si hoc sentiret Cicero, non ita loqueretur, *quum ipse ultro deberet*, sed ita potius, *quum ipse ei deberet.* postremo quid hic valet vox *ultro?* omnino haec lectio non est ferenda. Hotomanus putat deesse verbum *defendere*, ut sic legi velit, *qui quum eum ipse ultro defendere deberet* [corrige Orellium Tom. 1. p. 22.]. ego propius accedens ad scripturae veteris vestigia sic putarim potius legendum, *qui quum ipse ei ultro consulere deberet* [Orell. l. l. »*Alii*, in marg. 1584.« is est ipse Lambinus.]. *ultro* autem id est non rogatus, *αὐτεπάγγελτος.*

C. 25. §. 79. NIMIRUM INQUIT IN EO CAUSA CONSISTIT. alii libri habent, *nimium inquit, in eo causa consistit. nimium* autem interpretantur valde. ego hanc lectionem magis probo.

Ibid. ANTE DIEM QUINTUM KALEND. INTERCALARES. id est ipso die quinto ante Kalend. intercalatum, qui dies est mensis Februarii ordine vicesimus, quantumvis alii aliter dicant. fiebat enim intercalatio inter vicesimum tertium et vicesimum quartum

diem Februarii. a die igitur vicesimo mensis Februarii usque ad diem intercalatum seu usque ad Kalendas intercalares priores numerantur dies quinque, quibus continetur dies ille vicesimus et dies intercalatus. deinde a Kalendis intercalaribus secundis usque ad Kal. Martias intercedunt dies totidem, in quibus non numerantur Kalendae Martiae. ita colligere licet, diem quintum Kalendas intercalares esse vicesimum diem Februarii, praeter omnium fere sententiam.

Ibid. PRIDIE KALENDAS INTERCALARES. id est, vicesimo tertio die Februarii.

C. 26. §. 82. SI NEMO RECUSARET QUIN EX IPSIUS DECRETO ET SATISDARET ET IUDICIUM ACCIPERET. sic est legendum, etiam invitis libris omnibus. hanc enim scripturam postulat Latini sermonis consuetudo, atque ita locutus est supra, ibi [p. 6, 28. C. 8. §. 30], *non recusabat Quinctius, quin ita satisdare iuberet, si bona possessa essent ex edicto.* velim tamen hic legi, *et iudicium acciperet*, non ut vulgo *accipere vellet.* quod natum esse puto ex simili loco, qui paullo post sequitur, ibi [p. nostra 14, 20. §. 83.], *si Alphenus procurator P. Quinctii tibi tum satisdare et iudicium accipere vellet.*

C. 27. §. 84. PRAETOR TE QUEMADMODUM POSSIDERE IUSSIT? ante haec verba iussi spatium inane relinqui, ut lector minus attentus intelligat, aliquid deesse. deest autem, nisi fallor, principium tertii membri conclusionis cum brevi commonitione iudicis, hoc modo: docui, C. Aquilli, quod secundo loco pollicitus sum, ex edicto Praetoris bona P. Quinctii Naevium possidere nullo modo potuisse, quod neque fraudationis causa latitarit, neque exulii causa solum verterit, neque absens iudicio defensus non fuerit, neque bona eius venierint: ex quibus etiam id, quod erat tertium, intelligere licet, Naevium bona Quinctii non possedisse. quod tamen mihi perfacile est, ex ipsius edicti verbis ostendere: *Praetor te quemadmodum possidere iussit* [cf. annotata ab Orellio p. 25.]?

§. 85. HOC DICO. hic desiderantur ea omnia, quae ad tertium divisionis membrum, nempe Naevium non possedisse, pertinebant, et praeterea pauca quaedam ex principio epilogi.

p.678. a. || C. 28. §. 86. QUUM DESERTUM ESSE DICAT VADIMONIUM OMNINO VADIMONIUM NULLUM FUISSE. legendum fortasse est, *tum omnino.*

Ibid. QUOD NEQUE FRAUDANDI CAUSA LATITASSET. legendum fortasse est, *latitasse.*

C. 30. §. 93. NON AD VOLUNTATEM LOQUI POSSE. legendum fortasse *non ad voluptatem loqui posse.* quod Graeci dicunt *πρὸς χάριν* et *πρὸς ἡδονήν* [vid. ab Ochsnero notata ad Cic. Eclogg. Olivet. p. ed. tert. 244.].

II.

IN ORATIONEM PRO SEX. ROSCIO AMERINO.

Hanc pro Sex. Roscio Amerino orationem ante orationem pro P. Quinctio locandam puto, quoniam ante est habita, quam oratio pro Quinctio. quod ita esse quum possim pluribus argumentis demonstrare, hoc uno ero contentus. Oratio pro Sex. Roscio habita est L. Sylla etiam tum Dictaturam gerente, idque perspicuum esse potest quum ex ea ipsa oratione, tum ex iis quae scribit libro secundo de Officiis [p. 381, 31. C. 14. §. 51.], *adolescentes contra L. Syllae dominantis opes pro Sex. Roscio Amerino diximus.* at oratio pro P. Quinctio habita est vel Sylla mortuo, vel certe post depositam ab eo Dictaturam; idque intelligere licet ex eo, quod in ea dicit M. Tullius [p. 13, 20. C. 24. §. 76.], *emisti bona Sex. Alpheni L. Sylla Dictatore vendente.* non dixisset hoc, ut recte censet Seb. Corradus, Sylla aut Dictatore, aut, etiam si non Dictatore, attamen vivo. vereretur enim, ne illum denuo offenderet.

C. 3. §. 8. QUAMOBREM VIDEANTUR ILLI NONNIHIL TAMEN IN DEFERENDO NOMINE SECUTI. sic omnes quidem libri habent, sed Io. Passeratius, homo summo ingenio et summa doctrina praeditus, arbitratur legendum, *quam rem videantur illi* [*tamen in deferendo nomine*] *secuti,* deleta voce *nonnihil.* cui plane assentior.

C. 5. §. 11. OMNES HANC QUAESTIONEM TE PRAETORE DE MANIFESTIS MALEFICIIS ANTE ADMISSIS QUOTIDIANOQUE SANGUINE SPERANT FUTURAM. sic habent libri complures vulgati, *de manifestis maleficiis quotidianoque sanguine haud remissius sperant futuram,* quidam *quotidianoque sanguine aut remissius;* omnino mendose. mendum natum est ex perturbatione ordinis, quum a librario ita scriptum esset, *de manifestis maleficiis quotidianoque sanguine ante admissis.* ex hac perversa et praepostera scriptura natae sunt variae lectiones depravatae: nos coniectura ducti hunc locum in integrum restituimus.

C. 8. §. 21. HAEC BONA SEXAGIES ~~LLS~~. sestertium hac nota ~~LLS~~. et hic et alibi excudendum curavi, secutus hanc rationem, quod sestertius initio pendebat duas libras et semissem. sed quum Clemens Teveninus, homo antiquitatis Romanae studiosissimus, nuper mihi ostendisset domi meae aliquot numos perantiquos, propemodum me de vetere mea sententia deduxit. erat autem eorum numorum unus aereus hoc modo signatus *IIS.*, eum hac inscriptione *sestertius*; quae nota significat, numum

illum valere duos asses et semissem. erat et alter aereus eodem modo et inscriptus et signatus. idem duos alios argenteos mihi ostendit, quorum alter sic erat notatus *V.*, quae nota significat, eum numum valere quinque asses, id est duos sestertios seu dimidiam partem denarii; alter sic *X.*, quae nota significat valere denarium, id est decem asses seu quattuor sestertios. si quis igitur quaerat ex me, quid sentiam hac de re: respondeo, utroque modo seu utraque nota sestertium significari posse, vel hac ~~LLS~~, ut haec significet sestertium valere duos asses et semissem; vel illa, ut indicet, pependisse olim duas libras aeris cum dimidia, nempe quo tempore nondum Romani numis argenteis utebantur [ex Omissis post Tom. 4. p. 625, 1.].

§. 22. ET EA QUAE PRAETERITA SUNT REPARET. verbum *reparet*, quod deerat in vulgatis, restitui ex uno libro ms. longe optimo [cf. Gronov. Diatr. p. Hand. 293.].

C. 9. §. 24. BONORUM EMPTIO FLAGITIOSA POSSESSIO. legendum ut habet codex manu scriptus Memmii, *bonorum emptio flagitiosa, flagitiosa possessio.* omissum scilicet a librario fuerat uno loco *flagitiosa*, quum bis a Cicerone positum esset [abest ab edit. Rom. a. 1472, curata ab Adamo de Ambergau. de qua vid. Eberti V. D. Lex. Bibliograph. 1, 336. n. 4329.].

§. 25. ET HOMINES NOBILES ALLEGAT AB IIS QUI PETERENT. omnes libri vulgati sic habent *allegat iis* [Rom. a. 1472. *his*] *qui peterent;* plane mendose. nos quum in uno codice ms. scriptum reperissemus *allegabat* pro *allegat*, sciremus autem *allegat iis* non dici a Latinis, coniecturam fecimus ex illo *allegabat*, hanc esse veram lectionem, quam reposuimus, *allegat, ab iis qui peterent;* id est, qui ab iis peterent.

C. 10. §. 27. AD CAECILIAM NEPOTIS FILIAM. assentior Io. Passeratio censenti vel legendum *Nepotis sororem*, vel has duas voces, *Nepotis filiam*, esse delendas. erat enim Caecilia Balearici filia, Nepotis soror, ut intelligere licet ex illis verbis, quae sunt in epilogo [p. 36, 38. C. 50. §. 147.], *quasi vero nescias hunc et ali et vestiri a Caecilia Balearici filia, Nepotis sorore* [Gruter. p. Gronov. 224. »Lambinus *in contex»tum recepit* Hotomani coniecturam *Caeciliam Balearici »filiam Nepotis sororem.* egregie, si liceret refingere »auctores sine auctoritate exemplaris scripti. « !].

§. 28. TEMPORE IPSO PUGNARENT. Hotomanus legendum putat, *tempore ipsum oppugnarent* [operae maluerunt *pugnaret, oppugnaret;* invito Lambino.].

C. 11. §. 30. FILII VITA INFESTA SAEPE FERRO ATQUE INSIDIIS APPETITA. fortasse sic interpunctio facienda est, *filii vita infesta ferro, atque insidiis appetita.* sic enim loquuntur Latini, *mare praedonibus infestum, viae latrociniis infestae.* supra proxime, ubi libri omnes habent *bona adempta possessa direpta*, Passeratius mavult legi *bona adempta, possessio direpta.* cui assentior [vulgatae patrocinari videtur Adamiana a. 1472.].

Ibid. AN INSUTUS IN CULEUM PER SUMMUM DEDECUS VITAM AMITTERE. sic erat in libris vulgatis, *an insutus in culeum supplicium parricidarum* seu *patricidarum per summum dedecus vitam amittere.* ego haec verba, *supplicium patricidarum* seu *parricidarum,* annotatiunculam esse puto in contextum orationis a librario relatam. quare eam funditus delevi [v. ad Orat. pro Cluentio C. 14. §. 40.].

C. 12. §. 34. HOC QUIA FIT A CHRYSOGONO NON EST FERENDUM. sic habent omnes libri et vulgati et manu scripti; neque video, quamobrem haec lectio quemquam offendere debeat. quidam tamen tollendam negationem censent; alii legunt *num est ferendum*? sed errant utrique. nam et ex iis verbis, quae sunt in hac pagina [p. 21, 34., id est C. 13. §. 36.], *hominum eiusmodi perniciosam atque intolerandam potentiam primo quoque tempore extinguere atque opprimere debetis*; et ex aliis quae multis post paginis leguntur [p. 33, 16. C. 42. §. 122.], *nimiam gratiam potentiamque Chrysogoni dicimus et nobis obstare et perferri nullo modo posse,* intelligere licet significari a Cicerone, tantam liberti ‖ potentiam non esse ferendam. *b.*

C. 13. §. 35. DE HISCE OMNIBUS REBUS ME DICERE OPORTERE INTELLIGO. Io. Passeratius hic putat ordinem esse perturbatum et sic legendum: *de hisce omnibus rebus me dicere oportere intelligo, non eodem modo de omnibus, ideo quod prima illa res ad meum officium pertinet: duas autem reliquas vobis populus Romanus imposuit. quid igitur est? ego crimen oportet diluam.*

C. 15. §. 44. UT COMMODIS OMNIBUS CARERET? Hotomanus legendum putat, *et commodis omnibus careret.*

C. 16. §. 47. EXPRESSAMQUE IMAGINEM NOSTRAE VITAE QUOTIDIANAE VIDEREMUS. sic legendum, non ut in libris vulgatis, *imaginem nostram vitae quotidianae.* quod ita perspicuum est, ut mirum sit, tamdiu hoc mendum in libris haesisse. ego quidem duodecim ante annis sine codicum manu scriptorum adiumento sic in meo libro emendaram.

C. 20. §. 56. OPINOR IIS CRURA SUFFRINGANTUR. sic omnes quidem habent libri, sed doctus quidam putat legendum *opinor iis ora substringantur,* et item infra [§. 57.], *ora quidem vobis nemo substringet,* ubi legitur *crura quidem vobis nemo suffringet.* a quo dissentio. [ex Omiss. post Tom. 4. p. 625.]

§. 37. LITTERAM ILLAM CUI VOS USQUE EO INIMICI ESTIS. litteram *C* significari putat Hotomanus, quae esset *calumniae* nota seu quae significaret, accusatorem esse *calumniatum.* inurebatur autem frons calumniatorum certa aliqua nota, ignominiae causa, ut docet Adrianus Turnebus libro Adversariorum 8. c. 22.

Ibid. UT ETIAM ALIAS OMNES ODERITIS. sic edendum curavi, quorundam doctorum coniecturam secutus. significat autem, eos esse a litteris alienos et illiteratos. alii vulgatam lectionem retinent, *ut etiam illas omnes oderitis,* eadem loci sententia probata.

C. 22. §. 60. QUID EUM PUPUGISSET. libri veteres habent *pepugisset* [Rom. Adam. a. 1472. *pepigisset.* cf. Gell. 7, 9.].

C. 24. § 66. NEQUE CONSISTERE USQUAM. libri manu scripti habent, *neque cōnsistere unquam.*

C. 25. §. 70. MALEFICIO SUMMOVERENTUR. sic habent omnes libri et manu scripti et vulgati, sed Erasmus legi volebat, *maleficio summo arcerentur.*

C. 28. §. 77. QUOD IN TALI CRIMINE INNOCENTI SALUTI SOLET ESSE. Passeratius legendum putat *nocenti.*

§. 78. DUBITATE ETIAM NUNC IUDICES SI POTESTIS. quidam sic legi malunt, *dubitare etiam nunc iudices potestis, a quo sit Sex. Roscius occisus?*

Ibid. NE TAMDIU QUIDEM DOMINUS ERIT IN SUOS DUM EX IIS DE PATRIS MORTE QUAERATUR. licet haec legere per interrogationem.

C. 30. §. 83. CERTUM CRIMEN QUAM MULTIS SUSPICIONIBUS COARGUATUR. legendum fortasse est *incertum.*

§. 85. QUAM IMPLICATUS AD SEVERITATEM. nihil mutandum et recta lectio est. opponitur enim hoc *implicatus ad severitatem,* hoc est quasi per vim inflexus, illi superiori *propensus ad misericordiam.*

C. 31. §. 86. SED ET PERSPICUUM CRIMEN. assentior Hotomano, qui ita legendum censuit. nam vulgati habebant *sed eo.* Passeratius mavult legi, *sed adeo perspicuum crimen.* quod non probo [cf. Scheller. Observatt. in Prisc. Auctt. p. 44.].

§. 87. AVARITIAM PRAEFERS. *praefers*, id est prae te fers. aut legendum *prae te fers.*

C. 32. §. 89. SED AD SERVILIUM. quanquam non est mei instituti locos obscuros declarare, hunc locum tamen lubet aliquanto planiorem facere ex Adriano Iunio, qui in libris Animadversionum duos locos profert, unum ex Iulio Firmico, alterum ex Seneca, multum huic loco lucem afferentes. sic igitur Firmicus libro 1. Matheseos: *Visne aliquid tibi, quia in Syllanis temporibus versamur, de lacu Servilio referam? in quo multorum senatorum capita ad ostentationem immanissimi facinoris sectis cervicibus pependerunt?* Seneca libro singulari de Divina Providentia [c. 3. Tom. 1. p. Bipont. 233.], *Videant,* inquit, *largum in foro sanguinem et supra Servilium lacum (id enim proscriptionis spoliarium est) senatorum capita et passim vagantes per urbem percussorum greges et multa milia civium Romanorum uno loco post fidem, immo per ipsam fidem, trucidata.*

§. 91. QUI SUMMAM RERUM ADMINISTRABAT. malim legi, *qui summam rem* [non *summam rem publicam,* ut est apud Orellium V. D. p. 48. »Lambinus mavult *qui summam rem* aut »*rem publicam administrabant.*« Beck. ad h. l. Tom. 1. p. 72. vid. annot. ad I. de Invent. C. 16. §. 23.].

C. 35. §. 100. MULTAS ESSE INFAMES PALMAS. legendum puto, *multas eius esse infames palmas.* [»Lambinus post *infames* in-

»seri voluit *eius*, assentiente Garatonio.« Beck. ad h. l. Tom. 1. p. 75.!].

C. 36. §. 104. MULTA AUDACITER. sic legit Priscianus libro 15. [c. 4. §. 21. Vol. 1. p. Krehl. 625], non ut vulgo *audacter*.

Ibid. NIHIL OPUS FUIT TE ISTIC SEDERE. sic est sine dubio legendum, atque ita emendaram in meo codice annis ante quindecim, idque animadverteram et ex quattuor locis, quos iamiam proferam, et ex hoc ipso loco, qui nisi ita legatur, nulla ex eo sententia probabilis elici potest. quattuor igitur locis T. Roscio Magno obiicit, quod sedeat in accusatorum subselliis, quorum primus est p. 19. [C. 6. §. 17.]: *erant ei veteres inimicitiae cum duobus Rosciis Amerinis, quorum alterum sedere in accusatorum subselliis video, alterum tria huiusce praedia possidere audio.* alter locus est p. 28. [C. 30. §. 84.]: *tecum enim mihi res est, T. Rosci, quoniam istic sedes ac te palam adversarium esse profiteris.* tertius eadem pagina [c. 31. §. 87.]: *solus tu inventus es, qui cum accusatoribus sederes.* quartus p. 29. [C. 34. §. 95.]: *tene, quum ceteri socii tui fugerent ac se occultarent, ut hoc iudicium non de illorum praeda, sed de huius maleficio fieri videretur, potissimum tibi partes istas depoposcisse, ut in iudicio versarere et sederes cum accusatore?* conferantur nunc loci illi cum hoc: *nihil opus fuit te istic sedere. neque enim accusatore muto, neque* || *teste quisquam utitur eo, qui de* p 679. a.
accusatoris subsellio surgit. nihil profecto videat in litteris, qui ita legendum esse neget. atque eo mihi magis haec mea coniectura placet, quod idem Hotomano venit in mentem idemque probatur.

Ibid. A VOBIS CONTRA VOSMET IPSOS. legendum *a nobis contra vosmet ipsos.*

C. 39. §. 113. IGNOMINIA MORTUUM AFFECERIT . . . . . IS INTER HONESTOS HOMINES ATQUE ADEO INTER VIVOS NUMERABITUR? assentior Hotomano, qui existimat hoc loco inter verbum *affecerit* et ea, quae deinceps sequuntur, *is inter* aliquid deesse, nempe tale quiddam, *fortunis vivum everterit* vel *bonis vivum spoliarit:* nam superiori illi, quod dixit, *cui fama mortui*, hoc membrum respondet *ignominia mortuum affecerit*, alteri autem, quod proxime sequitur, *fortunae vivi commendatae sunt atque concreditae*, nihil est quod respondeat. hic igitur lacunam et spatium vacuum relinqui iussi, ut si forte aliquando ex antiquo aliquo codice expleri possit, expleatur; sin minus, hinc tamen cognoscat lector minus attentus aliquid tale desiderari, quale exposuit Hotomanus. quod utrumque quamvis mihi valde probetur, existimaverim tamen tale quiddam potius a Cicerone scriptum fuisse, *ad egestatem* seu *ad mendicitatem vivum redegerit*, ut, quemadmodum famae *ignominia*, sic fortunis *egestas* seu mendicitas opponatur.

Ibid. IN CRIMEN MANDATI IUDICIUMQUE INFAME VOCATUR. sic restitui, coniectura haud dubia ductus. *iudicium* autem *infame*

est, quod alibi turpe appellatur, ut pro Caecina [p. 226, 48. C. 3. §. 8.]: *est enim turpe iudicium, et factum quidem turpe.* et paulo ante [p. 31, 33. C. 38. §. 111.]: *itaque mandati constitutum est iudicium non minus turpe, quam furti.* turpia autem iudicia sunt, quae infamiam ei irrogant qui iis iudiciis damnatus sit, qualia sunt mandati, pro socio, tutelae, fiduciae, furti, et si qua sunt eiusmodi. malim tamen sic legi, *in minimis privatisque rebus etiam negligentia mandati in crimen iudiciumque infame vocatur.*

Ibid. PROPTEREA QUOD SI RECTE FIAT. nihil mutandum. neque vero *si* positum pro *an*, quod putavit Hotomanus, sed pro particula conditionali, ut proprie poni solet; ut sit Ciceronis sensus: negligentia, inquit M. Tullius, eius, cui negotium mandatum est, in iudicium turpe vocatur. id est, si is, cui negotium mandatum est, negligenter negotium illud administraverit, aget cum eo mandati iudicio is qui mandavit; et si probarit iudicibus, illum rem mandatam negligenter administrasse, damnatus ille ignominia afficietur. quid ita? quia si recte fiat, id est, si is, cui res mandata est, officium faciat et munere fungatur boni viri, oporteat eum qui mandavit negligere rem quam illi mandavit et, quod ad eam rem attinet, in utramque aurem dormire, in illius denique cura, diligentia ac fide acquiescere.

C. 41. §. 121. NON EST ITA PROFECTO IUDICES NON EST VERISIMILE UT CHRYSOGONUS HORUM LITTERAS ADAMARIT AUT HUMANITATEM. maneo in sententia, ut putem legendum *iudices, non est ut*, non, ut est in libris vulgatis, *non est verisimile ut.* non enim ita loquuntur Latini, *verisimile est* aut *verisimile non est ut hoc vel illud factum sit*, sed *verisimile est* aut *non est factum esse* [vid. C. G. Zumptium Gramm. L. L. 8, 40. not. 2. §. 623. et quos laudavit O. M. Müllerus V. D. ad Orat. pro Sext. c. 36. §. 78. p. 106. 7.]. contra hoc loquendi genus est Latinis usitatum *est ut, non est ut* pro *fieri*, seu *accidere potest* aut *non potest ut*, eoque et Lucretius et Horatius saepe utuntur, ut indicavimus in nostris Commentariis [ad III. Carmm. 1, 9. et I. Epp. 12, 2.]. quod quum indocti non intelligerent, vocem *verisimile* intexuerunt. ita est tamen loquutus libro 4. Accus., non longe a principio [p. 162, 3. C. 6. §. 11.], *verisimile non est ut ille homo tam locuples, tam honestus, religioni suae monumentisque maiorum pecuniam anteponeret.* nisi dicamus, etiam in illo loco *verisimile* esse alienum. quod mihi videtur [vide disputata ad h. l. et ad Orat. pro Sext. c. 36. §. 78.].

C. 44. §. 128. NULLA REDIERUNT. sic legendum, et ita scriptum est in libris manu scriptis. *nulla redierunt* autem, id est, non redierunt, nempe bona [vid. Tursellin. de Partic. p. 640.].

Ibid. REDIVIAM CUREM. sic scribitur apud Festum, non *reduviam. rediviam*, inquit ille, *alii reluvium appellant, quum*

circa ungues cutis se resolvit, quia luere est solvere [vid. Io. Matth. Gesner. Thes. L. L. Tom. 4., 108. *rem divinam* habet edit. a. 1472.].

C. 45. §. 130. HOMINIS EIUS QUI NEQUE APUD ADVERSARIOS OCCISUS NEQUE PROSCRIPTUS EST. non est dubium, quin, ut acute vidit et recte iudicavit Hotomanus, desideretur in libris vulgatis hoc membrum *neque proscriptus est* [absunt haec *neque proscriptus* et ab edit. a. 1472.].

§. 131. QUORUM NIHIL PERNICII CAUSA. sic legendum, si Gellio credimus [NN. AA. 9, 14.], ut credimus. *pernicii* autem patrius casus est antiquus a nomine *pernicies*. sic enim nomina quintae inflectebant veteres; *pernicies*, gignendi casu *pernicies* et *pernicie* et *pernicii* et *perniciei* [cf. Voss. de Analog. 2, 19. p. 337. 8.]. Charisius tamen videtur legisse *pernicies causa*, libro 1. [cf. Non. Marc. p. Gothofr. 759. Mercer. 486, 27.].

§. 132. QUI HOC IUDICIUM CONFLAVIT CUIUS HONORIS CAUSA ACCUSARE SE DIXIT ERUCIUS? multa hic desiderantur. primum totus ille locus, in quo ostendit bona Sex. Roscii venire non debuisse. deinde amplificationis principium, per quam invidiam conflat Chrysogono, ut omnium Syllae libertorum abundantissimo, copiosissimo et potentissimo. finge igitur talia quaedam a Cicerone dicta esse, ut videas, quo pertineant haec quae sequuntur ἀκέφαλα et || truncata. alii item Syllae liberti non b.
mediocres rei familiaris copias repente consequuti sunt, qui antea erant egentissimi; aedes amplissimas coemerunt, qui antea tectum quo imbris causa succederent non habebant; fundos, praedia, villas possident, quibus nuper pedem in suo ubi ponerent non erat. sed quid ad Chrysogonum? fundis illi et villis remotis et deviis, neque ita fructuosis contenti sunt: ille villas habet suburbanas opportunissimas, instructissimas ac fructuosissimas. *hi domum aptam et ratione dispositam se habere existimant, qui in Sallentinis aut in Bruttiis habent, unde vix ter in anno audire nuncium possunt.*

C. 47. §. 136. PRO ILLA TENUI INFIRMAQUE PARTE. id est, pro mea illa virili parte, pro illa mearum virium infirmitate atque imbecillitate, pro mearum opum tenuitate. male enim, qui referunt ad Marii, Cinnae, Carbonis partes.

C. 49. §. 144. SI VESTITUM QUO IPSE TECTUS ERAT ANNULUMQUE DEDIT SI OS SUUM TIBI TRADIDIT. semper hic locus fuit mihi suspectus, atque hoc ipsum quum initio voluissem lectori significare, nescio quomodo me aliis cogitationibus occupatum fugit. hic igitur nunc denique, quid de eo sentiam, ostendam. videtur mihi haec scriptura ferri non posse. nam si quis dicat *os tradere* dictum esse pro *os praebere et aspectum alterius non vitare*, non potest hoc de Roscio dici, quem supra dixit effugisse de manibus Rosciorum, et alibi, omnia sua praeter animam Rosciis tradidisse. non igitur *os suum* iis praebuit. quid igitur dicendum? ne longum faciam, legendum videtur *si omnia*

sua tibi tradidit, vel ut propius accedamus ad scripturam receptam, a qua non discrepat antiqua, *si omne suum tibi tradidit* [ex Omissis tom. 4. p. 625, 1. sed hunc ipsum locum, in extrema voluminis pagina delitescentem, ab interpretibus tantum non omnibus neglectum puto. cf. Annotata a Christ. Dan. Beckio Vol. 1. p. 91. et Thesaurum Orellianum Vol. 2. P. 1. p. 60.].

C. 50. §. 147. QUANTO HONORE IPSA EX ILLORUM DIGNITATE AFFICERETUR. fortasse legendum *quantocunque honore*. et infra [C. 51. §. 148.] mox legendum fortasse *quod summa res publica*, seu *summa res* simpliciter [vide quae supra disputantur ad C. 32. §. 91.].

III.

IN ORATIONEM PRO Q. ROSCIO COMOEDO.

C. 1. §. 3. PAULLO ANTE C. PISO M. PERPERNA P. SATURIUM ARGENTARII TABULAS POSCEBAMUS. assentior Hotomano in eo, quod hic M. Perpernam (sic enim [sic corrigendum videbatur istud *aut*] cognomento dicebatur, non *Perpenna* [vid. Gasp. Garaton. ad h. l. p. edit. Haun. 62, 3.] et C. Pisonem appellari arbitratur. in hoc non sum eum sequutus, quod P. Saturii, qui dicebat pro Fannio, nomen non putat esse a Cicerone positum, sed ita esse scriptum, *Paullo ante, Marce Perperna, Cai Piso, argentarii tabulas poscebamus.*

Ibid. ET QUO MINUS SECUNDUM EAS LIS DETUR. quidam legendum putant *lis decidatur*. sed Memmius indicavit mihi, sic loquutos esse veteres. Valerius Maximus [2, 8, 2.], *secundum te litem do.*

C. 4. §. 11. SI PARET ~~LLS~~ IOOO DARI OPORTERE. sic legendum est, non *si peteret*, ut est in vulgatis, neque *si pateret*, ut quidam volunt [vid. Drakenborch. ad Livii 9. 18, 7. Tom. 5. P. 1. p. 155.]. erat enim haec formula, *si paret Titium dare oportere*. atque in Verrinis ubicunque legitur, in iis quae ad hanc formulam pertinent *si pateret*, legendum *si pareret*. *paret* autem id est *apparet* [vide Brissonium de Form. 5, 11. p. 350. et cf. Parei Lex. Crit. p. 883.]. *patere* porro locum habet in iis, quae sunt in tabulis aut adversariis perscripta [v. Parei Lex. Crit. p. 894.].

§. 12. DARI REPROMITTIVE SI PARERET. sic legi debet, non *si peteres* (est enim haec lectio inepta et ridicula), vel *si pateret*. *si pateret* autem, videlicet *in tabulis*, id est, si esset in

tabulas relatum. sic supra loquitur [p. 38, 33. C. 2. §. 5.], *sed in adversariis patere contendit.* sic et Catullus [28, 6.], *Ecquidnam in tabulis patet lucelli Expensum?*

§. 13. INDICAVIT SIBI PECUNIAM NON DEBERI. libri scripti manu habent *iudicavit*, quam scripturam quamvis valde probem, *indicavit* tamen non reiicio [vid. ad II. de Orat. C. 71. §. 289. nec raro haec commutantur. cf. ab Drakenborchio annotata ad Livii Epit. 63. Tom. 12. P. 2. p. 356.]. ita enim saepe loquitur, infra [p. 41, 22. C. 9. §. 25.] ibi, *nam quo tu tempore illa formula uti noluisti* [sic corrigendum illud *maluisti*], *nihil hunc in societatem fraudis fecisse ostendisti.*

C. 7. §. 20. QUI UTRUMQUE NOSTIS. sic emendat Hotomanus, et recte.

§. 21. extr. FANNIUM QUICQUAM PER SUAM BONITATEM AMISISSE. sic sine dubio legi debet, quod et Hotomanus censet et mihi iam pridem in mentem venerat.

C. 8. §. 24. ET SI HOS QUAESTUS REFICERE POSSES. sic legendum est, huiusque lectionis vestigia extant non leviter impressa in libris antiquis. dicimus autem Latine *reficere* et *facere quaestum*, non *recipere*.

C. 9. §. 25. CUR NON ARBITRUM PRO SOCIO ADEGERIS Q. ROSCIUM QUAERO. id est, cur non Roscium ad arbitrum pro socio adegeris? *arbiter* pro socio autem, id est, arbiter qui datur duobus sociis, inter se iudicio seu arbitrio pro socio contendentibus. *arbitrum* porro, non *arbitrium* esse legendum pervincunt complures loci, in quibus ita loquitur M. Tullius, verbi gratia in Topicis [p. 280, 22. C. 10. §. 42.], in tertio de Officiis [p. 396, 40. C. 16. §. 66. cf. Turneb. Adversarr. 29, 36.].

Ibid. extr. IN TABULIS HABET ANNON? sic legi debet, atque huius lectionis impressa sunt in veteribus libris vestigia non obscura. denique ut sic legatur, sententia et veritas postulant. *fecit pactionem.* verba Fannii de Roscio. fecit, inquit Fannius, pactionem Roscius. respondet Cicero, habetne in tabulis hanc pactionem Roscius annon?

C. 10. §. 29. O SOCIETATEM CAPTIOSAM ET INIQUAM! sic est sine dubio legendum, non ut in libris vulgatis, *indignam*. *iniquam* autem, id est inaequalem.

C. 11. §. 32. SI FIT HOC VERO. nihil muto. recta enim et incorrupta est lectio. est autem tempus praesens pro praeterito, hoc modo: *si vero hoc fit*, id est, *si vero hoc factum est*, ~~LLS~~ ccclooo *tu quoque aufer.* Hotomanus autem legit, *si sit hoc verum.* a quo dissentio [vid. Turnebum Adversariis 29, 36.].

C. 12. §. 35. QUID ITA SATIS NON DEDIT AMPLIUS AB EO NEMINEM PETITURUM. hoc totum dicitur a Cicerone. *quid ita?* id est, quam ob rem dicis, seu quo argumento istuc probas, Roscium non de sua, sed de totius societatis lite pactionem fecisse? nam si istuc verum esset, satis dedisset Flavio, neminem amplius ab eo petiturum. nunc autem non satis dedit: ergo de sua lite dumtaxat pactionem fecit.

Ibid. QUID ITA FLAVIO SIBI CAVERE NON VENIT IN MENTEM? p. 680. a. quam ob rem ‖ non ita venit in mentem Flavio sponsores a Roscio postulare, quibus sibi cautum esset, neminem amplius eo nomine a se petiturum?

§. 37. QUO TEMPORE ABHINC ANNIS IV. [*V.* Lambinus dedit in contextu verborum Ciceronis p. 42, 47., correctum quum in Annotatione tum in Erratis Operarum p. 848.; itaque eximendum Thes. Orelliano Vol. 2. P. 1. p. 71.]. sic emendat Hotomanus, et recte. valet autem haec nota *IV.* idem quod *IIII.*, atque ex ea credibile est mendum esse natum.

C. 13. §. 38. ROGASTI UT FANNIO DARET ~~HLS~~ ccIↃↃIↃↃ. sic est emendandum. non enim, ut vidit etiam Hotomanus, credibile est Roscium integram summam Flavio pro opera et labore dedisse, nempe centum milia sestertium, sed potius ccIↃↃIↃↃ, id est quindecim milia.

§. 39. TAMENNE DIUTIUS ILLUDERE VIRI OPTIMI EXISTIMATIONI AUDEBIT? sic est legendum, deletis his vocibus *Q. Roscii*, quae ex ora libri in contextum orationis translatae fuerant, ut recte iudicat Hotomanus.

C. 14. §. 42. HOMO CLARISSIMUS EST. legendum fortasse est *homo castissimus est.*

C. 18. §. 53. QUI PER SE LITIGAT. legendum videtur *qui pro se litigat*, et item mox, *qui pro se litem contestatur.* opponit enim inter se eum qui pro altero litigat, nempe cognitorem, et eum qui pro se litem contestatur.

Ibid. QUUM SUO NOMINE PETIIT QUOD ABSTULIT TIBI NON SIBI EXEGIT? sic legendum est, et ita emendaram in meo codice multis ante annis. meo autem iudicio hoc magis delector, quod idem Hotomano probari video. hoc tantum inter meam et illius coniecturam interest, quod addo adverbium temporis *quum*, ibi *quum suo nomine petiit.*

C. 18. §. 56. QUOD SI ITA EST QUAE MALUM STULTITIA FUIT ROSCII QUI EX IURIS PERITORUM CONSILIO ET AUCTORITATE RESTIPULARETUR. sic emendavimus et ita legi debet, non, ut in libris vulgatis, *quae, malum, stultitia fuit? Roscius.*

IV.

IN DIVINATIONEM DE ACCUSATORE IN C. VERREM CONSTITUENDO.

C. 1. §. 1. AD ACCUSANDUM DESCENDERIM. sic habent omnes libri manu scripti, et ita habuit in suo libro etiam Asconius Pedianus, ut ex eius verbis intelligere licet [p. edit. Gronov. 243.]. ait autem hoc toto capite speciem soloecismi contineri, nisi addas *et* aut *idem*, ut sit *et subito.* quare, inquit, multi

legunt *descendere*, quomodo habent hodie multa exempla. sed Io. Passeratius vir doctus admonuit me, *descenderim* nulla re subintellecta legi posse et debere. itaque *miratur me* legendum esse coniunctim [cf. M. Antonium Muretum VV. LL. 17, 9. Operum Tom. 2. p. Ruhnken. 423. 4.].

C. 2. §. 4. QUI OPEM A ME ATQUE AUXILIUM EXPECTASSENT. libri manu scripti habent *petissent*. ego tamen nihil muto.

§. 5. extr. MANERE IN INSTITUTO MEO VIDEOR. quidam libri manu scripti habent *manere in instituto* [*meo?*] *video me*.

§. 6. extr. QUIS TANDEM ESSET. Hotomanus legit *quis tamen esset*.

C. 3. §. 10. extr. ET QUEM MINIME VELIT. libri manu scripti habent *et quem maxime*. unde suspicor legendum, *et quem maxime nolit is*, *qui eas iniurias fecisse arguatur*.

C. 4. §. 11. PER TRIENNIUM DEPOPULATUS ESSE. legendum putant quidam *depeculatus esse*.

§. 15. ME POTISSIMUM ESSE DELECTUM. libri veteres fere omnes habent *dilectum*. de quo saepe admoneo lectorem, ut meminerit *dilectum militum* a *dilego* dixisse veteres, non *delectum* [vide disputata ad II. de Orat. c. 9. §. 36.].

C. 5. §. 19. SENATI POPULIQUE ROMANI. sic reposui Charisii auctoritate fretus, qui ita legit libro 1. [p. Putsch. 115. cf. Gerard. Io. Vossium de Analog. 2, 17. p. 331. 2.].

C. 7. §. 22. AT ENIM SOLIDUM ID EST UT ME SICULI MAXIME VELINT. secutus sum libros aliquot manu scriptos et quorundam virorum doctorum auctoritatem, qui sic legi volunt. *solidum* autem interpretantur firmum et stabile et quod infirmari non possit. verum ut dicam quod sentio, ne haec quidem lectio satis tuta est. primum enim hoc loquendi genus Ciceroni est inusitatum; deinde codices alii manu scripti, in his Memmiani, habent *solum*, et multi item vulgati. neque tamen eam scripturam magis, quam hanc probare possum. est enim, ut ego quidem arbitror, mutilata et imperfecta, et fortasse deest vox *perspicuum*, ut sit ita legendum, *at enim solum id perspicuum est, ut me Siculi maxime velint*. quanquam vellem ita a Cicerone scriptum esset, *at enim solum id perspicuum est, Siculos me maxime velle* [cf. ad Orat. pro Sex. Roscio Amerino C. 41. §. 121.], aut [non *et*] *cur me Siculi maxime velint* [Beck. V. C. Vol. 1. p. 132. »Lambinus recepit quidem *solidum id est cur me*, »sed mavult reponi *at enim solidum id perspicuum est cur*; pro»pter oppositum *obscurum*, vel plura etiam mutat.«].

§. 23. ET AMICUS EIUS TIBI SUFFRAGATUR ME OPPUGNAT. VOX Hortensius abest ab omnibus libris manu scriptis.

C. 12. §. 39. extr. ET ORATIONE EXPONERE. quidam libri manu scripti habent *expromere* [sed haec non raro in libris confundi quum alii docuerunt, tum Drakenborchius ad Livii 7. 31, 8. Tom. 4. P. 1. p. 257.].

C. 14. §. 46. POTERISNE EIUS ORATIONIS SUBIRE INVIDIAM? sic reperi scriptum in codicibus antiquis Memmianis. verumtamen non est dissimulandum, Asconium [p. Gronov. edit. 250.] legere *subire invidiae.* Nonius autem [Aldi, non Merceri p. 404, 4.] *subire orationem.* tanta fuit etiam temporibus illis scripturae varietas!

Ibid. PRAESTINGUAT ACIEM INGENII. *praestinguat* id est, ut Nonius interpretatur [4, 381. p. Mercer. 373, 31.], *obtenebret, obscuret.* sed de hoc verbo, quod prope intermortuum linguae Latinae restituimus, plura diximus in Commentariis Lucretianis [ad 3, 1057. vid. annotata ad IV. Herenn. C. 50. §. 63.].

§. 47. QUEM TIBI MAGISTER LUDI NESCIO QUI. sic legit Nonius in verbo *componere* [4, 68. p. Mercer. 257, 24.], non ut vulgo *nescio quis.*

b. Ibid. || IN HAC PRAELUSIONE [sic operae dederunt p. 51, 19., correctum a Lambino in Erratis p. 848.]. legendum *prolusione*, ut est in omnibus libris manu scriptis et plerisque vulgatis, et ita edi iusseram. Varro libro 5. de Lingua Latina [c. 7.], pro *idem valet quod* ante, *ut in proludo, pronuntio. praelusione* autem amici cuiusdam mei coniectura est, quam neque nunc probo neque unquam probavi, sed tamen eam annotaram e regione huius loci, ut de ea amplius cogitarem.

C. 15. §. 49. EX ILLO GREGE MORATORUM. libri scripti alii habebant *meritorum*, alii *mercatorum*, alii *meatorum*, alii *morcutorum.* nos *moratorum* reposuimus, quod antea Cuiacius [Observatt. 4, 39 cf. Gronov. Notis ad h. l. p. 251. 2.]

C. 17. §. 56. SI PARERET EAM SE ET SUA VENERIS ESSE DIXISSE. sic legendum esse docuimus supra Annotationibus in Orationem pro Quinctio [non hoc, sed in Orat. pro Q. Roscio Comoedo p. 39, 17. C. 4. §. 11.].

§. 57. MAGNAM PARTEM AD SE AVERTIT. legendum fortasse est *averrit*, quoniam supra dixit factum esse Verrem [quod nomen et *hominem* et *suem* notat] et ad se redisse atque ad mores suos.

C. 20. §. 65. ATQUE AMICORUM POPULI ROMANI CAUSA COMPARATA SIT. non displicet mihi scriptura in antiquo libro reperta, *atque amicorum populi Romani patrona sit.* verumtamen non putavi mihi vulgatam reiiciendam, praesertim et probabilem et librorum quorundam manu scriptorum auctoritate confirmatam.

§. 66. IN AMICITIAM POPULI ROMANI DITIONEMQUE ESSENT. quidam legunt *venissent.*

§. 67. M. SILANO DIEM DIXISSE. sic est legendum, quemadmodum recte existimat Hotomanus, non ut est in libris vulgatis, *D. Silano* [vid. II. Accus. C. 47. §. 155.].

V.

IN PROEMIUM SEU PRINCIPIUM ACTIONIS PRIMAE IN C. VERREM.

C. 3. §. 10. QUOD PR. ROM. id est, *quod Praetor Romanus.* sic autem legit Asconius, et in nonnullis libris manu scriptis ita scriptum reperi.

C. 4. §. 10. TOT VITIIS FLAGITIISQUE CONVICTAM. quidam libri manu scripti habent *coniunctam* [vid. Drakenborch. ad Livii 2. 40, 13. Tom. 1. P. 2. p. 342., et cff. annotata ad Orat. C. 13. §. 40.] ego tamen nihil muto.

§. 11. OMNIA FANA DEPECULATUS EST. quidam libri calamo exarati habent *depopulatus est*; quemadmodum et non multis post versibus [p. 57, 5. C. 5. §. 14.], ibi, *sanctissimis religionibus consecrata depeculatus est*, habent iidem libri *depopulatus est.*

C. 7. §. 19. ET EI VOCE MAXIMA VICTORIAM GRATULATUR. a quibusdam libris manu scriptis abest vox *victoriam.* ego censeo retinendam, nec tamen, si tollatur, multum de sententia huius loci detrahatur.

C. 8. §. 21. ILLIS IPSIS DIEBUS. Asconius legit *his paucis diebus.*

C. 12. §. 36. INIMICUM ODIOSUM ACCUSATOREM ASSIDUUM. sic restituit Memmius, in quo nihil praeter ordinem verborum immutatum est.

C. 13. §. 38. ANNOS PROPE QUINQUAGINTA CONTINUOS NULLO IUDICE EQUITE ROMANO IUDICANTE. quidam legendum putant *nulla iudice equite Romano iudicante.* ego nihil mutandum censeo. quodsi quis probaret illorum sententiam, aut essent alia quoque mutanda aut aliquid esset addendum. nam vel ita legendum esset, *nulla iudicibus equitibus Romanis iudicantibus;* vel ita, *nulla ullo iudice equite Romano iudicante.* liceret etiam demere utrobique voces *iudicibus* et *iudice*, hoc modo, *nulla equitibus Romanis iudicantibus*, et *nulla ullo equite Romano iudicante.*

Ibid. MINORIS ~~LLS~~ TRICIES. sic restituimus ex Asconio. alioqui legendum sic esset, ~~LLS~~ CCCCIↃↃↃ CCCCIↃↃↃ CCCCIↃↃↃ, quod idem valet. nam hae notae significant tricies centum milia sestertium numum. quae summa quum sedecim iudices essent corrumpendi (tot autem essent corrumpendi ad reum nocentem absolvendum, si triginta iudices sederent), si distribueretur in singulos iudices, pervenirent ad singulos circiter centum nonaginta sestertium numum milia.

§. 39. C. VERRE PRAETORE URBANO SORTIENTE. recte Hotomanus putat vel *subsortiente* legendum esse, vel *sortiente* positum

pro subsortiente. significat enim subsortitionem iudicii Iuniani, de qua fit mentio in Cluentiana [p. 267, 38. C. 33. §. 89.].

C. 16. §. 46. VIDENT ADHUC POST LEGEM TRIBUNICIAM UNUM HOMINEM VEL TENUISSIMUM ESSE DAMNATUM. sic restitui ex Asconio.

§. 47. extr. NON GRATIA NON COGNATIONE NON ALIIS RECTE FACTIS NON DENIQUE ALIO MEDIOCRI VITIO TOT TANTAQUE EIUS VITIA SUBLEVATA ESSE VIDEBUNTUR. legendum censeo vel invitis libris omnibus, *non ullis recte factis. gratia* enim et *cognatio* non sunt *facta*, nedum *recte facta.* necesse autem esset saltem esse facta, si *aliis* legeretur. nisi dicamus *recte facta* referri ad *vitia*, quod est supra. id quod est tutius.

C. 17. §. 50. HOC IDEM IUDICES OPTO. sic habent codd. mss., quos sequutus sum potius quam vulgatos, in quibus legitur *peto. opto* autem idem fere valet quod *εὔχομαι. εὔχομαι* autem duo significat et *precari* et *optare*, quoniam utrumque huic loco convenit.

C. 18. §. 54. IN OBLIVIONEM DIUTURNITATIS ADDUCTA SIT. lege, *diuturnitate adducta sit* [et sic correctum in Erratis Operarum Tom. 2. p. 848., quam correctionem neglexerunt quum alii tum Orellius V. D.].

§. 55. ILLUD A ME NOVUM IUDICES COGNOSCETIS QUOD ITA TESTES CONSTITUAM UT CRIMEN TOTUM INTERROGANDO EXPLICEM [aut certe *explicem interrogando.* sic enim repositum ab Lambino in Erratis p. 848.] UBI ID ARGUMENTIS ATQUE ORATIONE FIRMAVERO TUM TESTES AD CRIMEN ACCOMMODEM. Hotomani coniecturam, quae ita nobis certa visa est, ut nihil contra dici possit, pro-
p. 681. a. bavimus et secuti sumus. o ‖ mnino sic esse legendum declarat hic locus, quem ille profert ex primo Accusationis libro [p. 67, 25. C. 11. §. 29.], *etenim sic me ipsum egisse memoria tenetis, ut in testibus interrogandis omnia crimina proponerem et explicarem.*

VI.

IN ACTIONIS SECUNDAE SEU ACCUSATIONIS IN C. VERREM LIBRUM PRIMUM.

C. 2. §. 5. ET UT QUUM HAEC RES PRO VOLUNTATE POPULI ROMANI ESSET IUDICATA FINIS ALIQUANDO IUDICIARIAE CONTROVERSIAE CONSTITUERETUR. neque potui neque debui Hotomani sententiam sive *εὐστοχίαν* potius in hoc loco restituendo, qui perturbatione ordinis erat depravatus, aspernari. nam vel Cicero hic non fuit Cicero, vel eo ordine, quo ille voluit, haec verba sunt legenda [cff. M. Antonius Muretus VV. LL. 19, 12. Operum Tom. 2. p. Ruhnken. 489. 90., Io. Frid. Gronovius Observatt. 3, 6. p. Lips. edit. 363. 4., Imm. Io. Gerh. Schellerus Observatt. p. 49.].

C. 6. §. 16. DEVERTI POTIUS. libri omnes manu scripti sic habent, non *diverti*.

C. 7. §. 19. QUIS TAM INIMICUS HUIC ORDINI FUIT. aliquot libri manu scripti habent, *quis tam iniquus*, et proximo versu *qui non aspectu*, ubi vulgati *qui non conspectu*.

C. 10 §. 27. DISSIMULAMUS HORTENSI QUOD SAEPE EXPERTI IN DICENDO SUMUS. videntur haec esse legenda per interrogationem [itaque inserenda Orellianis Vol. 2. P. 1. p. 110].

Ibid. QUI ILLAM HEREDITATEM VENERI ERYCINAE COMMISSAM ESSE DICERENT. hunc locum profert Nonius in verbo *committo* [4, 43. p. Mercer. 248, 21.].

C. 14. §. 36 (37.). ACCEPI INQUIT VICIES DUCENTA TRIGINTA QUINQUE MILIA. totus hic locus magna ex parte corruptus erat in libris omnibus mss. et vulgatis, minus tamen in vulgatis quam in iis manu scriptis, quibus usus sum. ego autem eum emendavi, primis cum mediis et mediis cum ultimis comparatis. acceperat igitur Verres vicies centum milia sestertium et ducenta triginta quinque milia, quadringentos septemdecim numos. dedit stipendio, frumento, legatis, pro Quaestoribus, cohorti Praetoriae ~~LLS~~ decies centum milia et sexaginta triginta quinque milia, quadringentos septemdecim numos. reliquit Arimini ~~LLS~~ sexcenta milia. subduc nunc rationes et confer summas singulas cum universa: reperies pares esse. non Archimedes melius describat.

C. 15. §. 38 (40.). TOTAM VITAM PERICULOSAM INSIDIOSAM INFESTAMQUE REDDEMUS. sic restitui, quum reperissem in libris mss., *periculosam, invidiosam infestamque reddemus*.

C. 16. §. 42 (44.). EOSQUE AMBO. quamobrem veterem scripturam *eosque ambo* reiicerem, nulla causa visa est. sic enim etiam loquebantur Latini *eos ambo* pro *eos ambos*, *duo* pro *duos*. exempla notissima sunt [vide Gerh. Io. Vossium de Anal. 2, 6. p. 267. 8.].

C. 17. §. 45 (47. Beck.). AD HANC ISTIUS CUPIDITATEM DEMONSTRANDAM SERVATUS. libri tres manu scripti habent, *cupiditatem demonstrandam separatus*. ego nihil muto et vulgatam lectionem tueor, quanquam alteram non damno.

C. 18. §. 48 (50.). CONFUGISSE DELUM. sic habent tres libri manu scripti Memmiani, quomodo tamen esse legendum sine libris mss. coniecerat Hotomanus: tanta est eius sagacitas atque εὐστοχία.

C. 19. §. 49 (52.). TENEM IPSUM QUI APUD TENEDIOS [num *apud ipsos?* sic enim lemma praemissum annotationi, sed neglectum ab interpretibus.] SANCTISSIMUS DEUS HABETUR. Servius in librum 2. Aeneidos [v. 20. Tom. 2. p. Burm. 193.] hunc locum profert ad illum locum, *Tenedos notissima fama* »Cicero Verr. »*Tenem ipsum cuius ex nomine Tenedos nominatur.*« ubi videmus multa a Servio esse praetermissa. unde quidam suspicantur, haec omnia, *qui apud eos sanctissimus deus habetur, qui*

urbem illam dicitur condidisse, non esse Ciceronis. sed errant, proferunt enim grammatici ex auctoribus ea, quae ad rem pertinent, cetera omittunt. sic Charisius libro 2. ex Miloniana [p. 553, 22. C. 24. §. 64.], *ut sustinuit? immo vero ut contempsit?*

§. 51. (56. B.) QUOS IN HORUM LOCUM SUBSORTITURUS ERAS. sic est necessario legendum, idque, praeterquam quod ratio hanc lectionem postulat, etiam ex Pediano intelligere licet.

C. 21. §. 56 (60.). P. SERVILIUS VIR CLARISSIMUS MAXIMIS REBUS GESTIS ADEST DE TE SENTENTIAM LATURUS EST. duo libri mss. habent, *adest de te sententiam laturus.* quemadmodum et deinceps proxime *Olynthum*, non *Olympum* [quae est P. Manutii coniectura, probata Lambino]. et item tertio post versu.

§. 57 (61.). extr. NOTATA ATQUE DESCRIPTA. libri duo mss. habent, *notata atque perscripta.* verum sive *descripta* sive *perscripta* legi placeat, legendum videtur *notatam atque descriptam* seu *perscriptam*, ut cohaereat cum voce *praedam.* atque ita scribenda erit distinctionis nota post vocem *furta* [etiam cum postremis et verba et adiectiva non minus recte construi docet Gasp. Garatonius p. Haun. 177.].

C. 22 §. 58 (62.). FORUM COMITIUMQUE ADORNATUM. vox *adornatum* videtur mihi supervacanea. credibile quidem est, eam ex annotatiuncula esse natam, quum lector aliquis interpretari vellet illud *ad speciem.*

§. 60 (64.). ❊CUM IMPERIO ET SECURIBUS.❊ hoc totum neque ego reperi in codicibus Memmianis mss., neque Hotomanus in suis. atque ut reperiantur, delenda sunt tamen. legatus enim neque imperium neque secures habebat, ut recte admonet Hotomanus [Orell. Vol. 2. P. 1. p. 119. »ex Asconio L. Man., probante Garatonio.« additamentum vel ex Asconio vel aliunde unus recepit Manutius, post Abr. Wielingium LL. Iur. 1, 5. accurate defendit Garatonius p. 178. sqq.].

C. 25. §. 64 (71.). NE QUID IN SE OFFENDERIT. alii aliter, ego sic hunc locum restituendum censeo. nam *ipso*, quod est in vulgatis, aliunde irrepsit, nempe vel ex declaratione ad oram
b. libri adscripta vel supra prono || men *se* scripta natum. *offenderit* autem, videlicet Verres; *in se*, nempe in Philodamo.

Ibid. PARUM LAUTE DEVERSARI. libri mss. omnes habent *deversari*, et ita sine varietate, ubicunque vulgati habent *diversari.*

§. 65 (72.). TAMETSI ERAT IGNARUS. sic est legendum, non, ut est in libris vulgatis, *non ignarus* [*tametsi* sive *tamen etsi non erat ignarus*]. atque ita legitur apud Nonium in v. *constituere* [4, 112. p. Merc. 273, 14]. quod iam pridem admonuit P. Victorius [nempe VV. LL. 5, 10. docet Victorius legendum esse *tametsi non erat gnarus*, ut recte habet Muretus VV. LL. 5, 8. Thes. Crit. Gruter. Vol. 2. p. 967. Muretum corrupit magnus Ruhnkenius Opp. Tom. 2. p. 102., nuper castigatus a Faesio V. D. Tom. 2. p. 304. de particula *tamen etsi* Ciceroni pluri-

bus locis restituenda vid. eundem Muretum VV. LL. 11, 17. p. Ruhnk. 268. 9.].

C. 26. §. 65 (73.). QUOS EI COMMODUM SIT INVITET. Nonius videtur legisse, *quos ei commodum siet* [v. *invitare* id est 4, 240. p. Mercer. 321, 3.].

§. 66 (75.). ENIMVERO FERENDUM HOC NON EST. profert hunc locum Donatus in Andria [1. 1, 64.].

C. 27. §. 70 (80.). NEQUE ADHUC CAUSAM ULLAM EXCOGITARE POTUIT QUAMOBREM COMMISERIT AUT QUID EVENERIT UT IN TANTUM PERICULUM VENIRET. nihil mutandum. nam quod quidam ita legi volunt, *quamobrem evenerit aut quid commiserit*, falluntur. sequi enim deberet, *cur in tantum periculum veniret.* sic potius legendum putarem, *quid commiserit aut quid evenerit, quamobrem in tantum periculum veniret.*

C. 30. §. 77 (91.). IAMIAM DOLABELLA ME NEQUE TUI NEQUE TUORUM LIBERORUM QUOS TU MISEROS IN EGESTATE ATQUE IN SOLITUDINE RELIQUISTI MISERERE POTEST. sic restitui partim ex Asconio, qui hunc locum profert in Divinatione [p. edit. Gronov., quautor, 248, 1. Ciceronis locus est p. Lambin. 48, 33. nobis C. 7. §. 24.], partim ex codicibus Memmianis. apud Asconium autem legitur *miseret*, in codicibus vero manu scriptis *miserere potest.* hoc tantum inter Asconium et libros illos interest. *miserere potest* autem sic dictum, ut si quis dicat *poenitere potest, pigere* aut *pudere debet.* est enim infinitivus ab impersonali verbo *miseret.*

C. 31. §. 78 (92.). CUPIDITATIQUE PARUERIT. legendum fortasse est *patuerit* [vid. Drakenborch. ad Livii 5. 33, 7. et cf. annotata ad Orationem pro Roscio Comoedo C. 4. §. 11.].

§. 79 (93.). RECITA EX VERRIS LITTERIS AD NERONEM. haec vidit desiderari Hotomanus, cui qui non in hac re assentiatur, eum vel malevolum vel indoctum putarim.

C. 34. §. 86 (104.). NAM QUID MILESIIS LANAE PUBLICAE ABSTULERIT. fortasse legendum *publice.*

§. 87 (105.). USQUE AB DIANIO QUOD IN HISPANIA EST. possit aliquis suspicari, et haec verba *quod in Hispania est*, et haec *quae in Ponto est*, e libri crepidine in contextum verborum esse translata. quis enim tum nesciebat, *Dianium* esse in Hispania, *Sinopam* in Ponto?

C. 36. § 92 (113.). ~~LLS~~ QUADRINGENTA MILIA EXPENSA CHRYSOGONO SERVO ~~LLS~~ SEXCENTA MILIA ACCEPTA PUPILLO MALLEOLO RETULIT. sic restitui hunc locum ex Asconio, quem miror a doctis quibusdam non satis esse intellectum, quum alioqui non obscure eam scripturam, quam ego restitui, sequatur et referat. quin ut huius scripturae nulla essent apud Asconium argumenta aut vestigia, tamen ratio ipsa, quae multo plus valere debet, vinceret ita legendum esse. Verres igitur dixerat, se pecuniae pupilli ~~LLS~~ decies, id est sestertium decies centum milia deportasse. quum haec pecunia esset reddenda pupillo, ait se Ver-

res ⊕ quadringenta milia Chrysogono Malleoli Quaestoris servo expensa tulisse, sexcenta pupillo accepta referre. en tibi illa decies centum milia expleta atque exaequata! nempe et quadringenta se expensa tulisse dicit Chrysogono, et sexcenta se pupillo debere fatetur. quadringenta milia et sexcenta milia efficiunt summam illam, decies centum milia. hoc illud est quod dicit, sexcenta milia reliqua facta cum quadringentis expensis Chrysogono latis quadravisse ad explendam summam illam integram ⊕ decies.

Ibid. QUOMODO EX DECIES ⊕ SEXCENTA MILIA RELIQUA SINT FACTA UT ILLA DE CN. CARBONIS PECUNIA RELIQUA ⊕ SEXCENTA SUNT FACTA QUOMODO HAEC DC EODEM MODO QUADRARINT QUOMODO ⊕ QUADRINGENTA MILIA CHRYSOGONO EXPENSA LATA SINT CUR ID NOMEN INFIMUM IN LITURAQUE SIT VOS EXISTIMABITIS. locus est, mea sententia, facilis ac planus. significat enim hoc tantum, Verrem pecuniam Malleoli manifesto furatum esse, qui, quum se decies ⊕ ei debere fassus esset, primum falso ⊕ quadringenta milia Chrysogono eius servo expensa tulerit, deinde sexcenta milia, quae reliqua essent facta ex ⊕ decies, pupillo tota non solverit, sed multo maximam partem averterit, siquidem quinquaginta milia dumtaxat ei solverit. quodsi legamus, *quingenta milia soluta non sunt*, ut vult Hotomanus, intelligentur centum milia a Verre esse aversa et detracta de pecunia pupillo debita. supra autem [p. 68, 31. id est C. 14. §. 36.] in rationibus Quaesturae et pecuniae publicae referendis, quum Carboni Quaestor fuisset, sic scripserat Verres, *reliqui Arimini ⊕ sexcenta milia.* et hoc quod hic dicit, *ut illa de Cn. Carbonis pecunia reliqua ⊕ sexcenta sunt facta.* ita hic locus est intelligendus. nam alii hic mire vaticinantur et somniant.

C. 37. §. 93 (115.). EN MEMORIA MORTUI SODALIS. libri duo manu scripti habent, *en memoriam mortui sodalis, en metum vivorum existimationis* [vid. Sanctium Min. 4, 2. Tom. 2. p. 218. Ruddimann. Instt. Gramm. Lat. Tom. 2. p. 315.].

Ibid. QUAE MISERAE FLENTES. liber unus manu scriptus habet, *quae misere flentes.* quae scriptura non est reiicienda [nec dubitavit ita reponere Beckius V. D. sed cf. ab Orellio notata p. 129.].

C. 38. §. 96 (117.). CONSISTAM IN UNO NOMINE. quidam legi volunt *in uno crimine.*

C. 41. §. 106 (132.). QUID POTIUS NON MODO HIS TEMPORIBUS SED ETIAM APUD MAIORES NOSTROS? nihil muto, neque assentior iis, qui legi volunt *quis potius*, etiamsi adiuventur a codicibus veteribus. per haec verba autem significat Cicero nihil potius aut a Verre aut ab alio fieri posse, quam cupiditati hominum obviam ire, *praesertim his temporibus*, inquit, corruptis scilicet et luxurie perditis.

C. 42. §. 108 (134.). TESTAMENTARIA NUMMARIA CETERAE COMPLURES. vocem *Cornelia*, quae ex annotatione nata in contex-

tum verborum ab indocto librario coniecta erat, delevi. nam (quod et Hotomanus vidit) testamentaria et nummaria ambae erant Corneliae.

Ibid. AD PRAETOREM PERTINEAT. || quum in libris duobus mss. ita scriptum reperissem *ad PR*, ego facile conieci ita legendum *ad Praetorem* seu *ad Praetorem Romanum*, non, ut est in vulgatis, *ad populum Romanum*. sola enim Perduellionis quaestio populo relicta fuit, ceterae ad Praetores Urbanos, qui et Quaestores dicebantur, translata sunt [Orell. p. 132. »*ad Praetorem* Hotomani et L. suspicio non recepta.« id unde haustum sit, equidem ignoro.]. sic paullo post vocem *Fuffias* seu *Fufias* sustuli [edebatur *Furias Fuffias* sive *Fufias*, item *Furias Fussias* sive *Fusias* cf. annotata ad I. de Orat. C. 39. §. 179.], ut natam ex religione librarii, qui, quum ad oram libri annotatam videret ab aliquo lectore vocem *Fuffias* seu *Fufias*, eam putans deesse coniecerit in contextum et ordinem verborum. nam plane nulla lex est Fufia. *Furia* autem de Testamentis, ne quis supra mille asses legare posset, lata est a C. Furio Tribuno Plebis [cf. Wieling LL. Iur. 2, 18.]. p. 682. a.

C. 43. §. 110 (136.). QUOD PER LEGEM VOCONIAM EI QUI CENSUS NON SIT LICET. sic habent libri omnes mss., et ita legendum puto, quamvis dissentiant docti quidam, in quibus est Hotomanus. sed ego eos falli arbitror. nam primum ex sententia legis Voconiae licet intelligere, quemadmodum lex illa vetuerat, eum qui census esset mulierem suis bonis heredem instituere, ita vetuisse mulieri plus legare, quam ad heredem perveniret. rursus autem, ut ei qui census non esset per eandem legem licebat mulierem heredem instituere, ita et mulieri plus quam ad heredem perventurum esset, legare per eandem legem poterat, qui non census esset. at si hic legeretur *qui census sit*, non valuisset eadem ratio in legato atque in hereditate, quum ei qui census esset instituere quidem heredem mulierem liceret, legare autem mulieri plus quam ad heredem perventurum esset [non] liceret. praeterea ex verbis M. Tullii, quae sunt supra in principio huius narrationis, cognoscere licet, legendum esse *census non sit*. sic enim ille [p. 79, 36. C. 41. §. 104.], *is quum haberet unicam filiam neque census esset, quod eum natura hortabatur, lex nulla prohibebat, fecit ut filiam bonis suis heredem institueret.* Verres igitur in eo legem Voconiam sequutus, quod mulieribus adversabatur, in eo non sequutus, quod etiam eum, qui non census esset, vetabat heredem mulierem instituere, idque etiam in praeteritum, de legato nihil edixerat, in quo eadem ratio valebat. quo facto satis signi dederat, se dedita opera et pretio accepto edictum suum composuisse, ut ab Annii filia ad secundos heredes hereditatem transferret. quum haec iam scripsissem, cognovi Hotomanum sententiam mutasse.

C. 44. §. 114 (143.). UTI PROXIMUM QUEMQUE POTISSIMUM HEREDEM ESSE OPORTERET ITA SECUNDUM EUM POSSESSIO DARETUR. hoc

totum, quod erat ex Asconii verbis natum atque adeo ad verbum ab eo huc translatum, *si is intestatus mortuus esset*, delevi. valent enim haec quidem verba ad illa declaranda, *uti proximum quemque potissimum heredem esse oporteret*, sed non iccirco sunt in contextum orationis recipienda, imo ut aliena reiicienda. quod et Hotomanus vidit.

C. 45. §. 115 (144.). AUT PRO PRAEDE [sic correxi istud *praedae*, commentum operarum. v. Beckium V. D. p. 229.] LITIS VINDICIARUM QUUM SATIS ACCEPISSET. dissentio ab Hotomano, qui putat hoc loco vocem *litis* esse supervacaneam et aliunde illatam. quamquam video eum postea sententiam mutasse, existimare hoc tantum, *et* pro *aut* reponendum.

§. 116 (145.). TANTUM QUOD HOMINEM NON NOMINAT. sic legendum, neque quicquam mutandum. *tantum quod* autem, id est *hoc tantum quod, commodum, tantummodo, nihil nisi*. sic Accusationis libro 3. [p. 140, 40. C. 53. §. 124.], *tantum quod aratoribus Metellus obsides non dedit, se nulla in re Verri similem futurum*. idem libro 7. Epistolarum ad Familiares [p. 79, 20. ep. 23.], *tantum quod ex Arpinati veneram, quum mihi a te litterae redditae sunt*. Lucretius libro 2. [v. 220.], *tantum quod nomen mutatum dicere possis* [vid. Io. Fr. Gronov. ad Livii 33. 4, 6. Tom. 9. p. repet. edit. 784. 5. et Gunther. Lat. Rest. 2, 179., ab Heusingero laudatos ad Nepotis Datam. 6, 5. p. 148. adde Pareum Lex. Crit. p. 1231.].

C. 47. §. 122 (152.). IN PROSPECTUM POPULI ROMANI PRODUXIT. quidam legendum hic putant *in aspectum*, ut infra eadem oratione [p. 83, 45. C. 49. §. 129.], *in oculis quotidianoque aspectu populi Romani*. a quibus dissentio.

C. 50. §. 130 (164.). L. SYLLA Q. METELLO CONSULIBUS. sic legendum est, non *Censoribus*, quantumvis licet reclamet Hotomanus. eidem hoc assentior, quod paucis post versibus legendum putat, *tum vero quum esset*, pro *verumtamen*.

§. 131 (165.). IN QUO MOLIRI PRAEDARIQUE POSSET. legendum fortasse est, *in quo aliquid moliri*.

C. 54. §. 141 (177.). NEQUE EDICTA DIE. legendum fortasse est, *neque prodicta die*.

Ibid. IMPROBE VERUM CALLIDE. sic legendum, quamvis reclament docti quidam. est enim *μίμησις* verborum cuiuslibet, qui ita de Verris facto loqueretur: *improbe est hoc a Verre factum, sed tamen callide et astute*. negat hoc quemquam de Verre dicere posse Cicero, quia Verres perspicue et aperte et audacter et impudenter et sine fuco improbus fuerit [cf. Orell. p. 141.].

C. 56. §. 146 (182.). DEFENDERE PRAETOR DEBUIT. malim legi *debuisti*, et deinceps, *cui tutoribus defendentibus non modo patrias eius fortunas, sed etiam bona tutorum ademisti*.

§. 148 (184.). QUI ETIAM AD EXTREMUM ASCRIPSERIT. sic restitui Prisciani fidem ac testimonium sequutus libro 18. [p.

Putsch. 1151. C. 13. §. 109. Tom. 2. p. Krehl. 154.], quum in aliis libris legatur *conscripserit.* idem ibidem, ubi paullo ante legitur *tectorium vetus delitum sit*, legit *deiectum sit* [probante Garatonio p. 229. illud *delitum* a delinendi verbo, proprio de tectoriis similibusque rebus vocabulo. cf. Priscian. p. Putsch. 872., id est 9. 10, 54. Tom. 1. p. Krehl. 468. 9.]. ego tamen nihil muto, nisi quis forte putet legendum *deletum sit.*

C. 57. §. 149 (185.). QUOD EUM CODICEM OBSIGNASSEM. legendum fortasse est, *quod suum codicem obsignassem.*

Ibid. TAMETSI QUID POTERAT ESSE APERTIUS QUAM NUNC EST UT UNO MINUS TESTE HABERET RABONIO? sic omnes quidem habent libri, || atque ita legit Asconius et ita explicat, *ut de tot qui contra se sunt testibus unum Rabonium detraheret* [p. Gronov. 290, 1.]. verum ego malim legi *haberem.* magis proprie enim et convenientius dicat accusator se habere testes in reum, quam reus in se [sed cf. Madvig. Epist. Crit. ad Orell. p. 89.]. b.

Ibid. QUAM DIEM OPERI DIXERAT. legendum putaverim *edixerat.*

§. 150 (186.). HAC CONDITIONE SI QUIS DE POPULO REDEMPTOR ACCESSISSET NON ESSET USUS. hic locus mire corruptus est in libris vulgatis, neque multo integrior in manu scriptis. quod quum viderent quidam viri docti, conati sunt eum in integrum restituere, sed inanem operam sumpserunt. itaque in eis refellendis neque diutius lectorem morabor, neque frustra tempus conteram. tantum assevero, me ex Prisciano, qui hunc locum cum multis aliis profert libro 18. [p. Putsch. 1152. C. 13. §. 110. Tom. 2. p. Krehl. 155.], emendasse. aberant autem haec verba, *non esset usus*, a libris omnibus, quae huic loco magnam lucem afferunt, immo vero sine quibus intelligi non potest. quis autem non videt, immerito Asconium ab Hotomano reprehendi? significat enim hoc M. Tullius, ut recte explicat Asconius, ceteros de populo quum exclusi essent tempore, non accessisse ad illud opus redimendum, neque voluisse venire in potestatem Rabonii, qui sibi praedam a Verre ereptam arbitraretur.

C. 58. §. 151 (188.). ET STETISSE EUM CUM [abest incuria librarii praepositio, quam habet lemma praemissum annotationi] PATRUO TESTIMONIUM DICENTE. Memmii coniectura probata sic edendum curavi, quum in omnibus libris legatur *et testes secum.* plane mendose [vid. Beck. p. 245. Orell. Vol. 2. P. 1. p. 144.].

C. 59. §. 154 (193.). DE AVARITIA TUA COMMONERETUR. sic legendum, non *commoveretur.* [vid. Drakenborch. ad Livii 35. 35, 5. et quos ille ad h. l. laudavit Tom. 10. p. 406. sq.]. *commonere* autem quempiam seu *commonefacere* est, ei memoriam refricare, redigere in memoriam.

Ibid. QUAM POPULUS ROMANUS QUOTIDIE IUDICES ETIAM TUM QUUM DE TE SENTENTIAM FERRENT VIDERENT? Priscianus eodem libro [l. l.] legit, *populi Romani quotidie iudices.*

C. 61. §. 158 (197.). CUIUS MIHI COPIAM QUAM LARGISSIME FACTAM OPORTEBAT. sic legit Asconius [p. Gronov. p. 291, 2.], *cuius mihi potestatem quam* [? ab ed. Gronov. certe abest haec vox] *largissimam fieri oportebat.*

Ibid. QUUM EOS QUIBUS INNUERAT. sic legendum potius quam, ut quidam coniiciunt, *cum iis quos iste annuerat* [cf. annotata ad Orationem pro Quinctio c. 5. §. 18.]. neque me movet Asconius, qui ut multis aliis locis sic et hoc loco corruptus est.

VII.

IN ACCUSATIONIS LIBRUM SECUNDUM.

C. 7. §. 19 (22. Beck.). AD EVERRENDAM PROVINCIAM [ita reponendum p. contextus 91, 12. quum ex hoc ipso, quod posuimus, lemmate, tum ex indice Erratt. p. 848.]. sic legendum, et ita multis ante annis emendarat Rivius.

§. 20 (23.). ~~LLS~~ UNDECIES NUMERATUM ESSE. id est, sestertium undecies centum milia. oratio enim praecisa est ~~LLS~~ *undecies*, subintelligendumque est *centum milia.* quo fit ut mirer, non dici *numerata esse* potius, quam *numeratum esse.* quid? si loci omnes, in quibus tale loquendi genus usurpatur, corrupti sunt [vid. Beck. p. 260.]?

C. 9. §. 25 (28.). IPSOS XX ANNOS. scio apud Asconium sic legi [p. Gronov. 296, 1.], *ipso vicesimo anno.* verumtamen nihil muto, quin Asconium hoc loco ut et multis aliis corruptum esse puto. *ipsos* autem interpretor *totos, integros.*

C. 11. §. 30 (35.). QUUM HOS SIBI QUAESTUS CONSTITUISSET. fortasse legendum, *quum hos sibi quaestus instituisset, magnos atque uberes, ex iis causis, quas ipse constituerat cum consilio, hoc est cum sua cohorte, cognoscere: tum infinitum genus invenerat ad innumerabilem pecuniam corripiendam* [contextus p. 92, 43. hoc ipsum, ab Lambino correctum, praefert *instituisset*, etiam notante Orell. p. 154.].

C. 12. §. 31 (36.). UT VEL OCTAVIUS BALBUS IUDEX HOMO ET IURIS ET OFFICII PERITISSIMUS. haec verba sunt Ciceronis, non exempla verborum, *in quae verba iudicium dare fingit Cicero improbum Praetorem,* quamvis ita scriptum sit apud Asconium [p. 297, 1.]. nam vel ab Asconio non est ita scriptum vel non suo loco scriptum, vel erravit Asconius. praeterea vox *iudex* post nomen *Balbus*, mea quidem sententia, delenda est ut ex annotatiuncula nata. satis enim intelligitur fingi, Octavium Balbum datum esse *iudicem* a Praetore; ut omittam, quod hic Octavius in causa Verris iudex sedebat. postremo mendum manifestum sustulimus, quod haerebat in his verbis *sit eiusmodi*, atque ita emendavimus *in eiusmodi,* nempe verba. quidam tamen legi

malunt *sint eiusmodi*, a quibus dissentio. nam hic locus respondet illi suporiori, *ut in ea verba Praetor iudicium det.*

Ibid. QUI CIVES ROMANI ERANT SI SICULI ESSENT. sic fere habent libri omnes et vulgati et manu scripti, atque ita profert Donatus in Phormione ad illum locum [II. 1, 36.], *hic in noxia est, ille ad defendendam causam adest*, aitque subaudiri ad, *qui cives Romani erant, iudices dabantur*, ad *si Siculi essent* subaudiendum *rei.* sed ego mihi persuadere non possum, ita locutum esse Ciceronem. ita potius loqueretur: *dabantur iudices qui cives Romani erant, si Siculi rei essent, quum Siculos eorum legibus dari oporteret; dabantur Siculi, si cives Romani rei essent, quum cives Romanos dari oporteret.* quin et pro illo, *si Siculi rei essent*, diceret potius *si a Siculis peterent*, et pro hoc, *si cives Romani essent, si a civibus Romanis peterent.* quamquam *reum* scio eum esse, cuius de re disceptatur.

C. 13. §. 34 (41.). LEGE HIERONICA IUDICIA PLURIMARUM CONTROVERSIARUM SUBLATA UNO NOMINE OMNIA. distin || ctionis nota p.683. a.
scribenda est post vocem *controversiarum*, et subintelligendum *constituta*, ut sit *iudicia lege Hieronica constituta.* vel, ut videtur Hotomano, haec ipsa vox *constituta* desideratur et ascribenda est.

C. 16. §. 40 (49.). QUID HOC HOMINE FACIAS? alii libri habent *quid huic homini facias* [vid. Voss. de Construct. c. 48. p. 176. sq.]? mox autem ubi legitur *libidini*, videtur legendum *libidine* [idque positum in margine edit. a. 1584., Lambini nomen falso praeferentis.].

Ibid. CUIUS CONSULTO P. RUPILIUS PRAETOR EX LEGATORUM SENTENTIA LEGES IN SICILIA CONSTITUERAT. legendum fortasse est, *de X. legatorum sententia* [corrige Orelliana p. 157. sed Orellium decepit, opinor, Beckius V. D., quem vide p. 273.].

C. 17. §. 42 (52.). INTEREA SANE PERTURBATUS EST IPSE. Charisius hunc locum profert libro 2. in adverbio *sane.*

C. 21. §. 52 (69.). O VERREA PRAECLARA QUOQUAM SI ACCESSISTI QUO NON ATTULERIS TECUM ISTUM DIEM. varia est huius loci scriptura et lectio. alii enim libri sic habent, ut nos edendum curavimus, alii *quo quaeso accessisti quo non* [cf. Scheller. Observatt. p. 54.], alii *quo quasi accessisti quaeso quo non*, alii *quasi quoquam accesseris quo non.* quae omnes probabiles sunt, praeter eam quae ordine secunda est. est enim plane inepta, nata ex dubitatione librarii, qui incertus utrum scriberet *quasi* an *quaeso*, utrumque scripserit. Hotomanus autem sic legendum putat, *quonam accessisti quo non attuleris tecum istum diem*?

Ibid. SED EX MANIBUS NATURAQUE TUA CONSTITUTA ESSE VIDEANTUR. Ioannes Lucanius legendum arbitratur, ut refert Hotomanus, *sed ex moribus naturaque tua* [probante Ernesto Vol. 2. P. 1. p. 227, 59.].

C. 22. §. 54 (71.). QUI STATIM QUUM PRAESENSISSET. Hotomanus existimat hic aliquid deesse, non ego. nam haec verba, *qui statim quum praesensisset*, ad illa superiora referenda sunt, Epicratis inimicos Verris avaritia et iniquitate fretos sperasse se Epicratem bonis evertere posse, si palaestritae Bidenses peterent ab Epicrate hereditatem. quum igitur Verres statim praesensisset illorum consilium, iubet Volcatio numerari ~~LLS~~LXXX. hoc tantum velim pro *qui* legi *quae* vel *quod*. verumtamen nihil sine auctoritate codicum manu scriptorum mutare ausus sum.

C. 23. §. 56 (74.). VERRES REFERT SE AD ILLAM SUAM RATIONEM SYRACUSANAM. sic legendum puto potius, quam *refert illam suam rationem Syracusanam*. vulgata autem lectio plane corrupta est. *rationem Syracusanam* porro intellige, per quam in alium culpam conferret, quemadmodum in re Heraclii Syracusani, de quo paullo ante, culpam in generum suum contulerat.

C. 26. §. 63 (84.). QUISQUIS ERAT EDITUS [sic corrigendum p. contextus 98, 21. illud *aditus*] SENATOR SYRACUSANUS AB HERACLIO DUCI IUBEBAT. ita duci scilicet, ut iudicati ducuntur ab iis, qui iudicio superiores fuerunt [cf. Nann. Miscellann. 9, 8. Thes. Crit. Gruter. Tom. 1. p. 1361. 2.].

C. 28. §. 68 (91.). EX MULTIS MILIBUS EA SUMAM QUAE MAXIME IMPROBITATE EXCELLERE VIDEBUNTUR. sic habent libri quidam veteres, quod ego adscripseram ad oram eius libri, unde hanc editionem effingi volui, non tamen eo animo, ut id operae sequerentur, sed ut postea iudicarem. illae tamen me non consulto *milibus* excuderunt. quod moleste tuli. nam omnino malo legi *ex multis similibus*, ut est in omnibus libris vulgatis.

C. 32. §. 79 (107.). CONSILIUMQUE DIMITTAT. sic reposui, quum in libris omnibus *consilio* [id est *a consilioque*] legatur. ita autem esse legendum vincunt innumerabilia exempla, ex quibus illud esto supra abhinc non longe [p. 100, 12. id est C. 30. §. 73.], *causam sese dimisso atque ablegato consilio defensurum negavit*. et paullo altius [p. 100, 1. nobis C. 29. §. 72.], *non dubitabat Minucius, qui Sopatrum defendebat, quin iste, quoniam consilium dimisisset, illo die rem illam quaesiturus non esset*. et infra paucis post versibus [C. 33. §. 80.], *aut nunc negabis, te consilio tuo dimisso viris primariis, qui in consilio C. Sacerdotis fuerant tibique esse solebant, remotis de re iudicata iudicasse?*

C. 36. §. 88 (119.). NIHIL GRATIA NIHIL PRETIO POSSET AUFERRE. tres libri manu scripti habent, *nihil precario posset auferre*. ego tamen nihil muto.

C. 39. §. 96 (130.). QUO DIE ISTE UT SYRACUSIS STHENIUS ADESSET EDIXERAT. vocem *die*, quae deerat in omnibus libris vulgatis, quos quidem viderim, in uno codice manu scripto repertam restitui.

§. 97 (131.). AB INCEPTO FURORE REVOCETUR. lege *ab incepto revocetur*.

C. 43. §. 106 (141.). HOC PROBABIS? sic legendum, et ita edidit Manutius. *probabis* autem, id est, iudicibus persuadebis?

C. 44. §. 109 (145.). DUBITARE ETIAMNUM POTESTIS [non *etiamnunc*, ut est apud Beck. p. 308. Orell. p. 175.]. nihil muto, quamvis in aliis libris ita scriptum sit, *dubitate etiam nunc si potestis*, scilicet sine interrogatione. quomodo loquitur infra p. 134, 7 [id est III. Accus. C. 38. §. 86.].

C. 50. §. 123 (163.). QUAM EX VETERUM AGRIGENTINORUM. sic restituit Hotomanus, atque ita sine dubio legendum, non ut in aliis libris, *vetere*.

C. 52. §. 129 (171. extr.). ITAQUE FIT OMNIBUS RECUSANTIBUS ET IMPROBANTIBUS. sic restitui libris omnibus invitis, ratione flagitante. nam primum *implorantibus*, quod est in aliis libris, non potest esse sine accusandi casu [itaque Nannius, quartum casum de suo addens, locum sic refinxit: *itaque id fit omnibus recusantibus et deos hominesque implorantibus*. cf. d'Orvill. ad Chariton. p. Lips. 213.]. praeterea non dicit M. Tullius Cephaleditanos implorasse Verrem, quum Idibus Ianuariis Kalendas Martias proscriberet (frustra enim se sciebant imploraturos, et absurdum esset eius ipsius opem implorare, qui contra leges faceret), sed factum Verris non probasse et recusasse, ne faceret.

C. 53. §. 132 (174.). QUAE RES EVERTENDAE REI PUBLICAE CAUSA SOLENT ESSE. sic omnes quidem libri habent, neque ego quicquam ausim pro meo iure immutare. sed tamen non celabo lectorem, quod hic mihi venit in mentem. suspicor nomen *causa* esse aliunde profectum, neque esse *τοῦ ποιητοῦ*. ita enim loquebantur veteres, *hae res sunt rei publicae evertendae*, id est hae res ad rem publicam evertendam valent. sic Li || vius libro *b.*
40. Annalium [c. 29. §. 11. Tom. 11. p. repet. edit. 689.], *lectis rerum summis quum animadvertisset, pleraque dissolvendarum religionum esse, L. Petillio dixit, sese eos libros in ignem coniecturum esse* [itaque illud *causa* neque »sustulit« Lambinus, ut est apud Beck. p. 319., neque sublatum ab alio quovis »probavit in m. 1584.« iudicavit eximendum e contextu verborum, iisdem motus rationibus, quae moverunt Zumptium V. D. Gramm. L. L. p. edit. sextae 512., quamvis aliter sentiat Garatonius p. edit. Haun. 110. 1.].

C. 56. §. 139 (183.). TAMETSI ANIMO AEQUO PROVINCIA TULISSET. sic quidem legi vult Hotomanus et ita habent nonnulli libri vulgati et manu scripti, sed ego *tamen si animo aequo* legendum censeo, et sic edi iusseram [correctum ab ipso Lambino in Indice Erratorum p. 848. videntur primum repraesentare Operum Ciceronis repetitiones Lambinianae. Gruterus maluit *tamenetsi*, de qua voce frequentis apud veteres usus eleganter, ut omnia, disputavit M. Antonius Muretus VV. LL. 11, 17. Operum Tom. 2. p. Ruhnken. 268. 9.].

C. 58. §. 143 (188.). NISI FORTE ID AGIMUS NON UT MAGISTRATIBUS NOSTRIS MOREM ACCIPIENDI SED UT SOCIIS CAUSAM DANDI AU-

FERRE VIDEAMUR. ita sine dubio legendum est, non, ut est in libris quibusdam vulgatis, *moram accipiendi.* hoc enim significat, hoc iudices agere debere, ut magistratibus accipiendi morem, non sociis dandi causam auferre videantur. quod facturi sunt, si iudicent turpiter accipi pecuniam statuarum nomine. est autem hoc loco ironia, *nisi forte id agimus,* id est id non agimus seu agere non debemus, ut sociis causam dandi, sed ut magistratibus morem accipiendi auferre videamur.

C. 65. §. 158 (207.). STATUAE IN LOCIS PUBLICIS POSITAE PARTIM ETIAM IN AEDIBUS SACRIS. quidam putant alterum *partim* desiderari et ita legendum, *statuae partim in locis publicis positae, partim etiam in aedibus sacris.* ego autem nihil muto. nam *partim* semel positum esse non hic tantum sed etiam alibi, neque solum apud M. Tullium sed et apud alios scriptores animadverti [vid. Pareum Lex. Crit. p. 889. sed plurima huius breviloquentiae veterum exempla congesserunt doctissimi viri Io. Frid. Gronovius et Arn. Drakenborchius ad Livii 3. 37, 7. Tom. 2. P. 1. p. 308. 9. 10. adde Cortium notis ad Sallustii Iugurth. 83, 3. p. 777.].

C. 66. §. 160 (210). SED ET ALIORUM COMMUNE. sic legendum, non ut in libris vulgatis, *sed et illorum* [scribarum librariorum proclivi lapsu. vid. Drakenborch. ad Livii 23. 7, 3. Tom. 7. p. 389.].

C. 71. §. 174 (227.). ARBITRANTUR RES IUDICARE OPORTERE. sic restitueram in meo codice, coniectura ductus, quindecim abhinc annis. nam vulgata lectio, *ire os iudicare,* inepta et inanis est.

C. 72. §. 175 (228. extr.). ISTIUS QUI LEGEM PROMULGAVIT. malim legi *ipsius* seu *eius.*

Ibid. ERGO EQUITES ROMANI TE SUO IUDICIO CONDEMNARI VOLUERUNT. locus est mutilatus et corruptus atque ita in integrum restituendus, *ergo equites Romani, qui te suo iudicio condemnarant, horum iudicio condemnari noluerunt* [sic correxi vulgatum *voluerunt,* auctore ipso Lambino, retractante hunc locum in Indice Erratorum p. 848.]. quo quidem modo etiam in nonnullis libris vulgatis impressum est [cff. annotata a Beckio p. 342. et ab Orellio p. 194.].

C. 74. §. 183 (237.). ERANT HAEC EX EO GENERE. duo libri manu scripti habent *nec erant* [voluitne *nec erant haec?*], quod et Hotomanus admonuit. verumtamen lectionem vulgatam retineo. hoc enim significat M. Tullius, libellos illos ex eo genere fuisse, quod maxime quaerebat, sed paucos fuisse, nempe duos, eosque pusillos; tantum denique fuisse, quantum exempli causa proferre posset [Beckius V. D. p. 345. »Lambinus in »duobus codicibus se invenisse testatur, quod Hotomanus con»iecerat et Aldus Manutius recepit, *nec erant haec ex eo ge»nere.* »»licet etiam, inquit Lambinus, legere *erant ex eodem* »»*genere*, ut codex antiquissimus habet.««].

C. 76. §. 187 (244. post med.). IN IUS AD METELLUM CARPINATIUM VOCO. videtur hoc *ad Metellum* esse aliunde natum. nam *in ius* valet ad Praetorem [cf. Pareum Lex. Crit. p. 652, 1. et ipsum Lambinum Comm. Horatianis ad I. Satirr. 9, 77.]. nisi forte *ad Metellum* addidit, ut significaret, quis esset Praetor. sed erat hoc satis notum. quare suspicio eadem manet, *ad Metellum* ex aliqua annotatione manasse [insere Orellianis p. 197.].

C. 77. §. 189 (246.). ITAQUE ILLUM IN IURE METU CONSCIENTIAQUE PECCATI MUTUM ATQUE EXANIMATUM. sic restitui, quum in omnibus libris legatur *iniuriae*, plane mendose. legendum enim sine dubio *in iure*, id est apud tribunal Praetoris seu apud Praetorem.

C. 78. §. 191 (248. extr.). NEMO ITA IN MANIFESTO PECCATU TENEBATUR. sic testatur esse scriptum in uno atque altero libro Tironiano antiquissimae fidei Aulus Gellius libro 13. capite 19. [Valerius Probus apud Gellium 13, 19. vide ad V. Accusat. C. 66. §. 169. et XII. Philipp. C. 2. §. 7. Vincentius Bellovacensis Spec. Doctr. 5, 117. edit. Pr. sic habet, *in erratu perseverare*.].

VIII.

IN ACCUSATIONIS LIBRUM TERTIUM.

C. 2. §. 4 (5. Beck.). ATQUE HOC EGO PLUS ONERIS SUBEO. sic est legendum, non *habeo*. nam hoc *habeo* natum ex errore librarii, qui scripsisset *oneris ubeo*, omisso *s* [vel potius *oneris ubeo*, continenti scriptura, id est *oneriSubeo*, ut intelligatur, litteram, quae est interposita reliquis non eiusdem formae litteris, geminandam esse, ut sit *oneris subeo*. cf. annotata a C. Fr. Heinrichio, summo viro, ad Orat. pro Tull. p. 62.]. deinde ab alio factum est ex *ubeo abeo* et *habeo*.

C. 7. §. 18 (23.). LEGEMQUE HIS REBUS QUAE IPSIS VIDERETUR EDICERENT. malim legi *dicerent* [»estque usitatius *legem dicere*.« Beck. p. 364.].

C. 9. §. 23 (30.). IN CUBICULO SOCIUS. sic habent libri veteres, vulgati autem *in cubiculo solus* [»elegans gradatio est *proximus*, *socius*, *dominus*. refertur autem ad res venereas, in quibus *socium* fuisse et alibi dicit.« Ernest. Vol. 2. P. 1. p. 289.].

C. 10. §. 25 (31.). QUANTUM DECUMANUS EDIDISSET ARATOREM SIBI DECUMAE DARE OPORTERE UT TANTUM ARATOR DECUMANO DARE COGERETUR. legendum videtur *sibi decumae* seu *decumarum nomine dare oportere* [Beck. p. 367. »legebatur olim *decumanae*, unde Lambinus voluit *decumanae* seu *decumarum nomine dare oportere*.« sed istud quicquid est *decumanae*, Lambino ignoratum, nusquam se invenisse testatur Orellius p. 205.].

C. 11. §. 27 (34.). IPSIUS ITALIAE QUAE VECTIGALIS SIT. sic legi debet, non, ut est in libris vulgatis, *quae vectigalia sunt.* haec enim verba aut nihil hoc loco significant, aut sententiam corrumpunt. iam non omnis Italia erat vectigalis. iccirco ita dixit, *in vectigalibus Italiae, quae vectigalis sit.*

C. 12. §. 31 (41.). DE COMISSATIONE. pluribus verbis ostendi in Commentariis Horatianis [ad IV. Carmm. 1, 11. Tom. 1. p. edit., quae nuper admodum prodiit, 366. cf. annot. ad III. de Orat. c. 41. §. 164.], *comissari* et *comissationem* esse dicendum, non *comessari* et *comessationem.* idque ex Varrone [de L. L. 6, 5. plura dabit Gesnerus Thes. L. L. Vol. 1. p. 1041, 66. Beck. p. 371. »*comessatione* scribi Lambinus vult, aliis adversantibus.«].

Ibid. PETITOREM IPSUM APRONIO CONDONARENT. alias *permitterent*, alias *condemnarent.*

C. 14. §. 35 (45.). DEINDE IN HOC HOMO LUTEUS ETIAM CALLIDUS AC VETERATOR ESSE VULT. sic reposui secutus codices emendatiores, in his Aldinos. *luteus* autem, id est hebes et stultus et nullius iudicii. atque ita Hotomanus quoque emendavit [Orell. p. 209. »*bliteus* Lambini suspicio.« itane? sed vide Beckium, a quo saepe deceptus est Orellius, p. 373. »qui tamen scribi maluit *bliteus*, Plautino vocabulo.« de *bliteo* v. Pareum Lex. Crit. p. 150, 2.].

Ibid. ARATOR ENIM TUOS ISTOS RECUPERATORES NUMQUID VOLET? secutus sum libros fere omnes vulgatos, quibuscum congruunt duo manu scripti. sed in exemplis Car. Stephani impressum est, *numquam volet.* quod si sine nota interro ‖ gationis legatur,
p.684 non est reiiciendum [itaque corrige Beck. p. 374. affirmantem,
a. hoc ipsum *numquam volet* a Lambino datum esse.].

§. 37 (47.). NE TOLLAM POTIUS QUAM PACISCAR. errant, qui hic legi volunt *non tollam.* respondet enim hoc *ne tollam* verbis edicti *ne tollat.* quidam grammatici veteres *ne* pro *non* positum esse volunt [vid. Voss. de Analog. 4, 24. p. 236. sed fallitur Beck. p. 374. *non tollam* Lambino vindicans.].

C. 15. §. 39 (49.). SED CAUSA ERAT IUDICII PERTIMESCENDI. sic legendum est, non, ut in libris vulgatis, *postulandi.* iudicii, inquit, de professione iugerum metu magnus frumenti numerus ablatus magnaeque pecuniae coactae sunt, non quod esset difficile numerum iugerum profiteri, sed quod ex edicto professus non esset. propterea quod fuit longior oratio interposita, ab illo loco *cuius iudicii metu*, aliis verbis, ut memoriae auditoris consulat, eandem sententiam exprimens, *sed causa*, inquit, *erat iudicii pertimescendi, quod ex edicto professus non esset* [cf. Beck. p. 375.].

C. 30. §. 71 (96.). SI MAGNO EMERAT. sic legendum est. subintelligentur enim *Apronius*, qui parvo a Praetore decumas emerat, quum ipsum Praetorem in decumis socium haberet, ut alibi dicetur.

§. 72 (97.). PLEBEI ROMANAE. sic legendum, et ita habet vetus codex longe optimus. *plebei* autem patrius casus antiquus, M. Tullio et T. Livio et aliis in hoc nomine non inusitatus [vid. Gerard. Io. Voss. de Analog. 2, 20. p. 347.].

C. 32. §. 75 (102.). PRIMO ANNO VENIERUNT EIUS AGRI DECUMAE TRITICI MEDIMNUM XVIII MILIBUS. sic esse legendum ostendit similis locus infra pagina sequente tertio versu [p. 132, 3. hac ipsa sectione. sic enim ibi Lambinus, *quum decumae venissent tritici modium XVIII milibus.* et deinceps p. 132, 5. id est §. 76. *anno secundo quum emisset Apronius decumas tritici medimnum XX milibus.* et p. 132, 7. *coactus est ei conferre lucri tritici modium XVI milia.* eaque inserenda Orelliano Thesauro p. 222. tum eximenda nonnulla Beckianis p. 398., repetita illa ex editionibus, quae perperam ac nullo merito Lambini nomine appellantur.]. multa autem hic sunt emendata in his et modiorum et medimnorum et sestertiorum numeris, quae diligens et attentus lector facile, etiam nobis tacentibus, animadvertet.

C. 33. §. 76 (104.). IN REDIMICULUM PRAEBEAT. sic legendum censet Hotomanus. ego tamen scripturam receptam magis probo, et ita excudi iusseram, nempe *redimiculum praebeat*, sine praepositione *in* [Orell. p. 222. »*in redimiculum* de Hotomani coniectura Lamb. 1566. ipse postea improbavit.« quum hoc loco, tum in Indice Erratorum, qui tomo secundo subiectus est, p. 848.].

Ibid. §. 77. QUI SE REGEM SICULORUM ESSE DICEBAT. quidam libri vulgati habent *esse ducebat.* ego nihil muto [erravit igitur Orell. p. 222. et ante Orellium Beck. p. 399.].

Ibid. ADDICUNTUR MEDIMNUM CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ IↃↃ. id est medimnorum XXXV milibus. sic autem legendum esse recte coniecit Hotomanus.

Ibid. DIMIDIO FERE PLURIS QUAM SUPERIORE ANNO. quo anno venierant decumae medimnum XX milibus.

Ibid. PRO MEDIMNUM CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ IↃↃ REFERRI CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ CIↃ CCCC. id est, pro medimnum XXXV milibus referri XXX milia et mille quadringenta. nemo est, qui non facile videat ita legendum, et has summas quadrare. deme enim de medimnum XXXV milibus tria milia et sexcenta, restabunt XXX milia, unum mille et quadringenta.

C. 35. §. 81 (111.). AB IPSO PARTARUM QUAESITARUMQUE. sic omnino legendum, *ab ipso*, inquam, non *a populo*, quemadmodum recte emendavit Hotomanus. praeterea *partarum* reposui pro illo corrupto *factarum.* ita locus totus restitutus est. atque hanc restitutionem confirmant verba illa, quae paulo post sequuntur [p. 133, 15. §. 82. extr.], *quod ex ea pecunia remiserit, quam ipse quaesierat.*

§. 82 (112.). DE QUO POPULUS ROMANUS IUSSERAT. vocem *lege*, quae fuerat inculcata, sustuli. erat enim supervacanea.

nam quod populus Romanus iussit, lex est [Beck. p. 403. »Lambinus ex auctoritate veteris codicis edidit *legem* « habet margo edit. a. 1584. et quae deinceps prodierunt, Lambini nomine appellatae.].

C. 36. §. 83 (113). QUAS QUUM ADDIXISSET EIDEM ILLI DECIMO TRITICI MEDIMNUM IↃↃ. sic est legendum. nam verba illa, *hoc est tritici medimnum quinque milibus*, primum adscripta fuerunt ab eo, qui hanc notam IↃↃ declarare vellet, deinde a librario, omissis Ciceronis verbis, in contextum orationis translata. quodsi quis volet ita legi, *medimnum* IↃↃ., seu quinque milibus, *id est modium* XXX *milibus*, non repugnabo. nam quum medimnum sex modios contineat, non est incredibile, Ciceronem medimnorum rationem ad modios redegisse [cf. Beck. p. 404. et Orell. p. 224.].

Ibid. SED SI ERIPUERIT NON INTELLIGIS. legendum fortasse est, *sed eripuerit: non intelligis haec, quae iamdudum loquor, ad aliam quaestionem atque ad peculatus iudicium pertinere?* ut sit concessio, hoc modo: sed demus, tantum apud iudices pecuniam aut gratiam valituram, ut absolvare, non intelligis, haec, quae iamdudum loquor, ad aliam quaestionem atque ad peculatus iudicium pertinere?

C. 37. §. 84 (116.). HOC EST TRITICI MODIUM II MILIA. sic est legendum, non *medimnum*. nam si decumae medimnis sexcentis dumtaxat venierunt, quomodo medimnorum duo milia lucri ab illa civitate addi potuerunt? nunc autem quum medimnum sex modios contineat, atque ita sexcenta medimna tria modium milia et sexcentos constituant, lucrum illud fuit quidem improbum atque impudens, sed tamen Verris mores id tulerunt. iam modius lege sestertiis numis tribus erat aestimatus, interdum tamen duobus dumtaxat aestimabatur. ita duo modium milia sestertium quinque milibus aut paulo pluris aestimarentur. atque hac eadem ratione sexcenta medimna, id est tria milia modiorum et sexcenti decem milibus sestertium essent aestimandi. porro quod ait Hotomanus, hic lucri nomine caput et lucrum contineri, probare non possum.

C. 38. §. 86 (119.). TERTIO ANNO CIↃ CIↃ MEDIMNUM TRITICI LUCRI. duo milia medimnum tritici, id est XXX sestertium milia. sic autem legendum, non *duo milia modium.*

C. 39. §. 90 (124.). ITANE DISSOLUTE DECUMAS VENDIDISTI UT QUUM DECUMAE MODIUM XV MILIBUS VENISSENT HOC EST ⊢⊢S XXXVII MILIBUS ET QUINGENTIS TUERI DECUMANO MODIUM SEX MILIA ET OCTINGENTI ID EST ⊢⊢S XVII MILIA DARENTUR? haec est vera huius loci restitutio, ex codicibus partim vulgatis partim manu scriptis sumpta. summae autem valde inter se quadrant. venierant decumae Petrinorum modium XV milibus, seu medimnum duo-
b. bus milibus || et quingentis (medimnum enim sex modios continet, ut saepe diximus), hoc est ⊢⊢S XXXVII milibus et quingentis. nam singula medimna quinis denis sestertiis erant fere

aestimata. Verres coegerat Petrinos dare lucri decumano sex modium milia et octingentos, id est ↃLS XVII milia; siquidem singuli modii binis sestertiis et dimidio erant aestimati. aut igitur male decumas vendiderat, aut Petrinis iniustissime et probissime pecuniam eripuerat.

C. 42. §. 100 (134). APRONIO COACTI SUNT DARE TRITICI MODIUM IↃↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ ET ↃLS III MILIA. hae notae significant LXX milia.

C. 46. §. 109 (148.). MEAE DILIGENTIAE PENSUM MAGIS IN AGRO LEONTINO EST EXIGENDUM. hunc locum in libris et vulgatis et manu scriptis sola vitiosa interpunctione depravatum emendata interpunctione correxi. *meae* autem *diligentiae pensum*, id est meae diligentiae partes et munus et quasi opus.

C. 47. §. 112 (153.). AGER EFFICIT CUM OCTAVO BENE UT AGATUR. sic puto distinguendum, *ager efficit cum octavo*, *bene ut agatur*, id est effert seu reddit cum octavo, bene ut agatur [sed operae non paruerunt Lambino. sic enim habet edit. a. 1566. p. 138, 10. *ager efficit*, *cum octavo bene ut agatur*.].

C. 48 §. 114 (155.). MINUS TRIBUS MEDIMNIS IN IUGERUM NEMINEM DEDISSE DECUMAE. legendum videtur *decumarum nomine* [inserendum Orell. p. 233.].

C. 49. §. 116 (158.). HAEC SUNT AD TRITICI MEDIMNUM XC MILIA. ut tres decumae in singula iugera darentur, id est pro singulis decumis ternae decumae darentur. legendum autem *medimnum* [idque reponendum p. 138, 41. ex Indice Erratorum p. 848, 1.].

Ibid. ADDE TOTIUS SUMMAE CIXL MILIUM MODIUM TRES QUINQUAGESIMAS. hanc rationem sic subducito. quinquagesima quingentorum milium modium sunt decem milia. haec decem milia triplicata constituunt triginta milia. quinquagesima quadraginta milium sunt octingenti modii. his triplicatis fiunt bis mille quadringenti. extat haec summa triginta duo milia quadringenti modii.

C. 50. §. 119 (164.). QUI ↃLS DENA MERITASSET. id est ↃLS decem milia. alii libri habent *cui ↃLS denum milium merces esset*, alii *cui ↃLS dena merces esset* [*meritare* formularum civilium vocabulum bonum atque usitatatum. vid. Nizolium a Facciolato castigatum p. 452, 2. Ciceronis locum praetermisit Pareus Lex. Crit. p. 735, 1. Plinium Hist. Nat. 7. 39. sect. 40. Tom. 1. p. Harduin. 396, 18. laudavit Nic. Heinsius ad Silii 10, 656. p. Drakenborch. 537.].

C. 52. §. 121 (169.). MINORE INSTRUMENTO MINUS MULTIS IUGIS* MINORES REMANSISSE. mendum aliquod subest in voce *minores*. Hotomanus legendum putat *timore remansisse*. ego dubito. putaverim potius aliquid praeterea deesse, ut *familia* aut aliquid simile, et legendum *minore*, ut sit *minore instrumento*, *minus multis iugis*, *minore familia* [atque hinc proficere debebat quum Beck. p. 429., tum Orell. p. 237.].

C. 54. §. 125 (177.). TAMEN ARATORUM INTERITIO FACTA NULLA EST. sic legit Nonius Marcellus [3, 112. p. Mercer. 209, 7., probante Petro Victorio VV. LL. 3, 2.], quem quamobrem non sequerer, nulla causa visa est [a vero propius aberat *internicio* sive *internitio*, permutatis *n* et *r*, cuius permutationis exempla posuit Salmasius ad Solin. p. 147.].

C. 56. §. 129 (183.). QUANTUM ILLE BONIS SUIS OMNIBUS EFFICERE NON POSSET. fortasse legendum, *reficere non posset*. verumtamen nihil muto.

C. 58. §. 132 (190.). NON ALIQUA SE SIMULATIONE EXISTIMATIONI HOMINUM VINDICASSET. alii libri habent *existimationi populi Romani vindicasset*, alii *existimationi hominum venditasset*. quod posterius non probo [itaque erravit Beckius V. C., hanc lectionem Lambino vindicans. vide illum p. 436. sed editos antiquos Gruterus narrat habere *vendicasset*, nec aliter extare puto in libris scriptis. id est autem hoc ipsum quod quaerimus, aptum huic loco verbum *venditasset*. non enim raro in codicibus permutantur *c* et *t*, ductuum Langobardicorum similitudine scriptores librarios in errorem praecipitante. vid. Salmas. ad Solin. p. 133. et Drakenborch. ad Livii 6. 35, 2. ceterum *vendicare* et *venditare* eodem modo confusa legebantur apud Livium quum aliis locis, tum 3. 35, 5. cf. quae in hanc rem disputantur ab Drakenborchio ad Livii 39. 42, 9. Tom. 11. p. 500.].

§. 133 (191. extr.). IN RE TAM MANIFESTA QUICQUID DIXISSES TE DETERIUS ESSE FACTURUM. nihil mutandum, errantque qui legendum censent, *quicquid dixissent* [Orell. p. 241. »*dixisset* nescio cuius coniectura apud Lambinum, qui refutat.«]. hoc enim dicit M. Tullius: numquam tacitus tantam plagam accepisses, numquam rem tantam tacitus tulisses, nisi hoc ita statuisses, te, quicquid dixisses ad id quod tibi et Apronio dictum esset, id ipsum quod esset obiectum tua oratione deterius esse facturum, nihilque umquam dicturum, quo id quod tibi obiectum esset diluere aut refellere posses. quodsi quid hic esset mutandum, ita potius legendum putarem, *deteriorem esse facturum*, ut *deteriorem* referatur ad *plagam*.

C. 60. §. 138 (198.). ET TAMEN URGET ATQUE ONERAT TE BONIS CONDICIONIBUS. sic reposui, quum in omnibus libris legatur, *et tamen auget*. plane mendose [commutata haec reperias et in loco Livii 34. 62, 7. Tom. 10. p. 256.].

Ibid. §. 139 (199. extr.). SPONSIONEM ACCEPTAM FACERE. nihil muto. nam *acceptum facere* est verbis liberare debitorem, idemque propemodum valet quod *acceptum ferre*. Ulpianus libro 46. Digestorum titulo de Acceptilationibus [l. 13. §. 6. DD. 46, 4.], *si Stichum aut decem sub conditione stipulatus Stichum acceptum fecerit, et pendente conditione Stichus decesserit, decem in obligatione manebunt, proinde ac si ea acceptilatio interposita non fuisset*. Iulianus [l. 17. DD. 46, 4.], *qui hominem aut*

decem stipulatus est, si quinque accepto fecerit, partem stipulationis peremit et petere quinque aut partem hominis potest. Hotomanus tamen legendum putat, *acceptam missam facere.* ego, si quid mutandum esset, legi potius oportere putarem, *sponsionem factam missam facere* [cf. Beck. p. 440.].

C. 61. §. 141 (203.). extr. SED VETUS EXAGITATUM IAM ET TE PRAETORE IACTATUM. sic emendavi, quum in aliis libris legatur *excogitatum*, in aliis *cogitatum.* plane mendose. quod autem Hotomanus reponendum censet *cognitum*, non placet. *exagitatum* autem seu *agitatum* [habet hoc ipsum margo edit. a. 1584. cf. Beck. p. 442.] perspicue rectum et verum est, et facilis fuit depravatio facilisque lapsus ex *exagitatum* in *excogitatum*, seu ex *agitatum* in *cogitatum* [cff. ab Drakenborchio notata ad Livii 25. 36, 5. Tom. 8. p. 192.].

§. 142 (204.). QUOD EX HOC QUOQUE INTELLIGERE POTESTIS. sic emendavi lectionem vulgatam, quae est, *quod hoc quoque intelligere potestis.* nam deerat praepositio *ex*, et *quod* iam non coniunctio est, sed pronomen seu nomen.

C. 62. §. 146 (210.). RES MANIFESTAS QUAERIS. sic restituit Hotomanus, et recte [corrige Orell. p. 245. »sic de Lambini in marg. 1584. coniectura Beck. Sch. 2.«].

C. 63. §. 147 (212.). extr. EXPEDIT EI DECUMAM ESSE QUAM MAXIMI. sic legendum, et ita scriptum est || in duobus libris p. 685. a. manu scriptis.

§. 148 (213.). VERUM HOC UT OPINOR ESSE VIS CAPUT DEFENSIONIS TUAE MAGNO TE DECUMAS VENDIDISSE AGE VERO AGRI LEONTINI QUI PLURIMUM EFFICIT DECUMAS VENDIDISTI TRITICI MODIUM CCXVI MILIBUS. hic locus miserum in modum lacer et mutilus erat, nunc ex auctoritate veteris codicis in integrum est restitutus [nam quae post haec verba *decumas vendidisse* a Lambino addita narrant VV. DD., uncis inclusa ab Grutero, *atque aliorum quidem agrorum proportione magno decumas vendidisse*, ea non habet Lambini edit. a. 1566., sed edit. a. 1584., quam vulgo Lambini nomine appellant.].

C. 66. §. 154 (223.). IAM HOC QUIDEM NON REPREHENDO QUOD ASCRIPSIT ACCENSUS CUR ENIM SIBI HOC SCRIBAE SOLI SUMANT L. PAPIRIUS SCRIBA. hoc significat, quum accensorum officium non sit magistratus aut honos ullus aut administratio honorata, sed ministerium humile et contemptum, inepte et insolenter adscribi *accensus.* nam qui est imperator, Consul, Aedilis, Censor, haec ipsa honoris nomina suo nomini adscribit. verbi gratia, *M. Cicero imperator, M. Cicero Consul* illi aut illi *salutem dicit.* et idem de ceteris sentiendum. sed Timarchidem ita scribere, *Timarchides Verris accensus Apronio S. D.*, ridiculum est. quamvis scribae hoc usurpent, ut, *L. Papirius scriba.* aeque ineptum et ridiculum, si quis lictor aut viator ita scribat, *ille lictor illi S. D.*, *ille viator illi S. D.* haec est huius loci sententia. nam alii quidam hic mera narrant somnia.

C. 68. §. 158 (231.). NON SERMONE IMPURO ATQUE IMPROBO POSSET CORRUMPERE. secutus sum hoc loco exempla Caroli Stephani. nam alii libri habent, *sermone incauto atque improbo* quam lectionem si quis probabit, *incautus sermo* erit intelligendus, qui caveri non possit.

§. 160 (233.). FAC ENIM FUISSE IN EO C. LAELII M. CATONIS * MATERIEM ATQUE INDOLEM. hoc *materiem* mihi suspectum est. quid, si legamus *naturam atque indolem* [sed in illo verbo haesisse et *naturam* coniecisse Lambinum miratur Ernestus V. C. p. 345, 58.]?

C. 70. §. 163 (238.). EMUNDI DUO GENERA FUERUNT UNUM ALTERARUM DECUMARUM ALTERUM QUOD PRAETEREA CIVITATIBUS AEQUALITER ESSET DISTRIBUTUM. sic habent duo manu scripti, et ita legendum, ut recte iudicavit Hotomanus. *alteras* enim *decumas* dicit, quae praeter primas a Siculis populo Romano dari debebant, accepta a Praetore pecunia. sic infra [p. 154, 30. id est C. 85. §. 198.], *decumarum nomine tantum erat ablatum, quantum voluntas tulerat Apronii: pro alteris decumis emptoque frumento aut nihil datum, aut tantum datum, quantum reliqui scriba fecerat, aut ultro etiam, id quod didicistis, ablatum.*

Ibid. HUIUS TRITICI MODIUM IↃCCC MILIA. *huius*, nempe frumenti aequaliter civitatibus descripti et distributi et imperati [quod ipsum verbum accessit e codice Nannii]. ut infra [p. 150, 49., nobis C. 77. §. 178.], *nam, ut illud missum faciam, permultos aratores in alteras decumas et in haec DCCC milia modium, quod emptum populo Romano darent non habuisse, sed a tuo procuratore, hoc est ab Apronio emisse (ex quo intelligi potest, nihil te aratoribus reliqui fecisse), ut hoc praeteream, quod multis est testimoniis expositum: potest illo quicquam esse certius, in tua potestate atque in tuis horreis omne frumentum Siciliae per triennium atque omnes fructus agri decumani fuisse?*

Ibid. ITA IN FRUMENTUM IMPERATUM BIS ET TRICIES ~~LLS~~ IN ANNOS SINGULOS VERRI DECERNEBATUR QUOD ARATORIBUS SOLVERET IN ALTERAS DECUMAS FERE AD NONAGIES. sic hunc locum emendavit Hotomanus, et recte. nam quater octingenta sestertium milia efficiunt bis et tricies sestertium centum milia.

Ibid. SIC PER TRIENNIUM AD HANC FRUMENTI EMPTIONEM SICILIENSEM PROPE CENTIES ET VICIES EROGATUM. sic est legendum. nam nonaginta et triginta efficiunt centum viginti. intellige autem, hanc summam centies et vicies per triennium de publico Verri esse erogatam singulis annis, et ita toto triennio ad trecenties et sexagies esse erogatum.

C. 72. §. 168 (245.). VETTIUS TUUS FAMILIARISSIMUS VETTIUS TUUS AFFINIS CUIUS SOROREM HABES IN MATRIMONIO TUAE FRATER UXORIS VETTIUS FRATER TUI QUAESTORIS TESTATUR TUUM IMPUDENTISSIMUM FURTUM CERTISSIMUMQUE PECULATUM (NAM QUO ALIO NOMINE PECUNIAE PUBLICAE FENERATIO EST APPELLANDA) INDICATURUM SE AC PATEFACTURUM MINATUR. haec [*indicaturum se ac patefacturum*

minatur] erant adscripta ad oram libri cuiusdam manu scripti e regione lacunae. quae sint M. Tullii necne sint, nescio. ad sententiam quidem huius loci valde quadrant.

C. 73. §. 170 (249.) CUI SENATUS DEDERAT PUBLICE CAUSAM. nihil mutandum. *dederat causam* autem, id est dederat totam controversiam litteris perscriptam, ut eam me doceret [sed vid. ab Ernesto V. C. disputata p. 350, 74.].

C. 74. §. 172 (252.). QUOT VULTIS ESSE IN UNO FURTO PECCATORUM GRADUS SI SINGULIS INSISTERE VELIM PROGREDI IPSE NON POSSIM. sic necassario legendum est, ut recte iudicavit Hotomanus.

Ibid. QUID ACCIDIT TANDEM CUR HORUM POPULORUM AGRI FRUMENTUM EIUSMODI TE PRAETORE EFFERRENT QUOD NUNQUAM ANTEA. sic legendum est, atque, ut ita legatur, ratio et consuetudo Latine loquentium postulat. ita enim loquimur, *nihil accidit quamobrem* seu *quare* seu *cur hoc facere debeam*. licet et hoc modo legere, *qui accidit* [*tandem?*] *ut* horum *populorum agri*, et reliqua.

C. 75. §. 175 (258.). RATIONIBUS POPULORUM NON INTERPOLATIS. sic restitui, atque ita legendum. *interpolatae* autem litterae intelliguntur, in quibus vestigia sunt mendarum correctarum multaeque liturae, quae significent ab initio non esse recte neque emendate scriptas, postea autem correctas [cf. Beck. p. 465.].

Ibid. ORDINE RELATA ATQUE CONFECTA SUNT. quidam legendum putant, *in ordinem relata atque coniecta sunt*.

C. 78. §. 181 (268.). CERTIS NOMINIBUS DEDUCTIONES FIERI SOLEBANT. nondum constitui, utrum sit scribendum *certis nominibus* an *rectis nominibus*. qua de re Annotationibus in Orationem pro Quinctio nonnihil diximus [ad C. 11. §. 38. p. Lambin. 7, 33.].

§. 182 (269.). ET EORUM COMMODA A ME LABEFACTARI ATQUE OPPUGNARI INIURIA DICET. quidam libri vulgati habent *oppugnari iura* [et *iura* et *iniuria* aeque suspecta Ernesto, summo viro et de litteris nostris insignite merito, p. 355, 84.].

C. 79. §. 183 (271.). QUAMOBREM ENIM SCRIBA DEDUCAT AC NON POTIUS MULIO QUI ADVEXIT [sic Lambin. p. 151, 42. neque dubito, quin hoc ipsum sit a Lambino positum, propter Indicativos qui sequuntur. sed *advexerit* tueri videtur lemma praefixum annotationi.]. sic reperi scriptum in codice manu scripto, atque ita sine dubio legendum est.

C. 80. §. 184 (274.). TU EX PECUNIA PUBLICA ~~LLS~~ QUATTUORDECIES SCRIBAM TUUM PERMISSU TUO QUUM ABSTULISSE FATEARE RELIQUAM TIBI ULLAM DEFENSIONEM PUTAS ESSE. sic est legendum, neque dubitandum quin ita a Cicerone sit scriptum, quamvis in Aldinis libris legatur *tredecies*. nam binae quinquagesimae totius illius summae, quae Verri triennio fuerat erogata ex aerario, quae erat fere ~~LLS~~ trecenties sexagies, efficiunt quattuor-

decies sestertium et paullo plus, nempe quadraginta milia. quorum Cicero rationem non habet.

Ibid. ~~LLS~~ CCIↃↃ IↃↃ CIↃ CIↃ CIↃ LIS AESTIMATA. id est, sestertium duodeviginti milibus.

C. 82. §. 190 (283.). INSTITUERUNT SEMPER AD ULTIMA AC DIFFICILLIMA LOCA APPORTANDUM FRUMENTUM IMPERARE UT VECTURAE DIFFICULTATE AD QUAM VELLENT EXISTIMATIONEM PERVENIRENT. corruptus erat hic locus vitiosa interpunctione. sic enim legitur
b. in libris vulgatis, *ac rationem defensionis in* || *stituerunt. semper ad ultima ac difficillima loca*, et reliqua. ego interpunctionis notam locavi post vocem *defensionis*, ut verbum *instituerunt* ad ea quae sequuntur pertineat.

C. 86. §. 199 (294.). NUMMOS VERO UT DET [sic correxi istud *et* operarum commentum, non animadversum a Lambino Ind. Erratt. p. 848.] ARATOR QUOS NON ARATRO AC MANU QUAERIT BOVES ET ARATRUM IPSUM ET OMNE INSTRUMENTUM VENDAT NECESSE EST. quidam libri vulgati habent, *quos non exarat.* quae lectio non est fortasse reiicienda [nec tamen coniunctim sic edidit Lambinus, *quos non exarat*, *quos non aratro ac manu quaerit.* Beck. p. 479. Lambino ista vindicantem decepit Gruterus p. Gronov. 339, 88.].

C. 87. §. 200 (297.). SOSITENUS EST ENTELLINUS HOMO QUUM PRIMIS CIVITATIS PRUDENS ET DOMI NOBILIS. alibi legitur, *quum primis civitatis prudens* [vid. Drakenborch. ad Livii 30. 42, 14. Tom. 9. p. 411. addendum Orelliano Thes. p. 263].

§. 201 (299.). HOC ARATOR ASSEQUI PER TRIENNIUM * CERTO FRUCTU SUO NON POTUIT. quid sibi velint haec *certo fructu suo*, non satis prospicio. quidam legendum putant, *certe fructu suo non potuit* [idque habet margo edit. a. 1584.], nonnulli, *profecto fructu suo non potuit*, alii, *toto fructu suo*, quidam, *cetero fructu suo.*

C. 91. §. 213 (314.). HOC ENIM MIHI SIGNIFICASSE ET ANNUISSE VISUS EST. quidam legi volunt *innuisse* [improbante Lambino, inquit Beck. p. 485. inserendum Orellianis p. 266. vid. annotata ad I. Accus. C. 61. §. 158.].

Ibid. ET HIC UTRUM MIHI DIFFICILE EST DICERE AN HIS EXISTIMARE ITA SE IN ILLO INFINITO IMPERIO M. ANTONIUM GESSISSE UT MULTO ISTI PERNICIOSIUS SIT DICERE SE IN RE IMPROBISSIMA VOLUISSE ANTONIUM IMITARI QUAM POSSIT [non *posset*, Beck. p. 468.] DEFENDERE NIHIL IN VITA SE M. ANTONIO SIMILE FECISSE. sic legendum est, non, ut vulgo, *quam se possit*, neque ut vult Hotomanus, *quam si posset.* sententia est aperta. significat enim, perniciosius esse Verri dicere, se in re improbissima Antonii factum imitari voluisse, quam facile aut *δυνατὸν* probare, nihil se in vita M. Antonio simile fecisse.

Ibid. HOMINES IN IUDICIIS AD CRIMEN DEFENDENDUM NON QUID FECERIT QUISPIAM PROFERRE SOLENT SED QUID PROBARIT. sic emendavi. *quid probarit* autem, id est quid huiusmodi fecerit, ut

recte factum vulgo existimetur. sic M. Tullius Epistolarum lib. 1. ad Lentulum [ep. 9. p. 12, 29.], *tantum contendere in re publica quantum probare tuis civibus possis.* idem in Divinatione in Caecilium [p. 54, 35. id est C. 22. §. 72.], *si in hac causa nostrum officium ac diligentiam (populo Romano) probaverimus.*

C. 93. §. 216 (320.). QUONIAM NON EODEM TEMPORE NEQUE SIMILI FECIT ANNONA. sic Hotomanus emendavit, cui assentior.

C. 94. §. 220 (326.). IN QUO PRIMUM IRIURIAE GRADU RESISTERE INCIPIET SEVERITAS IUDICIS. quidam legendum putant *in quoto* [probante Lambino, Beck. p. 490.].

C. 96. §. 223 (330.). PRAECLAROS VERO EXISTIMAS IUDICES NOS HABERE QUOS ALIENIS PECCATIS CONCESSUROS PUTES QUO FACILIUS IPSIS PECCARE LICEAT. sic emendavi, atque ita sine dubio legendum est. vulgata autem lectio *praeclaros viros* reiicienda et damnanda, ut inepta.

C. 97. §. 226 (336.). QUIBUS QUUM DECUMAS DARE DEBERENT VIX IPSAE DECUMAE RELICTAE SUNT. quis non videt, ita esse legendum vel invitis libris omnibus, non ut in vulgatis, *vix ipsis?*

IX.

IN ACCUSATIONIS LIBRUM QUARTUM.

C. 1. §. 1. VOS EAM SUO NON NOMINIS PONDERE PENDITOTE. sic habent omnes libri manu scripti [et ita legendum vidit Adrianus Turnebus Adverss. 25, 5.].

§. 2. QUOD AD OCULOS ANIMUMQUE ACCIDERIT. sic habent libri quattuor manu scripti, quos secutus sum. nam vulgati habent, *quod oculos animumque accenderit.* quam lectionem reieci ut suppositam ab eo, qui veram et Cicerone dignam non intelligeret. ita enim saepe loquitur, *accidit ad aures, ad oculos, ad animum* [cf. Nizolium a Facciolato castigatum p. 10, 1.], et item Lucretius.

C. 3. §. 5. ITEM ANTE HOSCE DEOS ERANT ARULAE QUAE CUIVIS SACRARII RELIGIONEM SIGNIFICARE POSSENT. sic est emendatum in codice Memmiano ex duobus libris manu scriptis, et in Cuiaciano ex uno.

Ibid. CANEPHORAE IPSAE VOCABANTUR. nonnulli libri habent *canephoroe*, quod fortasse rectum est, alii *canephoroi* [id est *κανηφόροι*], quod etiam probabile est. quemadmodum et infra p. 163, 3. [nobis C. 8. §. 18.], ubi libri vulgati habent *canephoras*, in manu scriptis est *canephoros* [ex Omissis Tom. 4. p. 625, 1.].

§. 6. QUI TAMEN SIGNA ATQUE ORNAMENTA SUA CUIQUE REDDEBANT NON OBLATA EX URBIBUS SOCIORUM QUATTRIDUI CAUSA PER SIMULATIONEM AEDILITATIS. libri manu scripti habent *quattridui causam*, unde coniecturam facio legendum, *per causam et simulationem aedilitatis.* omnino vox *quattridui* mihi suspecta est. tum *quattridui causa* genus loquendi inusitatum [sed vid. Ernestum, summum virum, p. 376, 6.].

C. 4. §. 7. TOT HOMINES CUIUSQUEMODI. libri manu scripti habent *tot homines eiuscemodi.* ego nihil muto. quod si mutandum sit, malim legi *cuicuimodi*, seu *cuiuscuiusmodi* [vide quae disputantur ad II. Rhetorr. C. 45. §. 134.].

C. 6. §. 11. QUID SI MAGNITUDINE PECUNIAE EI PERSUASUM EST [vid. Io. Nic. Madvigii Ep. Crit. ad Orell. p. 26.] VERISIMILE NON EST UT ILLE HOMO TAM LOCUPLES TAM HONESTUS RELIGIONI SUAE MONUMENTISQUE MAIORUM PECUNIAM ANTEPONERET. suspectus mihi hic locus est, quemadmodum et ille, qui est in Oratione pro Roscio Amerino [p. 33, 7. nobis C. 41. §. 121.], *non est verisimile*, *ut Chrysogonus horum litteras adamarit.* ubi dixi vocem *verisimile* videri ab aliquo intertextam [vid. disputata ad Orat. pro Sext. C. 36. §. 78. p. Lambin. 473, 16. Commentariis vero Horatianis, inde ab a. 1561. in lucem editis, haec posita leguntur ad II. Satirr. 5, 18. p. 160. A. »et fortasse M. Tullius »libro quarto Accusationis ita locutus est non longe a principio, »mutata scilicet interpunctione, *quid, si magnitudine pecuniae persuasum est? verisimile non est. ut ille homo tam locuples, »tam honestus, religioni suae monumentisque maiorum pecuniam »anteponeret?* nam haec legi coniuncte, *verisimile non est, ut »ille homo tam locuples, tam honestus*, non placet. quamquam »non sum oblitus, me nuper, quum M. Tullii Opera Omnia »edidi, paullo aliter hunc locum legendum esse putavisse.« scripsit haec Lambinus a. 1567.].

§. 12. CUPIDINEM PRAXITELI. sic legendum, et ita habent libri veteres. *Praxiteli* autem patrii casus est [vid. Annot. ad II. de Orat. p. 147, 10. C. 22. §. 93. et ad Brut. p. 209, 21. nobis C. 5. §. 29. neque tamen satis constantes sunt VV. DD. in istis genitivis. itaque in hac ipsa Oratione Lambinus p. 160, 35. C, 2. §. 4. *Praxitelis* dare maluit, quam *Prvxiteli*, et III. Accus. C. 66. §. 154. p. 146, 9., item C. 69. §. 163. p. 147, 49. *Timarchidis* legitur, contra *Timarchidi* C. 73. §. 171. id est p. Lambin. 149. 27. cff. quae ad Madvigio in hanc rem disputata sunt Epist. Crit. ad Orellium p. 21. 2.].

C. 7. §. 14 (15.). IN AUCTIONE SIGNUM AENEUM NON MAXIMUM ~~LLS~~ CXX MILIBUS VENIRE NON VIDIMUS? libri manu scripti habent ~~LLS~~ *XL milibus.*

§. 15 (16). NE FORTE DUM PUBLICIS MANDATIS SERVIT DE PRIVATIS INIURIIS RETICEAT. videtur legendum, *ne forte, dum privatis iniuriis servit, de publicis mandatis reticeat* [vid. Beck. Tom. 2. p. 11.].

C. 8. §. 17 (20.). extr. UTITUR HAC LEGE QUA IUDICIUM EST COMMUNIS ET PRIVATAE REI SOCIORUM. secutus sum libros vulgatos. nam manu scripti plane mendosi sunt, in quibus ita scriptum est, *qua iudicium est munia arce sociorum.* ex qua scriptura coniicere quis possit legendum esse, *hac lege tanquam communi arce sociorum* [sic fidenter correxi istud *acie sociorum* commentum librarii, cuius segnitiem parum a Lambino castigatam pluribus locis deprehendas.].

§. 18 (21.). RES ILLUM DIVINAS APUD SE IN SUO SACRARIO. sic emendavi, quum libri omnes habeant partim *apud eos*, partim *apud deos.*

Ibid. PROPE QUOTIDIE FACERE VIDISTI. libri manu scripti habent *prope quotidiano.* unde quis suspicari possit legendum *quotidianas*, ut cohaereat cum *res divinas* [antiquum verbum *quotidiano* sive *cotidiano* adverbii potestate sumptum, ut *matutino*, *hesterno* et similia, in quibus intelligitur *tempore*, probat Bentleius Comment. in Terentii Heautontim. 4. 5, 6. p. edit. Lips. repet. 274. 5., post Bentleium Ruhnkenius notis ad Rutilium Lupum 1, 2. p. 11. et Madvig. Epist. Crit. p. 60. adde Pareum Lex. Crit. p. 1655, 1. et Mantissa Lex. Critici p. 82, 1.].

Ibid. TIBI HABE CANEPHORAS DEORUM SIMULACRA RESTITUE. libri manu scripti habent *canephoros*, et ita legendum puto [vid. Annot. ad h. l. C. 3. §. 5.].

C. 10. §. 22 (27.). ITA C. CATO DUORUM HOMINUM CLARISSIMORUM NEPOS. nihil deest [deesse aliquid interpretes antiquiores suspicati sunt. itaque Hotomanus suppleri voluit, *ita* scilicet *inimicos habuit Mamertinos* C. Cato]. tantum subauditur aut repetitur *ἀπὸ κοινοῦ condemnatus est.* quasi ita diceret, *ita*, inquam, *C. Cato condemnatus est.* quod loquendi genus alibi notavimus [Commentariis Horatianis ad II. Satirr. 7, 2. p. edit. Francof. 181. D. totum hunc locum tanquam insiticium uncinis inclusit Ernestus, probante Wyttenbachio Bibl. Crit. Vol. 1. P. 2. p. 1. sed vide, quae in contrariam partem disputantur a Madvigio Ep. Crit. ad Orellium p. 27.].

Ibid. TUM QUUM SEVERA IUDICIA FIE || BANT. libri veteres plerique non habent vocem *severa.* sp. 686. a.

Ibid. IN TIMARCHIDI PRANDIUM. sic legi debet, et ita est scriptum in libris antiquis. *Timarchidi* autem patrius casus est, quo libenter utebantur veteres, quemadmodum supra admonuimus [ad II. de Orat. C. 22. §. 93. p. 147, 10. cf. Annotata ad h. l. C. 6. §. 12.]. infra autem proximo versu, ubi libri vulgati habent *undique deportabantur*, manu scripti habent *deferebantur.*

C. 12. §. 27 (34.). extr. ROGAVI PERVENISSENTNE AGRIGENTUM DIXIT PERVENISSE QUAESIVI QUEMADMODUM REVERTISSENT NEGAVIT ADHUC REVERTISSE. sic est emendatum in codice Memmiano et Cuiaciano, et veteribus. nam vulgati habent, *an domum revertissent* [idque defendit Ernestus p. 384, 24.].

§. 29 (36.). QUOD QUIA VIDISTI PLURES SCIRE COGITASTI SI EI REDDIDISSES TE MINUS HABITURUM. sic habet unus liber manu scriptus et item quidam vulgati, alii *te minus invidiae habiturum* [Beck. p. 20. »aptius est ingenio Verris, si dicitur, eum cogitasse se minus habiturum esse, redditis phaleris.«].

C. 13. §. 31 (39.]. ET PERVESTIGABANT UT UBI QUICQUID ESSET ALIQUA RATIONE INVENIRENT. id est, ubi *quicque* esset, quomodo saepe usurpat Lucretius [vid. Pareum Lex. Crit. 1039, 1. 2.].

C. 16. §. 35 (46.). VERUM UTI LILYBAEUM UNDE DEGRESSA EST ORATIO REVERTATUR. libri duo manu scripti habent, *unde degressa est oratio revertamur* [et sunt qui *digressa* praeferant. itaque laudavit in eam rem Garatonius Drakenborchium ad Livii 4. 17, 11. Tom. 2. P. 2. p. 158.].

C. 17. §. 37 (49.). TU C. CACURII PROMPTI HOMINIS ET EXPERIENTIS. legendum fortasse est *C. Curii* [sed vid. Ernest. p. 388, 43.].

Ibid. A LISONE VERO LILYBAETANO PRIMO HOMINE APUD QUEM DEVERSATUS ES APOLLINIS SIGNUM ABLATUM CERTE NON OPORTUIT. libri scripti omnes habent *deversatus es*, ut edi iussimus [vid. ad I. Accus. C. 25. §. 64.]. et supra, ubi vulgati habent *divertisti* [? p. 164, 15. C. 11. §. 25. *devertisset*, ibid. *devertit*], illi *devertisti* [vid. ad II. de Invent. C. 13. §. 43.].

C. 19. §. 41 (58.). RES CLARA SICILIA TOTA. secutus sum libros manu scriptos. nam vulgati habent, *reclamat Sicilia tota* [illud rescribendum esse, libris auctoribus, Adr. Turnebus Adverss. 8, 10. docuerat. vid. Madvig. Ep. Crit. p. 28.]. infra, proximo versu, iidem manu scripti, ubi vulgati habent, *praesentes reos fieri*, non habent *praesentes*. quos item secutus sum [Ernest. p. 390, 48. »*reos fieri* deleverim, ut fecit Paullus Manutius, sed non sine libris auctoribus, quos nullos habeo.« cf. Madvig. l. l.].

C. 21. §. 46 (67.). PATELLA GRANDIS CUM SIGILLIS AC SIMULACRIS DEORUM. legendum fortasse est *patina grandis*, et ita aliis in locis [Beck. p. 32. »non sollicitandum esse nomen *patellae* ob epitheton docet Lambinus«.].

§. 47 (68.). SED OMNIUM CUPIDISSIMORUM INSANIAS. secuti sumus libros manu scriptos. nam vulgati habent *omnium avarissimorum*.

C. 23. §. 51 (75.). ILLA VERO OPTIMA. subintellige *iudicia et exempla*. sed legendum fortasse est, *illa vero notissima*.

Ibid. IPSE IN OPPIDUM ASCENDERE NOLUIT. sic reposui. neque vero dubium est, quin ita legendum sit. nam primum *accedere in urbem* non dicunt Latini [cf. Ruddimann. Instt. Gr. L. Vol. 2. p. edit. Lips. 134. et Pareum Lex. Crit. p. 16, 2.]; deinde, si maxime sit Latinis usitatum, tamen *accedere in urbem* non esset *intrare in urbem*. postremo apparet, hanc urbem fuisse in monte sitam. itaque *ascendere* convenit (et ita mox loquitur), *accedere* nullo modo, utpote qui iam ad urbem accesserat, neque longe ab urbe aberat, ad mare infra oppidum [confundi

a librariis haec verba docuit Drakenborch. ad Livii 28. 16, 7. Tom. 8. p. 844. et ad Silii Italici 13, 182. p. 647.].

C. 24. §. 53 (78.). ET SI QUAERITIS UT EGOMET MIHI DETRAHAM. nihil muto. verumtamen non celabo lectorem, me in nonnullis manu scriptis reperisse scriptum, *ut ipse de me detraham* [et sic habet Nonius 4, 148. p. Mercer. 287, 31.].

§. 54 (80.). QUANTI TESTES SICULOS NEGOTIATORESQUE FECERIT. libri manu scripti habent *quanti testes, Siculos negotiatores fecerit* [cf. Ernest. p. 397, 70].

Ibid. INSTITUIT OFFICINAM SYRACUSIS IN REGIA MAXIMAM. hunc locum emendavi, posita hic interpunctione post nomen *maxîmam* et ex *regiam* detracta littera *m.* idque ex auctoritate duorum librorum manu scriptorum [receperunt correctionem, pluribus deinceps firmatam libris, quum alii tum Ernestus, qui tamen eius auctorem falso Graevium laudavit p. 397, 71.].

Ibid. EO CONDUCIT MAGNAM HOMINUM MULTITUDINEM. libri duo manu scripti habent *eo concludit magnam hominum multitudinem* [Beck. p. 39. »tres codices auctore Lambino, *eos concludit magna hominum multitudine.*« vid. Madvigium Ep. Crit. p. 69. mutata distinctione e bonis libris sic reponentem, *eos concludit* (id est artifices sive potius *aurifices*, quos et ipse suos complures habebat et undique convocari iusserat), *magnam hominum multitudinem.*].

C. 25. §. 56 (83.). SUNT VESTRUM IUDICES ALIQUAMMULTI QUI L. PISONEM COGNORUNT HUIUS L. PISONIS QUI PRAETOR FUIT PATREM. sic restitui, quum esset scriptum in libris manu scriptis *alii quam multi*, in vulgatis autem *quam multi.* plane mendose [vid. Pareum Lex. Crit. p. 72, 2].

§. 57 (84). ISTE QUUM ALIQUOT ABACORUM FACERET VASA AUREA NON LABORAVIT QUID NON MODO IN SICILIA VERUM ETIAM ROMAE IN IUDICIO AUDIRET. Hotomanus vult legi, *non laboravit quin non modo in Sicilia verum etiam Romae in iudiciis audiretur.* in libris manu scriptis nihil est varietatis in verbo *audiret*, sed in particula *quin.* illi enim habent, *non laboravit quid non modo in Sicilia verum etiam Romae in iudiciis audiret* [nempe Verres, quid de se diceretur.]. quae scriptura sine dubio recta est et iam ante a Mureto libro 3. Variarum Lectionum [c. 8. Operum Tom. 2. p. Ruhnken. 64.] comprobata.

C. 26. §. 59 (87.). ATTALUS HOMO PECUNIOSUS NEC UNUS E VULGO LILYBAEI. liber unus manu scriptus habet *netyliso*, cuius scripturae rationem exputare non possum. alii fere omnes vulgati habent, partim *nec e vulgo*, partim *nec vulgo.* locus est mendosus. legendum fortasse est, *Attalus homo pecuniosus Neti, Lyso Lilybaei.* Netini Siciliae populi [cf. Turneb. Adverss. 8, 10. Beck. p. 41. »Lambinus monet, etiam *Necti* scribi posse.«].

C. 27. §. 62 (91.). DE HIS DECUMIS. liber manu scriptus unus habet *de suis decumis.*

Ibid. EXPONIT SUAS COPIAS OMNES. profert hunc locum Nonius in verbo *exponere* [4, 182. p. Mercer. 299, 3.], quod interpretatur hic *ostendere*.

C. 28. §. 64 (94.). NEQUE PONERE POTUERUNT. verbum *potuerunt*, quod desideratur in libris vulgatis, restitui ex fide codicum manu scriptorum, quamvis apud Nonium in verbo *offendere* [4, 340. p. Mercer. 358, 23.] legitur *potuere* [in edit. Mercer., quam modo laudavi, p. 359, 12. legitur, *neque ponere voluerunt*.].

C. 29. §. 66 (98.). NIHILO MAGIS MINIS QUAM PRECIBUS PERMOVERI. in libris manu scriptis scriptum est *removeri*. quod magis probo.

§. 67 (99.). ATQUE AFFINGERE ALIQUID SUSPICIONI HOMINUM. sic reposui leviter immutata vulgata scriptura, et *e* in *i* converso in voce *suspicione*.

C. 34. §. 75 (111.). QUASI ILLA IPSA FACE PERCUSSUS ESSET. nihil muto, neque quicquam varietatis reperi in libris manu scriptis [vid. Madvig. Epist. Crit. p. 72.]. verumtamen quidam viri docti putant legendum, *perustus esset*. Agroetius in libello de Orthographia legit *perculsus esset* [sollemni verborum *percutiendi* et *percellendi* in scriptis confusione, de qua accurate, ut solet, Drakenborchius ad Livii loca plura et ad Silii 2, 213. p. 79.], de quo me admonuit Petrus Daniel Aurelianensis.

C. 36. §. 78 (118.). QUI NON OBTRIVIT ALIQUA EX PARTE MONUMENTA P. SCIPIONIS SED FUNDITUS DELEVIT AC SUSTULIT. sic emendavit Hotomanus coniectura ductus. iam et vulgati, qui partim habent *obtrusit* partim *obruit*, et manu scripti, qui habent *obstruxit*, mendosi sunt.

C. 38. §. 82 (124.). NOMEN INVICTISSIMI IMPERATORIS INCIDA-
b. TUR. liber unus manu scriptus habet, *nomen* || *invicti imperatoris* [Beck. p. 56. »*nomen invictissimi imperatoris* serioris aetatis indolem refert.«].

Ibid. SIGNUM PULCHERRIMUM KARTHAGINE CAPTA RECUPERATUM REPONATUR. sic restitui, rectae scripturae vestigia in codicibus manu scriptis obscure apparentia et fere obsoleta secutus. ita enim in duobus scriptum est, *captum recuptum*. unde legendum conieci *capta recuperatum*, quae lectio et Hotomano venerat in mentem.

C. 39. §. 85 (128.). ITA TUM EX ILLO OPPIDO PROFICISCITUR. libri manu scripti habent, *ita statim ex illo oppido proficiscitur*.

C. 42. §. 90 (136.). DEDIT IGITUR TIBI NUNC FORTUNA SICULORUM C. MARCELLUM IUDICEM UT CUIUS AD STATUAM SICULI TE PRAETORE ALLIGABANTUR EIUS RELIGIONI TE EUNDEM VINCTUM ASTRICTUMQUE DEDAMUS. legendum fortasse est, *astrictumque videamus* [probavit emendationem plane palmariam Madvigius Epist. Crit. p. 74.].

C. 43. §. 94 (140.). UT RICTUM EIUS AC MENTUM PAULLO SIT ATTRITIUS. sic legit Nonius Marcellus [verbo *rictus* 3, 186. p.

Mercer. 221, 16.], et ita scriptum est in libris manu scriptis, non, ut in vulgatis, *rictus*. *rictum* autem in neutro genere usurpavit et Lucretius libro 1. [non 1., sed 5, 1063.], *mollia ricta tremunt* [ita et Nonius l. l. p. 221, 18.] *duros nudantia dentes*. et 6. [1192. 3.], *frigida pellis duraque inhorrescens rictum, frons tenta minebat*. seu ut quidam legunt, *inhorrebat rictum* [vid. Io. Gerard. Voss. de Analog. 1, 36. p. 158.].

Ibid. NON HOSTIUM ADVENTU NEC OPINATO. sic habent duo libri manu scripti, quorum auctoritatem quamobrem non sequeremur, nulla causa visa est.

§. 95 (142.). QUOD CUIQUE FORS OFFEREBAT. sic est legendum, et ita scriptum est in libris antiquis. mendose autem habent vulgati *sors offerebat* [vid. Drakenborch. ad Livii 1. 4, 4. Tom. 1. P. 1. p. 57. sq. et ad Silii Italici 15, 105. p. 748.].

C. 44. §. 96 (144.). AEDITIMI CUSTODESQUE MATURE SENTIUNT. *aeditimi* legendum, et ita est in libris manu scriptis. idem autem valet *aeditimi* quod *aeditui*, de qua voce lege Gellium libro 12. cap. 2. [non ita, sed NN. AA. 12, 10. ubi nunc legitur *aedituumi*.].

C. 45. §. 102 (151.). QUI ID POTES QUI NE EX VIRO QUIDEM AUDIRE POTUERIS. libri manu scripti habent, *qui id potes?* quomodo excudendum curavimus. legendum fortasse est, *qui id pote est? pote* autem, id est *δυνατόν*. aut scriptura antiqua retinenda et ita explicanda, *qui id potes* audisse ex viro bono?

C. 46. §. 103 (153.). AB EO OPPIDO NON LONGE IN PROMONTORIO FANUM EST IUNONIS ANTIQUUM. libri veteres habent *promuntorio*, per *u* scriptum in secunda syllaba [vid. Drakenborch. ad Livii 10. 2, 4. Tom. 5. P. 2. p. 15.].

C. 47. §. 104 (156.). QUEM LEGIBUS AC IUDICIALI IURE PERSEQUOR. hoc *iudiciali iure* mihi suspectum est, videturque vox *iudiciali* delenda aut transferenda in alium locum inferiorem, ut legamus, *per iudicialem tabellam*. hic autem sic, *quem legibus ac iure persequor?*

C. 50. §. 110 (168.). QUI TANDEM ISTIUS ANIMUS EST NUNC IN RECOGNITIONE SCELERUM SUORUM. libri duo manu scripti, quorum alter Memmianus, alter Cuiacianus est, habent *nunc in recordatione* [Beck. p. 73. »sed *recognitio* est iudiciale vocabulum (II. Accus. c. 6. §. 18.), et plus est *recognoscere* quam recordari.«].

§. 112 (170). ENNAE TU DE MANU CERERIS VICTORIAM DERIPERE ET DEAM DEAE DETRAHERE CONATUS ES? sic legendum, non *diripere*. *deripere* autem, id est de aliquo loco rapere, de quo nos alias scripsimus [Commentariis Horatianis ad I. Carmm. 9, 23. p. Francof. edit. 30. E. et vid. Annot. quum ad IV. Herenn. c. 39. §. 51. p. Lambin. 46, 20., tum ad Orat. pro Sylla p. 371, 35. id est c. 1. §. 2.]. in manu scriptis libris scriptum reperi *eripere*, ut magis credas, a M. Tullio scriptum esse *deripere*.

C. 51. §. 113 (171.). QUONIAM HAEC A MAIORIBUS INSTITUTA ACCEPISSENT. sic emendaram iam pridem in meo codice, sola coniectura ductus. idem nunc in sententia maneo, postquam *instituta* reperi, sine ulla litura aut varietate, in codicibus manu scriptis [Beck. p. 74. »nihil tamen interest, quum *constituta* eodem sensu dicatur.«].

Ibid. extr. UT QUAECUNQUE ACCIDANT PUBLICE PRIVATIMQUE INCOMMODA PROPTER EAM CAUSAM SCELUSQUE ISTIUS EVENIRE VIDEANTUR. libri vulgati habent, *propter eam causam*, *scelere istius*, manu scripti, *propter eam causam sceleris istius*. quidam reposuerunt *causam scelusque*, quos secuti sumus. verumtamen *scelere* et *sceleris* puto esse ab aliquo adiecta et sic legendum, *propter eam causam evenire videantur* [cf. Beck. p. 74., et post hunc plura etiam disputantem de hoc loco Madvig. Epist. Crit. p. 79. sqq.].

§. 114 (174.). MEDEMINI RELIGIONI SOCIORUM IUDICES CONSERVATE VESTRAM. sic legendum, et ita scriptum est in libris manu scriptis, sine voce *auctoritatem*, quae sine dubio ab aliquo arrogante et stolido adiecta est, qui non videret subintelligi *religionem*.

C. 52. §. 116 (176.). FORUM SYRACUSANORUM QUOD INTROITU MARCELLI PURUM A CAEDE SERVATUM EST ID ADVENTU VERRIS SICULORUM INNOCENTIUM SANGUINE REDUNDASSE. sic habent libri manu scripti, et ita sine dubio est legendum, non ut in vulgatis, a *plurima caede*. est enim lectio illa inconcinna et inepta, haec concinna et elegans et Cicerone digna [illud *a plurima caede* repudiatum et a Turnebo Adverss. 8, 12.].

C. 53. §. 119 (180.). SIGNUMQUE APPOLLINIS QUI TEMENITES VOCATUR PULCHERRIMUM ET MAXIMUM. tam varia est huius loci scriptura, ut facile appareat, eum esse corruptum. alii enim habent *Thesmotes*, alii *Themictes*, alii *Themistes*, alii *Temnites*, alii *Themites*. adde, quod docti quidam legi volunt *Thesmothetes*. ego *Temenites* excudendum curavi, proxime accedens ad scripturam veterem. *Temnites* enim scriptum reperi in duobus libris manu scriptis. *Temenites* autem dictus est Apollo a loco, qui *τέμενος* dictus est, de quo sic Stephanus [p. 647. D.], *τέμενος τόπος Σικελίας ὑπὸ τὰς Ἐπιπολὰς πρὸς ταῖς Συρακούσαις, οὗ οἰκήτωρ Τεμενίτης*. id est, *temenos locus Siciliae sub Epipolis iuxta Syracusas, cuius incola temenites appellatur*. quum haec scripsissem itaque emendassem, exierunt in lucem libri 12. priores Adversariorum Adriani Turnebi, viri singulari doctrina praediti, in quorum libri 8. capite 12. hoc idem ei venisse in mentem videre licet.

C. 54. §. 121 (182.). PUTAVIT SI URBIS ORNAMENTA DOMUM SUAM NON CONTULISSET DOMUI SUAE ORNAMENTO URBEM FUTURAM. sic reposui, veritatem et rationem secutus. quomodo enim domus Marcelli urbi poterat esse ornamento, si nulla signa eius domum essent deportata? nunc autem urbs, signis Syracusanis or-

nata, domui Marcelli est ornamento [Beck. p. 78. »sed vulgatae etiam sensus inest. domus, insigne abstinentiae documentum, hanc ipsam ob causam urbi futura erat ornamento.«].

C. 55. §. 122 (184.). AGATHOCLI REGIS. sic est legendum, et ita est in libris manu scriptis. *Agathocli* autem pro *Agathoclis* positum, ut saepius a nobis dictum est [vide annotata ad h. l. c. 10. §. 22. p. 163, 43.].

C. 56. §. 124 (187.). TAM ESSE ME CUPIDUM. locus suspectus. quid enim haec sibi volunt? *cuius rei* cupidum? itaque putarem legendum esse, *tam esse me crimi* || *nandi cupidum*, aut alio P. 687. a.
simili modo.

Ibid. CONFIRMARE HOC LIQUIDO IUDICES POSSUM VALVAS MAGNIFICENTIORES EX AURO ATQUE EBORE PERFECTIORES NULLAS UNQUAM ULLO TEMPORE FUISSE. legendum videtur, *nullas unquam ullo in templo fuisse* [ex Omiss. post Tomum 1. p. 380, 1. est in codice Ursini, et Hotomanus ita scribendum coniecerat. cf. Turneb. Adverss. 8, 12].

§. 125 (189.). ETIAMNE GRAMINEAS HASTAS? sic habent omnes libri etiam veteres, neque assentior Hotomano existimanti, legi potius oportere *fraxineas*. nam etiam Servius ad illum Virgilii locum libro Aeneid. 5. [v. 287. Tom. 2. p. Burmann. 636, 1.], *gramineum in campum*, hanc lectionem probat interpretaturque *gramineum* graminosum [intelliguntur arundines Indicae, Bambusrohr. vid. Garaton. notis ad Plancianam p. Orell. 267. Nizolius a Facciolato castigatus p. 332, 1. »*etiamne gramineas hastas*? lege *gravissimas*. nam de iisdem hastis subiicit Cicero »*in quibus neque manu factum quicquam neque pulchritudo erat* »*ulla, sed tantum magnitudo incredibilis*.«].

C. 57. §. 126 (190.). SILANIONIS OPUS. in libris manu scriptis neque est praenomen *Marci*, neque *Annaei* [vid. Plin. Hist. Nat. 34, 8. sect. 19. Tom. 2. p. Harduin. 649, 8.].

Ibid. SPECTET FORUM ORNATUM SI QUID ISTE SUORUM AEDILIBUS COMMODAVIT. secutus sum duos libros manu scriptos et aliquot vulgatos. nam alii vulgati habent, *spectat eorum ornatum*. adde, quod Hotomanus vult legi *aedibus* pro *aedilibus*. sed idem habebat in suo codice *eorum ornatum* [cff. a Madvigio disputata Epist. Crit. p. 83.].

C. 58. §. 129 (195.). HINC CONIICERE POTESTIS. libri vulgati habent, *hinc colligere potestis*.

C. 59. §. 132 (200.). NULLAS GRAECI HOMINES GRAVIUS TULERUNT NEC FERUNT QUAM HUIUSMODI SPOLIATIONES FANORUM ATQUE OPPIDORUM. duo libri manu scripti habent, *gravius fleverunt ac tulerunt*.

§. 133 (201.). GRAECOS HOMINES HAEC VENDITARE COEPISSE. sic habent libri manu scripti, quos quamobrem hic improbarem, nulla causa visa est. nam *venditare* nihil est aliud, quam vendere velle, quod huic loco valde convenit [vid. Pareum Lex. Crit. p. 1271, 1.].

C. 60. §. 135 (205.). VERUM ILLUD EST QUAMOBREM HAEC COMMEMORAREM QUOD EXISTIMARE VOS HOC VOLO MIRUM QUENDAM DOLOREM ACCIDERE IIS EX QUORUM URBIBUS HAEC AUFERANTUR. duo libri manu scripti habent, *mirum quendam dolorem accipere eos, ex quorum urbibus haec auferantur.* quae lectio mihi valde probatur [probatur et Madvigio Epist. Crit. ad Orell. p. 83.].

C. 61. §. 136 (206.). extr. SIMUL ET VEREBAR NE MULIERUM NOBILIUM ET FORMOSARUM GRATIA QUARUM ISTE ARBITRIO PER TRIENNIUM PRAETURAM GESSERAT VIRORUMQUE QUIBUSCUM ILLAE NUPTAE ERANT NIMIA IN ISTUM NON MODO LENITUDINE SED ETIAM LIBERALITATE OPPUGNARER SI QUID EX LITTERIS SYRACUSANORUM CONQUIREREM. nihil muto. sed tamen non celabo lectorem amici cuiusdam mei coniecturam, qui putat legendum *lentitudine.* quam ego valde probo, planeque ita legendum puto [probatur etiam VV. DD. ad Anthol. Lat. Tom. 2. p. 595. sed neque codices addicere videntur, nec favet correctioni Nonius Marcellus 2, 487. p. Mercer. 132, 2. v. *lenitudine.*].

C. 63. §. 140 (213.). UT QUISQUE EIS REBUS TUENDIS CONSERVANDISQUE PRAEFUERAT ITA PERSCRIPTUM ERAT. *conservandisque* abest ab uno codice manu scripto.

C. 64. §. 142 (215.). MOS EST SYRACUSIS UT SI QUA DE RE AD SENATUM REFERATUR DICAT SENTENTIAM QUI VELIT NOMINATIM NEMO ROGATUR. duo libri scripti habent, *ad Senatum referant.*

§. 143 (217.). NAM PRINCIPUM SENTENTIAE PERSCRIBI SOLENT. sic habent libri duo manu scripti, vulgati autem, *nam principium sententiae perscribi solet.* plane inepte. Hotomanus autem legendum existimat, *principio sententiae perscribi solent.* quod reiicio [Beck. p. 91. »apud Syracusanos in senatus con»sulto enarrabantur sententiae principum, deinde quid a pluri»bus decretum esset.« illud vero *principium* Gruterus antique dictum existimabat, vid. Drakenborch. ad Livii 2. 27, 12. T. 1. P. 1. p. 225.].

C. 66. §. 149 (227.). NEGARE ILLUD SC. IN QUO PR. APPELLATUS ESSET MIHI TRADI OPORTERE. sic restitui ex codicibus antiquis. *PR.* autem, id est *Praetor.* unde tamen scriptores librarii fecerant *populus Romanus* [vide ad I. Accus. c. 42. §. 108. et cf. quae notantur ab Drakenborchio ad Livii 31. 10, 4. Tom. 9. p. 464.].

C. 67. §. 150 (230.). FUISSE MESSANAM OMNIUM ISTIUS FURTORUM AC PRAEDARUM RECEPTRICEM NEGARE NON POTERUNT. quidam legi volunt *receptatricem* [inserendum Orellianis p. 325. cf. V. Accus. c. 62. §. 160. p. Lambin. 214, 6. tertius locus est IV. Accus. c. 8. §. 17. id est p. 162, 44. sed eum locum Lambinus silentio praetermisit.].

X.

IN ACCUSATIONIS LIBRUM QUINTUM.

C. 1. §. 3. QUANTUM MOMENTI ORATIO M. ANTONII HABUISSE EXISTIMATA SIT. quidam legendum censent *ratio* [vid. ad II. de Invent. c. 38. §. 112.].

C. 3. §. 7 (11.). PASTOREM CUIUSDAM FUISSE. legendum fortasse est, *pastorem cuiusdam fecisse* [cf. Drakenborch. ad Livii 40. 50, 5. Tom. 11. p. 773.].

Ibid. QUAESISSE DOMITIUM QUI TANTAM BESTIAM PERCUSSISSET. alii libri habent, *quo tantam bestiam percussisset.*

C. 4. §. 8 (12.). PERFACILE ENIM SESE SICILIA TUEBATUR NE QUOD IN IPSA BELLUM POSSET EXISTERE. libri manu scripti habent, *ut neque ex ipsa bellum posset existere.* unde suspicari possit aliquis legendum *ut ne quod* [probaverunt quum alii, tum Madvig. Epist. Crit. p. 99.].

§. 10 (14.). DOMINO DENUNCIATUM EST UT ADESSET CAUSA DICTA DAMNATI SUNT. in duobus libris manu scriptis deest hoc totum *ut adesset* [locum apertissime persanavit Madv. Epist. Crit. p. 35.].

C. 6. §. 13 (21.). AT NON AB IIS IPSIS QUI IUDICASSENT AT NON STATIM AT NON EORUM FACINORUM DAMNATI QUAE AD VITAM ET AD FORTUNAS OMNIUM PERTINERENT. secutus sum codices manu scriptos, qui habent hic tribus in locis proximis *at* pro *ut*, quod est in vulgatis. neque dubium est, quin ita sit legendum.

§. 14 (22.). QUIS NON PERTIMESCAT CAUSAM DICERE. VOX *dominos*, quae est in codicibus vulgatis et quibusdam manu scriptis, delenda est. non enim *domini* causam dixerunt, sed *servi* soli, ii qui in suspicionem coniurationis vocati essent [vid. Beck. p. 109.].

C. 7. §. 15 (24.). QUID IN LEONTE MAGARENSI NON IDEM FECISTI [lemma praefixum annotationi non *Magarensi*, sed *Megarensi* habet.]. libri manu scripti habent *in Leonida Acharensi* [in Prisciani 6, 8. §. 29. p. Putsch. 690. Tom. 1. p. Krehl. 238. e codicibus Lipss. 1. 2. repositum legitur *in Leonte Imacharensi*. cf. Beck. p. 110.].

§. 17 (29.). ISTE HOMINEM ABRIPI A TRIBUNALI ET IN CARCEREM CONIICI IUBET. sic legi debet, et ita scriptum est in libris manu scriptis.

C. 10. §. 25 (41.). extr. NEQUE AD C. MARII VIM ATQUE VIRTUTEM SED AD ALIUD GENUS IMPERATORUM ESSE REFERENDUM SANEQUE DILIGENTER RETINENDUM ET CONSERVANDUM. hunc locum in omnibus libris vulgatis corruptum non sine ope veterum codicum sane feliciter restitui [vid. Beck. p. 115. sq. et cf. Madvig. Epist. Crit. p. 36. sqq.].

§. 26 (43.). URBEM SYRACUSAS ELEGERAT CUIUS HIC SITUS ATQUE HAEC NATURA ESSE LOCI CAELIQUE DICITUR UT NULLUS UNQUAM

DIES TAM MAGNA AC TURBULENTA TEMPESTATE FUERIT QUIN ALIQUO TEMPORE EIUS DIEI SOLEM HOMINES VIDERENT. hunc locum ordo vocum perturbatus corrumpebat, qua perturbatione sublata et vocibus in suum ordinem restitutis in suam integritatem totus quoque locus restituitur [tractavit hunc locum egregie, ut pleraque, Madvigius Epist. Crit. p. 102.].

C. 11. §. 27 (45.). LECTICA OCTOPHORO FEREBATUR IN QUA PULVINUS ERAT PERLUCIDUS MELITENSIS ROSA FARTUS. etiam hic locus vitiosa interpunctione et unius litterae iactura corruptus erat. ita enim legitur in libris vulgatis, *Metitensi rosa fartus.* eum igitur sic emendavit Memmius, *pellucidus, Melitensis, rosa farctus.* non enim, inquit ille, *rosa* Melitensis, sed *linum* Melitense fuit in deliciis, utpote tenuissimum et subtilissimum, atque eius coniecturam libri veteres adiuvant.

Ibid. RETICULUMQUE AD NARES SIBI ADMOVEBAT TENUISSIMO LINO MINUTIS MACULIS PLENUM ROSAE. sic legit Nonius Marcellus [2, 560. p. Mercer. 141, 19. v. *minutum*, et 4, 318. p. 350, 14. v. *maculosum.* adde 4, 475. p. 411, 22. v. *tenue*, et 3, 189. p. 221, 30. v. *reticulum.*], et ita scriptum est in libris manu scriptis. vulgati autem habent, *ad nares sibi apponebat*, minus eleganter.

§. 28 (46.). NAM SCITOTE ESSE OPPIDUM IN SICILIA NULLUM EX IIS OPPIDIS IN QUIBUS PRAETORES CONSISTERE ET CONVENTUM AGERE SOLENT QUO IN OPPIDO NON ISTI EX ALIQUA FAMILIA NON IGNOBILI DELECTA AD LIBIDINEM MULIER ESSET. libri manu scripti habent, *dilecta ad libidinem mulier.* neque vero dubium, quin ita legendum sit. *dilecta* autem hic a verbo *dilego*, quod est inter multos lego, unde *dilectus militum* [vid. annotata ad II. de Orat. C. 9. §. 36. p. 140, 28].

b. C. 12. §. 29 (49.). ET LABOR OPERIS MA || XIME OFFENDITUR. libri veteres habent, *maxime offendit* [id est, in oculos incurrit?]. ego nihil muto, quamvis locus mihi suspectus sit. doctus quidam legendum putat, *ostenditur* [Ernest. p. 451, 35. »*offenditur* pro reperitur, deprehenditur, melius convenit praecedenti *perspicitur.*« sed vide disputata ad h. l. a Madvigio Epist. Crit. p. 103. sqq.].

Ibid. TUM INQUAM QUUM CONCURSANT CETERI PRAETORES ISTE NOVO QUODAM EX GENERE IMPERATOR PULCHERRIMO SYRACUSARUM LOCO STATIVA SIBI CASTRA FACIEBAT. alii legunt et hic *luco*, et item infra [v. 19. id est C. 13. §. 31.]. sed codices manu scripti habent *loco* [vid. Drakenborch. ad Livii 21. 48, 4. Tom. 6. P. 2. p. 248. sq.]. significat autem eum littoris locum, opinor, quem Syracusani *actam* appellabant.

§. 30. UBI PRIMUM EX ALTO. libri veteres habent *ut primum.* et recte. nam *ut* pro *ubi* saepe usurpant boni scriptores [sed vid. Madvig. Epist. Crit. p. 105.].

C. 13. §. 31 (53.). LOCUM ILLUM LITTORIS PERCREPARE TOTUM MULIERUM VOCIBUS CANTUQUE SYMPHONIAE. libri fere omnes vulgati habent *lucum*, sed manu scripti *locum* [et sic Nonius Marcellus 4, 62. p. Mercer. 255, 12. v. *crepare.*].

§. 33 (55.). RENOVABITUR PRIMA ILLA MILITIA QUUM ISTE E FORO ABDUCI NON UT IPSE PRAEDICAT PERDUCI SOLEBAT. videtur legendum, *reduci solebat.*

§. 34 (57.). IURA OMNIA PRAETORIS URBANI NUTU ATQUE ARBITRIO CHELIDONIS MERETRICULAE GUBERNARI. vel sic legendum, quomodo reperi scriptum in duobus codicibus manu scriptis, vel sic, ut in alio, *iura omnia Praetoris populi Romani.* licet et ita legere, *iura omnia Praetoris Romani.* nam in vulgatis mendose legitur, *iura omnia populi Romani* [vid. ad IV. Accus. C. 66. §. 149. et cf. quae Drakenborchius annotavit ad Livii 23. 33, 7. Tom. 7. p. 529.].

Ibid. PRO IMPERIO SUO COMMUNIQUE POPULI ROMANI. libri manu scripti habent, *communique re publica.* unde quidam suspicantur legendum, *communique rei publicae* [sed vid. Gronovium Observatt. 1, 12. p. Lips. edit. 83.].

C. 14. §. 35 (59.). ITA QUAESTOR SUM FACTUS UT MIHI HONOREM ILLUM TUM NON SOLUM DATUM SED ETIAM CREDITUM AC COMMISSUM PUTAREM. placet mihi Memmii coniectura, ut legatur, *honorem illum non tam datum quam creditum ac commissum putarem* [placuit etiam Ernesto p. 453, 42.].

Ibid. IN ALIQUO ORBIS TERRAE THEATRO. lege, ut habent libri manu scripti, *in aliquo orbis terrarum theatro* [Beck. p. 122. »sonantius est.« utriusque formae exempla posuit Nizolius p. 511, 1.].

§. 36 (60.). extr. OB EARUM RERUM LABOREM ET SOLLICITUDINEM FRUCTUS ILLOS DATOS ANTIQUIOREM IN SENATU SENTENTIAE DICENDAE LOCUM TOGAM PRAETEXTAM SELLAM CURULEM IUS IMAGINES AD MEMORIAM POSTERITATI PRODENDAM. approbata Memmii coniectura sic restitui. neque vero me movit, quod apud Nonium [4, 355. p. Mercer. 363, 30. voce *prodere*] hic locus ita legitur, ut in libris vulgatis [nempe sic, *ius imaginis ad memoriam posteritatemque prodendam*, ut nunc quidem editur.]. mendosus enim est illo loco Nonius, ut ex iis, quae mox subiicit, intelligere licet. sic Nonius [p. 363, 27.], »*prodere* etiam portendere est, »vel edere. Virgilius Aen. libro 4. [v. 230. 1.], *Italiam regeret genus alto a sanguine Teucri Proderet.* M. Tullius de Suppliciis in Verrem, *iussi magnis ad memoriam posteritatemque prodendam.*« ubi legendum, *ius, imagines, ad memoriam posteritati prodendam.* legendum autem esse, *posteritati prodendam* (nam de superiore mendo non est dubium), apparet ex altero exemplo, quod subiungitur. »idem de Senectute [C. »7. §. 25.], *non accipere modo haec a maioribus voluerunt, sed etiam posteris prodere.*« hactenus Nonius. quis non videt, eandem esse rationem huius locutionis *posteris prodere*, atque illius *posteritati prodendam* [sed vid. Gronovium Observatt. 1, 12. p. 82.]?

§. 37 (61.). RECTE COLLOCATA ET IUDICIO POPULI DIGNO IN LOCO POSITA ESSE VIDEATUR. in libris manu scriptis non est vox *digna* [cf. Beck. p. 123.].

C. 15. §. 38 (63.). QUANTUM NEGOTII QUID ONERIS HABERES NUNQUAM COGITASTI. legendum fortasse est, *quid oneris subires.* nam *haberes* natum ex peccato librarii, qui *oneris ubires* scripserit, omisso *s* [cf. annotata ad III. Accus. C. 2. §. 4. p. 119, 31.]. praeterea post vocem *negotii* fortasse deest verbum *susciperes*, seu potius *reciperes.*

Ibid. ITAQUE NON MODO A DOMO TUA CHELIDONEM IN PRAETURA EXCLUDERE NOLUISTI SED IN CHELIDONIS DOMUM PRAETURAM TUAM TOTAM DETULISTI. sic habent libri manu scripti, vulgati autem *extrudere.* utraque lectio probabilis est. hoc tantum interest, quod *extrudere* dicimus eos, qui iam domi nostrae sunt, *excludere*, qui domum nostram introire volunt. Terentius Eunuch. [1. 1, 4.], *exclusit, revocat; redeam? non, si me obsecret.*

§. 39 (65.). TEMPSANUM INCOMMODUM. lege *Temsanum*, et infra *Temsa*, sine *p* [itaque sic notatur e marg. edit. a. 1584.].

C. 17. §. 42 (69.). IN HOC UNO GENERE OMNES INESSE CULPAS ISTIUS MAXIMAS AVARITIAE MAIESTATIS DEMINUTAE LIBIDINIS CRUDELITATIS. sic emendavit Hotomanus. neque vero dubium est, quin ita legendum sit. supra autem, paucis ante versibus [p. 194, 48., eadem sectione], verbum *adhibuit*, quod deerat, ex uno libro manu scripto restituimus. ibi, *diligentiamque in eo adhibuit singularem.*

C. 18. §. 45 (73.). FUIT ISTA * REPREHENSIO QUONDAM FUIT ISTA SEVERITAS IN IUDICIIS UT ISTAM REM ACCUSATOR IN MAGNIS CRIMINIBUS OBIICIENDAM PUTARET. libri manu scripti duo sic habent, *fuit ista res p. rentio quondam.* unde suspicatus Memmius legendum, *fuit ista rei publicae religio*, vel *rei publicae ratio quondam.* ego ex simili quodam loco, qui est infra septimo fere abhinc versu [p. 195, 24. nobis §. 46.], legendum putarim, *fuit ista rei publicae dignitas quondam.* omissa est scilicet vox *dignitas* ab aliud agente librario. codex Cuiacianus tamen habet, *fuit ista res publica quondam.*

Ibid. PRIVATIM AUTEM NEC PROFICISCI QUOQUAM POTES NEC ARCESSERE RES TRANSMARINAS EX IIS LOCIS IN QUIBUS TIBI MERCARI NIHIL LICET. libri vulgati habent, *in quibus tibi habere, nihil mercari licet.* mendose, opinor. libri manu scripti perverse et praepostere, *in quibus te habere nihil licet* [sed vide a Madvigio disputata Epist. Crit. p. 107. 8.].

C. 19. §. 48 (79.). NAM ILLUD MINIME MIRUM EST. libri manu scripti habent, *iam illud minime mirum est* [vid. Drakenborch. ad Silii 9, 242. p. 463. et ad Livii 9. 17, 5. Tom. 5. P. 1. p. 140 sq., et quos ille utroque loco laudavit.].

§. 49 (80.). HABEMUS HOMINEM IN FETIALIUM MANIBUS EDUCATUM. quidam legi putant oportere, *in Fetialium moribus educatum.*

C. 20 §. 51 (83.). NAM QUUM HOC MUNUS IMPONEBATUR TAM GRAVE CIVITATI INERAT NESCIO QUOMODO IN ILLO FOEDERE SOCIETATIS

QUASI QUAEDAM NOTA SERVITUTIS. sic habent libri manu scripti duo, vulgati *imperabatur.*

C. 22. §. 57 (93). PRIMUM ✪ UT IN IUDICIIS QUI DECEM LAUDATORES DARE NON POTEST HONESTIUS EST EI NULLUM DARE QUAM ILLUM QUASI LEGITIMUM NUMERUM CONSUETUDINIS NON EXPLERE. Priscianus libro 18. [p. Putsch. 1195. Tom. 2. p. Krehl. 234. C. 25. §. 256.] hunc locum profert, et quod ad eius principium attinet, ait *ut* positum esse pro ὅτι, reliquam partem longe aliter legit, quam vulgo legitur, nisi ibi mendosus est. sic enim ille, *primum ut in iudiciis, qui decem laudatores dare non potest, honestius nullum daret, quam illum quasi legitimum numerum consuetudinis non expleret* [*dare* et *explere* nunc repositum e codice Monacensi]. ego assentior Hotomano iudicanti, *ut* particulam esse supervacaneam [delevit Ernestus p. 462, 71. nam nihil est, inquit, quod ei respondeat.].

Ibid. SED TAMEN ITA PROVINCIAE PRAEFUISSE UT HAC UTILITATE NECESSARIO SIT CARENDUM. sic habent omnes libri manu scripti.

C. 23. §. 59 (97.). extr. EA FUIT MERCES IMPERII AUXILII IURIS CONSUETUDINIS FOEDERIS. sic est scriptum in codicibus manu scriptis, et ita legendum [legebatur ante Lambinum, *auxilium iuris*].

C. 25. §. 62 (102.). ISTE QUOD MILITIS ET NAUTAE NOMINE PRO STIPENDIO FRUMENTOQUE ACCEPERAT LUCRABATUR. quum ‖ in libris manu scriptis scriptum reperissem, *quod eius nautae nomine*, in vulgatis autem legeretur, *quod et nautae nomine*, saepeque me in hoc loco haerere meminissem, ego sic reposui, *iste quod militis et nautae nomine pro stipendio frumentoque acceperat.* erant enim alii remiges a militibus. infra [p. 204, 17. id est C. 38. §. 100.], *remigibus militibusque dimissis.* p. 688. a.

§. 63 (103.). QUUM PROPTER ISTIUS HANC TANTAM AVARITIAM NOMINE CLASSIS ESSET IN SICILIA RE QUIDEM VERA NAVES INANES. sic habent libri manu scripti, et ita tamen emendaverat Hotomanus coniectura ductus, idemque mihi, nondum consultis veteribus libris, venerat in mentem.

Ibid. NAVEM QUANDAM PIRATARUM PRAEDA REFERTAM NON CEPERUNT SED ABDUXERUNT ONERE SUO PLANE CAPTAM ATQUE DEPRESSAM. profert hunc locum Nonius in verbo *capere* [4, 45. p. Mercer. 249, 25.].

Ibid. QUOD UBI ISTI NUNTIATUM EST TAMETSI IN ACTA CUM MULIERCULIS IACEBAT EBRIUS EREXIT SE TAMEN. sic restitui ex auctoritate codicum manu scriptorum. *in acta* autem, id est in litore Syracusano, in loco litoris Syracusani, qui hoc nomine communi appellabatur veluti proprio. sic infra [p. 201, 25. nobis C. 31. §. 81.], *uxorem eius parum poterat animo soluto ac libero tot in acta dies secum habere.* et inferius [p. 203, 18. id est C. 36. §. 94.], *tum istius acta commemorabatur*, plane mendose, ut suo loco ostendemus. quamvis autem *in acta* reposuerim, libros manu scriptos secutus, tamen vocem *noctu*,

quae est in vulgatis, retinendam putaverit aliquis alius. nam ex iis, quae post sequuntur, apparet, navim illam *noctu* appulsam esse Syracusas. neque incredibile est, librarium scriptorem, quum *in acta* scripsisset, vocem *noctu* per imprudentiam praetermisisse. sed hac de re iudicet lector. nos libros veteres secuti sumus. hoc tantum. si quis tamen sententiam meam exquirat, eam vocem delendam existimo.

§. 64 (105.). APPELLITUR NAVIS SYRACUSAS EXSPECTATUR AB OMNIBUS SUPPLICIUM ✻ SUMI DE CAPTIVIS PUTATUR. hic locus sine dubio corruptus est. nam primum, *supplicium de captivis sumi putatur*, genus loquendi duriusculum et prope insolens. deinde hoc totum, *sumi de captivis putatur*, abest a libris manu scriptis. Memmius putat legendum, *spectatur ab omnibus*. nempe *navis*. cui difficile est non assentiri. restat vox *supplicium* sola, si libris manu scriptis fidem habeas. quid, si dicamus ita legendum? *spectatur ab omnibus*, *expectatur supplicium de captivis*. quid, si sic? *expectatur ab omnibus supplicium de captivis*. consideret lector.

Ibid. HODIEQUE OMNES SIC HABENT PERSUASUM. libri veteres non habent vocem *persuasum*. ea vero fortasse delenda est. sic enim loquuntur Latini, *sic habeto*, *sic habetote* [Ernesto p. 465, 84. durius videtur.].

C. 27. §. 68 (112.). LATOMIAS SYRACUSANAS OMNES AUDISTIS PLERIQUE NOSTIS. non uno modo scribitur hoc nomen. nam apud Festum *latumia*, apud nonnullos *latomia*, apud alios *lautumia* scriptum reperio. omnino *latomia* efferebant Syracusani, a quibus Latini mutuati sunt. verumtamen quum *latomia* dictum sit pro *laotomia*, et *o* saepe vertant Latini in *u*, credibile est eos *lautumia* dixisse. ego tamen libros vulgatos secutus sum, non pugnaturus, si quis *lautumias* seu *lautomias* malet [cf. quae a VV. DD. notantur ad Livii 26. 27, 3. Tom. 8. p. 352. 3.].

§. 70. (115.). extr. UT IS VICTU CETERISQUE REBUS QUAM LIBERALISSIME COMMODISSIMEQUE HABEATUR. libri veteres habent partim *adhibeatur*, partim *adhiberetur*.

C. 29. §. 74 (123.). extr. QUI IGITUR QUUM ESSÈS CUM IMPERIO IAM TUM IUDICIUM ET CRIMEN HORREBAS REUS QUUM TOT TESTIBUS COARGUARE POTES DE DAMNATIONE DUBITARE. mendose legitur in libris vulgatis *quid igitur*, ego, libros manu scriptos secutus, *qui igitur, quum esses cum imperio, iam tum iudicium et crimen horrebas*, reposui. sententia autem huius loci nunc est apertissima, quae antea nulla erat. *tu igitur, qui quum esses cum imperio, iam tum iudicium et crimen horrebas, reus quum tot testibus coarguare, potes de damnatione dubitare* [cf. Madvig. Epist. Crit. ad Orell. p. 144.]?

§. 75 (124.). PRODUCERE AD IGNOTOS. *ignotos* ἐνεργητικῶς accipiendum, ut et alibi (quod supra notavimus), id est qui non eum cognoscebant [vid. annot. ad III. Herenn. C. 6. §. 13.].

C. 30. §. 77 (129.). POPULI ROMANI HOSTIS PRIVATIS CUSTODIIS ASSERVABITUR. libri veteres habent, *privati hominis custodiis.*

Ibid. EOQUE DIUTIUS VIVOS HOSTIUM DUCES RESERVANT. libri manu scripti duo habent, *eo quod diutius vivos hostium duces reservant.* quos in eo secuti sumus, quod *reservant* edendum curavimus, in illo superiore improbavimus.

§. 78 (131.). extr. NUNC QUUM VIVUM ISTUM NESCIO QUEM PRODUCES TAMENNE ID CREDI VOLES. libri veteres duo habent, *producis, tamen te derideri vides* [vid. Beck. p. 149.].

C. 31. §. 82 (136.). ERAT ET NICE. quidam legi volunt, *Berenice.*

Ibid. UXOREM EIUS PARUM POTERAT ANIMO SOLUTO AC LIBERO TOT IN ACTA DIES SECUM HABERE. *in acta, ἐν ἄκτῃ,* id est in littore. falluntur autem, qui hic quicquam mutandum putant. atqui etiam Virgilius hac voce usus est libro 5. Aeneidos [vv. 613. 14.], *at procul in sola secretae Troades acta Amissum Anchisen flebant.* [cf. a M. Antonio Mureto eleganter, ut omnia, VV. LL. disputata 1, 3. Operum Tom. 2. p. Ruhnken. 12., et vid. annot. ad h. l. C. 25. §. 63. p. 198, 24.].

Ibid. CLASSI POPULI ROMANI CLEOMENEM SYRACUSANUM PRAEESSE IUBET ATQUE IMPERAT. duo libri manu scripti habent, *praeesse iubet atque imperare.* quod probo. sic enim infra [p. 201, 40. C. 32. §. 84.], *quid, si harum ipsarum civitatum militibus, navibus, navarchis Syracusanus Cleomenes iussus est imperare?*

C. 32. §. 85 (142.). QUA NAVES ACCEDERE POSSENT. mendose habent libri vulgati, *quo naves accedere possent* [vid. ab Drakenborchio notota ad Livii 10. 14, 4. Tom. 5. P. 2. p. 101.].

Ibid. URBIS SUAE PARTEM ADEMERUNT. quidam legendum putant, *urbis suae portam,* seu *portum.* ego nihil muto.

C. 36. §. 94 (155.). TUM ISTIUS ACTA COMMEMORABATUR. sic legendum, quamvis *commemorabantur* scriptum sit in libris manu scriptis. atque huius loci restitutio debetur Errico Memmio, viro clarissimo omnique laude dignissimo, qui non solum libris suis impressis, ad quorum oras erant adscripta multorum librorum manu scriptorum scripturae variae, hoc negotium, || quod *b.*
ipso hortatore atque impulsore suscepimus, verum etiam ingenio et doctrina sua adiuvit. significatur autem etiam hic locus ille in littore, ubi Verres cum mulierculis aestatem tabernaculis positis conterebat. *acta* enim nomen Graecum est ἄκτη [vid. annot. ad h. l. C. 25. §. 63.].

C. 38. §. 100 (163.). O SPECTACULUM MISERUM ATQUE ACERBUM LUDIBRIO ESSE URBIS GLORIAM POPULI ROMANI NOMEN HOMINUM CONVENTUM AC MULTITUDINEM PIRATICO MYOPARONI? sic hunc locum emendavimus codicum manu scriptorum auctoritate freti [vid. Madvig. Epist. Crit. ad Orell. p. 117. sq., qui, quod reliquum est vitii in his verbis, lenissima correctione sustulit.].

C. 40. §. 105 (173.). IN PRAESENTIA INQUIT CLEOMENES QUONIAM ITA NECESSE EST. legendum fortasse est, *in praesenti, inquit Cleomenes, quoniam ita necesse est.*

C. 41. §. 106 (175.). FIT CLAMOR ET ADMIRATIO POPULI. docti quidam legendum putant, *et admurmuratio populi.*

Ibid. QUUM IPSE PRAEDONUM SOCIUS PUTARETUR. libri manu scripti habent *socius arbitraretur.* quod si probabimus, *arbitraretur* accipiendum erit παθητικῶς. quod neque novum neque mirum, neque in hoc verbo neque in similibus videri debet [vid. Pareum Lex. Crit. p. 108, 2. et cf. Voss. de Analog. 3, 6. p. 21. sqq. de Deponentibus passive acceptis.].

C. 42. §. 108 (178.). EUM QUUM ILLA AUCTORITATE AETATE MISERIA VIDERES PRAEDITUM NON TE EIUS LACRIMAE NON SENECTUS NON HOSPITII IUS ATQUE NOMEN A SCELERE ALIQUAM AD PARTEM HUMANITATIS REVOCARE POTUIT. sic reposui coniectura ductus. nam quum viderem in vulgatis libris et nonnullis manu scriptis ita legi, *auctoritate et miseria videres praeditum*, in aliis non esse copulationem *et*, facile suspicatus sum, *aetate* omissum esse ab aliquo librario propter similium syllabarum vicinitatem *tate*, ab alio *et* dumtaxat ex voce *aetate* propter eandem causam esse scriptum [vid. Beck. p. 166].

C. 43. §. 112 (183.). FUIT IN ILLIS NAVARCHIS HERACLIENSIS QUIDAM FURIUS (NAM HABENT ILLI NONNULLA HUIUSCEMODI LATINA NOMINA) HOMO QUAMDIU VIXIT DOMI SUAE NON SOLUM POST MORTEM TOTA SICILIA CLARUS ET NOBILIS. quamvis hic locus videatur integer et emendatus, neque quicquam varietatis in codicibus manu scriptis repererim, praeterquam quod vox *tota* ab eis abest et *Siciliam* in eisdem legatur: non praetermittenda tamen neque dissimulanda est ingeniosa Memmii coniectura. sic enim coniiciebat ille esse potius legendum, *homo quamdiu vixit, non solum domi suae, sed per omnem Siciliam clarus et nobilis.* qua lectione nihil excogitari potest concinnius, nihil rotundius.

§. 113 (185.). NON TESTIUM MODO CATERVAS QUUM TUA RES AGERETUR SED A DIIS MANIBUS INNOCENTIUM POENAS SCELERATORUMQUE FURIAS IN TUUM IUDICIUM ESSE VENTURAS. legendum fortasse est, *scelerumque tuorum furias.* doctus quidam totum hunc locum sic legendum putat, *sed etiam a diis manibus innocentium, poenas scelerum atque furias in tuum iudicium esse venturas* [cf. Madvig. Epist. Crit. p. 120. sq.].

§. 114. (185.). NE MULTA IUDICES LIBERTATEM QUAM VOS SOCIIS DEDISTIS HAC ILLE IN ACERBISSIMO SUPPLICIO MISERRIMAE SERVITUTIS ABUSUS EST. libri veteres habent, *hanc ille.*

C. 44. §. 115 (187.). ET DE SUIS PERICULIS FORTUNISQUE OMNIBUS PERTIMESCUNT. quidam legendum putant, *de suis pecuniis fortunisque omnibus.*

Ibid. ET RECTE VIDETUR. sic edendum curavi, deleta voce *nihil* supervacanea. quin Memmius hoc totum *nihil videtur* delendum putat, ut ex annotatione natum [sed vide quae in

contrariam partem disputantur a Madvigio Epist. Crit. ad Orell. p. 121.].

§. 117 (190.). LEVIA SUNT HAEC IN HOC REO CRIMINA METUM VIRGARUM NAVARCHUS HOMO NOBILISSIMUS SUAE CIVITATIS PRETIO REDEMIT HUMANUM ALIUS NE CONDEMNARETUR PECUNIAM DEDIT USITATUM EST. sic restitui, approbata Memmii coniectura. nam lectio vulgata *navarchus nobilissimae civitatis* inepta est. neque vero huius amplissimi et doctissimi viri coniectura librorum veterum auctoritate caret. sic enim in eis legitur, *homo nobilissimus summae civitatis.*

C. 45. §. 117 (191.). SUPPLICIUM CONSTITUITUR IN ILLOS SUMITUR DE MISERIS PARENTIBUS. assensus sum Memmio, qui putat vocem *navarchorum*, quae in libris vulgatis sequitur deinceps vocem *parentibus*, esse supervacaneam et ex annotatione natam [vid. Beck. p. 173.].

§. 118. QUAE NIHIL ALIUD ORABANT NISI UT FILIORUM EXTREMUM SPIRITUM SIBI ORE EXCIPERE LICERET. sic legit Quinctilianus [IX. Inst. Orat. C. 4. §. 108., ubi vid. Spalding. Tom. 3. p. 613. Servius Commentt. ad Virg. 4. Aen. 685. Tom. 2. p. 589. Burmann. totum hunc locum sic dedit, *ut extremum filiorum spiritum ore excipere liceret*, et hic dempto pronomine.], et sic est scriptum in libro manu scripto. paullo tamen aliter profertur apud Nonium Marcellum in verbo *excipere* [4, 166. p. Mercer. 293, 15.], nempe sic, *nisi ut* [absunt haec duo ab edit. Merceri] *filiorum suorum postremum spiritum ore excipere liceret.*

C. 49. §. 128 (208.). TOTUM ENIM TUA LIBIDINE ET SCELERE EX SUA PATRIA IN QUA MULTIS VIRTUTIBUS ET BENEFICIIS PRINCEPS FUIT SUSTULISTI. alii libri habent, *princeps floruit* [sed vid. Madvig. Epist. Crit. p. 46.].

§. 130 (211.). ITAQUE AD ME IUDICES PRAETER CETERAS HANC QUERIMONIAM SICILIA DETULIT LACRIMANS. hanc ab Errico Memmio non dicam coniecturam, sed veram et germanam Ciceronis scripturam singulari sagacitate iudicioque prolatam si non probassem, quis mediocriter eruditus mihi iudicium defuisse non dixisset? quis enim non videt, lectionem vulgatam, *detulit lacrimis*, esse ineptam, atque adeo vix Latinam?

C. 50. §. 131 (212.). ME TIBI CULPAM FORTUNAE ASSIGNARE CALAMITATEM CRIMINI DARE. libris omnibus invitis, in quibus ita legitur, *me culpam fortunae assignare*, reponendum censeo vel *culpae fortunam assignare*, vel addendum *tibi* vulgatae lectioni, ut ita legamus, *me culpam fortunae tibi assignare*, *calamitatem crimini dare.* quomodo edendum curavi [itaque hoc reponendum in contextu verborum Ciceronis p. 209, 13. quamvis a Lambino in Erratorum Indice p. 848, 2. praetermissum. habet margo edit. a. 1584. apud Orell. p. 364.].

C. 51. §. 133 (216.). TE PRETIO MILITES REMIGÉSQUE DIMISISSE ARGUO. *te*, quod hic deerat in libris vulgatis, ex manu scriptis restitui. quemadmodum et supra [p. 209, 27.], *etiam illud*

praecidas licet, te, quod supplicium more maiorum sumpseris securique percusseris, iccirco a me in crimen et invidiam vocari [Beck. p. 183. »unde Hotomanus post *iccirco* voluit *te* addi.«].

§. 135 (218.). NULLUM PROPUGNATOREM AFUISSE. sic legendum, et ita habent libri manu scripti, nisi quod in uno est *affuisse*. *afuisse* autem valet *abfuisse* nostrum. nam veteres dixisse *afuisse*, non *abfuisse*, multis argumentis probare possum [vid. annotata ad Brut. p. 238, 29. nobis C. 80. §. 276. et cff. quae VV. DD. disputaverunt ad Virgilii Aen. 7, 498. Tom. 3. p. Burmann. 202. sq., et Drakenborch. ad Livii 4. 12, 6. et 26. 41, 11.].

C. 52. §. 136 (219.). NON UT QUISQUE MAXIME EST QUICUM TIBI ALIQUID SIT ITA TUI HUIUSCEMODI CRIMINIS MAXIME EUM PUDET? in quibusdam libris manu scriptis sic legitur, sine interrogationis nota, *immo vero ut quisque maxime est quicum tibi aliquid sit, ita tui huiuscemodi criminis maxime eum pudet* [vid. Madvig. Epist. Crit. p. 127.].

Ibid. IPSE PATER SI IUDICARET PER DEOS IMMORTALES QUID FACERE POSSES QUUM TIBI HAEC DICERET? vulgati libri habent, *quid facere posset*, et mox, ubi est, *tu in provincia populi Romani Praetor*, in iisdem libris non est vox *Praetor*. ego manu scriptos secutus sum [Ciceronis locum, ut solet, memoriter excitavit Quinctilianus VI. Inst. Oratt. C. 1. §. 3. Tom. 2. p. Spalding. 444. eius loci persanandi rationem proposuit Madvig. Epist. Crit. p. 127. sq.].

p. 689. a. || Ibid. TU TUAM DOMUM PIRATAS ABDUCERE IN IUDICIUM ARCHIPIRATAM DOMO PRODUCERE AUSUS ES. quidam libri manu scripti habent *adducere* [sed vid. Pareum Lex. Crit. p. 5, 2. sq.]. supra autem proxime Hotomanus legendum censet, *securi feriri voluisti*, seu *iussisti*, ubi vulgo legitur *ferire potuisti* [inserendum Orell. p. 366.]

§. 138 (223.). DE COMPLEXU PARENTIUM SUORUM HOSPITUMQUE TUORUM. Priscianus libro 7. [p. Putsch. 772. c. 16. §. 79. Tom. 1. p. Krehl. 345.] sic legit, *parentium suorum, hospitum tuorum*, et Charisius libro 1. [p. 111.] testatur ita saepe dici a Cicerone. sic et Horatius oda 23. [immo 24.] libri 3. [v. 21.], *dos est magna parentium Virtus* [vid. Lambin. Commentt. ad h. l. p. Francof. 194. F. et cf. Ruddimann. Institt. Gramm. Lat. P. 1. p. edit. Lips. 93., quem laudavit C. L. Schneider. Gramm. L. L. II, 1. p. 247.].

C. 53. §. 139 (224.). SATIS EST FACTUM SICULIS SATIS OFFICIO AC NECESSITUDINI IUDICES SATIS PROMISSO MUNERI AC RECEPTO. liber unus manu scriptus habet, *promisso nostro ac recepto*, alii, *promisso nostro ac muneri recepto*. quam posteriorem lectionem esse veram puto, neque tamen priorem damno [satis habet ea firmamenti a bonis libris, quam postea ipse Lambinus ut omnino veram Ciceroni vindicavit in Indice Erratorum p. 848, 2. emendationis causam aperuit Madvig. Epist. Crit. ad Orell. p. 128.].

C. 56. §. 145 (235.). UT EOS QUI ESSENT APPULSI NAVIGIIS INTERCIPERE POSSENT. sic reposui coniectura ductus. nam *interficere*, quod est in omnibus libris, hic ineptum est [vid. Drakenborch. ad Livii Epit. 117. Tom. 14. p. 263. sq].

Ibid. QUAECUNQUE NAVIS EX ASIA QUAE EX SYRIA. libri duo manu scripti hic nusquam habent *quae*.

Ibid. VERSABATUR IN SICILIA LONGO INTERVALLO NON DIONYSIUS ILLE NEC PHALARIS (TULIT ENIM ILLA QUONDAM INSULA MULTOS ET CRUDELES TYRANNOS) SED NOVUM QUODDAM MONSTRUM EX VETERE ILLA IMMANITATE QUAE IN IISDEM VERSATA LOCIS ESSE DICITUR. in hoc loco excudendo Quinctilianum secutus sum, qui eum profert libro 8. capite ultimo [VIII. Inst. Orat. c. 6. §. 72. Tom. 3. p. Spalding. 353. sq.].

§. 146 (236.). HOC ETIAM ISTE INFESTIOR QUOD MULTO SE PLURIBUS ET IMMANIORIBUS CANIBUS SUCCINXERAT. quum scriptum reperissemus in libris manu scriptis, *pluribus et in maioribus canibus*, Memmius certissima coniectura ductus restituit *immanioribus*, seu, ut quidam scribi malunt, *inmanioribus canibus*.

Ibid. TOTAM INSULAM OBTINEBAT. liber unus manu scriptus habet, *obsidebat*.

Ibid. VESTEMQUE LINTEAM. quidam hic legi volunt, *vestemque lineam* [vid. Pareum Lex. Crit. p. 681, 2.], alii *vestemque Melitaeam* [sive *Melitensem*. vid. II. Accus. C. 72. §. 176. p. Lambin. 116, 21.].

C. 57. §. 148 (241.). extr. *ΕΛΙΚΩΘΗΣΑΝ* INQUIT. legendum fortasse est, *ἐδικαιώθησαν*, *inquit* [vid. Hotoman. Observv. 2, 20.].

C. 58. §. 153 (247.). CUIUS NULLUM IN RE PUBLICA MOMENTUM UNQUAM FUIT. sic restitui. nam lectio vulgata, *monumentum fuit*, sine dubio mendosa est [vid. Drakenborch. ad Livii 5. 52, 1. Tom. 3. P. 1. p. 426].

C. 59. §. 154 (249.). PARTIM IN VINCLIS NECATOS. hoc totum abest ab uno libro manu scripto [Ernestus, ut spuria, uncinis inclusit, eumque secutus est Beckius, quem vid. p. 197. tuetur cum Orellio Madvig. Epist. Crit. p. 133.].

C. 61. §. 159 (258.). UT NEQUE MEA QUAE NULLA EST. quidam legendum putant, *ut neque mea quae nonnulla est*.

C. 62. §. 160 (260.). FURTORUM RECEPTATRICEM. sic emendat Memmius, cui assentior [cf. annot. ad IV. Accus. C. 67. §. 150. id est p. 187, 27.].

§. 161 (262.). TOTO EX ORE CRUDELITAS EMICABAT. sic legitur apud Quinctilianum [IX. Inst. Orat. C. 2. §. 40. Tom. 3. p. Spalding. 404.], ubi vulgati libri habent, *crudelitas eminebat* [et id ipsum Spaldingius maluit in loco Quinctiliani, et nuper restitutum est e codice Gudiano apud Gellium NN. AA. 10, 3.].

Ibid. QUUM REPENTE HOMINEM PRORIPI. profert haec Nonius in verbo *expedire* [4, 174. p. Mercer. 297, 4].

C. 63. §. 163 (265.). SI TE ILLIUS ACERBA IMPLORATIO ET VOX MISERABILIS NON LENIEBAT NE CIVIUM QUIDEM ROMANORUM QUI TUM ADERANT FLETU ET GEMITU MAXIMO COMMOVEBARE? sic reposui Gellium [l. l.] secutus, apud quem ita legitur hic locus. quod autem apud eundem *ardentesque laminae* legitur, consentientibus nonnullis libris manu scriptis, pro *candentesque laminae*, in eo vulgatos libros sequi malui. apud eundem praeterea ita legitur, *ut virgarum vim cruciatumque deprecaretur*, quomodo et in nonnullis libris manu scriptis, quum vulgati non habeant *cruciatumque*.

Ibid. STATUI EGOMET MIHI TUM MODUM ORATIONI MEAE ET C. NUMITORIO EQUITI ROMANO PRIMO HOMINI TESTI MEO. videtur hic aliquid deesse, atque ita legendum, *statui egomet mihi tum modum orationi meae faciendum, et C. Numitorio, equiti Romano, primo homini, testi meo.*

C. 64. §. 165 (268.). QUUM HAEC OMNIA QUAE POLLICEOR CUMULATE TUIS * PROXIMIS PLANA FECERO. locus meo iudicio corruptus, in quo mihi aqua haeret [corruptum esse hunc locum et Lipsius censuit VV. LL. 2, 19. Opp. Tom. 1. p. edit. Vesal. 255. defendunt vulgatam scripturam Hotomanus Observatt. 9, 2. et Io. Frid. Gronovius Observatt. 1, 24. p. 147.].

C. 65. §. 167 (273.). SED QUOCUNQUE VENERINT HANC SIBI REM PRAESIDIO SPERANT FUTURUM. si quis miretur, cur ita ediderimus, legat Gellium libro 1. capite 7., ubi hic locus profertur [vid. Perizon. ad Sanctii Minervam 1, 14. Tom. 1. p. Lips. 126. sqq.].

§. 168 (274.). QUOD QUIS IGNORET? nihil muto, et lego haec tanquam interpositionis notis inclusa. Hotomanus autem sic, *qui se civem Romanum esse dicat: quis ignorat, quin iam omnes provincias, iam omnia regna, iam omnes liberas civitates, iam omnem orbem terrarum, qui semper nostris hominibus maxime patuit, civibus Romanis ista defensione praecluseris*? a quo dissentio.

C. 66. §. 169 (277.). PERANGUSTO FRETU DIVISA. sic legunt Gellius [NN. AA. 13, 19.] et Priscianus [?]. sic Lucretius libro 1. [v. 72.], *angustoque fretu rapidum mare dividit undis* [cf. Voss. de Analog. 2, 17. p. 331.].

§. 170 (279.). QUEM ENIM LOCUM IN PROVINCIA SUA CELEBRITATE SIMILLIMUM REGIONE PROXIMUM POTUIT ELEGIT. libris omnibus invitis sic edendum curavimus. neque vero dubium, quin ita sit legendum lectioque vulgata, *quod enim his locis in provincia sua celebritate simillimum, regione proximum potuit, elegit*, sit mendosa.

C. 67. §. 171 (280.). TANTA ET TAM INDIGNA RERUM ATROCITATE. libri manu scripti nonnulli habent, *rerum acerbitate.*

§. 172 (281.) QUONIAM ID ET SALUTIS OMNIUM RATIO ET VERITAS POSTULAT. codices aliquot vulgati habent, *et veritas omnium*, sed vox *omnium* abest a scriptis.

Ibid. TOTAM DENIQUE LIBERTATEM IN VESTRIS SENTENTIIS VERSARI ARBITRANTUR. legendum fortasse est, *verti arbitrantur.*

C. 68. §. 174 (284.). QUAMOBREM TE QUOQUE HORTENSI QUIA MONENDI LOCUS EST EX HOC LOCO MONEO VIDEAS ETIAM ATQUE ETIAM ET CONSIDERES QUID AGAS QUO PROGREDIARE QUEM HOMINEM ET QUA RATIONE DEFENDAS. libri manu scripti duo habent, *si qui monendi locus est* [dedit hoc ipsum margo edit. a. 1584., qua Orellius est usus. sed nondum salva res est. scribendum auctoritate codicis Regii, verbis transpositis, *si qui monendi locus ex hoc loco est.* vid. Madvig. Epist. Crit. p. 58.].

Ibid. SI QUA PUTAS TE OCCULTIUS EXTRA IUDICIUM QUAE AD IUDICIUM PERTINEANT FACERE POSSE. VOX *iudicium* abest a duobus codicibus manu scriptis. paullo post autem, ubi legitur, *moneo ut extinguas*, malim legi *restinguas.* verumtamen sine libris manu scriptis nihil mutandum censeo.

C. 69. §. 177 (289.). EGO MEI IAM RATIONEM OFFICII CONFIDO ESSE OMNIBUS INIQUISSIMIS MEIS PERSOLUTAM. vel *inimicissimis* legendum, vel *iniquissimis* dixit pro inimicissimis [vid. Gronov. ad Livii 33. 13, 5. Tom. 9. p. 811. et cf. ab Drakenborchio notata ad eiusdem 28. 29, 8. Tom. 8. p. 920.].

Ibid. NEMPE EA LEGE DE IUDICIIS IUDICIBUSQUE NOVIS PROMULGATA. sic legendum etiam libris omnibus reclamantibus, non *iudicibusque nobis promulgata* [*b* et *v*, adeoque *nobis* et *novis* commutatis. v. Drakenborch. ad Livii 28. 41, 10. Tom. 8. p. 981. et cf. annot. ad IIII. Herenn. C. 24. §. 33.].

Ibid. CUIUS NOMINE PROSCRIPTUM VIDETIS. quidam legi volunt, *perscriptam.* ego nihil mutandum [censeo [vid. Madvig. Epist. Crit. p. 135.].

§. 178 (291.). extr. AUT POPULUS ROMANUS IUDICABIT DE EO HOMINE QUEM IAM ANTEA IUDICIIS INDIGNUM PUTAVIT. sic habent omnes libri vulgati et aliquot manu scripti. Verres autem, qui senator erat, significatur. sed quid, si legamus *de eodem ordine?* adiuvant hanc lectionem libri nonnulli manu scripti, in quibus scriptum est *de eodem homine.* nam hoc *eodem* natum videtur ex voce *ordine.* iam quis non videt, si ita legamus, ordinem senatorium significari, qui rebus iudicandis praeerat, quem Cicero, terrorem ei iniiciens, || ad severe iudicandum *b.*
excitat? verumtamen nihil hic mutandum censeo sine librorum manu scriptorum auctoritate.

XI.

IN ORATIONEM PRO M. FONTEIO.

C. 1. §. 3 (4. Beck.). NARBO MARCIUS. sic scribendum, *Marcius* per *c*, non *Martius* per *t* [cf. Drakenborch. ad Livii 1. 32, 1. Tom. 1. P. 1. p. 231.]. in hac Oratione emendanda nos imprimis exemplar basilicae Vaticanae et Faerni coniecturas secuti sumus.

C. 2. §. 3 (5.). QUI PROXIMI FUERANT EOS EX IIS AGRIS QUIBUS ERANT MULTATI DECEDERE COEGIT. si locus mendo vacat, *proximos* interpretor, qui proximi fuerant hostibus, qui societatem coierant cum hostibus, qui hostes iuverant. Hotomanus legit *qui proxime fuerant*, id est, qui paullo ante hostes fuerant.

§. 4 (6.). HAEC QUI GESSIT IN IUDICIUM VOCATUR. codex Vaticanus habet, *his qui gessit*. unde Faernus coniecturam facit, legendum *is qui gessit* [cf. Drakenborch. ad Livii 2. 14, 9. Tom. 2. P. 2. p. 126. et de vocibus aliis, quae adspiratione perperam addita aut detracta a librariis confunduntur, ad eiusdem 35. 26, 7. Tom. 10. p. 366.].

Ibid. DICUNT QUI EX AGRIS M. FONTEII DECRETO DECEDERE SUNT COACTI. sic restitui libris omnibus invitis, probata virorum doctorum sententia. nam quo pertinet hic *Pompeii* nomen? quis non videt, hoc nomen ex depravato Fonteii nomine esse natum, et ex *Fonteii Pompeii* esse factum?

C. 3. §. 6 (9.). IN DUABUS HISPANIIS. sic sine dubio legendum, non ut quidam doctus volebat, *in duabus Galliis*. nam primum ita scriptum est in libris omnibus; deinde, quod ait ille, nihil attinere hic commemorare Hispanias, quum Fonteius Galliae praeesset, respondeo, eo pertinere Hispaniarum commemorationem, quod ex Italia per Galliam, id est per mare Gallicum et per Massiliam navigabant tot equites illi Romani et Tribuni militum ad eos exercitus, qui in duabus Hispaniis erant, legati, ut obscurum esse non possit, quomodo se in Gallia provincia administranda gesserit Fonteius.

C. 4. §. 8 (12.). QUID SI HOC CRIMEN OPTIMIS NOMINIBUS DELEGARE POSSUMUS. sic legendum, non, ut in plerisque libris vulgatis, *optimis hominibus* [vid. Drakenborch. ad Livii 24. 18, 8. Tom. 7. p. 687. et cf. annotata ad Brut. C. 35. §. 135.]. nam primum nunquam dicunt Latini *homo optimus*, sed *vir optimus*; deinde sic testatur esse scriptum in codice Vaticano Gabriel Faernus; postremo *delegare crimen optimis nominibus* dictum est per translationem ductam ab iis, qui quod suo creditori debent transcribunt in suum debitorem, ut id dissolvat. verbi

causa, mihi, qui debeo Maevio centum, debentur totidem a Sempronio. ea igitur centum, quae Maevio debeo, delego Sempronio, id est, scribo aut mitto ad Sempronium debitorem meum, ut, quae centum mihi debet, ea Maevio creditori meo numeret. *optima* autem *nomina* dicuntur debitores qui sunt solvendo, debitores locupletes, et qui aes alienum dissolvere et possunt et non nolunt. *delegare* igitur *crimen optimis nominibus* hoc loco dictum est pro eo, quod est transferre crimen in eos, qui facile possunt probare se omni culpa vacare; qui possunt criminis sibi illati onus sustinere aut refellere.

C. 5. §. 9 (15.). QUATERNOS DENARIOS IN SINGULAS VINI AMPHORAS PORTORII NOMINE EXEGISSE CRODUNI PORCIUM ET MUNIUM TERNOS VICTORIATOS. totus hic locus, qui miserabilem in modum in libris vulgatis depravatus iacet, ex fide codicis Vaticani et diligentia Faerni restitutus est [sanandi loci, quem in conclamatis habent, pericula VV. DD. vid. apud Beck. p. 227. sq. sed quod Orell. p. 399. Lambinum affirmat sine interpunctione dedisse, id quod ipsi in lemmate posuimus, *portorii nomine exegisse Porcium et Munium*, is est operarum error a Lambino aut non animadversus, aut certe praetermissus in Indice Erratorum p. 848, 2. sic igitur hunc locum constitutum fuisse suspicor a Lambino p. 220, 35. *Cognoscite nunc de crimine vinario, quod illi invidiosissimum et maximum esse voluerunt. crimen a Pletorio, iudices, ita constitutum est: Fonteio non in Gallia primum venisse in mentem, ut portorium vini institueret, sed in Italia hac proposita ratione Roma profectum: itaque Titurium Tolosae quaternos denarios in singulas vini amphoras portorii nomine exegisse, Croduni Porcium et Munium ternos victoriatos, Vulchalone Serveium binos* ~~LLS~~ *et victoriatos mille. atque in iis locis Croduni et Vulchalone ab his portorium esse exactum, si qui Cobiomacho, qui vicus inter Tolosam et Narbonem est, deverterentur neque Tolosam ire vellent, quum Elesiodolus tantum senos denarios ab iis, qui ad hostem portarent, exegisset.*].

§. 10 (16.). VIDEO IUDICES ESSE CRIMEN ET CRIMEN GENERE IPSO MAGNUM. vocem *crimen*, omissam a librario, ut credibile est, quia iam semel erat posita, plane necessariam restitui.

Ibid. ET PECUNIAM PERMAGNAM RATIONE ISTA COGI POTUISSE CONFITEOR ET INDIVIDIOSAM. ratio postulat, ut ita legatur, *pecuniam permagnam* [*et invidiosam* [vidd. Beck. p. 229. et Orell. p. 400.]

C. 6. §. 11 (18.). UT RATIO RERUM ET VIS ARGUMENTORUM COARGUIT. ingeniosissime et felicissime, ut solebat, Gabriel Faernus hunc locum restituit, qui sic legitur in vulgatis, *actio rerum et vis argumentorum coarguit.* sed non necesse habeo ad omnes locos ab eo emendatos adscribere, quamobrem ego a vulgata lectione discesserim. semel admonitum lectorem velim, quicquid immutavi in hac Oratione, a Faerno vel ex codicis

Vaticani auctoritate vel ex ipsius ingenio et coniectura esse immutatum, nisi quid etiam nobis in mentem venerit, quamobrem aliquid mutavimus a Faerno praeteritum, quod lectori significabimus.

Ibid. SIN AUTEM IN REBUS IUDICANDIS NON MINIMAM PARTEM AD UNAMQUAMQUE REM EXISTIMANDAM MOMENTOQUE SUO PONDERANDAM SAPIENTIA IUDICIS TENET. Faernus ait, verbum *tenet* non esse in libro manu scripto, esse tamen necessarium. ego puto aliud verbum a Cicerone fuisse positum, et *minimam partem* dictum pro *minima ex parte*, quod est bonis scriptoribus usitatissimum. Lucretius libro 3. [vv. 63. 4.], *haec vulnera vitae Non minimam partem mortis formidine aluntur.* ad quem locum legito annotationes nostras [cf. annot. ad II. Rhetorr. C. 43. §. 125.]. substituerem potius verbum *confert*, seu *valet*, seu *pertinet.*

Ibid. VIDETE NE MULTO VESTRAE MAIORES GRAVIORESQUE PARTES SINT AD COGITANDUM QUAM AD DICENDUM MEAE. teneat memoria lector, quod admonent Faernus et Muretus, quodque ego etiam vidi, hanc particulam *nae*, quae legitur hoc loco in omnibus libris vulgatis plane mendose, nullis in codicibus manu scriptis per diphthongum scribi, quum affirmandi causa ponitur, sed sine diphthongo, *ne:* ut quum dicimus, *nae ego sum egregie miser, nae tu vehementer erras, nae ille valde desipit* [cf. annot. ad III. de Orat. C. 31. §. 125.].

C. 7. §. 15 (27.). SI QUICQUID EX ILLO LOCO DICETUR EX ORACULO ALIQUO DICI ARBITRABITUR. Faernus notat, in codice Vaticano scriptum esse *si ut quidque.* ego ut antiquam scripturam non repudio, ita vulgatam probo. quod si quis antiquo libro
p. 690. fidem habendam putet, existimem eadem opera vel sic ‖ legen-
a. dum, *si ut quidque ex illo loco dicetur, ita ex oraculo*, vel sic, *si ut quicquid ex illo loco dicetur, ita ex oraculo aliquo dici arbitrabitur.* nam *quicquid* pro *quidque* a M. Tullio, Lucretio, Plauto, ceteris bonis et probatis scriptoribus esse usitatum alibi notavimus [ad IIII. Accus. c. 13. §. 31.].

C. 8. §. 16 (27.). VOS VULGARUM ATQUE ALLOBROGUM TESTIMONIIS NON CREDERE TIMETIS? ne quis forte putaret erratum esse typographi, quod *Vulgarum* pro *Belgarum* reposuimus, non me piguit admonere lectorem minus callidum, *Vulgas* esse populos Galliae Allobrogibus finitimos, quos Caesar commemorat libro 1. de Bello Gallico [? 6. 24, 2. p. Oudendorp. 317.], *Belgas* autem longe esse ab his remotos neque quicquam ad Fonteii provinciam pertinuisse. quae sunt diligenter a Faerno observata.

C. 10. §. 20 (33.). CUIUS NOMINE MAIORES NOSTRI SANCTAM TESTIMONIORUM FIDEM ESSE VOLUERUNT. liber manu scriptus habet, *vinctam testimoniorum fidem*, ut admonet Faernus. atque ita reponendum censeo.

§. 22 (35.). VOS TAMEN CUM GALLIS IURARE MALITIS? sic Faernus restituit, auctoritate vetusti codicis fretus, et ad hunc locum haec notat: *nam et Galli iurati testimonium dixerunt in*

Fonteium, et iudices, antequam de eo sententiam ferrent, iuraturi erant, quod si condemnarent, cum Gallis iurare viderentur.

C. 11. §. 24 (37.). SI TURPI ADOLESCENTIA VITA INFAMI MAGISTRATIBUS QUOS ANTE OCULOS VESTROS GESSIT MALE GESTIS LEGATIONIBUS FLAGITIOSE OBITIS CONVICTUS BONORUM VIRORUM TESTIMONIIS INVISUS SUIS OMNIBUS IN IUDICIUM VOCARETUR. sic hunc locum restitui partim coniectura ductus, partim Hotomanum secutus. credibile autem est a scriptore librario, quum *gessit* scripsisset, transisse ad vocem *legationibus*, omissis his duabus *pessime gestis*, deinde postea ab aliis et ordinem verborum esse perturbatum et *convictis* esse factum ex *convictus*, atque ita totum hunc locum esse depravatum.

C. 12. §. 26 (40.). EXCITANDUS CN. DOMITIUS ET Q. MAXIMUS QUI NATIONEM ALLOBROGUM ET RELIQUAS SUIS ITERUM ARMIS CONFICIAT ATQUE OPPRIMAT. vel VOX *reliquias*, quae est in libris vulgatis, delenda, vel addendum *belli*, ut sit *reliquias belli*; vel legendum *reliquas*, ut subaudiatur *nationes*, quomodo edendum curavimus.

Ibid. QUONIAM ID [non *re*] QUIDEM NON POTEST. vel addendum *fieri*, ut sit *fieri non potest* [sed v. Spalding. ad Quinctiliani 1. 4, 11. Tom. 1. p. 65.], vel legendum *non pote est. pote* autem valet *δυνατόν*, id est *possibile*, si liceat dicere [vid. ad IV. Accusat. C. 45. §. 102.].

XII.

IN ORATIONEM PRO A. CAECINA.

C. 1. §. 2 (3. Beck.). SI FACTA VIS ESSET MORIBUS. sic esse legendum, vincunt codices duo manu scripti, a quibus abest negatio; vincit et ratio, quae plus potest. nam vis erat aliqua, quae fiebat *moribus*, ut hi loci ostendunt, qui sunt infra [p. 228, 36. nobis C. 7. §. 20.]: *quum hoc novae litis genus tam malitiose intenderet, placuit Caecinae de amicorum sententia diem constituere, quo die in rem praesentem veniretur, ut de fundo Caecina moribus deduceretur.* et inferius [ead. pl, 50. C. 8. §. 22.], *quo loco depulsus Caecina, tamen qua potuit ad eum fundum profectus est, e quo ex convento vim fieri oportebat.* et inferius [p. 232, 29. nobis C. 16. §. 45.], *at vero hoc quidem iam vetus est et maiorum exemplo multis in rebus usitatum, quum ad vim faciundam* [faciundum?] *veniretur, si quos armatos quamvis procul conspexissent, ut statim testificati discederent, optime sponsionem facere possent, ni adversus edictum Praetoris vis facta esset.* et inferius [p. 240, 15.

id est C. 32. §. 95.], *ipse porro Caecina cur se moribus deduci volebat, idque tibi de amicorum, etiam de ipsius C. Aquillii sententia responderat?*

C. 3. §. 8. EST ENIM TURPE IUDICIUM ET FACTUM QUIDEM TURPE. sic restitui coniectura certissima ductus. verba autem illa superiora intelligenda sunt, tanquam ab adversario obiecta *κατ' ὑποφορὰν*. haec autem, *et factum quidem turpe*, a Cicerone responsa.

Ibid. QUIA TURPIS EXISTIMATIO SEQUATUR IDEO REM INDIGNAM NON IUDICARI. quidam libri habent, *non vindicari.* ego nihil muto [vid. annot. ad II. Rhetorr. c. 32. §. 100.].

C. 4. §. 10 (11.). RATIO IURIS ET VIS DE QUA IUDICIUM EST. sic est legendum, quamvis codices reclament.

§. 11 (13.). TEMPORIBUS ILLIS DIFFICILLIMIS SOLUTIONIS. a libris manu scriptis duobus abest *illis.* ego non tam de hac voce laboro, quam quod hoc genus loquendi me offendit, *temporibus difficillimis solutionis.* malim enim legi, *temporibus difficillimae solutionis.*

§. 12 (14.). ET EX QUO MAXIMUM FRUCTUM IPSA CAPIEBAT. haec absunt ab uno codice manu scripto.

Ibid. SED HUNC FRUCTUM MATURE FORTUNA ADEMIT. legendum fortasse est, *immature ei fortuna ademit* [Orell. p. 411. »*praemature ei fortuna ademit* Lambini suspicio non recepta.« itane margo edit. a. 1584., qua ille usus est? habet margo Laemarianae a. 1596., neque tamen praescripto, ut fere solet, Lambini nomine.].

C. 5. §. 13 (15.). ATQUE ETIAM SE IPSE INFEREBAT ET INTRUDEBAT. in uno libro manu scripto scriptum reperi, *et intro dabat.*

§. 14 (16.) FICTO OFFICIO SIMULATAQUE SEDULITATE CONIUNCTUS. in uno libro manu scripto legitur, *simulataque fidelitate.* ego nihil muto, quamquam antiquam magis probo.

§. 15 (17.). NULLAM ESSE RATIONEM AMITTERE EIUSMODI OCCASIONEM. videbatur mihi legendum, *nullam esse rationem cur amitteret occasionem.* sed ita locutus est in Lucullo [p. 14, 27. nobis II. Academm. C. 6. §. 17.], *nec vero ullam esse rationem disputare cum iis, qui nihil probarent.* ut quidem legitur in libris vulgatis; nam manu scripti habent, *nec* [enim] *verum esse disputare cum iis, qui nihil probarent* [posuit Lambinus p. edit. principis 14, 27. cff. annotata ad eum locum p. 485, 1.]. quare quum locus ex Lucullo nihil nos in hoc adiuvet, legendum fortasse ita, ut paullo ante ostendi [Orell. p. 412. »*ne ulla ratione amitteret* Lambini suspicio non recepta.« plura etiam turbavit margo Laemar. a. 1596. sed de hoc infinitivo, quem Latini Graecorum more gerundii loco ponunt, vid. Goerenz. Opp. Ciceronis Philosophorum Vol. 2. p. 37. nonnulla dedit Nizolius p. 605, 2, plura Sanctius Min. III., 6. Tom. 1. p. 597. sqq.].

C. 7. §. 19 (22.). MANDATU CAESENNIAE. sic legendum, non *mandato*, ut est in libris impressis.

Ibid. QUID AIS TUUS ILLE FUNDUS EST QUEM SINE ULLA CONTROVERSIA QUADRIENNIUM HOC EST EX QUO TEMPORE FUNDUS VENIT QUOAD VIXIT POSSEDIT CAESENNIA? sic iam pridem emendaram in meo codice coniectura ductus, quod idem venisse in mentem Hotomano postea cognovi. Ciceronis autem verba sunt ad Aebutium.

§. 21 (25.). TAM TEMERE ISTUM RE COMMISSURUM QUAM VERBIS DENUNTIABAT [sic reponendum ex Indice Erratorum p. 848, 2. vid. Orell. p. 413.] NEMO PUTAVIT. sic habet liber unus manu scriptus, alius, *denuntiabatur*, vulgati, *nuntiabatur* [Laemar. a. 1596. temere, *nuntiabitur*.]. unde quidam putant legendum, *minabatur*. ego *denuntiabat* probo.

C. 8. §. 22 (28.). CETERORUMQUE TELA ATQUE INCURSUS REFUGIT. legendum fortasse est, *effugit*.

C. 10. §. 30 (40.). UT FACILE INTELLIGERETIS EUM NON AFFUISSE ANIMO QUUM AB ILLIS CAUSA AGERETUR TESTESQUE DICERENT. sic habent libri manu scripti et item nonnulli vulgati, itaque legendum.

C. 11. §. 32 (43.). UT VIS AC DEDUCTIO MORIBUS FIERET. sic legendum esse argumento sunt illa, quae supra diximus [ad h. l. C. 1. §. 2], *vim* aliquam fuisse, quae fieret *moribus*. supra quoque non longe, ubi est vulgo, *et eius rei ius actionemque quaeramus*, liber unus manu scriptus habet, *eius rei vim*. et paullo post *ad constitutum diem* reposui, veteres li || bros *b.*
secutus.

C. 12. §. 34 (47.). HOC GENUS UNUM VEL MAXIMUM PRAETERMITTERENT. particulam *ut*, quae erat ante pronomen *hoc*, ego sola ratione et veritate fretus delevi, qua sublata locum, qui antea erat subobscurus et non satis explicatus, ego planum et apertum et facilem reddidi.

§. 35 (49.). QUID AD CAUSAM POSSESSIONIS QUID AD RESTITUENDUM EUM QUEM OPORTET RESTITUI QUID DENIQUE AD IUS CIVILE AGES INIURIARUM PLUS TIBI EGO LARGIAR NON SOLUM EGERIS VERUM ETIAM CONDEMNARIS LICET NUNQUID MAGIS POSSIDEBIS ACTIO ENIM INIURIARUM NON IUS POSSESSIONIS ASSEQUITUR SED DOLOREM IMMINUTAE LIBERTATIS IUDICIO POENAQUE MITIGAT. sic hunc locum restitui, deletis iis, quae ex ora libri in contextum orationis irruerant. sententia autem nunc est aperta. quid denique, inquit, ad ius civile, id est ad ea quae sunt iuris civilis, seu ad ea obtinenda quae beneficio iuris civilis et actionum ex iure civili nascentium contingunt, ages iniuriarum? proinde quasi dicat, nequaquam. nam qui agit iniuriarum, poenam persequitur, sed non recuperat rem sibi ereptam, aut possessionem amissam actione iniuriarum. quid ergo? alia actione experiendum. sed ne quis queratur, voces aliquot a nobis hic esse deletas, vulgatam lectionem repraesentabo. *ad ius civile, aut ad actoris actionem et ad animadversionem ages iniuriarum*? quaeso, quid sibi haec volunt, *aut ad actoris actionem et ad animadversionem?*

quid vero scriptura antiqua, *aut ad actoris notionem*, et reliqua? omnino facile apparet, haec verba esse aliunde profecta, et ab initio ab aliquo ascripta, qui vellet declarare, actionem iniuriarum pertinere *ad notionem* atque *ad animadversionem*, non *ad possessionem* [vid. Beck. p. 266. sq.].

C. 13. §. 37 (52.). IAM BENE AGIS. vox *omnino* non debet cum his coniungi, quum ad superiora pertineat [Ernest. p. 542, 37. »sequor Lambinum, qui ad antecedentia refert et corrigit, »*si quis omnino meorum deiicitur.* nec tamen opus transpositione.« sed fallitur Ernestus, et in eodem errore versatur Beckius, quem vid. p. 268. aut si minime falluntur viri doctissimi, quid aliud est testem corrumpere, si hoc non est? Lambinus sic dedit nec aliter dare potuit, p. 231, 16. *quid proficies, quum illi hoc respondebunt tibi, quod tu nunc mihi: armatos se tibi obstitisse, ne in aedes accederes; deiici porro nullo modo potuisse qui non accesseris? deiicior ego, inquis, si quis meorum deiicitur, omnino. iam bene agis: a verbis enim recedis, et aequitate uteris. nam verba ipsa si sequi volumus, quomodo tu deiiceris, quum servus tuus deiicitur? verum ita est, uti dicis. te deiectum debeo intelligere, etiamsi tactus non fueris.* et reliqua.].

§. 38 (54.). SI AUCTORITATE TALIUM VIRORUM VIS ARMATORUM HOMINUM IUDICIO APPROBATA VIDEATUR IN QUO IUDICIO NON DE ARMIS DUBITATUM SED DE VERBIS QUAESITUM ESSE DICATUR. sic videtur Hotomano legendum, et item mihi.

§. 39 (55.). NULLI EXPERIUNDI IUS CONSTITUTUM QUOD OBSTITERIT ARMATIS HOMINIBUS. nempe ille qui se ita defendit, *eieci ego te armatis hominibus, non deieci.* alioqui videtur legendum, *obstiterim*, et infra non multo post, *prohibuerim.*

C. 14. §. 39 (56.). QUID ERGO HOC QUAM HABET VIM * UT ILLAE RES ALIQUID ALIQUA EX PARTE DIFFERRE VIDEANTUR. non dubium est, quin post haec, *hoc quam habet vim?* quippiam desit. quid desit, quaeritur. Hotomanus hoc deesse putat, *unde tu illum deiecisti, eo tu illum restituas:* ego illud supra positum, *eieci ego te armatis hominibus, non deieci.* sententia est aperta. hoc nempe quod dicis, *eieci ego te, non deieci*, quam habet vim? an eam vim habet, ut illae duae res differre aliquid inter se videantur, utrum tum armis expellar, quum intravero pedemque aliquo intulero, an antequam ingrediar, mihi ab armatis hominibus occurratur et obviam eatur, ne possim intrare? proinde quasi dicat, nihil differre debet, utrum mihi iam ingresso vis afferatur, ut exeam, an ingredi volenti obstetur, ne ingrediar. praeterea illa, *aliquid aliqua ex parte*, mihi suspecta sunt, existimoque vel *aliquid* vel *aliqua ex parte* esse delendum. nam tantumdem valet *aliquid differre*, quantum, *aliqua ex parte differre.* postremo infra ubi legitur, *qui hoc ab illo differt?* malim legi, *quid hoc ab illo differt* [vid. Beck. p. 269. sq., Orell. p. 419., Peyron. p. 201. sq.]?

§. 41 (59.). QUID ITA QUIA VIS CAECINAE FACTA NON EST. verba sunt Aebutii respondentis. *quia* autem reposui admonitus a codice manu scripto, in quo est *quid*.

C. 17. §. 48 (70.). QUUM TE OBSTITISSE ET REPUDIASSE DICIS CERTE HUNC VOLUISSE CONCEDIS. quidam legi hic volunt *repulisse* [v. Peyron. p. 202.], alii *repugnasse*. ego nihil ausus sum mutare. alterutrum tamen horum reponendum censeo.

§. 49 (72.). NECESSE EST INQUAM SI AD VERBUM REM VOLUMUS ATTINGERE NEMINEM STATUI DETRUSUM QUI NON ADHIBITA VI MANU DEMOTUS ET ACTUS PRAECEPS INTELLIGATUR. sic emendavi, quum mendose legeretur in libris impressis, *neminem statu detrusum*. coniecturam meam adiuvit vetus codex, in quo est *statin: statin* enim factum ex *statui* [et ita palimpsestus Taurinensis apud Peyron. p. 203.]. supra autem non longe, ubi legitur *attingere*, placet mihi idem quod Hotomano, ut legatur *astringere* seu, ut aliis videtur, *adiungere* [v. Peyron. p. 203.]. omnino *attingere* mendosum esse arbitror.

C. 19. §. 54 (79.). LEX USUM ET AUCTORITATEM FUNDI IUBET ESSE BIENNIUM. lege, quae annotavimus ad similem locum in Topicis [p. 278, 11. nobis C. 4. §. 23.].

C. 22. §. 62 (92.). QUOD ARMATUS ARMATI IUDICARENTUR. sic est sine dubio legendum. haec enim referuntur ad illa [p. 235, 11. eadem sectione, quam supra indicavi], *si tu solus aut quivis unus cum scuto, cum gladio impetum in me fecisset;* et illa, *hic autem hominem armatum unum fuisse;* et proxime ad illa, *nam tum quidem omnes mortales implorare posses* (*tum* autem, nempe quum unus armatus fuisset), et ad ea quae sequuntur, *quod quum interdictum esset de pluribus, commissa res esset ab uno, unus homo plures esse homines iudicarentur* [sed vid. Beck. p. 284. sq].

C. 23. §. 64 (95.). INIQUIORQUE DEFENSIO. legendum fortasse est, *inaniorque defensio*.

§. 65 (97.). med. TUM ILLUD QUOD DICITUR *. post haec verba patet lacuna in libris manu scriptis, quam et impressi imitati sunt. eam autem his verbis expleri posse existimat Hotomanus, *uti lingua nuncupassit*. cui difficile est non assentiri. est enim probabilissimum ac credibilissimum, haec ipsa verba in hoc spatio fuisse scripta et a librariis scriptoribus, vel quod maioribus literis essent perscripta, vel quod notis essent significata, esse praetermissa.

§. 66 (98.). UNDE DEIECTUS ES. haec verba proferuntur ex persona Aebutii, cum iis quae sequuntur, ibi, *fateor me homines coegisse, fateor armasse, fateor tibi mortem esse minitatum*, et reliqua, usque ad illa [C. 24. §. 66. extr.], *in ista defensione accusas eos, qui consuluntur*.

C. 25. §. 71 (106.). ET FICTUS TESTIS SUBORNARI SOLET ET INTERPONI FALSAE TABULAE. sic legendum censet Hotomanus, cui assentior. eiusdem coniecturam in eo probo, quod *testimonium*,

ubi *testamentum* vulgo legitur infra non longe, reponit [sed vid. Beck. p. 290.].

C. 26. §. 74 (111.). AT USUCAPIO FUNDI HOC EST FINIS SOLLICITUDINIS AC PERICULI LITIUM NON A PATRE RELINQUITUR SED A LEGIBUS. quidam legunt, *a periculo litium.* ego in uno codice manu scripto reperi *periculorum*, hoc tantum [id ipsum, quod desiderari in codice suo Lambinus affirmat, hoc est, *litium* Graevius »e glossa assutum putat ab illo, in cuius libro corrupte legebatur *periculum.*« Beck. p. 292. »»in nullo tamen codice deest *litium.*«« equidem non dubito, quin Lambinus, in tanta lectionis diversitate, sui libri fidem secutus olim rescripturus fuerit, *finis sollicitudinis ac periculorum.* certe ita voluit, ignarus huius loci, Orellius p. 428.].

C. 27. §. 76 (114.). SIN AUTEM INGREDIENTI CUM ARMATA MULTITUDINE OBVIUS FUERIS ET ITA VENIENTEM REPULERIS AC FUGARIS RESTITUERE NON DEBETIS [reliqua, quae huc pertinent, dedit
p.691. Orell. p. 229.]. vestigiis antiquae scripturae in || sistens hunc
a. locum lacerum et corruptum in integrum restitui atque emendavi. praeterea eum qui proxime sequitur, qui haud multo minus erat mendosus, partim codicum antiquorum auctoritatem secutus, partim coniectura ductus prope perpurgavi. in quo, ut dicam quod sentio, videtur mihi hoc totum, *sed iniuriarum tantum*, esse ex annotatione natum, neque a Cicerone positum. potest tamen ferri, ut est a nobis editum. ut autem vulgo legitur, *sed iniuriarum delictum*, quod profectum est a semidoctis immo vero indoctis hominibus, non est ferendum [vid. Beck. p. 293. sq.].

§. 79 (118.). VERUMTAMEN QUID AIT ISTE NOSTER AUCTOR QUIBUS QUICQUID VERBIS ACTUM PRONUNCIATUMQUE SIT SPECTARI CONVENIT. verba sunt Aquillii. *quicquid* autem positum pro *quicque*, quod usitatum est bonis scriptoribus, ut saepe admonuimus [ad III. Accus. c. 13. §. 31. et ad Orat. pro Fonteio c. 7. §. 15.]. etiam hic locus magna ex parte coniectura restitutus est, non tamen sine veterum codicum adiumento, in quorum uno bis scriptum reperi vocem *nominem. ex isto genere* autem *consultorum* nempe eorum, qui dicunt spectari oportere quibus quicque verbis actum sit, non quae res agatur, id est, quae voluntas fuerit contrahentium. multum est hoc in Pandectis iuris civilis, *videndum quid actum sit* seu *quid egerint contrahentes*, id est, videndum quae fuerit eorum mens, quae voluntas [vidd. Beck. p. 297. sq. Orell. p. 430. sq.].

C. 28. §. 80 (119.). ETIAM ILLA * MATERIA AEQUITATIS. Hotomanus legendum existimat, *etiam illa me tuerer aequitate.* qua de re iudicet lector. quod autem infra proxime, ibi, *semperque id ius valuisse plurimum*, nomen *ius* in libris vulgatis suo loco motum iudicat, in hoc ei assentior.

C. 29. §. 82 (123.). RESTITUISSE TE DIXISTI NEGO ME EX DECRETO PRAETORIS RESTITUTUM ESSE. vel sic legendum, vel *nego* [sic corrigendum fuit istud *nemo*] *me ex interdicto Praeto-*

ris restitutum esse. idemque de simili loco, qui est eadem pagina versu tricesimo quinto [p. Lambin. 238, 35. nobis §. 84. extr.], sentiendum. vulgata autem lectio, *ex edicto*, mendosa est [vid. Ernest. p. 559, 83., quem laudavit Beck. p. 300. loco Ciceronis usus est Quinctilianus IX. Inst. Orat. c. 3. §. 22. Tom. 3. p. Spalding. 464.].

C. 30. §. 87 (130.). UNDE DEIECTUS EST CINNA EX URBE UNDE DEIECTI POENI AB URBE UNDE DEIECTI GALLI A CAPITOLIO. sic hunc locum emendavi. neque vero dubium est, quin ita sit legendum. nam quod alii legunt, *unde deiectus Carbo? ab urbe*, errant. et quod est gravius, id faciunt contra fidem historiae. nunc autem ex libro 26. Annalium T. Livii notum est, Hannibalem post multas victorias ad tertium ab urbe lapidem supra Anienem castra posuisse; ipsum cum duobus equitum milibus usque ad portam Capenam obequitasse, ut urbis situm exploraret; inde postea a M. Marcello victum recessisse; deinde a M. Livio et Claudio Nerone Hasdrubale intercluso et superato omnem spem Italiae obtinendae abiecisse; postremo ab ipsis Karthaginiensibus, Scipione secundis proeliis et victoriis eos urgente et ad desperationem agente, ex Italia revocatum esse, annoque decimo sexto postquam venerat, ex Italia discedentem in Africam traiecisse [cf. Beck. p. 303.].

C. 30. §. 88 (132.). UT UNDE ESSET DEIECTUS EO RESTITUERETUR. assensus sum Hotomano, qui ita restituendum curavit.

Ibid. QUI POSTULAT UT UNDE DEIECTUS EST EO RESTITUATUR HOC [non *hoc etiam*, ut est apud Beck. p. 304. tum abest *hoc* Orell. p. 434.] POSTULAT UT A QUO LOCO DEIECTUS EST EO RESTITUATUR. alii aliter, ego sic hunc locum legendum esse contendo. cuius lectionis sententia nisi esset apertissima, nisique se ipsa tueretur et probaret, ego eius rationem pluribus verbis explicarem atque exponerem.

C. 32. §. 94 (138.). CAESENNIAM POSSEDISSE PROPTER USUM FRUCTUM NON NEGAS. quis in iure civili Romanorum mediocriter versatus non videt, hunc locum esse mendosum neque dubium esse, quin mortuo usufructuario, qui rem cuius habebat usumfructum vivus locaverat, heres fructuarii nihil iuris in ea re habeat, quum ad dominum, seu ut appellant, proprietarium reverterit? nam quod quidam dicunt, causae servisse Ciceronem, quid minus credibile quam ita causae servisse, ut impudentissime mentiretur? hunc igitur locum mendosum esse contendo atque ita legendum, *Caesenniam possedisse per colonum non negas.* cui coniecturae argumento sunt illa, quae sunt supra non longe a principio in ipsa narratione [p. 228, 18. nobis C. 6. §. 17.], *Caesennia fundum possedit locavitque.* unde igitur haec verba, *propter usum fructum*, nata sunt? ex annotatiuncula hominis semidocti, quae tandem a scriptore librario in contextum orationis relata sunt, iis reiectis quae Ciceronis erant.

C. 33. §. 95 (140.). QUID EST QUOD ROGARI IUS NON SIT QUID QUOD POPULUS IUBERE AUT VETARE NON POSSIT. hunc locum sic esse restituendum vincit ratio, vincunt illa quae antecedunt, *si quid ius non esset rogari.*

§. 96 (141.). PERSPICIS HOC NIHIL ESSE UT IN CETERIS QUAE ROGAVIT. *rogavit*, nempe Sylla. nihil video in hoc loco esse difficultatis aut mendi, nisi forte in voce *ceteris*, pro qua libri manu scripti habent *et ea teris* [vid. Beck. p. 310.].

C. 35. §. 103 (151.). QUI QUONIAM RECUPERATORES SUUM IUS NON DESERUIT NEQUE QUICQUAM ILLIUS AUDACIAE PETULANTIAEQUE CONCESSIT * * DERELINQUO IAM COMMUNEM CAUSAM POPULIQUE ROMANI IUS IN VESTRA FIDE AC RELIGIONE DEPONO. in libris vulgatis legitur, *communem causam*, in antiquis, *omnem causam.* existimat Hotomanus, ante haec verba, post verbum *concessit*, aliquid deesse, quod item mihi videtur. quid desit autem, incertum. Hotomano videtur deesse tale quiddam, *ideo in civitatis discrimen venit.* alius praeterea mihi subest scrupulus, quod haec quae mox sequuntur, *is homo ita se probatum vobis*, usque ad *quapropter si quid extra iudicium est*, videntur esse ponenda ante *derelinquo iam communem causam* [cf. Beck. p. 315.].

C. 36. §. 104 (153.). MULTO ETIAM MINUS QUAERI A. CAECINA FUNDUS SIT NECNE ME TAMEN ID IPSUM DOCUISSE FUNDUM ESSE CAECINAM. sic hunc locum restitui Georgii Bucanani Scoti, viri
b. quum omni doctrina praestantis tum || poetae optimi, auctoritatem secutus, cuius verba edenda curavi. sic igitur ille: »In »Oratione pro Caecina extrema ita vulgo legitur, *multo etiam* »*minus quaeri, A. Caecinae fundus sit necne; me tamen id* »*ipsum docuisse, fundum esse Caecinae.* at enim docere, fundum »esse Caecinae, non magnopere ad praesentem quaestionem per»tinet, nec id Cicero uspiam docuit: nisi forte id docere quis »vocet, quod in Orationis narratione paucis rem verbis attigit. »*ut in pauca conferam, testamento facto mulier moritur. facit* »*heredem ex deunce et semuncia Caecinam* [p. 228, 19. nobis »C. 6. §. 17.]. paullo vero inferius adeo se id non docuisse »ostendit, ut de hoc agro tanquam controverso et ambigui iuris »loquatur, his verbis [p. 288, 46. id est C. 8. §. 21.], *atque iste* »[*ad*] *omnes introitus qua adiri poterat non modo in eum fun*»*dum, de quo controversia facta fuerat, sed etiam in illum* »*proximum, de quo nihil ambigebatur, armatos opponit.* vides, »ut de illo fundo controversia sit, de altero nihil ambigatur? »ubi ergo docet Cicero, fundum fuisse Caecinae? nam inter ar»gumenta causae nulla de hac re mentio est, ubi maxime id »oportuit doceri. tum enim res controversa docetur, quum vel »argumentis vel testibus vel multis magnisque iudiciis probatur. »quod si nusquam Cicero facit, cuius improbitatis est, in causa »praesertim tam multiplici ac perplexa, id in epilogo pro con»firmato numerare, cuius nusquam in tota causa facta sit men»tio? aut cuius negligentiae est, quod in refutando fuit postre-

»mum, in tota paene causa firmissimum, quum cetera comme-»moraris, id in enumeratione praeterire? horum quum neutrum »in Ciceronem convenire possit, hunc locum nimia castigantium »audacia dicam an inscientia corruptum esse non dubito. ego »vero quum ad eum corrigendum nihil habeam quod afferam »praeter coniecturam, eam in medium proponam ac suum exi-»stimaturis iudicium relinquam. sic igitur legendum censeo: »*multo etiam minus quaeri A. Caecina fundus sit necne, me ta-»men id ipsum docuisse fundum esse Caecinam.* id ut ita esse »existimem, quum illa quae supra adversus veterem lectionem »disputata sunt, tum etiam capitum ordo, quibus haec causa »continetur, facit. *primum* enim Cicero vim factam esse probat; »*deinde* verbum illud *unde*, cuius interpretatione causa adver-»sariorum maxime nitebatur, secum facere contendit; *tertio loco* »Caecinam possedisse ostendit; *quarto loco* civem esse Caecinam »ac posse iure civium Romanorum hereditates capere, ne-»que legem Corneliam quominus id faceret impedimento esse »probat. quattuor haec, quibus tota causa continetur, capita »in peroratione eodem quo dixerat ordine enumerat. quodsi »ita legamus, ut habent vulgati codices, quartum quod erat in »refutando caput in epilogo videbitur plane praeterisse: sin ut »ego legendum puto, cum cetera oratione constabit epilogus. »nam quum *fundi* dicantur *populi*, ut alibi Cicero scribit [in »Orat. pro Balbo p. 518, 26. nobis C. 8. §. 20. vid. Nizolius a »Facciolato castigatus p. 323, 2. v. *fundus*.], ii in quibus ius »Romanum velut in fundo resedisset, non potest dubitari, quin »*coloni* fundi essent, si quidem cives essent Romani, hoc est »(ut Ciceronis verbis utar), quin lege agerent et suum ius per-»sequerentur, et omnes iure civili sine cuiusquam aut magistra-»tus aut iudicis aut periti hominis aut imperiti dubitatione ute-»rentur. igitur A. Caecina quum colonus esset eius coloniae, »cuius coloni cives essent, non dubium est, quin sit fundus et »iure civili Romano utatur, suumque ius persequi et heredi-»tates civium Romanorum capere possit; nec hoc ius ei quis-»quam per vim auferre potuerit. legitimus ergo Caesenniae »heres, ut qui optimo iure, fuit A. Caecina. haec omnia Ci-»cero ut in epilogo breviter complecteretur, *fundum esse Cae-»cinam* dixit. quodsi quis pertinacius contra dicat ac veteris le-»ctionis fidem tueri velit, quod satis credat esse probatum, »*fundum esse Caecinae*, quum sit demonstratum eum Caesen-»niae esse heredem: ex iis quae supra disputavimus satis perspi-»cuum esse puto, alterum non statim sequi, si Caecina heres »sit Caesenniae, ideo fundum esse Caecinae, non magis quam »Fulcinii qui ex duabus sextulis, aut Aebutii qui ex una sex-»tula eidem scriptus fuerat heres: alterum vero necessario sequi, »heredem esse Caesenniae non potuisse qui fundus non esset. »postremo, si, ut ego censeo, haec clausula orationis ultima »legetur, et sensus Ciceronis erit apertissimus et idem ordo in »epilogo servabitur, qui fuit in argumentatione et confirmatione.

»quod enim in argumentatione quarto loco positum erat, id in »epilogo quartum locum obtinebit. sin vetus lectio retinebitur, »neutrum, meo iudicio, constabit [sed vid. Mazoch. ad Tab. Heracl. p. 471. et post Mazochium Dirksenius noster Observatt. ad Tab. Heracl. p. 207.].

XIII.

IN ORATIONEM PRO LEGE MANILIA.

C. 1. §. 2 (3 Beck.). NUNC QUUM ET AUCTORITATIS IN ME TANTUM SIT QUANTUM VOS HONORIS MANDANDUM [*mandatum*, Beck. p. 321. *honoribus mandatis*, sexto casu, margo Laemar. edit. a. 1596.] ESSE VOLUISTIS. sic legendum vel invitis libris omnibus. hoc enim significat, tantam esse in se auctoritatem, quantum honorem et quot honores sibi populus Romanus mandavit [cf. Muret. VV. LL. 19, 20. Operum Tom. 2. p. Ruhnken. 498.].

Ibid. CERTE ET SI QUID ETIAM DICENDO CONSEQUI POSSUM. hic deest unum membrum, quod reperitur in libris manu scriptis, *et si quid auctoritatis in me est, ea apud vos utar, qui eam mihi dederunt* [ex Omissis post Tom. 1. p. 380, 1.].

C. 2. §. 6 (8.). AGUNTUR BONA MULTORUM CIVIUM QUIBUS EST ET A VOBIS ET AB IMPERATORIBUS VESTRIS CONSULENDUM. visa nobis
p.692. est haec coniectu || ra probabilior quam eorum, qui legere vo-
a. lunt, *a moderatoribus rei publicae.* nam et vulgata lectio, *ab imperatoribus rei publicae*, inepta est, et illa, *ab imperatoribus populi Romani*, quum ad Quirites verba faciat, absurda. ita autem loquitur sexta abhinc pagina infra, ut hic reposuimus, ibi [p 248, 23. id est C. 15. §. 43.], *vehementer autem pertinere ad bella administranda quid hostes, quid socii de imperatoribus vestris existiment, quis ignorat* [retractavit hunc locum Lambinus in Omissis ad calcem Tom. 1. p. 380, 2. »ex codice Nic. Clerici et altero Memmii legendum videtur, »*quibus est a vobis et ipsorum et rei publicae causa consulendum.* »nam in eis sic legitur, *quibus est a vobis et ipsorum et pret.* »*causa consulendum.* nam ex *r. p.*, quod valet *rei publicae*, »factum primum *pr.*, hinc *Praetoribus*, hinc *imperatoribus.*« cf. Gronov. Observatt. 4, 14. p. 688. sq.]?

C. 4. §. 9 (11.). USQUE IN HISPANIAM LEGATOS ECBATANIS MISIT AD EOS DUCES QUIBUSCUM TUM BELLUM GEREBAMUS. VOX *Ecbatanis* doctis quibusdam viris suspecta est, eaque in quibusdam libris veteribus varie scripta est [codex Erfurtensis, quo primum Wunderus V. C. accurate usus est, p. 84. *legatos ac litteras.* quam lectionem pluribus libris firmatam, Lambinus et post eum

nonnulli alii praetulerunt« Beck. p. 327. Lambinus, id est, margo editionum, quae eius nomine vocantur, quum aliarum, tum Laemarianae a. 1596., qua utor.].

Ibid. AB UNIS HOSTIUM COPIIS. si in duobus locis disiunctissimis maximeque diversis bellum gerebatur, quomodo poterant esse *unae copiae?* malim igitur legi, *ab unius hostis copiis.* sed quum in uno codice manu scripto repererim scriptum *a vinis* [vid. annot. ad V. Accus. c. 69. §. 177.], videtur potius legendum, *a binis hostium copiis* [ex Omissis post Tom. 1. p. 380, 2].

Ibid. VOS ANCIPITI CONTENTIONE DISTRACTI. liber unus manu scriptus habet *districti* [vid. Beck. p. 327., qui laudavit Oudendorp. ad Frontin. Stratag. 1. 3, 5.].

C. 5. §. 11 (14.). MERCATORIBUS AUT NAVICULATORIBUS INIURIOSIUS TRACTATIS. malim legi, *navicularіis.*

Ibid. IUS LEGATIONIS VERBO VIOLATUM ILLI PERSECUTI SUNT. legendum fortasse est, *bello persecuti sunt* [et sic margo Laemarianae a. 1596., neque hoc tamen de Lambini suspicione.].

§. 13 (17.). ET EUM PROPE ESSE. liber manu scriptus habet, *et eum propter esse.* quod probo [probavit etiam Orell. p. 442. sed vid. Drakenborch. ad Livii Epit. 49. T. 12. P. 1. p. 708. sq.].

C. 6. §. 14 (19.). SI ET BELLI UTILITATEM ET PACIS DIGNITATEM SUSTINERE VULTIS. *belli utilitatem* intellige res eas, quae ad bellum gerendum bellique sumptus sufferendos sunt utiles. sic Caesar *belli emolumentum* dixit libro 1. de Bello Gallico [C. 35 §. 3. p. Oudendorp. 53.], *neque exercitum sine magno commeatu atque emolumento in unum locum contrahere posse.* ubi Petrus Victorius tamen *emolumentum* scribit pro sumptu accipi [VV. LL. 22, 10.]. a quo dissentio [addantur ex Omissis post Tom. 4. p. 625, 1. haec: »immo fortasse apud Caesarem eo quem dixi »loco legendum, *sine magno commeatu atque molimento.* ut »*molimentum* sit a verbo *molior, iris,* idem valens quod *moli»men,* quo utitur Horatius Ep. 2. lib. 2. [vv. 93, 4.], *quanto »cum fastu, quanto molimine circum Spectemus vacuam Romanis vatibus aedem.*«].

§. 16 (21.). FAMILIAS MAXIMAS QUAS IN SILVIS HABENT. sic legendum, non ut vulgo, *in salinis.* quod ego conieci ex antiqua scriptura *in filius.* adde, quod significatur vectigal ex pecore et ex pastione. quum hunc locum sic emendassem, prodierunt in lucem libri Adversariorum 12. priores Adriani Turnebi, quorum in primo, capite quinto, hanc nostram emendationem multis rationibus confirmat [reliqua dabit Beckius V. C., quem vid. p. 333.].

C. 8. §. 21 (29.). SATIS OPINOR HOC ESSE LAUDIS ATQUE ITA REPUTO. sic habent omnes libri et impressi et manu scripti, praeter unum eumque Memmianum, in quo scriptum reperi in huius verbi locum *RP.* [vid. Beck. p. 339. sq.].

C. 9. §. 22 (30.). QUAM PRAEDICANT IN FUGA FRATRIS SUI MEMBRA IN IIS LOCIS QUA SE PARENS PERSEQUERETUR DISSIPAVISSE.

lege, *quam praedicant*, *in fuga*, *fratris sui membra*, et reliqua [ex Omissis post Tom. 1. p. 380, 2.].

Ibid. EX TOTA ASIA DIREPTAS. legendum videtur potius *dereptas* [ex Omissis l. l. et vid. annotata ad IIII. Herenn. C. 39. §. 51.].

§. 26 (37.). QUANTUM ILLUD BELLUM FUTURUM PUTETIS. iidem libri, quos supra laudavi, habent, *quantum illud bellum factum putetis*. quod probo. *quantum factum* autem interpretor quam auctum, quam magnum factum [ex Omissis l. l. et cf. Beck. p. 344.].

Ibid. VETERE EXPULSO EXERCITU. legendum, ut habent iidem libri, *vetere exercitu pulso* [ex Omissis l. l. atque hoc ordine verba unus posuit codex Erfurtensis, apud Wunder. p. 85., Lambini correctionem, interpretibus tantum non omnibus ignoratam, egregie firmans.].

C. 10. §. 28 (39.). post med. NON STIPENDIIS SED TRIUMPHIS EST TRADUCTA. sic habent aliquot libri manu scripti cum vulgatis consentientes, nisi quod in nonnullis scriptum reperi *terdocta* cum litura. unde mihi suspicio orta est, legendum *perdocta*, nisi quis malit *edocta*. *perdocta* tamen mihi videtur aptius. in duobus aliis scriptum est *tradita*, neque sine litura. unde Turnebus putabat fieri commodissime posse *erudita*. quod si probaremus ac reciperemus, numerosius terminaretur sententia [ex Omissis Tom. 1. p. 380, 2. Beck. p. 346. »eaque lectio »inde a Lambino est recepta, quam Lambinus etiam usu lo»quendi Ciceronis defendit.«].

C. 11. §. 30 (42.). TESTIS EST GALLIA PER QUAM LEGIONIBUS NOSTRIS IN HISPANIAM ITER GALLORUM INTERNECIONE PATEFACTUM EST. magna est hoc loco in libris manu scriptis scripturae varietas. alii enim habent *intensione*, alii *interemtione* seu *interemptione*, alii *internicione*. unde suspicari possit aliquis subesse mendum, quod et Francisco Fabricio Marcodurano, homini in primis erudito, videtur, qui, ut mihi significat una epistola ad me scripta, legendum existimat *interitione*. quod et mihi venerat in mentem, ut pluribus verbis ostendi annotatione in epistolam 20. libri 2. ad Atticum p. 464, 2. [ex Omissis post Tom. 4. p. 625, 1. cf. Beck. p. 348.].

C. 12. §. 33 (48.). TANTAMNE UNIUS HOMINIS INCREDIBILIS AC DIVINA VIRTUS TAM BREVI TEMPORE LUCEM AFFERRE REI PUBLICAE POTUIT. sic legendum censet Hotomanus, et recte.

C. 14. §. 40 (57.). UNDE ILLAM TANTAM CELERITATEM ET TAM INCREDIBILEM CURSUM NATUM PUTATIS. quum mendose legatur in codicibus vulgatis partim *initum*, partim *inventum*, quod proximum tamen in uno scripto reperi, ego, utroque damnato, *natum* reposui [vid. Gronov. Diatr. in Statium Tom. 1. p. Hand. 83., ab Orellio laudatum p. 450].

Ibid. NON AVARITIA AB INSTITUTO CURSU AD PRAEDAM ALIQUAM REVOCAVIT. legendum ex illis libris [ex codice Nic. Clerici et

altero Memmii], *devocavit* [ex Omiss. Tom. 1. p. 380, 2. inserendum Orellianis p. 351. cf. Beck. p. 357.].

§. 42 (60.). VOS QUIRITES HOC IPSO IN LOCO SAEPE COGNOSTIS. legendum, *hoc ipso ex loco* [ex Omissis l. l. firmant correctionem codices Erfurtensis apud Wunder. p. 86. et palimpsestus Taurinensis apud Peyron. p. 205.].

C. 15. §. 45 (65.). NISI AD ID IPSUM TEMPORIS. sic reposui, codicem manu scriptum secutus. nam in vulgatis non est praepositio *ad*, quae necessaria est [vidd. Beck. p. 361. Orell. p. 452.].

C. 16. §. 46 (68.). QUID IDEM IPSE MITHRIDATES. liber manu scriptus habet, *quid? idem iste Mithridates nonne ad eundem Cn. Pompeium legatum usque in Hispaniam misit?* quomodo fortasse legendum est, quasi Mithridatem, cum quo bellum gerendum est, indicet.

C. 17. §. 51 (75). AT ENIM VIR CLARISSIMUS REI PUBLICAE ET VESTRIS BENEFICIIS AMPLISSIMIS AFFECTUS. deest vox *amantissimus* ante vocem *rei publicae* [ex Omissis Tom. 1. p. 380, 2.].

§. 53 (78.). UT NEQUE PRIVATAM REM MARITIMAM NEQUE PUBLICAM IAM OBIRE POSSEMUS. legendum *transmarinam*, ut habent illi iidem libri [codex Clerici et Memmianus. ex Omissis l. l. Beck. p. 367. »privata res *transmarina* ad mercatores, publica ad magistratus pertinet.«].

C. 18. §. 55 (82.). PORTUBUS. liber manu scriptus et hic et alibi semper habet *portibus* per *i* [vid. Oudendorp. ad Caes. III. de B. G. c. 8. §. 1. p. 139. et cf. Rudimann. P. 1. p. 104. et Schneider. Doctr. Formarum L. L. P. 1. p. 339.].

C. 19. §. 57 (85.). GABINIO DICAM ANNE POMPEIO AN UTRIQUE. legendum potius, ut habent iidem libri [Clerici et Memmianus], *Gabinione dicam an Pompeio an utrique* [ex Omissis Tom. 1. p. 380, 2.]?

§. 58 (89.). extr. RERUMQUE GESTARUM COMES CN. POMPEIO ASCRIBITUR. a codice manu scripto vox utraque, quae est in vulgatis, *auctor, comes*, aberat. sed Memmius et Auratus censent vocem alteram tantum, *auctor*, esse delendam, alteram retinendam [cf. Beck. p. 371. sq.].

C. 20. §. 59 (90.). QUUM OMNES UNA PROPE VOCE IN IPSO VOS SPEM HABITUROS ESSE DIXISTIS. sic legendum, non ut vulgo, *in eo ipso vos spem habituros esse dixistis* [vid. Ruhnken. ad Vellei. 2. 32, 1. p. 179.]. nam praeterquam quod pronomen *eo* non est in quibusdam libris manu scriptis, ratio et consuetudo Latini sermonis postulant, ut ita legatur, quemadmodum edendum curavi. si enim *in eo ipso* legeremus, significaretur Pompeius. at ex Plutarcho notum est, populum respondisse, se spem habiturum in ipso Catulo [p. 632. B. Tom. 3. p. Schaefer. 58.].

§. 60 (92.). AB EODEM SCIPIONE ESSE DELETAS. vox *Scipione* adventicia et aliena videtur esse. nam quum supra dixerit, *ab*

uno imperatore, imperator autem ille Scipio fuerit, hic vel dicendum fuit, *ab eodem imperatore*, vel satis fuit dicere, *ab eodem.*

C. 23. §. 67 (105.). VIDEBAT ENIM POPULUM ROMANUM NON LOCUPLETARI QUOTANNIS PECUNIA PUBLICA PRAETER PAUCOS. sic restituit Hotomanus, et recte. atque ut ille hoc vidit, sic animadverti infra proxime legendum, *neque nos*, non ut vulgo, *neque eos* [vid. Beck. p. 378. sq.].

XIIII.

IN ORATIONEM PRO A. CLUENTIO AVITO.

AVITO. sic esse legendum iampridem admonuit Cuiacius Tolosanus, iurisconsultus doctissimus. quod quum Romae essemus, mecum communicavit Petrus Faber Tolosanus, consiliarius Regius in magno, ut loquimur, consilio, egoque nuper in Commentarios Lucretianos retuli [vid. annot. ad Orat. p. 257, 48. id est C. 29. §. 103.].

C. 1. §. 2. PROSPICIO. liber manu scriptus habet *perspicio* [vid. Peyron. p. 185.]. ego tamen nihil muto. idem, ubi vulgati habent *consuevistis*, habet *consuestis.*

C. 2. §. 5 (6. Beck.). PARUM FIRMAMENTI ET PARUM VIRIUM VERITAS HABET. deleta voce minus Latina *falsitas*, quae in hunc locum irruerat, reposui *veritas*, quae reperitur in omnibus libris manu scriptis. quod iampridem admonuit Petrus Victorius [VV. LL. 24, 2.].

§. 6 (8.). SI EAM RATIO CONVELLET SI ORATIO LABEFACTABIT. sic legendum est, quod et libri veteres et ratio flagitant [Peyron. p. 186.].

C. 4. §. 10 (15.). QUUM ILLI IN QUEM DICITUR DAMNATIO OMNE IGNOMINIAE PERICULUM IAM ABSTULERIT MORS VERO ETIAM DOLORIS. quidam docti legi volunt, *dolorem* [sed vid. Beck. Tom. 3. p. 11.].

C. 5. §. 12 (18.). MATER ENIM A ME IN OMNI CAUSA TAMETSI IN HUNC HOSTILI ODIO ET CRUDELITATE EST MATER INQUAM APPELLABITUR. libri vulgati habent, *nominis causa*, nos *in omni causa* reposuimus, manu scriptos secuti. quae lectio perspicue vera est.

Ibid. ET NUNC QUUM MAXIME FILIUM INTERFECTUM CUPIT. quidam legi volunt, *et nunc quam maxime.* ego nihil muto [cf. Pareum Lex. Crit. p. 300, 2.].

§. 14 (22.). extr. NULLIS AUSPICIBUS. sic legendum et ita habent duo libri manu scripti, atque ita Hieronymus Ferrarius,
b. iampridem || restituit coniectura ductus. coniecturam suam

confirmat loco illo, qui est libro 1. de Divinatione [p. 260, 17. nobis C. 16. §. 28.], *nihil fere quondam maioris rei nisi auspicato, ne privatim quidem, gerebatur: quod etiam nunc nuptiarum auspices declarant, qui re omissa nomen tantum tenent.*

C. 6. §. 17 (25.). QUUM AD AMICI PERICULA DEPELLENDA ADHIBERER. liber manu scriptus unus habet, *qui ad amici pericula* [et solent ita *qui* et *quum* sive *cum* a scriptoribus librariis, quae fuit natio hominum non doctissima, confundi. vid. Drakenb. ad Livii quum alios locos, tum 21. 40, 7. Tom. 6. P. 2. p. 207.].

§. 18 (26.). QUOD NON TOTUM A MATRE ESSET CONFLATUM ET PERFECTUM. idem liber habet, *conflatum et profectum.* quod magis placet [Ernest. p. 603, 9. »*profectum* post *conflatum* languet.«].

Ibid. INSTRUIT ACCUSATORES INSTRUIT TESTES. *instituit* habent libri manu scripti. *instituit* autem id est docet. sequitur deinde in vulgatis *instruit testes*, id est armat et ornat iis rebus, quae ad causam obtinendam et ad Cluentium damnandum valent. sed ego puto errato librarii commissum esse, ut ita habeant libri veteres. ita enim scriptum oportuit, *instruit accusatores*, *instituit testes*, id est, ornat accusatores, docet testes quid dicant. sic autem loquitur infra non longe ab extremo [p. 284, 50. nobis C. 67. §. 192.], *atque his rebus quum instructum accusatorem filio suo Romam ipsa misisset, paulisper conquirendorum et conducendorum testium causa Larini est commorata*, et reliqua.

C. 7. §. 20 (30.). UT NEQUE ACCUSATOR TIMERE NEQUE REUS SPERARE DEBUERIT. iidem libri habent, *sperare potuerit.* unde mihi orta suspicio est, legendum, *ut neque accusator timere debuerit neque reus sperare potuerit.*

C. 9. §. 27 (41.). NON DENIQUE ILLAM OPPIANICI DOMUM. sic esse legendum iampridem admonuit Petrus Victorius Variarum Lectionum libro 15. [c. 20.], idque ex auctoritate codicum antiquorum, quos adiuvat locus ille infra non longe ab extremo [p. 284, 34. id est C. 66. §. 189.], *domumque illam in perpetuum scelere omni affluentem reliquisset.* profert Victorius item locum ex libro primo de Divinatione huic similem [p. 263, 30. nobis C. 23. §. 46.], *sic ut tota domus sanguine redundaret.*

C. 10. §. 30 (47.). UT AD EA QUAE PROPIORA HUIUS CAUSAE ET ADIUNCTIORA SUNT PERVENIAM. libri manu scripti habent, *quae propriora*, mendose. quidam legi volunt, *quae propria.* si *propiora* retinemus, legendum videtur, *propiora huic causae.* et ita melius quadrabit id quod sequitur, *adiunctiora* [Ernest. p. 607, 20. »sed *huius* referri potest ad Cluentium, ut opinor, »quamquam eius mentio non praecedit. alias Lambini correctio »necessaria est.« nimirum quia comparativus, praeterquam ex communi adiectivi natura, non regit genitivum. vid. Perizon. ad Sanctii Minervam 2, 10. Tom. 1. p. 284. sqq.].

C. 11. §. 32 (52.). extr. QUI IN UNO CORPORE PLURES NECARET. libri veteres habent, *multos necaret.*

C. 13. §. 36 (57.). QUAM CLARA TUM RECENTI RE. longe, opinor, concinnior est haec scriptura, quam vulgata, *quam clara, quum recens fuit?*

C. 13. §. 39 (62.). extr. IN QUO INTER ALLEGATOS OPPIANICI NOMEN PRIMUM ESSE CONSTABAT [dedi vulgatam scripturam, quam habet lemma praefixum annotationi. omissa sunt illa, *inter allegatos*, in contextu verborum Ciceronis p. 259, 9., *inter alligatos* Lambinus maluit reposita Corrigendd. p. 848, 2.]. duae voces, quae sunt in omnibus libris, *inter allegatos*, vel delendae sunt (sunt enim ineptae et supervacaneae. adde, quod *allegare* non est, quod vulgus putat, nominare, commemorare et proferre, sed ad aliquem alicuius rei obtinendae causa privatim mittere. M. Tullius libro 1. Accusationis [p. 86, 39. id est C. 57. 149.], *petit a me Rabonius et amicos allegat, facile impetrat*), vel legendum *inter alligatos.* per *alligatos* autem significat *ἐνόχους*, obnoxios et affines culpae. hic operarii quum dubitationis meae notam scriptam non satis intellexissent, putarunt, me hoc totum *inter allegatos* voluisse deleri. quod longe aliter est. notam enim illam calamo traverso appositam mihi volebam in posterum valere ad refricandam meae dubitationis memoriam, ut aliquid ea de re notarem. nunc quum Turnebus [Adverss. 20, 5.] sentiat esse legendum *inter alligatos*, nihil est dubitationi loci relictum.

C. 14. §. 40 (63.). AD QUAM QUUM ADDUXISSET MEDICUM ILLUM SUUM IAM COGNITUM ET SAEPE VICTOREM. sequitur deinceps in libris vulgatis, *per quem interfecerat plurimos.* quae sine dubio ex ora libri in contextum orationis ab aliquo indocto librario translata sunt, cuius generis erratorum pleni sunt libri. tale est illud pro Roscio Amerino [p. 20, 48. id est C. 11. §. 30.], *insutus in culeum, supplicium parricidarum.* et Philippica quadam [XIIII. C. 4. §. 10. p 666, 25.], *a domesticis hostibus, id est qui intra moenia hostes sunt.*

C. 16. §. 47 (75.). extr. QUA DIGNITATE FUERIT. libri manu scripti habent, *qua diligentia.*

C. 19. §. 52 (83.). SED UT QUICQUID EGO APPREHENDERAM STATIM ACCUSATOR EXTORQUEBAT E MANIBUS. nihil muto, quamvis sciam, quibusdam placere legi, *ut quicque.* errant illi. nam *quicquid* saepe a veteribus pro *quicque* ponitur. quod pluribus verbis ostendi in Commentariis Lucretianis [vid. annotata ad Or. pro Caecina C. 27. §. 79.].

C. 21. §. 58 (94.). HOC QUANQUAM SEDULO FACIEBAT TAMEN INTERDUM NON DEFENDERE SED PRAEVARICARI ACCUSATORI VIDEBATUR. magna est hoc loco librorum varietas. alii enim habent, *praevaricari accusatori*, alii, *praevaricari accusationi*, alii, *praevaricari defensioni.* quod postremum fortasse non est reiiciendum,

ut *praevaricari defensioni* interpretemur *praevaricando* defensionem et causam susceptam prodere. verumtamen nihil muto, et *praevaricari accusatori* interpretor *praevaricando*, id est male defendendo accusatori inservire. omnino haec varietas suspicionem mihi commovet, has voces esse adventicias, et legendum, *non defendere sed praevaricari videbatur.* nam tametsi praevaricatio usitatius in accusatore causam prodente locum habeat, potest tamen et in patrono seu defensore valere: ut si quis dicat, aliquem esse causae publicae, quam susceperit, praevaricatorem. sic enim Caelius ad Ciceronem libro 8. [p. 90, 34. epist. 11.], *ne quod favore Paulli adeptus esset boni sua culpa videretur amisisse, et praevaricator causae publicae existimaretur.*

C. 22. §. 59 (96). QUID EST QUOD IAM DE OPPIANICI CAUSA PLURA DICAMUS. liber manu scriptus habet, *quid est quod iam de Oppianici persona causaque plura dicamus?*

C. 24. §. 66 (109.). UT EO AUCTORE UTERETUR CUPIDIORE QUAM FIDES IUDICIS POSTULABAT. placet mihi omnino magis scriptura vetus, *ut eo fautore uteretur cupidiore.*

C. 26. § 70 (116.). ET QUUM DOMI SUAE MISERRIMIS IN LOCIS ET INANISSIMIS TANTUM NUMORUM POSITUM VIDERET. concin || niorp. 693. a. omnino est haec lectio quam vulgata, *domi suae miserrimus et inanissimus* [vid. Victorium VV. LL. 11, 22. et cf. Beck. p. 57.].

§. 72 (119.). princ. QUI ALIQUID EX EIUS SERMONE SPECULAE DEGUSTARAT. nihil muto, quamvis Barnabas Brissonius, iuris consultorum eruditissimus, mihi confirmavit, se reperisse in quodam libro manu scripto *spe gulae.* nam omnino hoc *spe gulae* corruptum est.

C. 27. §. 73 (121.). IUDICES SE ID VELLE DIXERUNT. in uno libro manu scripto non sunt haec, *iudices se id velle* [erratum a Beckio V. C. p. 61. cf. Orell. p. 481.].

C. 28. §. 78 (131.). QUI TUM CONSULTO PROPE IN OCCULTO STETISSENT. liber unus manu scriptus habet, *propter in occulto* [v. Peyron. p. 191.], idemque paucis post versibus [hac ipsa sectione, C. 29.], *versatam* [sic correxi istud *versatum*, commentum librariorum. v. Beck. p. 65.] *esse in iudicio mentionem pecuniae sciebant*, ubi vulgati habent, *sentiebant.*

C. 29. §. 79 (133.). SUMMAM ILLI IUDICIO INVIDIAM INFAMIAMQUE ESSE CONFLATAM idem liber habet, *summam habito iudicio invidiam*, unde quis suspicari possit legendum esse, *summam Avito illo iudicio invidiam infamiamque esse conflatam* [cf. Beck. p. 65. sq.].

C. 30. §. 83 (140.). SINE STALENO NE IN CONSILIUM IRETUR TRIBUNICIA POTESTATE PERFECTUM EST. idem liber habet, *tribunicia potestate effectum est.* idem paullo post habet, *condemnationem dederat*, ubi vulgati *damnationem*, et *patimini*, ubi alii *patiamini.* quod probo.

C. 31. §. 84 (142.). SAPIENTISSIMUM ESSE DICUNT EUM. ex Hesiodo [OO. et DD. 291. sqq. in Gaisford. Poetis Minn. Grr. Vol. 1. p. 19. sq.], *οὗτος μὲν πανάριστος, ὃς αὐτῷ πάντα νοήσῃ Φρασσάμενος κ. τ. λ.* [vid. Drakenborch. ad Livii 22. 29, 8. T. 7. p. 185. Gataker. ad Antonin. 4, 21. p. 133. sq. edit. Cantabrig. a. 1652.].

C. 32. §. 88 (149.). EGO ENIM ME AD OMNIA CONFIRMAVI. legendum fortasse est *conformavi* [Beck. p. 73. »adversantibus Grutero et Graevio. nam *confirmare se ad omnia* est, se rationibus et argumentis munire.« Lambinum similiter corrigentem vidimus ad IIII. Herenn. C. 22. §. 31. II. de Orat. C. 28. §. 123.].

C. 34. §. 92 (154.). QUI HOC CONFITENTUR POSSUNT ILLUD IDEM IUDICIUM NON FECISSE DEFENDERE. ab eodem libro abest negatio, quam tamen retineo, ut necessariam [sed v. Beck. p. 76. et Peyron. p. 191.].

§. 94 (157.). NON QUOD ILLI AUT EXLEGEM ESSE SYLLAM AUT CAUSAM PECUNIAE PUBLICAE CONTEMPTAM ATQUE OBIECTAM PUTARENT. profert hunc locum Nonius Marcellus in voce *exlex* [1, 26. p. Mercer. 10, 27. sed hic dedit *non quo illi*, et sic est in lemmate huic annotationi praescripto. contra *non quod illi* habet Priscianus 6. p. 725. Putsch. C. 18. §. 94. Tom. 1. p. Krehl. 286., idque egregie firmatur palimpsesti Taurinensis auctoritate. vid. Peyron. p. 191.].

C. 37. §. 103 (171.). NON NUMERO HANC ABSOLUTIONEM NIHILO MINUS ENIM POTEST UT ILLAM MULTAM NON COMMISERIT ACCEPISSE TAMEN OB REM IUDICANDAM PECUNIAM QUAM STALENUS QUI CAUSAM NUSQUAM EADEM LEGE DIXIT. sic restitui, scripturae veteris vestigia secutus. non numero, inquit, absolutionem Fidiculanii. nam quamvis absolutus sit, nihilo minus tamen quam Stalenus pecuniam ob rem iudicandam accipere potuit; qui tamen Stalenus nusquam accusatus est, quod pecuniam ob rem iudicandam accepisset.

C. 38. §. 107 (177.). SED ETIAM EX HOMINIBUS IPSIS. non potui veterem scripturam *ex hominibus ipsis*, reiecta vulgata *ex nominibus ipsis*, non probare. haec enim perspicue recta et vera est, altera autem acrius cernenti et attentius consideranti falsa et mendosa [non enim raro *h* et *n*, praesertim initiales, a scriptoribus librariis confunduntur. vid. Drakenborch. ad Livii 24. 18, 8. et 32. 20, 7. cf. annot. ad Brut. C. 35. §. 133.].

C. 41. §. 113 (186.). IAM POTUIT ALIQUIS AB INITIO NON SEDISSE. liber manu scriptus unus habet, *iam potuerunt aliqui ab initio non sedisse*. ab eodem supra abest verbum *condemnavit*.

C. 42. §. 117 (191.). CUM ALTERO VERO (SICUTI ET PLERIQUE VESTRUM SCIUNT) MAGNUS USUS ET SUMMA UTRIUSQUE OFFICIIS CONSTITUTA NECESSITUDO EST. libri manu scripti habent, *constituta consuetudo est*. iidem infra quinque post versibus [§. 118.], ubi est in vulgatis *vim animi*, non habent *animi*.

C. 43. §. 121 (196.). POPULI ROMANI SUFFRAGIIS SAEPENUMERO CENSORIAS SUBSCRIPTIONES ESSE DELETAS. libri duo manu scripti habent, *esse sublatas.*

C. 45. §. 127 (204.). NAM ILLUD QUOD AFFERUNT NIHIL EST ALIQUID ESSE QUOD DE HIS DUOBUS HABUERINT COMPERTUM DE CETERIS NIHIL COMPERISSE IAM ILLUD QUIDEM MINIME PROBANDUM EST AD NOTATIONES AUCTORITATEMQUE CENSORIAM EXEMPLUM ILLOS A CONSUETUDINE MILITARI TRANSTULISSE [parui equidem Lambino, sic reponenti in Indice Erratorum p. 848, 2. nam in contextu verborum Ciceronis p. 273, 37. et 39. priore loco *at illud quod afferunt*, posteriore *nam illud quidem*, improbante summo viro, scriptum est. sed illum suspicor hoc voluisse, ut *iam illud quod afferunt*, ac deinceps *nam illud quidem* ederetur.]. multum debemus libris manu scriptis, quorum beneficio hunc locum, qui erat in vulgatis mendosissimus, emendare licuit [cff. Beck. p. 105. Orell. p. 497.].

C. 48. §. 135 (217.). QUOD ECLOGIUM RECITASTI. libris omnibus invitis ita legendum, *eclogium* non *elogium.* quamquam non omnibus libris invitis ita reposuimus, quia si non hoc loco hanc vocem ita scriptam reperimus, at multis aliis in locis ita scripta reperitur. postulat autem ratio et veritas, ut ita scribatur. est enim vox Graeca ab *ecloga*, item voce Graeca, deminuta, ἐκλογή, inde ἐκλογεῖον. *elogium* autem neque Latina, neque Graeca vox est, sed barbara et purgatis auribus respuenda. nam quod quidam tradiderunt, esse ductam a nomine λόγος, errant. esset enim et Graecis ἐλογίον seu ἐλογεῖον usitatum, quod non est. quod si Graeca vox non est, multo minus est Latina [veterum loca posuit Gesnerus Thes. L. L. Tom. 1. p. 341, 54. sqq. vid. Bergman. notis ad Ruhnkenii Opuscula p. edit. repet. 1021.].

C. 48. §. 135. EI FILIO COHEREDES HOMINES ALIENISSIMOS CONIUNGERET. libri manu scripti habent, *adiungeret.*

C. 50. §. 139 (225.). extr. SED QUAE EX RE IPSA CAUSAQUE DUCANTUR. vetus liber habet, *dicantur* [vid. ad II. de Invent. C. 34. §. 105.]. quod non est reiiciendum. nam sic propemodum infra loquitur [p. 276, 12. C. 51. §. 141.], *ut oratio ex re et ex causa habita videretur.*

C. 52. §. 143 (233.). SED NUM TIBI ITA DEFENDISSE VIDEOR UT TOTA IN CAUSA MENTIONEM ULLAM FECERIM LEGIS NUM SECUS HANC CAUSAM DEFENDISSE AC SI LEGE AVITUS TENERETUR. sic potius legi vellem, *sed non tibi ita defendisse videor, ut tota in causa mentionem nullam fecerim legis.* quam eandem coniecturam quum Memmium de hoc loco fecisse postea cognovissem, multo magis eam amplexus sum. ita tamen, ut est in vulgatis, excudendum curavi. si cui vero haec coniectura probaretur, legendum esset proxime, *nec secus hanc causam defendisse ac si lege Avitus teneretur.* ubi libri et manu scripti et vulgati habent, *num secus hanc causam defendisse ac si lege Avitus tene-*

retur? sed in eo loco ea re dissentiunt manu scripti ab impressis, quod illi habent *defendissem*, quum impressi habeant *defendisse*. unde suspicari possit aliquis ita legendum, *num secus hanc causam defendissem, si lege Avitus teneretur?* quam lectionem probo [cf. Beck. p. 120. et Orell. p. 502.].

§. 144. LEGUM PRAESIDIO A CAPITE PERICULUM PROPULSARE. liber manu scriptus habet, *capitis periculum propulsare.*

C. 53. §. 145 (236.). NEQUE ME ILLA ORATIO COMMOVERET QUOD AIT ATTIUS INDIGNUM ESSE FACINUS SI SENATOR IUDICIO QUEMQUAM CIRCUMVENERIT LEGIBUS EUM TENERI SI EQUES ROMANUS HOC IDEM FECERIT NON TENERI. quibusdam videtur vox *facinus* esse adventicia et aliena, non Ciceronis. alii putant hoc totum esse mendosum et legendum, *iniquum esse si Senator iudicio quemquam circumvenerit legibus eum teneri.* mihi illi priores propemodum verum dicere videntur ex iis quae proxime a Cicerone
b. respondentur, *ut tibi concedam hoc esse indignum* || et reliqua: si vero spectes, quae post legis recitationem ab eodem dicuntur, alteri aeque prope ad verum accedere. sic autem ibi Cicero [p. 278, 6. C. 55. §. 155.], *iniquum tibi videtur, Atti, esse, non iisdem legibus omnes teneri.*

C. 54. §. 148 (242.). QUI EORUM QUORUM VIDELICET QUI SUPRA SCRIPTI SUNT. haec verba, *qui eorum*, sunt Ciceronis legis verba iterantis, quae a scriba recitata sunt, proinde ac si ita diceret Cicero, *qui eorum*, inquit lex. sed quaero, *quorum?* respondet ipse sibi, *videlicet qui supra scripti sunt.*

C. 55. §. 151 (248.). extr. NIHIL FECISSET LIBENTIUS QUAM OMNEM ILLAM ACERBITATEM PROSCRIPTIONIS SUAE IN HANC UNAM QUAESTIONEM CONTULISSET. ante haec verba [*in hanc unam quaestionem contulisset*] leguntur in libris omnibus haec, *questus in veteres iudices*, quae sine dubio ex ora libri in contextum illata sunt. ascripserat enim lector aliquis e regione huius loci haec verba, *quaestio in veteres iudices*, nempe equites. deinde ea scriptor librarius huc intulit. deinde aliquis ex nomine *quaestio*, quum quo pertineret non videret, fecit *questus*, plane indocte et crasse. nam *queror in aliquem* non dicunt Latini, sed *queror de aliquo.* hoc igitur totum deleri iussi. infra non longe [§. 152.], ubi libri vulgati habent *equester ordo*, scriptum est in manu scriptis *equites Romani*, ubi illi *includatur*, hi habent *concludantur.*

C. 58. §. 159 (258.). EST ENIM SAPIENTIS IUDICIS. sequitur deinceps in libris vulgatis, *meminisse se hominem*, quod totum, quum sit supervacaneum nec reperiatur in libris antiquis, delendum curavi.

Ibid. REPUTARE NON SE ESSE SOLUM. sic legendum, non ut in libris vulgatis, *putare non se esse solum.*

Ibid. MAXIMIQUE AESTIMARE CONSCIENTIAM MENTIS SUAE. sic legendum potius, quam quomodo est in libris vulgatis, *maximeque aestimare.*

C. 61. §. 170 (271.). QUEM PROPTER ANIMI IMPORTUNITATEM NEMO RECIPERE TECTO NEMO AUDIRE NEMO ALLOQUI NEMO ASPICERE VELLET. quis non videt, longe hanc meliorem esse lectionem vulgata, *adire?* longeque gravius esse nolle aliquem *audire*, quam nolle *adire?* multos enim non adimus, quos tamen non audire nolumus. verumtamen vulgatam non damno [vid. Drakenborch. ad Livii 40. 12, 2. Tom. 5. P. 2. p. 88.].

C. 62. §. 173 (275.). IAM VERO ILLUD QUAM NON PROBABILE QUAM IN POCULO * LATENTIUS POTUIT ABDITUM ALIQUA IN PARTE PANIS QUAM SI TOTUM COLLIQUEFACTUM IN POTIONE ESSET. libri manu scripti habent, *latius petivit aditum aliqua in parte panis.* quae dissimilitudo et discrepantia arguit, hunc locum esse mendosum. ego me in omnes partes verti, ut ex hac antiqua scriptura depravata aliquid recti elicerem. sed frustra. ex voce *latius* suspicabar hoc sentire Ciceronem, *latius manavit* aut *manare potuit datum in pane, quam si totum colliquefactum in potione esset.* sed sequitur, *celerius potuit comesum quam potum in venas atque in omnes partes corporis permanare?* vulgatam igitur lectionem retineo. versu 47. operae omiserunt verba aliquot post vocem *probabile*, quae quamvis reperiantur in omnibus libris vulgatis, hic tamen repraesentare volui, *quam inusitatum, iudices, quam novum, in pane datum venenum? faciliusne potuit, quam in poculo* [correcta dedit haec eadem Lambinus in Indice Erratorum p. 848, 2.]?

Ibid. CELERIUS POTUIT COMESUM QUAM POTUM IN VENAS ATQUE IN OMNES PARTES CORPORIS PERMANARE. Priscianus libro 10. duobus locis legit *comestum* [p. Putsch. 892. C. 5. §. 28. Tom. 1. p. Krehl. 493. et p. Putsch. 893. C. 5. §. 28. Tom. 1. p. 495. vid. Voss. 3. de Analogia 26. p. 99. et 37. p. 133. Struv. de Latinorum Declin. et Coniugat. p. repet. edit. 230. sq.].

§. 175 (277.). AD C. QUINTILIUM. liber unus manu scriptus habet, *ad L. Quintium.*

Ibid. extr. AUT SI QUID HABET ID INTRA PARIETES IN DOMESTICO SCELERE VERSETUR. videtur legendum, *id intra parietes domesticos in domestico scelere versetur.* vel hoc totum *in domestico scelere* tollendum, si *intra parietes domesticos* repositum sit.

C. 65. §. 182 (288.). ITANE TANDEM MULIER IAM NON MORBO SED SCELERE FURIOSA. legendum fortasse est, *itaque tandem mulier, iam non morbo sed scelere furiosa,* deleta interrogationis nota.

§. 183 (290.). extr. ET QUOD TUM SASSIA DICTITABAT. liber manu scriptus habet, *dictitavit.* et infra [§. 184.], ubi vulgati habent, *obsignatas esse dixi*, in illis est *dixit.* et inferius [eadem sectione], ubi vulgati, *aliquid adiungere dictum*, illi habent, *aliquod dictum adiungere.*

C. 66. §. 186 (294.). ESTO IN TABELLIS NIHIL EST AUCTORITATIS. Ioannes Passeratius, homo pereruditus, legendum putat, *in tabellis nonnihil est auctoritatis.* cui assentior.

§. 188 (297.). extr. QUOD A. AURIUM MELINUM. quum reperissem scriptum in libris manu scriptis, *quod a Aurium*, [non *quod quum a Aurium*, ut est apud Beck. p. 153.], facile mihi fuit coniicere, reponendum, *quod A. Aurium*, id est *Aulum Aurium*. cognomen autem *Melinum* retinui, quamquam non est in iis, quos dixi, libris.

§. 189. (298.). ILLUD PRIMUM QUEROR ILLUD SCELUS QUOD NUNC DENIQUE PATEFACTUM EST FABRICIANI VENENI. quum haec verba, *de illo scelere*, quae leguntur in libris vulgatis, reperissem in libris manu scriptis partim demersa in litura, partim non uno modo scripta, ego *illud scelus* reposui. quod rectum esse arbitror [cf. Beck. p. 153. sq.].

§. 190 (299.) extr. DONIS MUNERIBUS COLLATIONE FILIAE SPE HEREDITATIS OBSTRINXIT. sic habent libri manu scripti Memmiani, atque ita se reperisse in aliis, item antiquis, testatur Petrus Victorius Variarum Lectionum libro 12. [c. 22.]. supra autem, ubi in libris vulgatis legitur, *dies omnes ac noctes tota mente*, antiqui habent, *dies omnes atque noctes tota mente mater de pernicie filii cogitaret*. unde suspicari possit aliquis legendum, *dies omnes noctesque totas tota mente*, vel delendum *mente* [ut hoc sit, omisso *ac*, *dies omnes noctesque totas mater de pernicie filii cogitaret*.]. et superius, versu 27. [immo p. 283, 27. id est C. 65. §. 182. extr.], legendum *affuisse* gemino *ff*, ubi operae fecerunt *afuisse*. plane mendose [correctum in Indice Erratorum p. 848, 2. cf. annotata ad h. l. a Beckio V. C. p. 149.].

XV.

IN ORATIONEM DE LEGE AGRARIA IN SENATU.

C. 2. §. 5. VIDETE NUNC QUO AFFECTARIT ITER APERTIUS QUAM ANTEA. Paulli Manutii coniecturam secutus sic edendum
p.694 curavi. nam vulgata lectio, *quoad fecerit i* ‖ *ter apertius quam*
a. *antea*, meo iudicio inepta est [vid. tamen Beck. p. 171.].

Ibid. IUBENT VENIRE AGROS ATTALEENSIUM ATQUE OLYMPENORUM. nihil refert, utrum scribatur *Attaliensium*, an *Attaleensium*. neque me movet, quod Graece dicitur Ἀττάλεια. nam diphthongus ει vertitur a Latinis vel in *i* longum vel in *e* longum, ut Ἀλεξάνδρεια, *Alexandria* seu *Alexandrea*, κιχορεῖον, *cichorium* seu *cichoreum*, κενταυρεῖον, *Centaurium* seu *Centaureum*, et cetera sexcenta [vid. Drakenborch. et qui ad Livii 31. 43, 5. laudantur ab illo Tom. 9. p. 570.].

C. 4. §. 11. QUARE HIS AGRIS GRATIS PARCERET. sic restitui coniectura ductus.

§. 13. IUBET ENIM PECUNIAM SI QUA POST NOS CONSULES EX NOVIS VECTIGALIBUS REFICIATUR HAC UTI DECEMVIROS. sic legendum, non ut est in libris vulgatis, *recipiatur*. licet et legere *redigatur*, quod et nonnullis placet [vid. Beck p. 177.].

C. 5. §. 14. OMNIBUS RATIONIBUS ET MODIS CONSTRUCTAM ET COACERVATAM PECUNIAM DECEMVIRALEM. sic legendum, non ut vulgo legitur, *omnibus rebus et modis* [Beck. p. 177. »*res* sunt, »ut Guilelmius docet, ea omnia quibus pecunia conficitur, *modi* »consilia et artificia eam in rem adhibita.«].

§. 16. QUOT QUORUM HOMINUM IN QUAE LOCA. sic Lauredanus, patricius Venetus, et recte.

[C. 6. §. 18. QUI LOCUS UBERTATEM AGRORUM ABUNDANTIAMQUE RERUM OMNIUM PROPTER SUPERBIAM ET CRUDELITATEM GENUISSE DICITUR. Orell. p. 532. »*propter* post vocem *omnium* collocat »Lambinus.« est operarum error, correctus a Lambino in Indice Erratorum p. 848, 2.]

C. 8. §. 26. SIC ME IN HOC MAGISTRATU GERAM P. C. id est, *Patres conscripti*. sic autem emendavit Lauredanus [cf. Beck. p. 185.].

C. 9. §. 27. LIBERI A DELICTIS. legendum arbitror, *liberi a deliciis*.

XVI.

IN ORATIONEM DE LEGE AGRARIA AD POPULUM.

C. 2. §. 4 (Beck. 5.). QUOD MEIS COMITIIS NON TABELLAM INDICEM TACITAE LIBERTATIS SED VOCEM VIVAM PRAE VOBIS VINDICEM VESTRARUM ERGA ME VOLUNTATUM AC STUDIORUM TULISTIS. sic Lauredanus emendat [locum Ciceronis repraesentavi ex edit. p. 291, 38. sed lemma praefixum annotationi sic habet, *non tabellam vindicem*, quae fuit Lauredani coniectura, probata Lambino et bonis libris egregie firmata. itaque, opinor, sic dare voluit Lambinus, ut nunc editur, *quod meis comitiis non tabellam vindicem tacitae libertatis, sed vocem vivam prae vobis indicem vestrarum erga me voluntatum ac studiorum tulistis*.].

§. 5 (6.). CUI ERRATO NULLA VENIA RECTE FACTO EXIGUA LAUS ET AB INVITIS EXPRESSA PROPONITUR. *errato* quidam dictum volunt Graecorum more pro ἡμαρτηκότι, id est pro eo qui peccavit.

quale est apud Terentium Hecyra [5. 1, 11.], *iam aetate ea sum, ut non siet peccato mihi ignosci aequum.* iidem tamen testantur in libris suis manu scriptis scriptum esse, *cum errato.* ego malim sic explicare, cui in errato nulla venia, in recte facto exigua laus et ab invitis expressa proponitur [vid. Ruhnken. Dictatis ad Terentii l. l. p. Schopen. 231. et quem laudavit ille, Perizon. ad Sanctii Minerv. 4, 4. Tom. 2. p. 144. sq. cf. eundem ad 3, 9. Tom. 1. p. 655. sqq. Zumpt. Gramm. L. L. p. edit. nov. 504. id est C. 81, 8. §. 648.]. vel fortasse ita legendum, *cuius errato.*

C. 4. §. 10 (13.). QUI CIVITATUM AFFLICTARUM PERDITIS IAM REBUS EXTREMI EXITIORUM SOLENT ESSE EXITUS. videtur esse delenda vox *exitiorum.* nam *exitium* nihil aliud est, quam extremus et perditus exitus.

C. 5. §. 13 (18.). extr. TAMEN SI QUI ACUTIORES IN CONCIONE STETERANT. Manutius hanc lectionem retinet et exemplis confirmat. ego tamen malim legi, *tametsi, qui acutiores erant, de lege Agraria nescio quid voluisse eum dicere suspicabantur* [vid. Beck. p. 197. sq.].

C. 6. §. 14 (19.). OMNI HOC VOBIS ASSEVERATIONE CONFIRMARE POSSUM. sic legendum censeo, non, ut in omnibus libris legitur, *omni hoc vobis ratione confirmare possum.* sic autem loquitur libro 13. Epistolarum ad Atticum [p. 357, 48. epist. 23.], *omni tibi asseveratione affirmo, quod mihi credas velim, mihi maiori offensioni esse quam delectationi possessiunculas meas.*

Ibid. QUIA PERSAEPE SEDITIOSIS ATQUE IMPROBIS TRIBUNIS PLEBIS. lego, *sed quia persaepe seditiosis atque improbis Tribunis plebis boni et fortes Consules obstiterunt.*

C. 7. §. 18 (24.). ITEM INQUIT CAPITE ALTERO UT COMITIIS PONTIFICIS MAXIMI. *item ut comitiis Pontificis Maximi* verba sunt legis, haec autem, *inquit capite altero*, Ciceronis. illa autem, *eodemque modo*, assentior Lauredano, patricio Veneto, esse interpretationem vocis *item*, quae ex margine libri in contextum orationis irruerit.

§. 19 (25.). POPULI AD PARTES DARET. Lauredanus legit, *populo ad partes daret.*

Ibid. HIC QUOD ADIMI NULLO PACTO POTERAT POTESTVE QUADAM RATIONE ERIPERE CONATUR. sic Muretus emendat hunc locum libro Variarum Lectionum 5. c. 5. [Operum Tom. 2. p. Ruhnken. 104.], cui assentior. nam vulgata lectio, *poterat potestate*, sine dubio mendosa est.

C. 8. §. 20 (26.). extr. VOLET EOS RENUNCIARE QUIBUS REGIA POTESTAS HAC LEGE QUAERITUR. sic iampridem in meo codice emendaram, quod idem reperi postea Lauredano placere [vid. Beck. p. 203. sed illud *renunciari* Lambino vix ac ne vix quidem vindicaverim. habet margo Laemarianae a. 1596.]. paullo

post [§. 21.] mutata interpunctione sic lego, *sortietur tribus idem Rullus, homo felix: educet quas volet tribus.*

C. 9. §. 22 (31.). extr. ET VIDELICET COLLEGAS SUOS ASCRIPTORES LEGIS AGRARIAE NON REPUDIABIT A QUIBUS EI LOCUS PRIMUS INVIDIAE IN PRAESCRIPTIONE LEGIS CONCESSUS EST. sic scriptum est etiam in libris antiquis. sed legendum videtur *proscriptione. proscribere* enim est in publico seu publice scribere [vid. Beck. p. 205. sq.

§. 24 (33.). NON REUS DENIQUE. sic emendat Lauredanus, et recte. nam a libris vulgatis aberat negatio [locum, quem varie suppleverunt editores, librorum auctoritatem secuti, ita constituit Lambinus p. 295, 2. *itaque excipitur hac lege non adolescentia, non legitimum aliquod impedimentum, non potestas, non magistratus ullus aliis negotiis ac legibus impeditus, non reus denique, quominus Decemvir fieri possit. praesentem eum profiteri iubet. quod nulla alia in lege umquam fuit, ne in his quidem magistratibus, quorum certus ordo est. timebat enim, Pompeius ne si adesset, ferri non posset: aut ne, si accepta lex esset, illum sibi collegam ascriberetis custodem ac vindicem cupiditatum.* cf. Beck. p. 207. sq. et VV. LL. cod. Erfurt. apud Wunderum V. C. p. 113. sq.].

C. 11. §. 26 (37.). NAM QUUM CENTURIATA LEX CONSULIBUS FEREBATUR QUUM CURIATA CETERIS PATRICIIS MAGISTRATIBUS TUM ITERUM DE EISDEM IUDICABATUR UT ESSET REPREHENDENDI POTESTAS SI POPULUM BENEFICII SUI POENITERET. magna est de huius loci explicatione inter Sigonium, Gruchium, Lauredanum controversia, quam non est mei instituti neque huius loci dirimere aut sedare. hoc tantum ponam, Sigonii sententiam mihi probabiliorem videri, quem legat lector in libro de Antiquo Iure Civium Romanorum, et Gruchium de Comitiis [in Thes. AA. Romm. Tom. 1. p. 39. sqq. et 531. sqq.] et Lauredanum in Commentariis ad hanc Orationem, ad hunc locum. ubi nihil immutavi, praeterquam quod Sigonium et Gruchium [et Hotomanum Observatt. 5, 11.] secutus pro *Censoribus Consulibus* excudendum curavi. praeterea adverbium *quum* ante vocem *centuriata*, quae a scriptore librario fuerat omissa, restitui. in ceteris quae immutat et addit Gruchius, non est ferendus. paullo post, ubi libri vulgati habent, *quae vos non sinitis*, legendum *quae vos non tenetis* [vid. Beck. p. 210. sqq. et qui ab Orellio laudantur huius loci explicatores p. 543.].

§. 29 (40.). SI HOC FIERI POTEST. placet mihi Lauredani coniectura, qui mavult hoc loco legi, *si hoc ferri potest*, non displicet mihi tamen recepta [solent haec duo commutari a scriptoribus librariis, id quod pluribus locis in Livianis codicibus observarunt VV. DD. v. Drakenborch. ad 5. 54, 6 Tom. 3. P. 1. p. 455. sq. Lauredani coniectura probatur Schellero Observatt. p. 85.].

b. C. 12. §. 30 (42.). || HIC TRIBUNUS PL. LEGI CURIATAE QUAM PRAETOR FERAT ADIMIT INTERCEDENDI POTESTATEM. sic legendum est, ut recte coniicit Lauredanus.

C. 14. §. 37 (54.). SED ILLUD MAGIS EST CREDENDUM ET PERTIMESCENDUM. fortasse legendum est, *magis est cavendum.* nisi forte qui lectionem receptam retinere et tueri volent, dicent *credendum* idem valere hoc loco quod *suspicandum*, quo verbo paullo post utitur [*cavendum* dare voluit Beckius, Lallemandum secutus, sed operae non paruerunt. vide illum p. 222. *horrendum* pro cavendo nolim tamen vindicatum Lambino. habet margo Laemarianae edit. a. 1596.].

C. 15. §. 39 (57.). PRIMUM HOC QUAERO QUI TANDEM LOCUS USQUAM SIT QUEM NON POSSINT DECEMVIRI DICERE PUBLICUM POPULI ROMANI ESSE FACTUM. libri manu scripti habent, *primum hoc* (*quaero enim*) *qui tandem locus usquam sit*, et reliqua.

C. 17. §. 44 (63.). CUR NON ITEM UT QUUM DIRECTO ET PALAM REGIONEM ILLAM PETIERUNT QUIETIS NOBIS. eorum coniecturam probo, qui *directo* pro *decreto*, secuti veteris scripturae in libris manu scriptis extantia vestigia [vid. Drakenborch. ad Livii 40. 30, 6. Tom. 11. p. 693. cf. eundem ad Livii 22. 47, 2. Tom. 7. p. 270. et ad Silii 4, 678. p. 231.], reposuerunt. perspicue enim *directo* hic dicit, quod mox *per cursum rectum*.

§. 45 (64.). UNAQUE * *. hic est lacuna. puto autem tale quid desiderari post *unaque*, *quantum mali exteris nationibus comparetur, considerate* [vid. Beck. p. 229. sq.]. Lauredanus autem nihil deese putat, tantumque ex *unaque* facit *animisque*.

§. 46 (65.). QUANTA CALAMITAS POPULI SI DIXERIT. sic emendat Lauredanus [id est, *at quanta calamitas populi.* atque sic repraesentavit lemma praescriptum annotationi.] ex auctoritate codicum manu scriptorum, et ita excudi iusseram. sed operae omiserunt *at*.

C. 18. §. 48 (68.). QUAM TU MIHI EX ORDINE RECITA DE LEGIS SCRIPTO POPULI ROMANI AUCTIONEM QUAM MEHERCULE EGO PRAECONI HUIC IPSI LUCTUOSAM ET ACERBAM PRAEDICATIONEM FUTURAM PUTO. Lauredanus testatur, amicum quendam suum, virum gravem et certum, sibi confirmasse repertum a se in uno codice manu scripto *recitationem.* quod ait sibi magis placere. ego dubito. nam movet me quod antecedit, *praeconi huic ipsi.* est enim praeconis *praedicare*, scribae *recitare.* itaque si *recitationem* legeremus, una legendum quoque supra videretur *scribae huic ipsi*, hoc modo, *scribae huic ipsi luctuosam et acerbam recitationem futuram puto.* nunc autem absurdum est, praeconem in contione *recitare:* nisi forte quis dicat, etiam hoc munus fuisse praeconum in contionibus recitare, si quid esset recitandum praeter legem. nam in Comitiis praecones leges solitos esse recitare constat. rursus aeque videtur absurdum, praeconem in contione *praedicare.* praeconis est enim, in auctione,

non in contione, praedicare: nisi quis dicat, praeconem etiam auctionem seu auctionis descriptionem in contione solitum praedicare. sed hac de re iudicent eruditi.

C. 19. §. 51 (72.). ASCRIBIT EIDEM AUCTIONI CORINTHIOS AGROS OPIMOS ET FERTILES. sic est legendum, non, ut est in libris vulgatis, *idem auctioni.*

Ibid. VERUM INTER HOS AGROS REGIOS CAPTOS VETERIBUS BELLIS VIRTUTE SUMMORUM IMPERATORUM ADIUNGIT REGIOS AGROS MITHRIDATIS QUI IN PAPHLAGONIA QUI IN PONTO QUI IN CAPPADOCIA FUERUNT UT EOS DECEMVIRI VENDANT. videtur hic locus mendosus. nam non satis Latine dictum videtur, *adiungit inter hos agros.* quid si sic legamus? *verum interim ad hos agros regios captos vete»ribus bellis*, et reliqua [Beck. p. 236. »forsitan *inter hos agros* »absolute accipiendum est: dum illos agros regum enumerat, »qui vendendi sint, etiam Mithridatis agros iis adiungit.« cf. Orell. p. 550.].

C. 21. §. 57 (81.). QUEM EGO EXCIPI ET PROPTER HOMINUM NECESSITUDINEM ET PROPTER AEQUITATEM QUIRITES SANE VEHEMENTER GAUDEO. secutus sum Lauredani coniecturam verissimam. ac ne frustra tempus conteram, admonitum lectorem velim, quicquid erit in hac Oratione infra emendatum ac mutatum, eius nomine gratiam esse habendam Lauredano: nisi quid erit, quod nominatim vel mihi vel alii ascribatur.

Ibid. CETEROS ETIAM SI PRIVATI SINT PERMITTERE UT PUBLICI IUDICENTUR. vel legendum *ceteri* (nam hic ordo verborum est, *permittere ut ceteri, etiam si privati sint, publici iudicentur*), vel more comico seu Graeco potius locutus est. sic autem loquuntur illi, Plautus Asinaria [1. 1, 45.], *verum meam uxorem nescis qualis siet*, pro *uxor mea nescis qualis sit* [vid. Pareum Lex. Critici Mantiss. pag. 166, 2. sqq. Perizonium notis ad Sanctii Minerv. 2, 9. Tom. 1. p. 261. sqq. Ruhnken. Dictatis ad Terentii Andr. Prolog. 3. p. Schopen. 4.].

Ibid. HUNC EXCIPERE NOMINATIM QUI PUBLICUS ESSE FATEATUR. nihil mutandum puto. nam *fateatur* hoc loco patiendi significationem habet, quod non est veteribus inusitatum in talibus verbis [vid. Voss. 3. de Analogia 6. p. 26. et cf. Beck. p. 242.].

C. 22. §. 59 (86.). HORUM ERIT SOLORUM IUDICIUM. sic legendum potius arbitror, quam vel *solutum* vel *liberum* vel *nunc.* vulgata autem lectio, *nullum iudicium*, reiicienda prorsus est [vid. Beck. p. 245., ubi inter alia haec leguntur: »apud Olive»tum ex Lambb. affertur, *horum erit solorum iudicium*, quod »ex animadversionibus Lambini petitum.«].

C. 23. §. 62 (89.). POMPEIUS ENIM QUUM HOC ANIMO SIT UT QUICQUID VOBIS PLACEAT SIBI FERENDUM PUTET TUM QUOD VOS FERRE NON POTERITIS ID PROFECTO PERFICIET NE DIUTIUS INVITI FERRE COGAMINI. huius quoque loci restitutio Lauredani tota est, nisi quod infra addidi *tum*, ante, *quod vos ferre non poteritis* [cf. Beck. p. 246. sq.].

C. 25. §. 67 (97.). AGE VERO DEFINIS LOCUM QUIDNAM AGRI AGRI VERO INQUIT QUI ARARI AUT COLI POSSIT. sic restitui. coniectura autem mea facilis et probabilis est. nam quum vox *agri* bis esset a Cicerone posita, librarius scriptor, plus sibi tribuens quam satis erat, alterum omisit tanquam otiosum. iam haec verba, *agri vero*, *inquit*, *qui arari aut coli possit*, a Cicerone respondentur, qui idem interrogarat [vid. Beck. p. 252. sq].

Ibid. extr. INVENIETUR ENIM RATIO QUAESTUS DE VESTRA PECUNIA. libri vulgati habent *inietur* [vid. Garaton. ad Pison. p. Orell. 374. et Cramer. ad Schol. Iuven. p. 218.], plane mendose. Paullus Manutius reposuit *inibitur*, ego *invenietur*. ita autem locutus est M. Tullius in Oratione pro Quinctio [p. 8, 41. nobis C. 14. §. 46. *inveniri ratio, C. Aquilli, non potest, ut ad suum quisque quam primum sine cuiusquam dedecore, infamia pernicieque perveniat?* sed ibi Lambinus p. 676. b. legendum fortasse est, inquit, *iniri ratio*. idque repetitum in Indice Rerum et Verborum p. 784, 2. vid. Beck. p. 253. sq.].

C. 26. §. 69 (101.). HUIC SUBVENIRE VULT SUCCUMBENTI IAM ATQUE OPPRESSO SYLLANIS ONERIBUS GRAVIBUS SUA LEGE UT LICEAT ILLI INVIDIAM DEPONERE PECUNIAM CONDERE. sic restituendum censeo, reiecta lectione vulgata, *Syllanis oneribus gravi*. nam satis hoc edictum est, et dictum quidem verbis longe significatioribus, *succumbenti atque oppresso*. iam *onus grave* Latine dicemus potius, quam aliquem *onere gravem*. M. Tullius in Catone Maiore [p. 405., 45. nobis C. 2. §. 4.], *ut onus se Aetna gravius dicant sustinere*.

Ibid. ET VOS DUBITATIS QUIN VECTIGALIA VESTRA NON VENDATIS PLURIMO MAIORUM VESTRORUM SANGUINE ET SUDORE QUAESITA. totum hunc locum, usque ad, *nam ad hanc emptionem Decemviralem*, lego cum interrogationis nota, et negationem, quae in alienum locum traducta fuerat, in suum restituo. sententia autem est haec, populum Romanum || dubitare non debere
p.695. quin non vendat, id est, quin vendere non debeat; certum esse,
a. populum Romanum vendere non debere.

C. 27. §. 73 (106.). AN EST LOCUS QUI COLONIAM POSTULET EST ET QUI PLANE RECUSET. quindecim iam abhinc annis sic habebam hunc locum coniectura emendatum in meis adversariis, quae mihi nunc magis probatur, quum eandem in mentem venisse video Lauredano [cf. annotata ad h. l. a Beckio V. D. p. 258. sq.].

C. 29. §. 79 (112.). PROFERAT IN SINGULOS IUGERA DENA DESCRIBAT. sic hunc locum restitui ex altero huic simillimo infra, ibi [p. 304, 27. id est C. 31. §. 85.], *et in eo duodena describit in singulos homines iugera*. ex quo item praeterea hic legendum fortasse est, *in singulos iugera duodena* [Beck. p. 265. »sensus, dividat agrum Campanum in dena iugera, quae singu»lis colonis dentur.«].

C. 30. §. 82 (118.). QUI ILLAS A MAIORIBUS PULCHERRIMAS VECTIGALIUM SEDES ARMIS PARTAS ACCEPISTIS. sic sine dubio legendum, non, ut habent libri vulgati, *armis captas.*

C. 33. §. 90 (130.). extr. KARTHAGINIENSE III. sic emendat Lauredanus, plane divine. III. autem valet *tertium* [Beck. p. 278. »Lauredanus et Lambinus legi maluerunt, *Karthaginiense* »III., quia necessarium est, tertium intelligi.« Lauredani coniecturam probavit Lambinus, probatam minime tamen recepit. servavi equidem lemma, annotationi praescriptum a Lambino.]. idem pari *εὐστοχίᾳ* infra [p. 306., non 310, 15. nobis C. 35. §. 96. init.], ubi vulgati libri habent *quum numerum colonorum, quum* IↃↃ *colonorum* reposuit, IↃↃ autem id est, *quinque milia.*

C. 34. §. 93 (136.). VEGRANDI MACIE TORRIDUM. *vegrandi* legendum, et ita edendum curavi, non *vel grandi*, ut habent libri vulgati. hoc primum. *torridum* autem Ioannes Passeratius depravatum esse putat, et *horridum* reponendum.

C. 36. §. 99 (146.). UT NIHIL AURO ET ARGENTO VIOLARI NIHIL NUMERO ET SUFFRAGIIS DECLARARI NIHIL VI ILLATA ET MANU PERFRINGI POSSET QUOD NON VOS OPPRESSUM ATQUE EREPTUM TENERETIS. ex veteris scripturae vestigiis obscuris hanc lectionem elici posse putavi. quam si quis non probabit, experiatur, utrum melius divinare possit. testatur autem Lauredanus sic esse scriptum in quodam codice manu scripto, *nihil velata manu*, in alio, *vel lecta manu.* sed (non enim possum manum tollere de tabula), quid si ita legamus, *vi et allata manu?* quid, si *vi et facta manu?* quid, si hoc modo, *vi et dilecta manu?* per *dilectam manum* autem intelligentur milites dilecti, id est, ut hodie vulgo in libris legitur, *delecti.* veteres enim dicebant *dilectum militum*, non *delectum*, ut saepe admonuimus [vid. ad II. de Orat. C. 9. §. 36.], et item ante nos alii.

C. 37. §. 103 (153.). NAM SI II QUI PROPTER DESIDIAM IN OTIO VIVUNT TAMEN IN SUA TURPI INERTIA CAPIUNT VOLUPTATEM. sic docti quidam legendum putant, *nam si ii qui propter desidiam in otio vivunt*, quemadmodum edidimus. sed quid hoc ad tot vulnera, quae sunt in hac extrema oratione, plane insanabilia sine codicum manu scriptorum subsidio? ego, ut aliquid afferrem, pro *sub ipso otio si otio ipso* reposui, pro *actibus acie* (ubi tamen quidam amicus meus *aciebus* reponit), pro *revocavi*, quod est in libris vulgatis, seu *rogavi*, quod in manu scriptis nonnullis, *praecavi.*

XVII.

IN ORATIONEM DE LEGE AGRARIA ITEM AD POPULUM.

C. 4. §. 14 (Beck. 16.). FUNDOS QUOS IN AGRO CASSINATI OPTIMOS ET FRUCTUOSISSIMOS CONTINUAVIT. legendum fortasse est, *opimos* [Lambini operae dederunt *agros opimos*, ego alterum delevi] *et fructuosos* seu *fructuosissimos*.

XVIII.

IN ORATIONEM PRO C. RABIRIO PERDUELLIONIS REO.

C. 2. §. 6 (7. Beck.). init. IN SEMIHORAE CURRICULUM COEGISTI. liber unus manu scriptus habet, *in semihorae circulum*.

§. 7 (8.). NISI FORTE DE LOCIS RELIGIOSIS AC DE LUCIS QUOS AB HOC VIOLATOS ESSE DIXISTI PLURIBUS VERBIS TIBI RESPONDENDUM PUTAS. idem liber habet, *de locis religiosis ac delubris*.

C. 3. §. 7 (9.). extr. AN DE PECULATU FACTO AN DE TABULARIO INCENSO LONGA ORATIO EST EXPROMENDA. VOX *facto* videtur adventicia, reperitur tamen in vetere codice. in eodem est *exprimenda* infra, ubi libri vulgati habent *expromenda* [vid. Drakenborch. ad Livii 34. 61, 8. Tom. 10. p. 251. et de *expromendi* verbo eundem ad eiusdem 39. 12, 4. Tom. 11. p. 356.].

§. 8 (11.). QUOD EST IN EADEM MULTAE IRROGATIONE PRAESCRIPTUM. idem liber sic habet, *praescriptum*, id est ante scriptum. et ita legit Turnebus, et ita edi iussimus [vid. Beck. p. 321.].

C. 4. §. 13 (16.). CAPUT OBNUBITO ARBORI INFELICI SUSPENDITO. hunc locum profert Nonius in voce *suspensum* [4, 413. p. Mercer. 386, 15.]. quae sit autem *arbor infelix*, multi docuerunt [vid. Heyn. Opuscc. Acadd. Tom. 3. p. 184. sqq.]. paullo post [c. 5. §. 14.], ubi vulgo legitur, *eius patrui mors est*, vetus codex non habet *eius*, et vero videtur ea vox supervacanea, sed non item inferius, ibi, *quam illi eius fratris*.

C. 5. §. 16 (20.). CARNIFEX VERO ET OBNUPTIO CAPITIS. sic putat legendum Muretus [VV. LL. 8, 9. Operum Tom. 2. p. Ruhnken. 183.], egoque ei assentior. credibile est enim, alterum illud, quod est in libris fere omnibus, *obductio*, natum

ex annotatione et interpretatione nominis *obnuptio* [cf. Pareum Lex. Crit. p. 819. sq.]. idem Muretus paullo post, ubi libri vulgati et manu scripti omnes habent *conditio* seu potius *condicio*, legendum existimat *condictio*. condictio autem, ut ait ille, est denunciatio, a *condicendo*, quod denunciare significat. ego autem supra [§. 15.], ubi est in vulgatis codicibus *et verborum acerbitates*, *verberum* reposui.

C. 7. §. 20 (26.). ADHIBENT OMNES TRIBUNOS PLEB. PRAETER SATURNINUM OMNES PRAETORES PRAETER GLAUCIAM. sic legendum censet Adrianus Turnebus [cf. Muretum Comm. in I. Catilin. C. 2. §. 4. Operum Tom. 2. p. Ruhnken. 541.].

Ibid. ATQUE EIUS AETATIS QUAE TUM MAGNAM PARTEM REI PUBLICAE ATQUE OMNEM DIGNITATEM IUDICIORUM TENEBAT. legendum videtur, *qui tum magnam partem rei publicae atque omnem dignitatem iudiciorum tenebant.* quorum equitum? inquit. eius aetatis equitum, qui tum magnam partem rei publicae atque omnem dignitatem iudiciorum tenebant.

XIX.

IN ORATIONEM PRIMAM CATILINARIAM.

C. 2. §. 4 (5. Beck.). NUM UNUM DIEM POSTEA L. SATURNINI TRIBUNI PLEB. ET C. SERVILII PRAETORIS POPULI ROMANI MORTEM EORUM DIGNITAS REMORATA EST [non ut est apud Beck. p. 353., *num unum diem postea L. Saturnini Tribuni pleb. et C. Servilii Praetoris mortem ac poenam dignitas eorum remorata est?* est hoc in margine earum editionum, quae Lambini nomine vocantur, Paris. a. 1584., Laemarianae a. 1596., aliarum.]. alii aliter, ego sic hunc locum a vestigiis antiquae scripturae non longe discedens restitui [cf. Beck. p. 352. sq.].

Ibid. TANQUAM GLADIUM IN VAGINA RECONDITUM. testatur Muretus [Commentariis ad h. l. Operum Tom. 2. p. Ruhnken. 542.] vocem *gladium* non reperiri in tribus [veteribus?] libris manu scriptis [vid. tamen Ernest. p. 749, 9. sedem mutat istud *gladium* in libris, quos equidem inspexi, tantum non omnibus. facit cum Lambino Rom. editio a. 1472. hoc ipsum repraesentans, *tanquam gladium in vagina reconditum.* cod. Duisburg., nunc Bonnensis, item editio Colon. s. a. et l. n. (sed Ulrici Zell., Hanoviensis. Ebert. Lex. Bibliograph. Tom. 1. col. 339. n. 4362.) sic habent, *tanquam in vagina reconditum gladium.* a codice Gud. 2. abest *gladium*].

C. 3. §. 6 (9.). SI ILLUSTRANTUR SI ERUMPUNT OMNIA? Nonius ad verbum *lustrare* [4, 285. p. Mercer. 335, 25.] legit hic *lu-*

strantur, et *lustrare* interpretatur patefacere. sed Diomedes libro 1. capite 4. [p. 387.] et Charisius libro 2. [p. Putsch. 201.] ad particulam *si* ita legunt, ut edidimus et ut est scriptum in libris omnibus, *illustrantur*, vel certe, ne mentiar, *inlustrantur* [codd. Gud. 2. et Erlangensem *elustrantur* repraesentare vidi, et sic olim correcturus erat Modius Novantiqq. LL. epist. 5. Thes. Crit. Gruter. Tom. 5. p. 11., eleganti, ut ait, metaphora, a lustris ferarum petita, unde illae arte a venatoribus in lucem et apertum eliciuntur ac protrahuntur, id est *elustrantur*. positu verborum contrario cod. Duisburg. et edit. Colon., *si erumpunt omnia, si illustrantur*.].

§. 8 (12.). NIHIL AGIS NIHIL MOLIRIS NIHIL COGITAS QUOD EGO NON MODO AUDIAM SED ETIAM VIDEAM PLANEQUE SENTIAM, videtur legendum *non modo non audiam*, quamvis reclament omnes libri, et vulgati et manu scripti [hoc ipsum igitur voluit Lambinus, *quod ego non modo non audiam, sed etiam videam planeque sentiam*, et sic repraesentare memini editionem Coloniensem, quam supra laudavi, neglectam adhuc ab editoribus. plura in hanc rem, sed plane dissimilia congessit litterarum antiquarum eximium decus, M. Antonius Muretus, Comm. ad h. l. p. 546., tum vero etiam VV. LL. 10, 7. p. 231. sq. dabo equidem reliquorum librorum scripturam, qui olim mihi ad manum fuerunt. sic igitur codex Gud. 2., *quod non modo audiam, sed etiam videam planeque modo sentiam*. codex Duisburgensis, *quod ego non modo non audiam, sed etiam videam planeque sentiam*. editio Rom. a. 1472., *quod ego non modo audiam, sed etiam videam, plane etiam sentiam*.].

C. 4. §. 8 (13.). INTER FALCARIOS. Priscianus libro 8. [non hoc, sed 18. p. Putsch. 1181., id est C. 24. §. 208. Tom. 2. p. Krehl. 203.] interpretatur, *in locum, ubi habitant falcarii* [vid. Muret. Comm. p. 546.].

C. 5. §. 10 (16.). MAGNO ME METU LIBERABIS. libri veteres habent *liberaberis* [mutatis *b* et *v*. vid. ad V. Accus. C. 69. §. 177.], ego *liberaveris* corrigo.

§. 11 (17.). NON EST SAEPIUS IN UNO HOMINE SALUS SUMMAE [non *summa*, ut habet Orell. Vol. 2. P. 2. p. 9.] REI PERICLITANDA [hoc dedit Lambinus p. 317, 11., sed imprudens, opinor, et nolens annotationi haec praescripsit, *non est saepius in uno homine salus summae rei publicae perclitanda*.]. vel sic legendum, vel *salus rei publicae periclitanda*. ita autem Latini loquuntur, *summa res*, usitatius et melius, quam *summa rei*. quod posterius tamen passim in codicibus pro illo priore suppositum est [vid. annot. ad I. de Invent. C. 16. §. 32. et ad Orat pro Roscio Amerino C. 32. §. 91. codex Gud. 2. sic dedit, *non saepius iam in uno homine summa salus periclitanda est rei publicae*, appositis verbo substantivo punctis, quibus punctis indicatur, eximendum illud e contextu verborum suoque loco reponendum. cod. Duisburg. et edit. Colon., *non est saepius in*

uno homine periclitanda summa salus rei publicae. quae nunc recepta lectio est, ei patrocinatur edit. Rom. a 1472.].

C. 6. §. 13 (21.). QUOD PRIVATARUM RERUM DEDECUS NON HAERET IN FAMA? sic restitui, et ita sine dubio legendum [est haec Antonii Augustini coniectura, probata Turnebo Adverss. 30, 15. de meis codex Gud. 2. haec repraesentat, *quod privatarum rerum dedecus non haeret tuae infamiae?* cod. Duisburg. et edit. Coloniensis, *non inhaeret infamiae.* editio Rom. a 1472., *non haeret infamiae tuae.* adi Beck. p. 368 sq.].

§. 14 (22.). QUUM MORTE SUPERIORIS UXORIS NOVIS NUPTIIS DOMUM VACUAM FECISSES. libri veteres habent *vacuefecisses*, unde suspicor legendum *vacefecisses* [Lucretianum *vacefacere*, de quo pauca admodum Pareus Lex. Crit. p. 1260, 1. vide tamen Carrionem AA. LL. 1, 18. Thes. Crit. Grut. Vol. 3. P 2. p. 25., qui illud ipsum *vacuefecisses* defendit, suorum librorum auctoritatem secutus. contra, quod olim edebatur *vacuam fecisses*, in ordinem receptum a Lambino, servat idem Rom. editio a. 1472., et tuetur Bentleius, criticorum summus, ad Horatii II. Epp. 2, 92. Tom. 2. p. Lips. 114. ceterum cod. Gud. 2. sic habet, *uxoris nuptiis domum tuam vacuefecisses.* cod. Duisburg. et edit. Coloniensis, *novis nuptiis locum vacuefecisses.* cf. Beck. p. 369. sq.].

§. 15 (23.). NEQUE ENIM SUNT AUT OBSCURA AUT NON MULTA POSTEA COMMISSA. sic restituit Muretus ex auctoritate librorum antiquorum [l. l. p. 556.]. et ne tempus in ea re lectori significanda consumam, semel dico, omnes locos in his orationibus restitutos praeter eos, qui aliud nomen praescriptum habebunt, a Mureto esse restitutos ex auctoritate veterum codicum [cod. Gud. 2., *non multo postea commissa*, cod. Duisburg. et edit. Coloniensis, *non multo commissa postea*, Rom. edit. a. 1472., *non multo post commissa.* cf. Beck. p. 372.].

Ibid. NIHIL AGIS NIHIL ASSEQUERIS NIHIL MOLIRIS QUOD MIHI PATERE NON SOLEAT IN TEMPORE NEQUE TAMEN CONARI AC VELLE DESISTIS. sic ego hunc locum restitui, coniectura ductus. nam vulgata lectio, *quod mihi latere valeat*, ὑποσόλοικος est, nec potest ferri [vide tamen Voss. de Construct. 35. p. 128. sq.]. sic supra locutus est [p. 315, 34. nobis C. 1. §. 1.], *patere tua consilia non sentis* [a codice Gud. 2. haec absunt, *quod mihi patere non soleat*, sive *latere valeat in tempore.* codex Duisb. editt. Rom. et Colon. sic habent, *quod me latere valeat in tempore.* cf. Beck. p. 373. sq.]?

C. 7. §. 16 (25.). VACUA FACTA SUNT. libri veteres habent *vacuefacta sunt*, ut supra.

§. 17 (26.). ET SI ME MEIS CIVIBUS INIURIA SUSPECTUM TAM GRAVITER ATQUE OFFENSUM VIDEREM. libros veteres habere *atque infensum* testatur Muretus; ego tamen in uno hanc receptam reperi, in alio *inoffensum* [non *offensum*, ut est apud Beck. p. 376.]. quapropter nihil muto, praesertim quum *offensus* idem

interdum valeat, quod *infensus* [unde etiam haec vocabula non raro inter se permutantur, cuius permutationis exempla posuit Drakenborchius ad Livii 7. 27, 7. Tom. 4. P. 1. p. 225.]. Cicero libro 1. ad Atticum [? ep. 16. (17.) p. Lambin. 208, 21.], *alienatus et offensus animus* [e Nizolio p. 47, 1. cf. eundem p. 501, 2.]. Plancus ad Ciceronem libro 10. Epistolarum [ep. 18. p. 114, 41.], *aut hominem offensum mihi, coniunctum cum re publica non sublevassem.*

Ibid. ET IAMDIU TE NIHIL IUDICAT NISI DE PATRICIDIO SUO COGITARE. ego sic restitui, quum ita legatur in libris vulgatis, *et iam diu de te nihil iudicat nisi de patricidio suo cogitare.* nam hic ordo atque haec verborum sententia est, *et iamdiu iudicat, te nihil nisi de patricidio suo cogitare.*

C. 8. §. 21 (32.). DE TE AUTEM CATILINA QUUM QUIESCUNT PROBANT. hunc locum profert Diomedes libro 1. capite de Verbo [cap. 4. p. Putsch. 383.].

C. 9. §. 22 (33.). UTINAM TIBI ISTAM MENTEM DII IMMORTALES DARENT! sic restituit Petrus Victorius [VV. LL. 7, 5.]. nam libri vulgati [et Colon. edit. et Rom. a. 1472. nec aliter codd. Gud. 2. et Duisburg] habent, *donarent* [vid. Beck. p. 382.].

Ibid. SED EST MIHI TANTI [sic certe Lambin. p. 219, 5. nam in lemmate sic repraesentatur, *sed est tanti*, deleto pronomine substantivo, quod et Muretus deleri iussit neque habent codd. Gud. 2. Duisburg. et abesse iubet edit. Coloniensis.]. sic legendum, deleta negatione, quae est in libris vulgatis [etiam Rom. a. 1472.], ut pluribus verbis docet Muretus ad hunc locum [p. 562. sq.]. qua de re nos quoque nonnulla diximus in Commentariis Horatianis [ad II. Epp. 3, 304. p. 374. E. F.].

C. 10. §. 27 (38.). QUUM TE A CONSULATU DEPULI. sic habent omnes fere libri, nisi quod habent *repuli.* sed non dissimulabo, Diomedem libro 1. capite 4. [p. Putsch. 386.] legere, siquidem Diomedes eo loco emendatus est, *quum a te Consulatum repuli* [sed vid. Garaton. ad h. l. et Ferrat. in Epistolis p. 204.].

C. 11. §. 29 (41.). AN QUUM BELLO VASTABITUR ITALIA VEXABUNTUR URBES TECTA ARDEBUNT. hunc locum profert Diomedes libro 1. cap. 4. [p. Putsch. 386], ubi de verbo scribit, et item Charisius libro 2. [p. 201.] capite de Coniunctione.

C. 12. §. 29. HIS EGO SANCTISSIMIS REI PUBLICAE VOCIBUS ET EORUM HOMINUM QUI IDEM SENTIUNT MENTIBUS PAUCA RESPONDEBO [sic dedit Lambinus in contextu verborum Ciceronis p. 320, 2. sed tamen suspicor, illum dare voluisse hoc ipsum quod est in lemmate, *his ergo sanctissimis rei publicae vocibus.*]. Muretus testificatur scriptum esse in libris manu scriptis, *his ego sanctissimis rei publicae vocibus* [et sic est in edit. Rom. a. 1472. cf. annotata a Beckio V. C. p. 300.].

C. 13. §. 32 (46.). OBSIDERE [sic corrigendum fuit istud *obsistere*, quum ex iis quae deinceps annotantur a Lambino, tum

ex Indice Erratorum p. 848, 2.] CUM GLADIIS CURIAM. mendose hic operae excuderunt *obsistere*. quare emenda *obsidere*, ut habent omnes libri et manu scripti et vulgati.

§. 33 (47.). HISCE OMINIBUS [hoc reponendum ex Indice Erratorum p. 848, 2.]. hic iterum ab operis peccatum est. excuderunt enim *omnibus*, quum legendum sit *ominibus* [libri tantum non omnes istud *omnibus* praeferunt. sed *omnia* et *omina* innumeris locis permutari, multi ostenderunt ad Silii 9, 4. p. Drakenborch. 448. quibus adde Dukerum ad Livii 29. 10, 8. Tom. 9. p. 56. sq. et Drakenborch. ad Livii Epit. 117. Tom. 14. p. 263.].

XX.

IN ORATIONEM SECUNDAM CATILINARIAM.

C. 2. §. 3 (4. Beck.). NON MODO INVIDIA MEA. sic legendum, non ut est in libris vulgatis, *invidiae meae* [sed vid. Muretum Commentariis ad h. l. Tom. 2. p. 583. sq.].

§. 4 (6.). TONGILLUM MIHI EDUXIT QUEM AMARE IN PRAE || TEXTA COEPERAT PUBLICIUM ET MUNATIUM. vocem *calumnia*, quae supervacanea est, quamquam reperitur in veteribus libris, ego funditus sustuli. si quis autem quaerat, unde orta sit, orta est ex ora libri, ad quam aliquis e regione huius loci, in quo M. Tullius ait Tongillum, quum esset puer, a Catilina fuisse amatum, ascripserat *calumnia*, significans scilicet, hoc esse oratorie dictum potius quam vere. p. 696. a.

C. 3. §. 5 (7.). ITAQUE EGO ILLUM EXERCITUM PRAE GALLICANIS LEGIONIBUS ET HOC DELECTU [quidni potius *dilectu?* vid. annot. ad II. de Orat. C. 9. §. 36.] QUEM IN AGRO PICENO ET GALLICO Q. METELLUS HABUIT. hunc locum et feliciter restituit Muretus, partim coniectura ductus, partim auctoritate veterum codicum fretus, et erudite explicat [Comm. p. 584. sq.]. itaque ei omnia assensus sum, praeterquam quod *prae Gallicanis legionibus* legendum potius putem, quam *et Gallicanis*. neque vero est, quod mihi in hac re antiquorum librorum auctoritas opponatur. nam in uno manu scripto eoque antiquissimo scriptum reperi *pro Gallicanis*, ex quo levi immutatione facta non dubitavi facere *prae*.

§. 6 (9.). NAE ILLI VEHEMENTER ERRANT. hunc locum testem producit Charisius libro 2. cap. de Coniunctione [p. Putsch. 202.]. producit et locum illum ex Rosciana [pro Roscio Amerino c. 18. §. 50. p. Lambin. 23, 11.], *nae tu, Eruci, accusator esses ri-*

diculus. quem eundem profert et Diomedes libro 1. cap. 6., apud quem notandum est, *ne* uno eodemque modo scribi, quum affirmationem, negationem, prohibitionem significat. et tamen certum est, non esse erratum typographi [vid. annot. ad III. de Orat. c. 31. §. 125.].

C. 4. §. 6 (10.). SI ACCELERARE VOLENT AD VESPERUM CONSEQUENTUR. codices Memmiani habent *ad vesperam.*

§. 7 (11.). QUIS GANEO QUIS NEPOS QUIS ADULTER. profert hunc locum Nonius ad vocem *ganeo* [*nes.* 2, 387. p. Mercer. 119, 12. omisit ille tamen *quis nepos.*].

C. 5. §. 9 (13.). NEMO IN SCENA LEVIOR ET NEQUIOR. scio in omnibus fere libris manu scriptis et lapidibus antiquis hoc nomen scribi cum diphthongo *ae* [Voss. Art. Gramm. 1, 43. p. 151. «*scena* an *scaena* scribas parum refert.« sed cf. Priscian. 1. p. 561. C. 9. §. 51. Tom. 1. p. Krehl. 47. »ponitur (*ae*) pro »*e* longa ut σκηνή, *scaena.*« sic ibi scribendum.]. verumtamen usum scribendi populo concessi, scientiam mihi reservavi, ut ait M. Tullius [in Oratore C. 48. §. 160 p. 265, 25.].

C. 6. §. 13 (20.). QUAESIVI QUID DUBITARET PROFICISCI EO QUO IAMPRIDEM PARARAT. Charisius libro 2. profert hunc locum, capite de Coniunctione [p. 202. cf. Diomedes p. 387.], sed paullo aliter, nempe sic, *interrogavi, num dubitaret eo proficisci* [Lambino *proficisci eo* corrigenti assunt mei ad unum omnes, Gud. 2. et Duisburg., editt. Colon. et Rom. a. 1472. deinceps Gud. 2. *quo iampridem parasset*, edit. Rom. a. 1472. *quo iampridem pararet.* vid. Acta Soc. Traiect. Tom. 4. p. 274.].

C. 10. §. 22 (34.). VELIS AMICTOS NON TOGIS. hunc locum testem producit Nonius ad nomen *toga* [4, 463. p. Mercer. 406, 17.], quod docet dictum esse a *tegendo* [Beck. p. 428. »*laxis* »*togis* lauti et delicati homines utebantur. v. Ruben. 2. de Re Vest. 12.« in Thes. AA. Romm. Tom. 6. p. 1024. sq.].

C. 11 § 24 (36.). SCORTATORUM COHORTEM PRAETORIAM. lege *scortorum*, ut habent libri veteres [de meis cod. Duisburg., nunc Bonnensis, et edit. Coloniensis habent, *cohortem scortorum Praetoriam.* Gruter. p. 463, 35. »ridiculus est Lambinus, ar»bitratus utrumque retinendum, *scortatorum ac scortorum.* im»mo eo ipso perierit omnis orationis lepos ac vis omnis. sed »quod opus est revelare hos monstrosos?«].

Ibid. IAM VERO URBES COLONIARUM AC MUNICIPIORUM RESPONDEBUNT CATILINAE TUMULIS SILVESTRIBUS. Muretus censet legendum *vires coloniarum ac municipiorum*, negatque Latine dici posse *urbes coloniarum* nec *municipiarum.* a quo dissentire in praesenti non possum. idem testificatur, in libris antiquis infra scriptum esse *cumulis*, ubi vulgati habent *tumulis* [de meis *cumulis*, probatum Mureto, solus habet codex Duisburgensis, et quae hunc codicem fere sequitur, editio Coloniensis. vocem tamen *Catilinae* (vid. Beck. p. 430.) equidem omissam non memini.

ceterum *tumulus* et *cumulus* passim confunduntur, cuius confusionis causa litterarum *t* et *c* similitudo est. vid. Drakenborch. ad Livii 10. 29, 18. Tom. 5. P. 2. p. 220. et Oudendorp. ad Caes. de B. G. 6. 17, 4. p. 309. et cf. annot. ad III. Accus. C. 58. §. 132.].

XXI.

IN TERTIAM CATILINARIAM.

C. 1. §. 2 (3.). GLADIOS IN REM PUBLICAM DESTRICTOS. sic legendum censet Adrianus Turnebus, non ut vulgo, *districtos*. et ita ubique reponendum [vid. Lambinum Commentariis Horatianis ad I. Carmm. 35, 39. p. Francof. 84. E. F. P. 1. p. repet. nuper editionis 149., et cf. disputata ab Drakenborchio ad Silii 17, 164. p. 854. adde, quae VV. DD. congesserunt ad Livii 8. 7, 20. Tom. 4. P. 2. p. 61. sq. et ad 27, 13, 9. Tom. 8. p. 555. sq.].

C. 2. §. 5 (7.). ET C. POMTINUM. sic scribendum, non *Pontinum* neque *Pomptinum*. nam in hoc posterius eodem errore ac vitio *p* illatum est, quo in *calumpnia*, *dampno*, *tempto*, *emptor*, *ademptus*, *consumptus*, et similia [vid. Cortium ad Sallustii Catilin. 45, 1. p. 267. sq. contra *Pomptinus* ubique scribendum existimabat Nic. Heinsius ad Silii 8, 381. p. 421. eum sequutus est Drakenborchius in Livio suo, quem vid. ad 2. 34, 4.].

Ibid. PRAESIDIO CUM GLADIIS MISERAM. sic legendum, ut censet Muretus, auctoritate veterum codicum fretus, ut sit *miseram praesidio*, et supra proxime *in re publica* [locum ita constitutum volebat Lambinus adeoque corrigendum p. 327, 4. *et ego ex praefectura Reatina complures delectos adolescentes, quorum opera utor assidue in re publica, praesidio cum gladiis miseram.* de meis plures sic habent, *quorum opera utor assidue in rei publicae* (id est, *reip.*) *praesidio*. sola Romana a. 1472., *quorum opera in re publica utor assidue.*].

C. 4. §. 8 (11.). TUM ILLE QUUM VIX SE EX MAGNO TIMORE RECREASSET DIXIT A P. LENTULO SE HABERE AD CATILINAM MANDATA ET LITTERAS. secutus sum libros vulgatos et lectionem receptam, tamquam probabilem et ferendam. placet mihi tamen magis antiqua, quam Muretus testatur se in manu scripto reperisse, *quum se ex magno timore recepisset* [vid. Beck. p. 448.].

C. 5. §. 10 (13.). ORARE UT ITEM ILLI FACERENT QUAE SIBI LEGATI EORUM PRAECEPISSENT. si hanc lectionem probabimus, quae in omnibus libris et manu scriptis et vulgatis reperitur, sic eam interpretabimur; ut item illi facerent, videlicet senatus et

populus Gallorum, quae sibi, nempe senatui et populo Gallorum, legati *praecepissent*, id est, praescripsissent et faciendum esse ostendissent. sed Muretus censet legendum *recepissent*, ut sit hic Ciceronis sensus: quae sibi, nempe Lentulo, legati eorum *recepissent*, id est, spopondissent et suo periculo promisissent. quod valde probo [mei libri consentiunt in *praecepissent*, nec alterum illud *recepissent*, probatum Lambino, me legere memini in codice Duisburgensi, quem denuo pertractavi.].

C. 6. §. 14 (21.). IN Q. MAGIUM CHILONEM. secutus sum Fr. Sylvii coniecturam, quam et Muretus probat [Comm. ad h. l. p. 624.]. nam manu scripti et vulgati mendose habent *in Q. Manlium Chilonem* [cf. annotata a Beck. ad h. l. p. 457.].

XXII.

IN QUARTAM CATILINARIAM.

C. 1. §. 2 (3 Beck.). HAEC SEDES HONORIS SELLA CURULIS. Muretus testatur se in antiquo libro longe optimo ita scriptum reperisse, *haec sedes honoris, id est sella curulis* [de meis sic habent cod. Duisburg. et editio Coloniensis.]. unde suspicari possit aliquis hoc totum, *id est sella curulis*, esse adventicium et ex declaratione ad oram libri ascripta natum [sed vid. Beck. p. 482. et Orell. p. 39., qui censet ampliandum, maxime propter illud Livii 9. 46, 9. Tom. 5 P. 1. p. 383., *curulem afferri sellam eo iussit ac sede honoris sui anxios invidia inimicos spectavit.*].

C. 2. §. 3 (5.). PRO EO MIHI AC MEREOR. legendum putant docti quidam, *mihi pro eo ac mereor.*

Ibid. NEQUE ENIM TURPIS MORS FORTI VIRO POTEST ACCIDERE. Quinctilianus [VI. Inst. Orat. C. 3. §. 109. Tom. 2. p. Spalding. 623.] legit *gravis mors* [ita solent ii, qui veterum loca memoriter recitant. Vincentius Bellovacensis Spec. Hist. 7, 31. edit. pr. *nequaquam turpis mors viro forti potest accidere.* contra Spec. Doctr. 5, 71. et 6, 113. item Nat. 32, 168. *nequaquam viro forti turpis mors accidere potest.* codices Gud. 2. et Duisburg., tum edit. Coloniensis, *nam neque turpis mors.*].

b. C. 4. §. 7 (11.). ‖ PUNCTO TEMPORIS FRUI VITA. corrige, *punctum temporis* [et sic correctum in Indice Erratorum p. 848. de meis nulli habent *puncto* cod. Duisb. edd. Colon. et Rom. a. 1472. *per punctum* repraesentant.].

§. 8 (13.). HORRIBILES CUSTODIAS CIRCUMDAT ET DIGNAS SCELERE HOMINUM PERDITORUM. sic est interpungendum ac distin-

guendum [post *perditorum*, ut *sancit* ad sequentia referatur], et praeterea *dignas* legendum *s* littera addita, non *digna* [cod. Duisburg. et edit. Coloniensis, *et digna hominum perditorum scelere*.]. paullo ante nostri libri habent *municipiis*, ubi vulgati *municipibus* [tuetur hoc ipsum codex Gud. 2., alterum habent cod. Duisburg. ed. Coloniensis et Rom. a. 1472.].

C. 5. §. 9 (16.). extr. INTELLECTUM EST QUID INTERSIT INTER LEVITATEM CONCIONATORUM ET ANIMUM VERE POPULAREM SALUTI POPULI CONSULENTEM. legendum fortasse est *inter lenitatem*, ut intelligamus eum significare, non esse hoc tempore lenitati locum, et lenitatem in tam atroci facinore esse vituperandam. sic infra 18. post versibus [p. 333, 35. c. 6. §. 11.], *atque obtinebo*, *eam multo leniorem fuisse* [in *lenitatem* proclivi errore de meis conspirant codd. Gud. 2. Duisburg. et edit. Coloniensis, sed vid. Beck. p. 492.].

C. 6. §. 12 (23.). SUPPLICIUM DE SERVO NON QUAM ACERBISSIMUM SUMPSERIT. sic hunc locum emendavi addita negatione, quae deerat, idque ex Lactantio lib. 1. de Ira Dei cap. 17. sic autem ille, *quid, si fiant illa, quae a Cicerone dicuntur? etenim quaero, si quis paterfamilias liberis suis a servo interfectis, uxore occisa, incensa domo, supplicium de servo nunquam acerbissimum sumpserit, utrum is clemens ac misericors, an inhumanus et crudelissimus esse videatur*? ex *nunquam* igitur, quod est apud Lactantium corruptum, facio *non quam*, quae sine dubio vera et recta scriptura est. praeterea *servo* reposui, ut est apud eundem, quum libri omnes habeant *servis*. nunc huius loci sententia ita plana et aperta est, ut explicatione neque mea neque cuiusquam egeat. nam quod eam Muretus secus explicat, non hominis, sed vitiosae scripturae culpa est [illud *non quam acerbissimum* egregie firmat cod. Gud. 2. *de servo* tuetur idem cum Duisburg. et edit. Coloniensi.].

§. 13 (25.). IN CARCERE NECATUM ESSE DIXIT ita hunc locum restituit Sebastianus Corradus Commentariis in Brutum, quanquam sine auctoritate librorum manu scriptorum, quem secutus est Muretus, eiusque coniecturam antiquorum librorum testimonio confirmat [mei ad unum omnes *necatum*, quod coniecerat Corradus, non *necandum* praeferunt.].

Ibid. VEREAMINI CENSEO. fortasse legendum est, *vereamini, credo* [cf. Beck. p. 501.].

C. 8. §. 17 (33.). FREQUENTIA CIVIUM SUSTINETUR. codex Memmianus habet, *sustentatur* [est hoc etiam in meis, Gud. 2. Duisburg. editt. Colon. et Adamiana a. 1472.].

XXIII.

IN ORATIONEM PRO L. LICINIO MURENA.

C. 1. §. 1. UT EA RES MIHI MAGISTRATUIQUE MEO. codex Memmianus habet, *mihi fides magistratuique meo*, unde quis suspicari possit legendum, *mihi*, *fidei*, *magistratuique meo*. [vid. quos laudavit ad h. l. Orellius p. 49.]. idem infra habet, *cum populi Romani voluntatibus*, ubi vulgati habent, *voluntate*.

Ibid. UT EIS QUOQUE HOMINIBUS. sic habet idem liber, ubi vulgati *ut iis* [vid. annot. ad Brut. C. 2. §. 9. et C. 54. §. 199.]. idem infra [§. 2.], *tralata sit ad vos*, ubi vulgati *translata*.

C. 2. §. 3 (6. Beck.). CUI RES PUBLICA A ME UNO TRADITUR SUSTINENDA [sic dedit Lambinus p. contextus 336, 49., alterum, *a me una*, posuit in lemmate.]. videtur legendum, *a me uno*.

§. 4 (8.). VERUM ETIAM PROVIDERE QUID FUTURUM SIT. quidam legendum putant *praevidere*, a quibus dissentio. nam notat quodam loco Asconius, et alii locupletes auctores Latinitatis, *pro* valere interdum in iunctura idem, quod *prae*.

C. 3. §. 6 (10.). NEGAT ESSE EIUSDEM SEVERITATIS CATO. assentior Hotomano [Observatt. 2, 11.], deesse in libris vulgatis vocem *Cato*, post nomen *severitatis* [Beck. p. 526. »at illud »nomen ex antecedentibus non difficulter subintelligitur.»].

C. 4. §. 9 (16.). NIMIRUM HAEC CAUSA EST EIUSMODI QUAM NEC INDUSTRIUS NEC MISERICORS NEC OFFICIOSUS DESERERE POSSIT. sic erat in libris vulgatis, *quam nec industrius*, *quam nec misericors*. ego hoc *quam*, quod est ante *nec misericors*, de medio sustuli.

C. 6. §. 13 (24.). AUT EX SCURRARUM ALIQUO CONVIVIO. sic reposui coniectura ductus, quum libri et vulgati et manu scripti omnes habeant *convicio*. non est autem scurrarum *conviciari*, sed *in conviviis* salse et facete et urbane in aliquem dicere.

Ibid. SED CONSPICERE. quidam legi volunt *considerare*.

Ibid. TEMPESTIVI CONVIVII. sic legendum, non *intempestivi*, ut quidam indocti reposuerunt, neque id uno loco, sed pluribus. *tempestiva* autem *convivia* dicebantur, quae certo diei tempore agitabantur, erantque apparatiora et in multam noctem producebantur, et adhibebantur plures convivae. idem pro Archia Poeta [p. 388, 12. id est C. 6. §. 13.], *quare quis tandem me reprehendat, aut quis mihi iure succenseat, si, quantum ceteris ad suas res obeundas, quantum ad festos dies ludorum*

celebrandos, quantum ad alias voluptates et ad ipsam requiem animi et corporis conceditur temporis, quantum alii tribuunt tempestivis conviviis, quantum denique aleae, quantum pilae, tantum mihi egomet ad haec studia recolenda sumpsero? idem in Catone Maiore [p. 412, 19. nobis c. 14. §. 46.], *ego vero propter sermonis delectationem tempestivis conviviis delector, nec cum aequalibus solum, qui pauci admodum restant, sed cum vestra etiam aetate atque vobiscum.* sic autem habent libri veteres, quomodo edendum curavimus [de discrimine *convivii tempestivi* et *intempestivi* (sic enim vocant *suo*, non Latinorum veterum more) post Adrianum Turnebum Adverss. 6, 16. plura congessit Lipsius in Excursu A. ad Taciti Ann. 14, 2. Tom. 2. p. Oberlin. 818. sqq. verum *intempestiva convivia* nulla extare apud veteres docuit Salmasius ad Vopisci Florianum c. 6. p. 631. sqq. cf. Gesner. Thes. L. L. v. *tempestivus* Vol. 4. p. 743, 89.].

Ibid. NON COMISSATIO. sic legendum, non ut vulgo, *comessatio.* id quod iam pridem docuimus. sed praeterquam quod ratio *comissatio* flagitat, etiam liber manu scriptus confirmat, in quo scriptum reperi *comisatio* [v. annotata ad III. de Orat. c. 41. §. 164. et ad III. Accus. c. 12. §. 31.].

C. 7. §. 15 (29.). FACIS UT RURSUS PLEBES IN AVENTINUM SEVOCANDA ESSE VIDEATUR. sic habet idem liber, neque dubium est, quin ita legendum sit. ita enim veteres, eos dico qui aetate Ciceronis vixerunt, loquebantur [vid. Voss. de Analogia 2, 20. p. 347.].

C. 8. §. 18 (34.). QUAESTURAM UNA PETIIT ET SUM EGO FACTUS PRIOR. Hotomanus libro 1. Observationum capite 37. [adde 2, 12.]. putat hunc locum versibus aliquot esse mutilatum, in quibus de Comitiorum consuetudine et renunciationis gradibus agebatur. proxima enim illa, *pares dignitate fiant*, non habere quo referantur, et illis, *unus autem solus primus possit obtinere*, perspicue vocem *gradus* deesse. sed fallitur. || nihil enim deest, p. 697.
neque quicquam de Comitiorum consuetudine et renunciationis a.
gradibus agebatur. hoc sic paucis ostendere libet. ex eo quod Quaestor esset factus prior quam Murena, volebat effici Servius, se dignitate esse superiorem. negat hoc ex eo consequi Cicero, hoc modo. fieri potest, ut multi fiant sive Quaestores sive Praetores pares dignitate, et tamen necesse est, unum solumque primum renunciari, quia, inquit, renunciatio gradus habeat, dignitas autem non habeat. quod autem dicit idem Hotomanus, in voce *unus* subintelligi *gradus*, nae ille vehementer errat. nam ad personam refertur, non ad gradum. et ut in illis, *quam multi fiant*, subintelligendum *Quaestores* scilicet, sic in hoc *unus* petitor, scilicet *solus primus Quaesturam possit obtinere.*

C. 9. §. 21 (39.). AFUERIS TAMDIU. sic habet liber manu scriptus Memmianus, quem sequor. *afueris* autem valet *abfueris* [vide Annotata ad Brut. c. 80. §. 276. Orat. c. 47. §. 158. v. Accus. c. 51. §. 135.].

§. 22 (40.). QUI POTEST DUBITARI. idem liber habet, *quis potest dubitare*? ego tamen nihil muto.

C. 12. §. 26 (49.). TRANSIT AD EUM IURIS CONSULTUS TIBICINIS LATINI MODO. Charisius libro 1. legit *iureconsultus*. *ad eum* autem, videlicet a quo petebatur, qui sine iurisconsulto respondere non possit, transit a dextra ad laevam et contra.

Ibid. ISTAM VIAM DICO ITE VIAM. sic legendum, et ita legit Priscianus libro 18. [pp. Putsch. 1168. et 1177. id est c. 20. §§. 167. et 196. Tom. 2. pp. Krehl. 179. et 197], et item infra *ire viam* [Beck. p. 547. »etiam hoc loco Olivetus e Lambinianis »affert *ire*.« sed Laemariana a. 1596., quae et ipsa in Lambinianis habetur, istud *ire* in ordinem recepit.]. supra autem Hotomanus vocem *praesentibus*, quae in libris omnibus sequitur deinceps vocem *superstitibus*, delendam censet [cf. Scheller. Observatt. p. 92. sq.]. a quo partim dissentio, auctoritate Festi fretus [sub v. cf. Orell. ad h. l. p. 57.], qui docens, *superstites* testes praesentes significare, hoc affert testimonium, quod *superstitibus praesentibus* ii, inter quos controversia est, vindicias sumere iubentur: partim ei assentior, commotus his verbis Servii ad illum locum Virgilii Aen. libro 3. [v. 339.], *superatne et vescitur aura?* »*superatne*, vivit. sane nove dictum est et ca»ret exemplo, ut pauca in Virgilio. alii dicunt, *superat* super»stes est. sed *superstes* praesentem significat, ut Cicero in Mu»reniana c. 12., *suis utrisque superstitibus*, id est praesentibus [locus est Tom. 2. p. Burmann. 395.] « nam haec verba, *id est praesentibus*, non videntur esse Ciceronis. quem locum mihi indicavit Barnabas Brissonius. Antonius Augustinus autem putat legendum, *virisque superstitibus*.

Ibid. SED ANNE TU DICIS CAUSA VINDICAVERIS. sic est legendum. hoc primum. deinde, quid sit *dicis causa*, si cui forte ignotum est, ex Varrone [de L. L. 5, 7. p. 56, 27.] et nostrae aetatis iurisconsultis discendum [vid. Beck. p. 548. sq. Orell. p. 57. »egregia sane videbatur lectio, donec repertus est Gaius »L. 4. §. 16. p. 306. *qui prior vindicaverat, ita alterum inter»rogabat, postulo, anne dicas, qua ex causa vindicaveris*.«].

§. 27. (52.) SENES AD COEMPTIONES FACIENDAS. hi dicebantur senes coemptionales. M' Curius libro 7. Epp. ad M. Tullium Ciceronem [p. 81, 35. epist. 29.], *ergo fructus est tuus, mancipium illius. quod quidem si inter senes coemptionales venale proscripseris, egerit non multum* [cf. Beck. p. 549. sq.].

C. 14. §. 30 (60.). TOLLITUR E MEDIO. liber manu scriptus habet, *pellitur* [Ernest. p. 816, 55. »editt. pr. *tollitur*, usque »ad Lambinum, qui e manu scripto *pellitur* edidit, ut est etiam »apud Gellium 20, 9.« dedi equidem ipsius Lambini manum, ignoratam Ernesto, summo viro. e Lambinianis quas vocant Laemariana a. 1596., quae mihi ad manum est, alterum illud

pellitur, codicis Memmiani, de quo dubitabat Ernestus, auctoritate firmatum, minime tamen Lambino vindicat, eius lectionis nescio quem auctorem laudat.].

C. 15. §. 32 (65.). PUGNA EXCITATUM. liber manu scriptus habet, *pugna exetaceret.* quae scriptura quid sibi velit, aut quid ex ea boni elici possit, ego non video. hoc suspicor, aliquid hic subesse vulneris [vide Beck. p. 557. sq.].

C. 17. §. 36 (72.). SUMMO INGENIO OPIBUS GRATIA NOBILITATE. sic restituit Hotomanus [Observatt. 2, 13.], quum in vulgatis libris legatur, *ingenio*, *opera.*

Ibid. extr. SIC HAEC COMITIORUM TEMPESTAS POPULARIS. sic ego [illegible] neque dubium est, quin ita sit legendum.

C. 18. §. 37 (75.). extr. IDEM COMITIIS L. MURENAE PRAESTO FUIT. libri vulgati habent, *idem comes L. Murenae praesto fuit.* plane mendose. nam *comitiis* legendum, ut censet Hotomanus.

§. 38 (76.). IMPERATORES ENIM COMITIIS CONSULARIBUS NON VERBORUM INTERPRETES DELIGUNTUR. libri scripti duo habent *diligentur*, unde coniicio legendum *dileguntur*, ut loquebantur olim boni scriptores [vide annotata ad II. de Orat. c. 9. §. 36.].

C. 19. §. 39 (78.). SED SI NOSMET IPSI QUI ET AB DELECTATIONE OMNI NEGOTIIS IMPEDIMUR ET IN IPSA OCCUPATIONE DELECTATIONES ALIAS MULTAS HABERE POSSUMUS LUDIS TAMEN OBLECTAMUR ET DUCIMUR QUID TU ADMIRERE MULTITUDINEM INDOCTAM. *etsi* legendum censet Hotomanus, non *sed si*, ut habent libri vulgati. sed quum in hoc fallitur, tum in eo, quod vult legi, *qui nec ab delectatione omni negotiis impedimur.* haec enim huius argumenti vis est. si nos, qui et impedimur negotiis, quominus ullam delectationem consectemur aut capiamus, et in ipsis negotiis multas alias delectationes habere possumus, quam quae e ludis percipiuntur, ludis tamen oblectamur: quid mirum est, indoctam multitudinem ludis delectari? *sed si* autem legendum est, quia adversatur superiori illi, *si populo ludorum magnificentia voluptati est.*

C. 20. §. 42 (82.). ET PROPE PARS CIVITATIS OFFENSA. quidam legi volunt, *et prope dimidia pars civitatis offensa.* sed primum nullum est huius vocis in libris manu scriptis vestigium, deinde appellatione partis *dimidia* intelligitur [*offensa*, non *offensa est*, probatur Orellio V. D. p. 63. correctionem Lambinianae repetitiones videntur ignorare].

Ibid. DILECTUM IN UMBRIA. sic reperi scriptum in codice Memmiano. itaque non sum veritus sic ut ederetur iubere, quamquam pro meo iure vel sine librorum auctoritate poteram [vid. annot. ad h. l. c. 18. §. 38.].

C. 21. §. 44 (86.). QUID ERGO ACCEPT[illegible] INIURIAM PERSEQUI NON PLACET. videtur sic potius legendum, [illegible]? *ergo acceptam iniuriam persequi non placet?*

§. 45 (87.). NESCIS TU ILLUM ACCUSATIONEM COGITARE? sic legendum est, non ut in libris vulgatis, *scis tu illum accusationem cogitare?* atque ita loquitur in Planciana [p. 451, 45. nobis c. 27. §. 65.], *quid? tu nescis, inquit, hunc Syracusis Quaestorem fuisse?* et paullo post mendose est in vulgatis, *aut testatam rem abiiciunt,* legendumque, *aut totam rem abiiciunt.*

C. 22. §. 46 (90.). TU QUUM TE DE CURRICULO PETITIONIS DEFLEXISSES. liber vetus habet, *tu non te de curriculo petitionis* [Orell. p. 64. »om *te* ex meis sola editio 1584.« et Laemariana a. 1596. omisit, nec puto equidem apparere voculam istam in iis editionibus, quas nulla satis idonea ratione Lambini nomine vocant. sed tamen margo repetitionis Lambinianae, qua utor, sic habet, »fortasse *tu quum te de curriculo.*«].

C. 23. §. 47. (92.). QUID ERGO HAEC QUIS TULIT. fortasse
b. sic potius distinguendum, *quid? ergo* || *haec quis tulit?* paullo post legendum, *quid? illa quae mea summa voluntate senatus frequens repudiavit, mediocriter adversata tibi esse existimas?* ut habent nonnulli libri, etiam impressi.

§. 48 (94.). ITAQUE IN IISDEM REBUS FERE VERSOR ET QUOAD POSSUM IUDICES OCCURRO VESTRAE SATIETATI. Hotomanus [Observatt. 2, 13], ut est εὔστοχος, hunc locum sine adiumento librorum antiquorum sic emendandum censet (nam vulgati mendose habent *sapientiae*), ego in codice Memmiano huius verae et rectae scripturae vestigia reperi. ita enim in eo scriptum est, *vestrae sapietati.*

C. 24. §. 48. DUM TU ACCUSATIONEM COMPARAS. sic legendum potius, quam *comparares* [sed v. Beier. ad Fragmm. Oratt. p. 27. *comparares* in ordinem recepit Lambinus p. edit. 345, 46.]. it. pro Milone [p. 547, 47. nobis c. 10. §. 28.], *dum se uxor, ut fit, comparat.*

§. 49 (96.). VALLATUM AUDACIBUS ATQUE SICARIIS. *audacibus et* [atque?] *sicariis* perspicue rectum est [probatur etiam Burmanno ad Petronium c. 81. p. 520.].

Ibid. CIRCUMFLUENTEM COLONORUM ARRETINORUM ET FESULANORUM EXERCITU. sic est scriptum in eodem codice, et melius, quam ut est in vulgatis, *circumfluente.* et paullo post, *perculsi Syllani temporis calamitate* [vid. annotata ad IV. Accus. c. 34. §. 75].

C. 25. §. 51 (98.). NON SE PURGAVIT SED INDICAVIT ATQUE INDUIT. mirabilis hic quoque, et paene dicam divina Hotomani εὐστοχία fuit. nam quemadmodum coniecit hic esse legendum, ita sine ulla dissimilitudine legitur in eodem codice, *induit,* non ut habent libri vulgati, *innuit.*

C. 26. §. 52 (100.). ET SPE ET CUPIDITATE INFLAMMATUM. quidam legi volunt *inflatum,* ut supra [p. 345, 50. nobis c. 24. §. 49. extr.], *spe et promissis inflatum* [Beck. p. 579. »Lambi-

»nus monet, nonnullos legi velle *inflatum*, sibi nihil mutandum »videri. quod si quid mutandum sit, scribi posse, *et spe in»flatum et cupiditate inflammatum.*« videntur haec desumpta e repetitionibus Lambinianis, quarum quae publici iuris facta est a. 1596. Laemariana, istud *et spe inflatum et cupiditate inflammatum* minime tamen Lambino acceptum ferre videtur.]. ego nihil muto.

C. 27. §. 56 (104.). NON QUI ODIO INIMICITIARUM AD ACCUSANDUM SED QUI STUDIO ACCUSANDI AD INIMICITIAS DESCENDERINT. hic locus fuit mihi aliquando suspectus. quid est enim, *odio inimicitiarum ad accusandum descendere?* desistet ab accusatione potius qui inimicitias oderit, quam accusabit. verumtamen nihil mutandum. sic enim locutus est etiam alibi [vid. Nizolium a Facciolato castigatum p. 221, v. *descendo.*].

Ibid. extr. UT EIUS OPES ET INGENIUM PRAESIDIO MULTIS ETIAM ALIENISSIMIS VIX CUIQUAM INIMICO EXITIO ESSE DEBERENT. ut intelligat lector, quanta mihi vel gratia vel laus debeatur ob huius loci restitutionem, proponenda est lectio vulgata. talis igitur est, *vix cuiquam inimicus esse deberet.* qua quid primo aspectu integrius? sic est. falsa pleraque sunt veris proxima. quo fit, ut falsum a vero discernere sit interdum difficillimum. sic autem habet codex Memmianus, *vix cuiquam inimico exmo esse deberet.* aliquantisper haesi atque adeo aestuavi in hoc *exmo*, fateor, neque primo potui veram scripturam elicere. tandem sententia Ciceronis attentius considerata *exitio*, parva immutatione facta, pro *exmo* reposui, quam emendationem omnes litteris tinctos homines probaturos esse confido.

C. 28. §. 58 (107.). QUOD EST FIRMAMENTUM AC ROBUR. liber antiquus habet, *fundamentum ac robur.* ego tamen nihil muto.

Ibid. extr. QUANTA IN IPSO IMPERIO POPULI ROMANI. VOX *ipso* abest a codice antiquo.

C. 29. §. 60 (111.). UT CORRIGENDUS POTIUS QUAM LEVITER INFLECTENDUS ESSE VIDEARE. sic est legendum, et ita habet codex manu scriptus [Beck. p. 585. »*leviter* restituit Lambinus, quam»quam et *leniter inflectere* dici posset, asperitati corrigentis oppositum.«].

C. 30. §. 62 (114.). DIXISTI QUIPPE FIXUM ET STATUTUM EST. sic restitueram annis ante duodecim. idem nunc indicio meo valde delector, quum id video veteris codicis auctoritate comprobari. supra autem, paullo ante [p. 348, 4. nobis c. 21. §. 61.], quis non videt esse legendum, *quae* [et] *mihi et vobis nota et iucunda sunt*, non ut est in libris vulgatis, *iudicanda?* non enim hi iudices sedent, ut iudicent de studiis humanitatis.

C. 31. §. 64 (117.). QUUM IN EIUSDEM ANNI CUSTODIA TE ATQUE L. MURENAM FORTUNA POSUISSET. idem codex habet, *in eiusdem anni custodiam.* quod fortasse rectum est.

Ibid. QUOD ATROCITER IN SENATU DIXISTI AUT NON DIXISSES AUT SI POTUISSES MITIOREM IN PARTEM INTERPRETARERE. haec huius loci restitutio tota Hotomani est [Observatt. 2, 12.]. neque tamen dubium cuiquam debet esse, quin sit recta et probanda.

§. 65 (118.). UT QUUM AD ULTIMUM ANIMO CONTENDISSEMUS IBI TAMEN UBI OPORTERET NON CONSISTEREMUS. hic unum aut alterum desiderari versum putat Hotomanus, ego non puto. induxit eum negatio omissa a librario ante verbum *consisteremus*, propter similitudinem scilicet, litterarum. sententia autem haec est. Stoici fines officiorum longius, quam natura vellet, protulerunt, adeo ut, quum *ad ultimum*, id est ad finem officii a Stoicis constitutum, pervenissemus seu *contendissemus*, in eo tamen ubi *oporteret*, id est in officio non *cousisteremus*, sed extra et ultra officii fines procurreremus. atqui sunt certi officiorum fines, *quos ultra citraque nequit consistere rectum*, inquit Flaccus [I. Satirr. 1, 107.]. ego idem qui hic ab Hotomano dissentio, hoc ei assentior, quod paullo post sic legendum putat, *sed tamen est etiam in dissolvenda severitate laus aliqua humanitatis.*

Ibid. ENIMVERO NISI SENTENTIAM SENTENTIA ALIA VICERIT MELIOR. vocem *sententiam* a librario omissam, in codice manu scripto repertam, reposui.

C. 32. §. 67 (122.). QUOD LEGE POENIERIM POENIVI AMBITUM. nihil hic meum est. quicquid est, codicis veteris est. *poenire* autem, et *moeri*, et *moenera*, et *immoene*, et multa alia pro *punire*, *muri*, *munera*, *immune*, dixisse veteres et docent grammatici veteres, et ego admonui in Commentariis Lucretianis [quum alibi tum ad 1, 33. vide annotata ad II. Herenn. c. 23. §. 35.].

Ibid. SI GLADIATORIBUS VULGO LOCUS TRIBUTIM. sic habet codex vetus, et hoc idem venisse in mentem Hotomano videmus. congruit cum hoc loco alter ille triginta septem circiter post versibus [p. 350, 7. nobis c. 34. §. 72.], *at spectacula sunt tributim data et ad prandium vulgo vocati.* aliquot post versibus [c. 34. §. 70.], ubi vulgo legitur *promerendi aut proferendi*, legendum *promerendi aut referendi.*

C. 35. §. 73 (134.). NON SED MERCEDE MERCEDE CONVINCE. praeclare hunc locum restituit Hotomanus.

Ibid. extr. NEC SI VIRGO VESTALIS HUIUS PROPINQUA ET NECESSARIA LOCUM SUUM GLADIATORIBUS CONCESSIT HUIC ET ILLA PIE FECIT ET HIC A CULPA NON EST REMOTUS. hic negationem, quae est in
p.698. vulgatis || ante *et illa*, alieno loco posita, ego in suum locum
a. restitui, ibi, *non est remotus.*

§. 74. (136.). SUMMAM AUCTORITATEM. legendum puto, *tu summam auctoritatem.*

C. 36. §. 77 (141.). SIN ETIAMSI NORIS TAMEN PER MONITOREM APPELLANDI SUNT CUR ANTE APPELLAS QUAM INSUSURRAVIT. hunc

locum sane feliciter restitui, aliquantum adiutus a libris veteribus. et paullo post, ubi vulgati habent *cur autem petis*, veteres *cur ante pellis*, ego *cur ante appellas* reposui. quae scriptura ita plana et perspicua est, ut se ipsa declaret.

C. 37. §. 78 (143.). CLAMO ATQUE TESTOR. sic habet liber Memmianus, non *obtestor*. idem paullo post, *nusque eo L. Catilina*, ex quo feci *non usque eo*, quomodo sine dubio legendum est.

§. 79 (146.). extr. DUO CONSULES. sic habet liber vetus. *duo* autem pro *duos* interdum dixerunt veteres. Virgilius [XI. Aeneid. 285, 6.], *si duo praeterea tales Idaea tulisset Terra viros*. et item saepe M. Tullius, ut alias admonuimus [vide annotata ad I. Accus. c. 16. §. 42.].

§. 80. NOLITE ARBITRARI NON MEDIOCRIBUS CONSILIIS AUT USITATIS VIIS NON LEX IMPROBA NON PERNICIOSA LARGITIO NON AUDITUM ALIQUANDO ALIQUOD MALUM REI PUBLICAE QUAERITUR. sic habet codex Memmianus, *non* [?] *usitatis vitis, non lex improba, non perniciosa largitio*, quemadmodum edendum curavi, nisi quod *viis*, quod est in vulgatis, retinui, pro quo fortasse reponendum *vitiis*. praeterea suspicabar initio, verba illa *nolite arbitrari* esse aliunde profecta. sed venit mihi postea in mentem, licere retinere, ita tamen, ut separatim legantur [cf. annotata a Beckio V. D. p. 604. sq.].

C. 38. §. 81 (148.). IAM ENIM HESTERNA CONCIONE INTONUIT VOX PERNICIOSA DESIGNATI TRIBUNI COLLEGAE TUI. vocem *Tribuni*, quae est in libris vulgatis post *designati*, sustuleram fretus auctoritate veteris codicis, in quo nullum est eius vestigium. sed mutata postea sententia eam retinui, ne quem nimis religiosum offenderem, testatus tamen non esse in libris scriptis. illud praeterea admonendus est lector, in eodem libro scriptum esse *designavit*, non *designati*, unde suspicor, etiam vocem *designati* esse delendam, ut quae nata sit ex annotatione, quum ascripsisset aliquis e regione huius loci *designavit Clodium*, seu *designatur Clodius*.

C. 39. §. 85 (156.). HUNC IAM QUI IMPEDITURI SINT PARATI SUNT ✻ ✻ ILLA PESTIS IMMANIS IMPORTUNA CATILINA PRORUMPET QUA POTERIT. sic legendum videtur potius, quam ut est in vulgatis, *Catilinae*. quin ut libere dicam quod sentio, vox *Catilina* fortasse aliena est, non Ciceronis, et ex annotatione nata. nam per immanem et importunam pestem Catilina describitur ac significatur.

Ibid. extr. ET PRIVATORUM DILIGENTIA OPPRIMENTUR. liber Memmianus habet *confirmentur*, plane mendose, quis negat? sed verendum est, ne *confirmentur* a librario sit positum pro *comprimentur*. de quo iudicet lector eruditus.

C. 41. §. 89 (163.). UNDE CUM HONORE DECESSERIS. sic habet codex Memmianus, neque dubium cuiquam esse debet, quin ita sit legendum.

Ibid. REPENTE EO ACCEDAT IPSE NUNCIUS SUAE CALAMITATIS. libri veteres habent, *eo excidet*. de qua scriptura iudicet lector eruditus. ego interea malim legi *accedit*, quam *accedat* [cf. annotata a Beck. p. 613. sq.].

XXIIII.

IN ORATIONEM PRO L. VALERIO FLACCO.

Magna pars emendationum huius orationis accepta referenda est codicibus Vaticanis et Gabrielis Faerni ingenio et diligentiae, cetera partim Memmianis libris, partim nostris et aliorum quorundam coniecturis.

C. 2. §. 4 (6. Beck.). AT IS QUIDEM OMNEM SUAM DE NOBIS POTESTATEM TRADIDIT VOBIS. sic habet codex Memmianus, et ita legendum, non *de bonis*.

C 3. §. 8 (12.). TMOLITES ILLE NICENUS. sic emendat Adrianus Turnebus [Adversarr. 30, 4.], coniectura ductus.

Ibid. TEMPERATISSIMUM LEGATUM. malim legi *temperantissimum* [probatur et Garatonio *temperantissimum*, propterea quod a temperantia, quae in legato maxime laudatur, *temperantissimus*, non *temperatissimus* dicatur. et proclivi admodum errore a scriptoribus librariis in his verbis et similibus turbatum est, partim addita nota, partim dempta. monuit Drakenborchius quum alibi, tum ad Livii 5. 48, 3. p. 392.].

C. 4. §. 10 (16). extr. NIHIL DIXIT QUOD EUM LAEDERET [sed pronomen delent Lambinianae repetitiones] QUUM CUPERET. quidam in suis libris manu scriptis scriptum esse aiunt *quem cuperet*, et hanc scripturam probant. ego hanc vulgatam in libris Memmianis expressam reperi, et item Faernus in Vaticanis. neque video, quamobrem non sit omnibus modis retinenda.

C. 5. §. 13 (20.). QUEM SPERO HIS REBUS FORE MAGNO USUI ET AMICIS ET REI PUBLICAE. libri omnes manu scripti, etiam ipsi Memmiani, habent, *quem spero his verbis* [tuetur *his rebus* Petrus Victorius VV. LL. 27, 9.]. Guido quidam Lollius putabat legendum, *quem spero aliis rebus* [cff. Beck. ad h. l. Tom. 4. p. 14. Orell. p. 84.].

C. 7. §. 17 (27.). SED PROPE CUNCTIS GENTIBUS ENITEBANT. sic legendum potius, quam *eminebant*.

Ibid. ID SUTORES ET ZONARII CONCLAMARUNT. nonnulli libri manu scripti habent, *et coriarii conclamarunt*. non probo [placet tamen Turnebo Adversariis 30, 4.].

C. 8. §. 18 (29.). SPE LARGITIONIS. sic emendaram multis iam ante annis, sed multo magis nunc mea coniectura delector, quum eam video codicis Memmiani auctoritate confirmari. nam in eis exemplis, quae fuerunt a Faerno ad libros Vaticanos emendata, legitur, ut in aliis vulgatis, *spe legationis*. quod sine dubio mendosum est, mirorque, hunc locum a Faerno non esse correctum. neque enim mihi persuadere possum, in Vaticanis *legationis* scriptum fuisse [sed vide Ernestum, summum virum, p. 859, 28.].

§. 19 (30.). IAM NIHIL PRAETER SPEM. neque hunc locum Faernus emendavit, sed eum emendate et recte scriptum in codice Memmiano vidi. nam *speciem*, quod est in vulgatis, corruptum est [vide Drakenborch. ad Livii 3. 9, 13. et qui ibi laudantur Tom. 2. P. 1. p. 90. sq.].

C. 14. §. 32 (50.). || AB AENO IN ASIAM. omnes libri manu scripti, etiam Memmianus, habent *ab Eno*, unde feci *Aeno*, auctore Adriano Turnebo [Adverss. 20, 28]. *Aenus* enim Thraciae urbs. lege Stephanum de Urbibus [p. 44. sq.].

Ibid. QUI QUUM IN OMNES ASIAE CIVITATES PRO PORTIONE PECUNIAM DESCRIPSISSET. sic hunc locum restituendum censeo, sine dubio in vulgatis et manu scriptis corruptum. eius autem sententia, ita emendata, planissima et facillima est.

C. 17. §. 40 (65.). QUI DE TABULIS PUBLICIS RECITAT. Erricus Stephanus ait, se in uno codice manu scripto legisse, *quia qui de tabulis publicis recitat*.

Ibid. SED TAMEN IUDICIUM FIERI VIDETUR. sic legendum esse probant libri veteres, et pluribus verbis docet Faernus [edebatur ante Faernum pro *iudicio*, errore librariorum tralaticio, *indicium*. vid. ad II. de Orat. c. 71. §. 289.]. *iudicium fieri videtur*, inquit, id est habet speciem et simulacrum aliquod iudicii. paucis post versibus [§. 41], ubi vulgati libri habent *efferretur*, veteres habent *ecferretur*, itaque legendum [et edidit Faernus, antiqui codicis auctoritatem secutus, in quo codice sic fuit, *quum haec ferentur* sive *ferrentur*. vid. Cort. ad Sallustii Iugurth. 14, 11. p. 474. et cf. Pareum Lex. Crit. p. 398,1.].

§. 41 (67.). CUIUS MORS TE ALIQUA RELEVAVIT. sic legendum est, non ut habent libri vulgati, *aliqua ex parte*. *aliqua* autem hoc loco adverbium est, ut docet Faernus [Beck. p. 43, »ita *aliqua* adverbialiter dici negat Graevius«].

Ibid. extr. TOTOQUE MITHRIDATICO CRIMINE. sic habent omnes, quos vidi, codices veteres, et item ii, quibus est usus Faernus. alii tamen reponunt *testimonio*.

C. 19. §. 44 (72.). CUM CIVITATE MIHI RES EST ACERRIMA ET CONFICIENDARUM LITTERARUM DILIGENTISSIMA. huius loci emendatio debetur codici manu scripto ex coenobio Divi Dionysii, et Adriano Turnebo [Adverss. 30, 4. vid. Ernest. p. 870. sq. annot. 62.].

C. 21. §. 51 (83.). ABDUXISTI TEMNO APOLLONIDEM [sic corrigendum fuit *Apolloniam*, vel ex Indice Erratorum p. 848.]. in hoc nomine *Apollonidem* mendum subesse suspicor, et in *Apollinidenses* sive, ut fere semper habent manu scripti libri, *Apollonidienses*, pro quo quidam legi volunt *Apollonienses* et pro Apollonide *Apollonia*. ego iusseram excudi *Apollonidem* et *Apollonidienses*, quemadmodum habent libri omnes, quum praesertim Plinius *Apollonidienses* commemoret [5, 30. sect. 33. Tom. 1. p. Harduin. 283, 12.]. sed vel errarunt vel neglexerunt meum imperium operae. quare ubique repone *Apollonidem* et *Apollonidienses* [utramque formam; et *Apolloniam* et *Apollonidem*, usitatam esse docuit Garatonius ad h. l.].

Ibid. PECUNIAM ADOLESCENTULO GRANDI FENORE FIDUCIA TAMEN ACCEPTA OCCUPAVISTI. hunc totum locum doctissime declarat doctissimus Faernus. *occupare pecuniam* est collocare, inquit Nonius [4, 340. v. *occupatus*, p. Mercer. 356, 7.], id est fenori dare seu fenerari. *accipere fiduciam* est fundum aut aliam rem soli seu, ut appellant, immobilem ab aliquo mancipare seu accipere ea lege, ut, quum ille repetat, ei remancipet. unde haec mancipatio *fiduciaria* appellatur, quia promissio et fides restituendi interponitur. promissio autem illa nullis tabulis aut testimoniis erat confirmata, sed tota res erat eius qui accipiebat, fidei credita et commissa. ex quo *fiducia* dicebatur. hic autem fundus fiduciarius fuerat loco *hypothecae* ab adolescente Lysania Deciano traditus ea lege (ut Decianus dicebat), ut, si pecunia ab eo fenori Lysaniae data ei ad diem non solveretur, fundus esset Deciani. quum igitur condicio evenisset, hoc est, pecunia Deciano non esset persoluta, dicebat Decianus, *fiduciam esse commissam*.

C. 23. §. 54 (88.). EXSILUERUNT PRINCIPES. sic Errieus Stephanus ex antiquo codice reponit, ubi vulgo legitur *siluerunt* [vid. Ernest. p. 876, 91. haerentem in *insiluerunt*, et Scheller. Observatt. p. 97. sq.].

§. 55 (89.). CIVITATIS PUDENTIS. quidam legi volunt, *prudentis* [vid. annotata ad III. Accus. c. 87. §. 200.].

C. 24. §. 57 (91.). AVULSUM EST ENIM PRAETER SPEM. sic habet codex Memmianus, et ita legendum [edebatur ante Lambinum *amissum* pro avulso.].

Ibid. extr. ANNON IDEM QUOD PERGAMI. sic legit Sylvius, et ita legendum videtur.

C. 25. §. 60 (95.). extr. MITHRIDATEM DOMINUM. sic reposui, quum in codice veteri reperissem scriptum *dm*. Faerni autem lectio *demum* non placet [placuit tamen Garatonio.]. quorsum enim hoc *demum?* nunc autem bellum est orationis incrementum, *dominum*, *patrem*, *conservatorem*.

Ibid. ILLUM DIONYSUM NYSIUM EVIUM BROMIUM BACCHUM NOMINABANT [itane? hoc enim voluit Lambinus, non illud quod nunc

legitur p. 364, 3., *illum Evium, Bromium, Nysium, Bacchum nominabant.*]. sic est legendum, et ita scriptum est in libris antiquis. delenda autem est vox *Liberum.* non enim verisimile est, Graecos nominibus Romanis usos esse, sed Graecis potius. ad hunc locum illustrandum pertinent Plutarchi verba libro 1. Συμποσιακῶν [Tom. 2. p. 624. A.], quem locum mihi Brissonius, iurisconsultus, indicavit, et tractat Muretus Variarum Lectionum libro 1. capite 2. [Operum Tom. 2. p. Ruhnken. 10. sqq.]. *Μιθριδάτην δὲ τὸν πολεμήσαντα Ῥωμαίοις ἐν τοῖς ἀγῶσιν, οὓς ἐπετέλει, καὶ πολυφαγίας ἆθλα θεῖναι καὶ πολυποσίας φασί. νικῆσαι δ' αὐτὸν ἀμφότερα καὶ ὅλως πιεῖν πλεῖστον τῶν καθ' αὑτὸν ἀνθρώπων. διὸ καὶ Διόνυσον ἐπικληθῆναι·* id est, *Mithridatem autem eum, qui cum Romanis bellum gessit, in his certaminibus, quae inibat et celebrabat, etiam edacitatis et bibacitatis praemia proposuisse ferunt. in utraque re autem palmam tulisse, et omnino plurimum suae aetatis hominum bibisse, quapropter et Diònysum esse cognomento dictum.* affert aliam causam probabiliorem illius cognomenti idem Plutarchus, nempe quod, quum bis fulmine tactus fuerit, integer et salvus incolumisque discesserit. sic Plutarchus [l. l. p. 624. B.], *οἱ δὲ πολλοὶ αὐτὸν ἀπὸ τῶν κεραυνοβολιῶν ὁμοιότητα τοῦ πάθους προσηγόρευσαν·* id est, *vulgus autem a fulminum ictibus propter similitudinem casus eum Dionysum nominavit* [cf. Ruhnken. ad Velleii Paterculi 2. 82, 4. p. 344. sq.]. iam *Nysius* dictus est Bacchus a monte Nysa.

C. 26. §. 61 (97.). DIGNITATI HORUM COMPONANT SUAM. sic habent aliquot libri manu scripti, in his Memmiani. *componant* ‖ autem, id est comparent. tralatio a pari gladiatorum. *op-* p. 699. *ponunt* scilicet suppositum ab iis est, qui illud *componant* non a. intelligerent. Virgilius Tityro [Ecl. 1, 24.], *sic parvis componere magna solebam.*

§. 62 (98.). DE QUORUM URBIS POSSESSIONE. omnes libri manu scripti Romani, ut testatur Faernus, habent *possessione*, et item Memmiani et Parisienses. quod interpretatur idem Faernus *tutela.* et recte. Horatius oda 26. libro 3. [vv. 9. sqq.], *o quae beatam, diva, tenes Cyprum et Memphin carentem Sithonia nive, regina.* id est, ut Graeci dicunt, ἀμφιβέβηκας, ἀμφιβαίνεις, ἔχεις [vid. Lambinum Commentariis ad h. l. p. 198. E.].

§. 63 (100.). SED HAUD SCIO AN CUNCTIS GENTIBUS ANTEPONENDAM DICAM. libri vulgati habent *iure dicam. iure* non est in libris scriptis Romanis neque in Memmianis, eamque Faernus supervacaneam iudicat, cui assentimur. itaque delendam curavimus [de formulae *haud scio an* vi ac potestate affirmante adi Wopkensium Lectt. Tullianis 1, 7. p. 35. sq., sed castigatum eundem ab Handio V. D. p. rep. edit. 50. sq.].

C. 27. §. 64 (101.). NON UT MUNITAM COLONIIS ILLAM GENTEM AUGERET SED UT OBSESSAM TENERET. vulgati libri habent, *illam augeret gentem.* Faernus testatur, vocem *gentem* in suis libris

antiquis non reperiri, neque nos in Memmianis reperimus. non habent tamen *illam augeret*, sed *illam generaret*. quod quid sibi velit, iudicet lector ingeniosus et sagax. ego interea, *illam gentem augeret*, excudendum curavi [reliquam lectionis varietatem proposuit Beck. p. 66. sq.]

§. 65. (102.). AN VESTRUM HOC VETUS PROVERBIUM. VOX *vetus* abest a codice Memmiano.

C. 28. §. 66 (105.). OB HOC CRIMEN. quidam libri habent, *ad hoc crimen*, quod magis probo.

§. 68 (108.). QUAESITUM ET PROLATUM PALAM NON NEGAS. sic esse scriptum in suis libris aliquot scriptis manu testatur Faernus, et nos item in Memmiano reperimus. pro quo vulgati habent *probatum*.

Ibid. extr. PERGAMI NON MULTUM [.] AURI RATIO CONSTAT. hunc locum emendata distinctione et interpunctione planum et illustrem reddidi. paullo post [§. 69.], ubi libri vulgati habent, *a iudicibus oratio avertitur*, liber Memmianus habet *convertitur*, non placet.

C. 29. §. 70 (110.). SED TAMEN IN PERGAMENO. sic habent codices Memmiani. quod probo.

§. 71 (111.). LITES TURBAE PRAETOR RO. ODIO EST. ex codice Memmiano vocem *Ro.* addidi, quae necessaria est, quamquam non *Praetor Ro.*, sed *po. Ro.* habet. unde coniicere possit aliquis, legendum esse *populus Romanus* [cf. annotata ad IV. Accus. c. 66. §. 149. et ad V. c. 13. §. 31.].

Ibid. GRAECORUM LIBERTATE GAUDES. si sequamur auctoritatem codicis coenobii D. Dionysii, legendum est *levitate*, quam scripturam probat Adrianus Turnebus.

Ibid. APOLLONIENSES. lege *Apollonidienses*, ut habent libri manu scripti, quamquam iudicet lector [vid. annotata ad h. l. c. 21. §. 51.].

Ibid extr. SI IAM TE CRASSI AGRI DELECTABANT. quidam scribunt *Crassi*, ego nihil muto. nam per *crassos agros* pingues et opimi significantur [vid. Pareum Lex. Crit. p. 291, 1.[. nisi quis dicat, Crassum tales agros illo in loco [in Crustumino et Capinati, qui est tractus Etruriae fertilissimus] habuisse [cf. Lambin. Comm. Horatianis ad I. Carmm. 31, 12. p. 76. C.].

C. 31. §. 76 (119.). CLARISSIMUM VIRUM PRAESTANTISSIMUM SAPIENTIA SINGULARI INGENIO MIHI CREDE LUDEBANT. legendum fortasse est, *illudebant*.

C. 32. §. 77 (120.). FLACCUM INIMICITIIS ET IRACUNDIA DECREVISSE DICIS ET VERO ADIUNGIS CAUSAS INIMICITIARUM QUOD PATRI L. FLACCI AEDILI CURULI PATER TUUS TRIBUNUS PL. DIEM DIXERIT. hic locus insanabilis erat sine ope codicum manu scriptorum. sic

igitur emendavi atque ita edendum curavi, veteris scripturae vestigia secutus, *Flaccum inimicitiis et iracundia incitatum decrevisse dicis, et vero adiungis causas inimicitiarum, quod patri L. Flacci Aedili Curuli pater tuus Tribunus Pl. diem dixerit.* docti quidam affirmant, se hoc modo scriptum reperisse in libris antiquis, *Flaccus vi et iniuria decrevit, motus paternis odiis; vereque adiungis causas inimicitiarum,* et reliqua. in quo praeter alia offendit me illud, *vi et iniuria decrevit,* nam primum quid est, *vi decrevit?* deinde quis ita loquitur, *iniuria decrevit? iniuriam* diceremus potius, atque ita M. Tullius loquitur in Oratione pro P. Quinctio [p. 12, 18. nobis C. 21. §. 69.].

Ibid. extr. CUR AUTEM PRAETOR TE INIMICUM PATERNUM IN CONSILIUM VOCAVIT. sic restituit Antonius Augustinus Hispanus, et recte. *Praetor* autem, nempe hic Flaccus filius, olim Tribunus militum, postea Praetor factus. ita refellentur levia argumenta quorundam, qui hanc lectionem oppugnaverunt, et frustra. mirorque hoc illis in mentem venisse, quum aperte dicat postea Cicero, *nunc accusamur ab iis, qui nobis in consilio fuerunt.*

§. 78 (121.). * QUAS EASDEM MULIERIBUS A ME DATAS APUD PATARANOS REQUISIVIT. locus desperatus sine auxilio librorum antiquorum. quidam sic emendare conantur, *quas eaedem mulieres a me datas apud Pataranos requisiverunt.*

§. 79 (122.). AD HAEC PRAEDIA ETIAM INCENSA DEDICAVISTI. quidam legi volunt, *at haec praedia etiam incensa dedicavisti.* proxime autem *incensa* pro *in censu* reposui, atque ita legendum [sed vid. Lipsium VV. LL. 31. T. 1. p. Vesal. edit. 267.]. *incensa* porro, id est non censa [cf. Livium 1, 44. ibique VV. DD. p. 341., et 4. 8, 3. retulit et Pareus in suum Thesaurum, Lex. Crit. p. 590, 1.]. paullo ante lege *Apollonidienses*, et paullo post *ab Apollonidiensibus,* et versu 1. paginae proximae [p. 367, 1. C. 32. §. 80., ubi legitur *et Apolloniae et Romae*] *Apollonide* seu *Apollonidiae.*

§. 80. fin. EUM MAXIMAM HABITURUM ESSE FAMILIAM. quae sequuntur, sumpta sunt ex antiquo codice, quum essent ad eius oram ab aliquo aliena manu e regione huius lacunae ascripta. quae quamvis dubium mihi esset, utrum sint Ciceronis necne, probavi tamen et appingenda curavi, ut hic locus saltem sententiam aliquam probabilem et minus interruptam contineret [ea verba sunt haec, asterisco notata ab Lambino, p. 367, 8. *responsum est, eius facta non videri. idem visum est postea Flacco, quum rem cognosceret, itaque decrevit.*].

C. 33. §. 81 (126.). SED DEFENDAM DECIANUM QUI TIBI IN SUSPICIONEM NULLO SUO DELICTO VENIT. coniectura P. Fabri Tolosani, Consiliarii Regii, approbata sic reposui, quum in libris omnibus legatur, *scilicet defendam.*

§. 82. QUOD ORNABAT FACETE LOCUM QUEM PREHENDERAT. sic reposui, quum libri omnes vulgati habeant *facile*.

§. 83 (127.). extr. NUNC FACIS SUSPICIONEM. fortasse legendum, *iacis suspicionem* [vide annotata ad IIII. Herenn. C. 27. §. 37. et cf. Drakenborch. ad Livii 41. 4, 2. Tom. 11. p. 823.].

C. 34. §. 86 (130.). SI HEREDITATEM IN PROVINCIA CREVERIT. quum viderem ab omnibus libris ma || nu scriptis, et Memmianis et Romanis, teste Faerno, abesse negationem ante verbum *reliquerit* (vulgati enim libri habent, *non reliquerit*), ego ex *reliquerit* feci *creverit*. quae coniectura placet Aurato, placet Turnebo, placet Brissonio, placet ipsi Memmio, cui non? quid sit autem *cernere hereditatem*, docet Varro libro 6. de Lingua Latina [6, 5. p. 81, 7.]. *crevi valet constitui. itaque heres, quum constituit se heredem esse, dicitur cernere, et quum id fecit, crevisse.*

C. 36. §. 91 (137.). EAM PECUNIAM QUAM CONFECERAT. Faernus et Erricus Stephanus testantur scriptum esse *traiecerat* in omnibus libris manu scriptis, quibus usi sunt. ego item in nostris vidi *contraiecerat*, unde mihi orta suspicio est, *confecerat* fuisse primo depravatum, et ex eo factum *coniecerat* [vid. Manutium ad 12. Epp. 25. et cff. ab Drakenborchio notata ad Livii 10. 6, 3. Tom. 5. P. 2. p. 48.]. deinde lectorem aliquem ascripsisse ad oram libri *tra* pro *con*; deinde librarium dubitantem alium scripsisse *contraiecerat*, alium *traiecerat*. si quis tamen *traiecerat* probabit, non repugnabo. est enim probabilis scriptura, et eam probat Faernus. hinc autem dicta est *traiecticia pecunia* [quae ab uno loco in alterum transfertur, sive permutatur]. licet etiam dicere, *traiecerat* [?] esse veram scripturam, sed aliud significare, quam quod putavit Faernus.

C. 37. §. 92 (139.). AN ETIAM SCRIPSIT ORATU TUO. sic habent codices quum Memmiani tum alii, sine ulla litura aut varietate.

§. 94 (141.). DISPUTO ET EXPOSTULO. sic restitui ex auctoritate codicum Memmianorum, quum in vulgatis legeretur *disputo postremo*, plane mendose [vid. Beck. p. 95.].

C. 38. §. 96 (143.). NIMIAE PIETATIS ET SUMMI AMORIS IN PATRIAM VICISSIM NOS POENAS SI ITA PLACET SUFFERAMUS. mendose in libris vulgatis legitur, *si ita diis placet*, nos vocem *diis*, quae abest a libris manu scriptis, sustulimus. infra autem, undecim post versibus [§.97.], ubi libri vulgati habent *si modo liber*, ego, libros eosdem manu scriptos secutus, *sit modo liber* reposui.

C. 39. §. 98 (146.). QUANTA REI PUBLICAE CAUSA LAETITIA POPULI ROMANI QUANTA GRATULATIO CONSECUTA EST. nihil muto. videtur enim mihi haec lectio probabilis et ferenda. verumtamen scriptura vetus non est negligenda, quae talis est: *quanta rei publicae causa laetitia populi Romani, quanta gratulatione conservatus est?* quam sic paullum immutarem: *quanta rei publicae laetitia, quanta populi Romani gratulatione conservatus est?*

XXV.

IN ORATIONEM PRO P. CORNELIO SYLLA.

C. 1. §. 2. QUANTUM DE MEA AUCTORITATE DERIPUISSET. sic est legendum, et ita habet codex unus Memmianus manu scriptus. *deripere* autem idem valet, quod illud, quod supra posuit, *detrahere* [vide annotata ad IV. Accus. C. 50. §. 111. p. Lamb. 180, 43.].

C. 2. §. 5. QUORUM EGO OPERA. codex manu scriptus habet, *quorum ego ope.*

C. 3. §. 7. CUM QUIBUS IN CETERIS INTELLIGIS AFUISSE. sic edendum curavi, a codice manu scripto admonitus, in quo est *affuisse. affuisse* autem dicebant veteres, non *abfuisse* ut saepe iam diximus [vid. annotata ad V. Accus. C. 51. §. 135. et ad Or. pro Murena C. 9. §. 21.].

C. 4. §. 11 (12. Beck.). LEPIDO ET TULLO COSS. liber manu scriptus habet, *Lepido et Volcatio coss.* ego tamen nihil muto, existimans, hoc *Volcatio* natum esse ex aliqua annotatione. nam horum Consulum cognomina dumtaxat ponuntur [vid. I. Catilin. C. 6. §. 15. p. 317, 40.]. quodsi praenomina quoque et nomina ponantur, erunt *M. Aemilius Lepidus* et *L. Volcatius Tullus*, qui Consules fuerunt anno ab Urbe condita 687. [vid. Pigh. Ann. Romm. Tom. 3. p. 315. sq. nec desunt tamen exempla nominis alterius Consulis, alterius cognominis positi, ut h. l. p. 379, 49. C. 20. §. 56. et habet usus loquendi nonnulla, quae populo relinquenda videantur.].

C. 5. §. 14 (17.). QUI AUTRONIO AFUERIM. sic reperi scriptum in libris duobus manus scriptis, neque vero dubium est, quin ita sit legendum. *afuerim* autem id est *abfuerim* [pro *Antronio* dedi *Autronio*, idque auctore Lambino, qui sic reponi iussit Ind. Erratorum p. 848.].

C. 7. §. 22 (24.). extr. NON ESSE HOC REGNARE QUUM VERUM DICAS IURATIS PROBARE. sic hunc locum restitui coniectura ductus. sententia autem est aperta. hoc tibi, inquit, respondeo, quod ad testimonia attinet, non esse hoc regnare, quum verum dicas, iuratis probare; id est, non esse hoc regnare, eum, qui verum dicat, iudicibus iuratis persuadere et probare: regnaret is, qui, quum falsa diceret, fidem faceret tamen, aut sibi falsa dicendo fidem habere iudices cogeret.

§. 23 (27.). NEMO CURIONI. liber antiquus habet, *nemo Curio* [Beck. p. 123. »ita Lambinus edidit ex antiquo codice.«

nempe *Curio*, quum vetus lectio fuerit *Curioni*, servata in repetitionibus Lambinianis].

C. 9. §. 26 (34). extr. CUIUS VICARIUS QUI VELIT ESSE INVENIRI NEMO POTEST LONGE ABEST AB EO REGNI SUSPICIO. sic hunc locum restitui, coniectura ductus, partim mutata distinctione [sic enim Lambinus p. 375, 22. *tamen hoc regnum appellabitur? cuius vicarius qui velit esse inveniri nemo potest, longe abest ab eo regni suspicio.* illud *tamenne*, probatum Orellio p. 121., habet margo repetitionum Lambinianarum, non ipse Lambinus.], partim hoc addito *ab eo*, quod scilicet a librario fuerat omissum propter similitudinem vocis sequentis. quodsi quis legi malit, *longe abest is a regni suspicione*, aeque probabo.

C. 10. §. 31 (40.). QUOD TAMEN TRIBUNUS PL. FACIT IS [hoc addidi ex Indice Erratorum p. 848.] QUI UNUS VIDETUR EX ILLIS AD LUGENDOS CONIURATOS RELICTUS. sic habent libri manu scripti, quos secutus sum.

C. 11. §. 33 (42.). ITAQUE ATTENDE IAM TORQUATE QUAM EGO NON DEFUGIAM AUCTORITATEM CONSULATUS MEI. sic habent libri vulgati, manu scripti autem, *quam ego defugiam* [»quod est venustius. ironice dictum.« Ernest. p. 908, 34.] concinnior vero est antiqua, quum sit eadem sententia. significat enim se non defugere auctoritatem Consulatus sui, id est, non negare se auctorem esse earum rerum, quae in Consulatu ipsius gestae sunt. *defugere* enim *auctoritatem* est negare, se auctorem fuisse. nos Galli dicimus *desauouer*.

Ibid. QUINQUE HOMINIBUS COMPREHENSIS ATQUE CONFOSSIS. quidam legi volunt, *atque confessis*.

p. 700. a. C. 12. §. 34 (45.). ATQUE IN ‖ PRAETURA FUISSET. assensus sum Errico Stephano, qui haec verba loco suo mota iudicavit eaque in suum locum restituit. praeterea verba aliquot a librario errante bis scripta sustuli [ponam integrum locum p. Lambin. 376, 30. *harum omnium rerum, quas ego in Consulatu pro communi salute suscepi et gessi, L. ille Torquatus, quum esset meus contubernalis in Consulatu atque in Praetura fuisset, quum princeps, quum signifer esset iuventutis, auctor, adiutor, particeps extitit; parens eius, homo amantissimus patriae, maximi animi, summi consilii, singularis constantiae, quum esset aeger, tamen omnibus rebus illis interfuit, nunquam est a me degressus, studio, consilio, auctoritate unus adiuvit plurimum, quum infirmitatem corporis animi virtute superaret.* vid. Beck. p. 132. sq., in hoc falsum, quod dicit Lambinum haec verba delevisse, *quum auctor, quum princeps, quum signifer esset iuventutis.*].

C. 13. §. 36 (53.). AB ALLOBROGIBUS NOMINATUM SYLLAM ESSE DICIS QUIS NEGAT AT VIDE QUEMADMODUM NOMINATUS SIT. inter hoc, *quis negat?* et hoc, *at vide*, duas voces [*Syllae indicium*] interiectas et ex annotatione natas, atque in contextum orationis temere coniectas, ego olim, coniectura ductus, sustu-

leram ac deleveram. quas Erricum Stephanum in vetere codice non reperisse postea cognovi.

§. 39. (51.). IN INDICIIS ET QUAESTIONIBUS. Erricus Stephanus existimat legendum, *in iudiciis et quaestionibus*, quum libri vulgati habeant *in indiciis*. quod item mihi iam pridem in mentem venerat [cf. annotata ad Orationem pro Flacco C. 17. §. 40.]

C. 14. §. 40. (53.) AIT ME ALITER AC DICTUM EST IN TABULAS PUBLICAS RETULISSE. fortasse legendum, *ait me aliter, atque indicatum est, in tabulas publicas retulisse.* ut infra novem post versibus [§. 41.], *aliter indicata haec esse diceret.* nihil tamen mutare ausus sum, et in hoc *dictum est* subintelligo, *ab indicibus.* omnino *indicatum est* magis placet.

Ibid. VOS ME AB OMNIBUS CETERIS COGITATIONIBUS AD UNAM SALUTEM REI PUBLICAE CONTULISTIS. quidam sine auctoritate ullius libri veteris legi volunt *compulistis* [cf. Drakenborch ad Livii 5. 28, 7]. quod probo. verumtamen nihil muto [Beck. p. 138. »nonnulli apud Lambinum legi iusserunt *compulistis*, ipse Lam»binus, si quid mutandum esset, maluit *transtulistis.*«].

§. 42. (55.). CREDO ESSE NEMINEM QUI HIS OMNIBUS AUT VERE REFERENDIS AUT SCRIBENDIS PUTET FIDEM DILIGENTIAM INGENIUM DEFUISSE. a quibusdam libris antiquis abest *aut scribendis*, in eisque ita legitur, *vere referendis fidem putet aut ingenium defuisse*, in aliis, *fidem* [putet?] *aut diligentiam defuisse* [vide omnino notata a Beckio V. D. p. 139. sq.].

C. 15. §. 42 (56). DIVISI TOTI ITALIAE DIVISI IN OMNES PROVINCIAS. placet mihi Memmii coniectura, arbitrantis legendum, *dimisi in omnes provincias.*

C. 17. §. 48. (64.). extr. NEC DEFENDERE QUEM VELIS. sic reposui libris omnibus invitis, in quibus legitur mendose, *ac defendere quem velis.*

§. 49 (65.). AT VERO QUUM HONOS AGEBATUR AMPLISSIMUS FAMILIAE VESTRAE. sic est in codice manu scripto Memmiano, et ita sine dubio legendum.

C. 18. §. 50 (67.). extr. ET SATIS IDONEUM OFFICII IUDICEM POSUI TE. sic emendavi coniectura ductus. *posui* autem, id est statui.

C. 19. §. 54 (72.). AT EMPTA EST FAMILIA. sic reposui reclamantibus libris omnibus, quos quidem viderim. obiiciebant enim adversarii P. Syllae, emptam esse gladiatorum familiam per simulationem munerum, quae L. Sylla Faustus populo daturus esset. sic infra paullo post, *nec opinante Fausto, quum is neque sciret neque vellet, familia est comparata.* sed quid eam confirmare opus est, quum Erricus Stephanus se ita scriptum reperisse in codice manu scripto asseveret?

Ibid. UTINAM QUIDEM HAEC IPSA NON MODO INIQUORUM INVIDIAE SED ET AEQUORUM EXPECTATIONI SATISFACERE POSSET. liber manu

scriptus Memmianus habet, *iniquorum invidia esset*, plane mendose. cur igitur hanc scripturam antiquam propono? ut videat lector, in hac ipsa antiqua depravata esse rectae et verae lectionis vestigia. nam in *invidia esset*, si litteras spectes et syllabis mutatis unam de verbo *esset* detrahas, reperies *invidiae set*. iam vero veteres librarios scripsisse *set* per *t*, non ut nos *sed* per *d*, constat inter omnes. ex his autem scripturae veteris vestigiis videtur ita legendum, *non modo iniquorum invidiae sed aequorum expectationi satisfacere posset* [sic Lambinus, hoc quidem loco, *non modo, sed*, et ita illum voluisse omnino suspicor. alterum, *non modo, sed et*, p. 379, 39. positum, et Lambinus praetermisit in Indice Erratorum p. 848., et retinuerunt Lambinianae repetitiones.].

§. 55 (74.). AT PRAEFUIT FAMILIAE. dele hic nomen *Cornelius*, quod est in libris vulgatis et subintellige, *P. Sylla*. nam quamvis Syllae Cornelii sint, nomen Cornelii tamen, quod huc ab aliquo indocto illatum est, et supervacaneum est et sententiam obscurat.

C. 20. §. 56 (75). AC PROFECTUS EST NON MODO OB CAUSAM SED ETIAM NECESSARIAM CAUSAM MAGNAE PECUNIAE RATIONE CUM MAURITANIAE REGE CONTRACTA. quum in libris manu scriptis Memmianis reperissem scriptum, *magna pecuniae ratione*, ego, levi immutatione facta, *magnae pecuniae ratione* edendum curavi.

§. 57 (77.). SI IN HISPANIAM TURBATUM ISSET. sic habent libri veteres, praeclare, si conferas cum lectione vulgata, *si in Hispania turbatum esset*. codici autem Memmiano huius loci restitutio accepta referenda est [Beck. p. 153. »nec Lambinus »recepit, et Manutius improbavit. Olivetus tamen e Lambinia»nis affert, *in Hispaniam turbatum isset*.« non habet Laemariana a. 1596. nec reliquas habere puto.].

Ibid. UT QUEM IN SECUNDIS REBUS. dii malefaciant semidoctis istis, qui quae non intelligunt inquinant, et sincera vasa, ut aiunt, incrustant. quod quum saepe et multis locis factitarunt, tum hoc loco. nam haec verba, *verisimile non est* [suspecta Lambino et Orat. pro Roscio Amerino C. 41. §. 121. p. 33, 7. et IV. Accus. C. 6. §. 11. p. 162, 3. vide eundem ad Orationem pro Sextio C. 36. §. 78. p. contextus 473, 16.], ex eorum officina nata sunt. sic enim currit oratio et sententia: *an in tantis rebus, tam novis consiliis, tam periculosis, tam turbulentis hominem amantissimum sui, familiarissimum, coniunctissimum officiis, usu, consuetudine dimittendum a se arbitraretur? ut, quem in secundis rebus, quem in otio secum semper habuisset, hunc in adversis et in eo tumultu, quem ipse comparabat, ab se dimitteret?*

C. 21. §. 60 (81.). IAM VERO QUOD SUBIICIT. liber manu scriptus habet, *quod obiicit*. ego tamen nihil muto.

§. 16 (82.). extr. QUI ITA DE AMBITIONE ET DE SUFFRAGIIS SUIS CUM COLONIS DISSENSERUNT. idem liber habet, *qui ita de ambulatione*, quod quid sibi velit, nescio.

C. 22. §. 63 (85.). PRIMUM CAECILIUS QUI FRATRIS CALAMITATEM LEVARE POENA LEGIS MITIGANDA VOLUERIT LAUDEM MERETUR DEINDE CAECILIUM QUI ID PROMULGARIT IN QUO RES IUDICATAS VIDEBATUR VOLUISSE RESCINDERE UT SYLLA RESTITUERETUR SYLLA RECTE REPREHENDIT. duo fere versus fuerant a scriptore librario omissi, quos ego partim coniectura ductus, partim ab antiquis libris adiutus, repraesentavi. errans scilicet librarius in nominibus *Caecilius* et *Caecilium*, a *Caecilius* ad *Caecilium* transilierat, et ita versum unum integrum omiserat, quem restituimus.

Ibid. SED POENAM AMBITUS AUFEREBAT QUAE FUERAT NUPER SUPERIORIBUS LEGIBUS CONSTITUTA. sic habent libri manu scripti Memmiani, et item is, quo est usus Erricus Stephanus [probavit emendationem Lambinus quum Ferratio Epp. p. 298., tum Fr. Aug. Wolfio, criticorum principi, ad Orationes Quattuor, quae vulgo feruntur Ciceronis, p. 198. cf. annotata ab Orellio p. 132.].

C. 23. §. 65 (90.). EX ILLO TEMPORE L. CAECILIUS MULTA E RE PUBLICA EGIT. sic emendat Erricus Stephanus, plane ingeniose et erudite.

C. 25. §. 70 (96.). CUIUS AURES UNQUAM HOC RESPUERUNT CONATUM || ESSE HOMINEM USQUE A PUERITIA NON SOLUM INTEMPERANTIA ET SCELERE SED ETIAM CONSUETUDINE ET STUDIO IN OMNI FLAGITIO STUPRO CAEDE VERSATUM. sic est legendum, neque quicquam est mutandum, et falluntur, qui *contaminatum* legi voluerunt. sententia enim aperta est: cuius aures unquam respuerunt hoc esse conatum Catilinam? id est, coniurasse? quippe hominem usque a pueritia non solum intemperantia et scelere, sed etiam consuetudine et studio in omni flagitio, stupro, caede versatum.

C. 27. §. 75 (104.). NON CADIT NON INQUAM CADIT IN HOS MORES NON IN HUNC PUDOREM NON IN HANC VITAM NON IN HUNC HOMINEM ISTA SUSPICIO. sic reposui fidem Errici Stephani secutus, qui se ita scriptum reperisse testatur.

§. 76. (106.). extr. NEQUE ENIM EST QUISQUAM QUI ARBITRETUR HOSTIS INCLUSIS IN RE PUBLICA PESTIBUS DIUTIUS HOC IMPERIUM STARE POTUISSE. liber manu scriptus non habet vocem *imperium*, et pro *hoc* habet *haec*, ut fortasse ita sit legendum, *diutius haec stare potuisse. haec* autem δειχτικῶς templa deorum, aedificia publica et privata, id est urbem ipsam.

C. 28. §. 79 (110.). OBSTRUITE PERFUGIO IMPROBORUM. sic est legendum, *obstruite perfugio*, id est, quasi murum struite adversus perfugium improborum, ne se vita ante acta defendere queant. contra munite arcem bonorum, ut ad vitam ante actam viri boni, accusati et falsis criminibus in iudicium vocati, tanquam in arcem firmam ac munitam confugiant.

C. 29. §. 81 (113.). extr. SIN ILLA RES DE PECUNIIS REPETUNDIS PRIMA VALUIT. hoc totum, *de pecuniis repetundis*, abest a codicibus manu scriptis.

§. 82 (115.). extr. QUOD SATIS ESSET AD TESTANDAM MEMORIAM OMNIUM. hunc locum partim coniectura ductus, partim ope veterum codicum nixus sane feliciter emendavi [cf. Wunder. p. LXXVII.]. nam quum in eis reperissem, *attestantem memoriam omnium*, ubi vulgati habent *attestante memoriam omnium*, ego *ad testandam memoriam omnium* reposui. quae lectio recta est, idque tum aliis viris doctissimis iudicantibus, tum Adriano Turnebo vehementer approbante [Beck. p. 176. »Lambinus eum, qui »vulgatam suae correctioni anteponat, vel hebetem, vel malevolum, »vel utrumque esse contendit.«].

C. 30. §. 85 (118.). extr. DICO HOC QUOD INITIO DIXI NULLIUS INDICIO NULLIUS SUSPICIONE NULLIS LITTERIS DE RE P. SYLLAE REM ULLAM AD ME ESSE DELATAM. hic locus per se non videtur mendo vacare. auget suspicionem vetus codex, in quo scriptum est, *de reatu P. Syllae*. quidam doctus arbitratur legendum esse, *de coniuratione P. Syllae*, quod ego probarem, si tam longe non abesset ab antiqua scriptura. ego putabam et *re* in vulgatis libris, et *reatu* in antiquis esse delendum ut adventicium, atque ita simpliciter legendum, *de P. Sylla* [atque hoc est illud »alii« in margine repetitionum Lambinianarum, etiam Laemar. a. 1596., qua utor]. verumtamen movet me veteris codicis scriptura, quam quum attentius consideravi, adducor, ut putem legendum, *de coniuratu P. Syllae* [sic certe »alii« in marg. Laemar. a. 1596.]. idem autem valet *coniuratus*, quod *coniuratio*, quemadmodum *comperendinatus* idem quod comperendinatio, *contemptus* quod contemptio et similia.

C. 31. §. 88 (128.). extr. NE HANC LABEM TANTI SCELERIS IN FAMILIA RELINQUAT ID LABORAT. sic et hunc locum restitui, fidem Errici Stephani secutus, qui se ita scriptum in vetere codice confirmat. eidemque credidi, dicenti in eodem libro scriptum esse *disciplinarum et scholae* [§. 89. ibi Lamb. p. 385, 18. tamen sic repraesentat, *huic misero notiora sunt iudiciorum itinera et fori, quam disciplinarum*.].

C. 32. §. 90 (127.). TE IPSUM IAM TORQUATE EXPLETUM ESSE HUIUS MISERIIS PAR ERAT. divinam plane Errici Stephani in hoc loco restituendo coniecturam secutus sum [confirmatur illa codicis Erfurtensis sive Thuringici auctoritate, in quo codice sic est scriptum, apud Wunder. p. 94., *te ipsum iam, Torquate, expletum huius miseriis esse par erat*. quae quum ita sint, laudo equidem Orellium V. D. p. 140. corrigentem, *te ipsum iam, Torquate, expletum huius miseriis par erat*, dempto substantivo, quod sedem habet non satis certam.].

§. 91 (128.). extr. REPERIT NOVUM MAERROREM. sic est in libris manu scriptis, non ut in vulgatis, *repetit* [proclivi lapsu

haec commutari docuerunt VV. DD. ad Curtii 6. 4, 10. p. Snakenburg. 407., et Liveneins ad Propertii 3. 22, 17.]. et infra [C. 32. §. 92.], ubi vulgati habent *delecti ad spem acerbitatis*, idem ille habet *dilecti* [vid. annot. ad II. de Oratore C. 9. §. 36.].

XXVI.

IN ORATIONEM PRO A. LICINIO ARCHIA POETA.

C. 4. §. 7 (10. Beck.). ET SI SEXAGINTA DIEBUS APUD PRAETOREM ESSENT PROFESSI. legendum fortasse est, *sexaginta post diebus*.

§. 8 (11.). HERACLEAENE ESSE EUM ASCRIPTUM NEGABIS. codex manu scriptus habet *Heracliaene*, quod eo notavi, ut memoria repetat lector, quod supra admonui in Scholiis Agrar. [I. Agrar. C. 2. §. 5. p. 287, 37.], diphthongum Graecam *ει* verti solere a Latinis vel in *e* longum vel in *i* longum. itaque ab hoc loco quattuor fere post versibus, ubi vulgati libri habent, *qui hunc ascriptum Heracliensem dicunt*, ego, *qui hunc ascriptum Heracliae esse dicunt*, reposui [ita hoc quidem loco *Heracliae*, non *Heracleae*, Beck. p. 199. quod reliquum est, codex Rehdigeranus facit cum Barberino primo, *qui hunc Heracleensem ascriptum dicunt* repraesentans.].

§. 9 (13.). AN DOMICILIUM IN ITALIA NON HABUIT IS QUI TOT ANNIS ANTE CIVITATEM DATAM SEDEM OMNIUM RERUM AC FORTUNARUM SUARUM ROMAE COLLOCAVIT. liber manu scriptus habet, *qui tot annos civitate data* [Rehdigerano, consentienti cum Graecianis, id est Franciano secundo et Excerptis Pithoeanis, in *qui tot annis civitate data*, adest editio a. 1472. sive Adamiana, nisi quod haec *civitatem datam*, servato apice, retinuit. cf. Beck. p. 200.]. paullo ante autem legendum, *an domicilium in Italia*, quemadmodum ego edendum curavi. cuius loci haec sententia est. dicesne Archiam domicilium in Italia non habuisse, quum multis annis ante civitatem datam sedem omnium rerum ac fortunarum suarum Romae collocavit? nam si Romae domicilium suarum rerum collocavit, ergo in Italia domicilium habuit.

C. 6. §. 12 (19.). extr. UT A NULLIUS UNQUAM ME TEMPORE. sic habent codices manu scripti [et edit. a. 1472. sive Adamiana.]. id quod observavit Petrus Victorius [VV. LL. 2, 9.].

C. 7. §. 15 (24.). EGO MULTOS HOMINES EXCELLENTI ANIMO AC VIRTUTE FUISSE ET SINE DOCTRINA NATURAE IPSIUS HABITU PROPE DIVINO PER SE IPSOS ET MODERATOS ET GRAVES EXTITISSE FATEOR.

malim sic legi, *excellenti animo ac virtute fuisse sine doctrina, naturae ipsius habitu prope divino, et per se ipsos moderatos et graves extitisse* [editio a. 1472. sic dedit, sola quod sciam, *excellentes animo et virtute*, ac deinceps in *et moderatos* omisit copulam.].

Ibid. RATIO QUAEDAM CONFORMATIOQUE DOCTRINAE. liber manu scriptus habet, *confirmatioque* [cf. annotata ad Orationem pro Cluent. C. 32. §. 88.]. ego tamen nihil mutandum censeo.

§. 16 (26.). extr. ADOLECESNTIAM ALUNT. idem liber habet, *adolescentiam agunt* [idque defendunt Petrus Victorius VV. LL. 26, 12. et Muretus VV. LL. 12, 15. Operum Tom. 2. p. 287. sed vide, quae super nobilissimo loco disputantur a Wyttenbachio V. D. Philomath. 1. p. 198. sqq.].

C. 9. §. 22 (35.). CONSTITUTUS E MARMORE. secutus sum libros vulgatos. nam manu scripti, quibuscum etiam exempla ab Iuntis impressa consentiunt, mendosi sunt mea quidem sen-
p. 701 a. tentia, in quibus legitur, *esse constitu* ‖ *tus et marmoratis laudibus* [in codice Rehdigerano, quo olim usus sum, sic legitur, *esse constitutus et marmoratis lapidibus*]. quidam hoc totum, *e marmore* seu *et marmoratis*, delendum censent tanquam alienum et insiticium [vid. Beck. p. 218. sq.].

C. 10. §. 23 (37.). QUO MANUUM NOSTRARUM TELA PERVENERINT. vocem *minus*, quae antecedebat vocabulum *manuum*, fretus codicum veterum auctoritate, sustuli ac delevi [cf. Beck. p. 220.].

C. 11. §. 29 (44.). NON CUM VITAE TEMPORE ESSE DIMETIENDAM COMMEMORATIONEM NOMINIS NOSTRI. sic reposui scripturae veteris vestigia secutus, pro eo quod est in vulgatis libris, *esse dimittendam*.

C. 12. §. 30 (45.). SUMMIS INGENIIS EXPRESSAM. legendum videtur, *a summis ingeniis expressam* [vid. Orell. p. 150. deinceps *et perpolitam* codex habet Rehdigeranus, a me excussus Vratislaviae Silesiorum, vere primo a. 1819.].

Ibid. HAEC VERO. nempe memoria.

§. 31 (47.). QUEM AMICORUM VIDETIS COMPROBARI TUM DIGNITATE TUM ETIAM VENUSTATE. sic est legendum, et ita scriptum est in libris manu scriptis. nam vox *studiis*, quae interiecta fuerat inter *amicorum* et *videtis*, in eis non reperitur, et certum est, eam ab aliquo indocto eodemque confidente esse interpositam [abest et ab editione Adamiana a. 1472. et a codice Rehdigerano. cf. Muretum VV. LL. 12, 15. Tom. 2. p. 289.]. significat autem M. Tullius, pudorem Archiae ab amicis et dignitate praestantibus viris et venustis ac politis comprobari [vid. Beck. p. 228. sq.].

Ibid. QUIQUE EST EO NUMERO. videtur legendum, *quique eorum numero est*, si rationem spectes. verumtamen nihil mutandum censeo [Beck. p. 230. »Lambinus coniecit, *quique eo*

»*hominum numero est*, aut, *quique eorum numero est*, neque »tamen mutandum quid censuit.« utramque habent repetitiones Lambinianae, sed neutrum tamen Lambino vindicant. cf. Muretum VV. LL. 12, 15. Operum Tom. 2. p. 289.[.

XXVII.

IN ORATIONEM POST REDITUM AD QUIRITES.

C. 1. §. 1. extr. EIUS DEVOTIONIS ME ESSE CONVICTUM. id est, eo voto me esse damnatum. sic Virgilius loquitur in Daphnide, *damnabis tu quoque votis* [Ecl. 5, 80., ad quem locum Heinsius T. 1. p. Burmann. 89. laudavit Vossium de Construct. C. 26. p. 96. sqq., accurate, ut solet, docentem, non quibusvis, sed certis verbis, *accusandi, absolvendi, damnandi*, genitivos addi, eos autem genitivos non a verbo regi, sed ablativo substracto, puta *crimine*, *actione*, *poena*, similibus.].

§. 2. SECUNDUS VITAE SINE ULLA OFFENSIONE CURSUS. sic habet codex vetus, non ut vulgati, *secundo vitae sine ulla offensione cursu* [Lambino, Memmiani codicis lectionem reponenti, assunt Oxoniensium H., id est Digbaei 231., continens plurimas orationes, et χ in Catal. Bodlei. 1213., et ipse orationes 37. complexus.].

§. 3. RELIQUAE MEAE FORTUNAE RECUPERATAE. legendum fortasse est, *reliquiae mearum fortunarum recuperatae.*

Ibid. QUAM TUNC INCOLUMI AFFEREBANT. libri nonnulli manu scripti habent, *quam tunc incolumitates afferebant*, alii, *incolumitate afferebant*. unde suspicor legendum, vel *quam tunc incolumi totae afferebant*, ut *reliquae fortunae*, id est reliquiae fortunarum, opponantur *totis et integris fortunis*, vel *quam tunc incolumitas afferebat* seu *incolumitas ipsa afferebat* [ergo *incolumes totae*, quisquis primus excogitavit, probatum Garatonio, non est de Lambini suspicione, Orell. Vol. 1. p. 577. debetur repetitionibus Lambinianis, unde transtulit Beckius V. D., quem vid. notis ad h. l. p. 297. sq.]. nam *incolumitates* [vid. Adriani Turnebi Adverss. 23. 4.] numero multitudinis non admodum placet. *incolumitas* autem est ea, quam Graeci *ἐπιτιμίαν* appellant, quae significat existimationem integram, salvas et incolumes et integras fortunas.

C. 2. §. 5 (7. Beck.). extr. NISI VESTRA VOLUNTAS FUISSET. legendum fortasse est, *affuisset*, seu ut quidam malunt, *favisset* [vid. Drakenborch. ad Livii Epitom. 45 Tom. 12. P. 1. p. 426.]. ego tamen nihil muto.

Ibid. TANTUM HOC TEMPORE UNIVERSIM CUNCTO POPULO ROMANO DEBEAMUS. in hoc loco restituendo secutus sum religiosissime libros manu scriptos, nisi quod in eis est *universum*, ex quo feci *universim*. quod si quis malet legi *universe*, non repugnabo, sed longius abierit ab antiqua scriptura. vulgata autem, *universo*, *cuncta* [vel *cuncto*, nam utrumque a libris est, ut et *universo* et *universa*] *populo Romano*, ferri non potest. ne dissimulandum quidem est, ab uno codice manu scripto abesse *cuncta* sive *cuncto* [vid. omnino Beck. p. 302.]. iam quod *universum* reieci et in *universim* commutavi, hanc rationem secutus sum. Latine enim non posse dici puto, *tantum tibi debeo universum*, nihilo magis quam *tantum tibi debeo privatum*, sed dici oportere, *debeo tibi tantum universim* seu *universe*, *et debeo tibi tantum singillatim*, *privatim*, et cetera [Wolf. p. 93. »coniuncta *universim cuncto* speciem habent miserarum divitiarum, nec *universim* verbum est Ciceronianum, »nec fortasse huius scriptoris, ut manu scripti arguunt.«].

C. 3. §. 6 (8). L. DIADEMATUS [sed ipsum lemma, positum ab Lambino, sic habet, *L. Metellus Diadematus*]. sic habet liber Memmianus et sic legendum, fastis, historicis, marmoribus antiquis comprobantibus. adde Plinium libro 7. capite 44. [sect. 45. Tom. 1. p. Harduin. 399. cf. annotata a Beckio V. D. p. 303. sq.].

Ibid. AUT METELLORUM LIBERI [reponendum ex Indice Erratorum p. 848., *aut Metellarum liberi*]. libri veteres aliquot habent *Metellarum*, et ita legendum videtur, ut intelligamus non solum Metellos eorumque liberos, qui sunt ipsi quoque Metelli, sed etiam Metellarum filios, qui iam non sunt Metelli, sed familiae paternae nomen ferunt, pro Q. Metelli reditu Quiritibus supplicasse [cf. Orat. post Reditum in Senatu C. 15. §. 37. p. 402, 43. corrigendum et hoc loco *Metellarum*. vid. Perizonium Animadverss. Histt. C. 9. p. Harles. 406.].

§. 7 (9.). SED IN DISSENSU CIVIUM. codex manu scriptus habet, *in discessu civium* [Beck. p. 304. »Lambinus monet coniici posse *discissu*« Lambinus, id est margo repetitionum Lambinianarum.]. paullo post, ubi est, *me autem nudum a propinquis*, idem liber non habet *autem*.

§. 8 (11.). PRO ABSENTE UNIUS SQUALLOREM SORDESQUE VIDISTIS. idem liber non habet *eodem me*, quae sunt in libris vulgatis [sed vid. Wolf. p. 96. sq.].

Ibid. UNUS HIC QUI DOMI POSSET ESSE MIHI AETATE FILIUS IN FORO PIETATE ITEM FILIUS INVENTUS EST BENEFICIO PARENS AMORE IDEM QUI SEMPER FUIT FRATER. hic locus partim ex oratione habita in senatu post reditum, quae deinceps sequitur, ubi similis fere locus est [p. 402, 43. nobis C. 15. §. 37.], partim ex coniectura emendatus est [vid. Beck. p. 307. sq.].

Ibid. AUT MAGNAM PARTEM TECTIS AC TENEBRIS CONTINEBANTUR. sic legendum est, approbantibus libris manu scriptis. quod

genus loquendi non intelligentes semidocti nescio qui passim depravarunt. *magnam partem* autem, id est magna ex parte [cf. annotata ad II. de Invent. C. 43. §. 125. et vid. Pareum Lex. Critico p. 787.].

C. 4. §. 10 (15.). NULLUS IN EORUM REDITU. iidem libri habent, *nullius in eorum reditu motus municipiorum et coloniarum factus est.*

C. 5. §. 11 (16.). PROVINCIARUM FOEDERE IRRETITI. libri manu scripti habent *irritati.* non probo.

Ibid. PARENS DEUS SALUS NOSTRAE VITAE. legendum fortasse est, *parens, deus salutis nostrae, vitae, fortunae, memoriae, nominis* [vid. Beck. p. 314. sq.].

C 6. §. 15 (22.). EXCELLENTI ANIMO VIRTUTE AUCTORITATE PRAEDITI. sic restitui reclamantibus libris || omnibus, verum- b.
tamen levi immutatione facta. nam ex *praesidio praediti* feci. et paullo post, ubi ceteri libri habent, *quibus potuit verbis amplissimis*, ego *verbis quam potuit amplissimis* reposui.

§. 16 (23.). PRODUCTI AD VOS AB EODEM [non *productus*]. Lentulo, quamquam liber unus manu scriptus habet *ab eadem*.

C. 8. §. 19 (28.). SCELERATORUM HOMINUM FUROR. nihil videtur hac lectione sincerius, nihil rectius. verumtamen libri manu scripti habent, *et sceleratus hominum furor.*

§. 20 (29.). QUUM PARVA NAVICULA TRAVECTUS IN AFRICAM. sic restitui, quum in codicibus manu scriptis reperissem scriptum partim *provectus*, partim *pravectus* [vid. Drakenborch. ad Livii 24. 21, 7. Tom. 7. p. 704.].

C. 10. §. 24 (34.). NON SOLUM DUM ANIMA SPIRABO MEA. sic legendum, et ita fere scriptum est in libris Memmianis. mendosi autem sunt vulgati, in quibus legitur partim *anima spirabo mea*, partim *anima superero mea.* ne quid porro dissimulem, libri illi veteres habent, *anima expirabo mea* [cf. Beck. p. 334. sq.].

§. 25 (35.). extr. CUNCTIS SUFFRAGIIS IUDICAVIT. sic legendum videtur quibusdam potius, quam *indicavit.* ego tamen *indicavit* non damno: nam declarare quippiam suffragiis dicimus. librorum veterum scriptura est varia [vid. annotata ad Orationem pro Roscio Comoedo C. 4. §. 13.].

XXVIII.

IN ORATIONEM POST REDITUM IN SENATU.

C. 2. §. 3. REFERENTE L. NINNIO. ita est legendum, et ita scriptum est in codicibus antiquis, ubi vulgati habent *L. Mummio*, neque hoc loco tantum, sed multis aliis, ut cognoscemus [monstra lectionis, quum hoc loco tum alibi a scriptoribus librariis frequentata, posuit complura Drakenborchius ad Livii 23. 8, 1. Tom. 7. p. 394. vulgatam, id est *L. Memmium*, defendebat Pighius Ann. ad a. 695. Tom. 3. p. 360. sed vid. Turneb. Adverss. 28, 17.]. paullo post, ubi libri vulgati habent, *sub alieno scelere delevit*, manu scripti habent partim *deluit*, partim *delituit*, de quo iudicet lector. ego interea nihil muto, *dilituit* tamen non improbo.

§. 4. (5. Beck.). extr. RES PUBLICA SINE CONSULIBUS ESSET. liber manu scriptus habet, *res publica sine re publica, sine consulibus esset.* quae scriptura non est fortasse reiicienda.

C. 3. §. 5 (6.). EX SUPERIORIS ANNI CALIGINE ET TENEBRIS LUCEM IN RE PUBLICA KALENDIS IAN. DISPICERE COEPISTIS. paullum immutata antiqua scriptura ex *despicere* feci *dispicere*. vulgatam autem *respicere* reieci [vid. Interpretes ad Virgilii Aen. 6, 734. Tom. 3. p. Burmann. 116.].

§. 7 (8.). NON SOLUM TACTUM AC VIOLATUM MANU. VOX *solum* abest a libris antiquis.

C. 4. §. 10 (13.). SED FUERUNT DUO CONSULES QUORUM MENTES ANGUSTAE HUMILES PRAVAE. vocem *Consules* ut non solum supervacaneam, verum etiam sententiae et huic loco repugnantem tollendam censeo. negat enim paullo post, Gabinium et Pisonem fuisse Consules. *duo*, inquit, *non Consules, sed mercatores provinciarum ac venditores vestrae dignitatis.* et iterum, *qui me duo sceleratissimi post hominum memoriam non Consules, sed latrones non modo deseruerunt, in causa praesertim publica et Consulari, sed prodiderunt.* supra autem, ubi vulgati habent *Consul fuisset unicus*, reposui *inimicus*, veteres secutus.

C. 5. §. 12 (16.). AD LENONIS IMPURISSIMI PEDES. vetus docex habet, *impudicissimi* [sed vid. Orationem pro Sextio c. 11. §. 26.].

C. 6. §. 13 (19.). QUUM EUM PRAETER SIMULATAM VERSUTAMQUE TRISTITIAM NULLA RES COMMENDARET NON CONSULARIS DIGNITAS NON SCIENTIA REI MILITARIS NON COGNOSCENDORUM HOMINUM STUDIUM

* NON LIBERALITAS. hunc locum partim a veteribus libris adiutus, partim coniectura ductus in integrum restitui. non est autem quod quemquam hoc *cognoscendorum hominum* offendat. nam hoc idem obiicit Pisoni Oratione in Pisonem [p. 534, 28. nobis c. 20. §. 47.], *quid est aliud furere nisi non cognoscere homines, non cognoscere leges, non Senatum, non civitatem?* ubi porro est stellula, puto deesse *non dicendi facultas* [quam posteriorem Lambini coniecturam laudat Orellius p. 567., *non consilium, non dicendi facultas, non scientia rei militaris, non studium cognoscendorum hominum, non liberalitas*, probatam Ursino, eam videntur suppeditasse Lambinianae repetitiones, quas dudum laudo.].

§. 14 (20.). CUM HOC HOMINE AN CUM AETHIOPE IN FORO CONSTITISSES NIHIL CREDERES INTERESSE. in libris vulgatis legitur, *an cum stipite Aethiope*, plane inepte. neque vero vox *stipite* reperitur in manu scriptis. *Aethiopem* autem appellat, quia niger eius cutis color erat [cf. Beck. p. 253. sq.].

Ibid. ET BELLUA IMMANIS CUM GRAECULIS PHILOSOPHARI. sic reposui, quum in codice antiquo scriptum reperissem *et bellus immanis*. et paullo ante, ubi vulgati habent *neglectum*, manu scripti partim *negorium*, partim *negotium*, ego *vecordem* reponendum putavi, quamvis nonnulli malint *ignavum*.

C. 7. §. 15 (23.). IS NON ME (NAMQUE EQUIDEM COGNORAM PROPTER PISONUM AFFINITATEM QUAM LONGE HUNC AB HOC GENERE COGNATIO MATERNA TRANSALPINI SANGUINIS ABSTULISSET) SED VOS POPULUMQUE ROMANUM NON CONSILIO NEQUE ELOQUENTIA QUOD IN MULTIS SAEPE ACCIDIT SED RUGIS SUPERCILIOQUE DECEPIT. hunc locum, antea obscurum atque impeditum, sic emendavi coniectura ductus, cuius sententia nunc planissima est. quod autem negationem sustuli ante verbum *cognoram*, id feci et sententia postulante et instituto eorum, qui ex antiquae scripturae vestigiis odore suspicionis ad veram ducuntur. nam animadversum est, in libris veteribus saepe positum esse *non* pro *con* seu *cum*, et contra *con* pro *non* (quod in Lucretio demonstravi), saepe etiam non esse positum quum sequeretur *con*, errante scilicet librario propter similitudinem syllabarum [cf. Beck. p. 256. sq.].

§. 18 (28.). CONCIDISSE REM PUBLICAM. liber manu scriptus habet, *occidisse rem publicam*, quod magis probo [Wolf. p. 39. »*occidisse* praestat et auctoritate et ratione.« cf. Drakenborch. ad Livii 23. 24, 7. Tom. 7. p. 484.].

C. 8. §. 18 (29.). ET DILIGENTIA SUBLEVATI. sic habet codex Memmianus, sine ulla litura aut varietate [habent alii, *sublevastis*.].

§. 21 (31.). QUID M. CISPIUS? secutus sum editionem Manutianam, mea sententia, hoc loco emendatam, quamquam quidam substituunt *M. Olbius*, secuti scripturae veteris vestigia, quae est *Molpius* [cf. Beck. p. 263.].

C. 9. §. 24 (37.). extr. UT QUA VOCE SEMEL OMNINO POST ROMAM CONDITAM CONSUL USUS ESSET PRO UNIVERSA RE PUBLICA APUD EOS SOLUM QUI EIUS VOCEM EXAUDIRE POSSENT EADEM VOCE SENATUS OMNIBUS AGRIS VICIS ATQUE OPPIDIS CIVES TOTAMQUE ITALIAM AD UNIUS SALUTEM DEFENDENDAM EXCITARET. sic restitui hunc locum, sine dubio in libris vulgatis corruptum, in quibus partim ita legitur, *qua voce te Romule*, partim sic, *qua voce a te Romule.* de quo loco quum mecum Brissonius, vir doctissimus, nuper domi suae verba faceret atque ex me quaereret, quomodo eum in libris manu scriptis scriptum reperissem, respondissemque me non satis meminisse, ille autem dixisset sibi videri legendum, *qua voce ter omnino post Romam conditam*, ego domum reversus quum reperissem a me esse editum *semel omnino*, idque ducibus libris duobus veteribus, non contentus duorum librorum auctoritate alium quendam vetustum, quem unum habebam domi reliquum (nam ceteros dominis reddideram), consului, in quo ita scriptum reperi, *ut qua voce te romanino post Romam conditam.* unde quis non videt, molli brachio et sine magna admodum vi fieri posse, *quo voce ter omnino post Romam conditam?* quomodo coniecit esse legendum Brissonius, iuris consultus nostrae aetatis doctissimus actorque causarum disertissimus. quare si etiam ex historia cognoscimus, non semel tantum hac voce usum esse Consulem, sed saepius, nihil est quod lectionem *semel omnino* probare debeamus. primum igitur novem circiter annis ante, quam haberet hanc orationem Cicero, hac voce erat usus C Calpurnius Piso, ut testatur ipse M. Tullius in Oratione pro C. Cornelio maiestatis reo, cuius sunt haec verba apud Asconium [p. Lambin. 463, 7. Gronov. 431, 1.], *at enim extremi ac difficillimi temporis vocem illam, C. Corneli, Consulem mittere coegisti, qui rem publicam salvam esse vellent, ut ad legem accipiendam adessent.* iterum, anno ab urbe condita 654., C. Marius et L. Valerius Flaccus, ut testatur idem M. Tullius in Oratione pro C. Rabirio perduellionis reo, eandem vocem miserant. sic autem ille [p. 313, 3. nobis c. 7. §. 20.], *fit S. C., ut C. Marius L. Valerius Css. adhiberent Tribunos Pleb. et Praetores quos eis videretur, operamque darent, ut imperium populi Romani maiestasque conservaretur. adhibent omnes Tribunos Pleb. praeter Saturninum, omnes Praetores praeter Glauciam. qui rem publicam salvam esse vellent, arma capere et se sequi iubent.* eadem voce usus erat Scipio Nasica privatus in Tib. Gracchum, ut testatur idem Cicero libro quarto Tusculanarum Quaestionum, his verbis [p. 171, 9. id est c. 23. §. 51.], *mihi vero ne Scipio quidem ille Pontifex Maximus, qui hoc Stoicorum verum esse declaravit, nunquam privatum esse sapientem, iratus videtur fuisse Tib. Graccho, tum quum Consulem languentem reliquit atque ipse privatus, ut si Consul esset, qui rem publicam salvam esse vellet, si sequi iussit.* quod sic refert Appianus, libro primo Civilium [c. 16.]: κοίναντες

δὲ ὅσα ἔκριναν ἐς τὸ καπιτώλιον ἀνῄεσαν καὶ πρῶτος αὐτοῖς ὁ μέγιστος ἀρχιερεὺς λεγόμενος ἐξῆρχε τῆς ὁδοῦ Κορνήλιος Σκιπίων ὁ Νασικᾶς, ἐβόα τε μέγιστον ἕπεσθαί οἱ τοὺς ἐθέλοντας σώζεσθαι τὴν πατρίδα· id est, *iis autem decretis quae decreverunt, in Capitolium ascenderunt, et primus eis praeivit et ducem se praebuit Pontifex Maximus Cornelius Scipio Nasica, clamabatque voce maxima, ut, qui salvam rem publicam esse vellent, se sequerentur.* et Plutarchus in Vita Gracchorum, quanquam paullo aliter [p. 833. C. id est c. 19.], ἀναπηδήσας ὁ Νασικᾶς, Ἐπεὶ τοίνυν, ἔφη, προδίδωσιν ὁ ἄρχων τὴν πόλιν, οἱ βουλόμενοι τοῖς νόμοις βοηθεῖν ἀκολουθεῖτε· id est, *exsiliit Nasica et, Quoniam, inquit, urbem prodit Consul, qui vultis legibus opitulari, me sequimini.* et anno 298. ab urbe condita Sex. Tempanius decurio apud Livium libro quarto eandem vocem eiecit. sic Livius [4. 38, 2. Tom. 2. P. 2. p. 323.], *dataque mox terga hostibus forent, ni Sex. Tempanius, decurio equitum, labente iam re, praesenti animo subvenisset. qui quum magna voce exclamasset, ut equites, qui salvam rem publicam vellent esse, ex equis desilirent: omnium turmarum equitibus velut ad Consulis imperium motis, nisi haec, inquit, armata cohors sistat impetum hostium, actum de imperio est. sequimini pro vexillo cuspidem meam.* et reliqua. ex his locis primum hoc intelligere licet, in difficillimis temporibus et summo rei publicae discrimine hunc morem fuisse, ut vel Consul vel quis alius nomine Consulis hac voce uteretur. deinde bis tantum ante hoc tempus, quo tempore haec oratio habita est, Consulem aut Consules hac voce populum ad arma capienda excitasse: semel in seditione illa, in qua Saturninus occisus est, iterum in C. Cornelii Tribunatu. nam duo illa tempora, et id quo Sex. Tempanius, et id quo Nasica eandem vocem privati usurparunt, non numero. dilucide enim hic dicitur, *Consul.* quare si Consules illi non erant, ut non erant, non explent numerum ternarium, quod requiritur, ut sit verum, quod hic a Cicerone dicitur, si haec scriptura comprobetur, *ut, qua voce ter omnino post Romam conditam Consul usus esset*, et cetera. quid igitur dicendum? omnino veriorem lectionem esse puto *ter omnino* [et sic margo repetitionum Lambinianarum, probante Turnebo Adverss. 25, 25. et habet margo cod. Erfurt. apud Wunder. p. 51.], quam *semel omnino*, quamvis duo tantum exempla huius vocis a Consule missae mihi suppetant. nam quum iam bis reperiantur Consules hanc vocem usurpasse, falsum est, *semel omnino* hac voce Consulem usum esse post urbem conditam.

Huius autem annotationis causam mihi attulit Brissonius, superioraque exempla ex libris nondum editis de Conceptione Formularum mihi protulit ac suppeditavit [ex Omissis post Tom. 1. p. 380. sq.].

C. 10. §. 25 (39.). extr. ET FRATREM AB INFERIS SOCIUM RERUM MEARUM. hoc *ab inferis* mihi suspectum est, putoque fuisse

p. 702. a. interpretationem illius *ab* || *Acheronte*, quod sequitur, deinde in contextum orationis esse coniectum. paullo ante autem pro *haberet in consilio* politi quidam viri *adhiberet in consilium* legi volunt.

§. 26 (40.). QUO QUIDEM DIE QUUM CCCCX SENATORES ESSETIS. liber manu scriptus habet, CCCCX *et septem essetis* [cf. Beck. p. 272. sq.].

C. 11. §. 27 (43.). QUID QUOD UT AD ILLAM DIEM AD RES SUAS QUUM REDISSENT ROGARENTUR UT PARI STUDIO CONVENIRENT? sic hunc locum restituit Paullus Manutius ex loco simillimo, qui est in Oratione pro P. Sextio, non longe ab extremo [p. 482, 27. c. 62. §. 129.], qui sic legitur in libris vulgatis, *atque ut iidem ad res redeuntes, ut venirent, rogarentur.* ubi tamen quidam docti legi volunt, *ad suos redeuntes.* omnino uterque locus videtur mendosus [Orell sic dedit p. 572., *quid? ut agerentur gratiae iis, qui e municipiis venissent? quid? ut ad illam diem, res quum redissent, rogarentur, ut pari studio convenirent?* de posteriore, ut ait, Lambini sententia, Gruteri exemplum secutus, qui hunc locum silentio praetermisit. sed de Lambini correctione parum constare video, quamquam cogitationes posteriores, ut aiunt, fere sapientiores solent esse. illud pro certo affirmaverim, editiones, quae Lambini nomine, sed perperam vocantur, ne hoc quidem loco manum Lambini repraesentare quod reliquum est, Beckium miror, sic reponentem p. 275. »Lambinus autem locum pro Sextio 62. ex hoc ita »mutari iubet, *atque ut iidem ad illam diem, quum res redissent, ut venirent, rogarentur.*«].

§. 29 (46.). extr. IN QUA NEMO EMPTUS ERAT INTERCESSORUM. quidam legi volunt *intercessor*, quibus assentior [et in ordinem recepit Gruterus, codicum Palatin. 9. et Erfurtensis sive Thuringici auctoritate motus. quem vid. p. 561, 56.]. quamquam non multum interest, utro modo legatur. notat autem Sex. Atilium Serranum et Q. Numerium, qui intercesserant senatusconsulto, quo M. Tullius revocabatur.

C. 14. §. 34 (55.). EX HAC URBE AFUTURUM. quum reperissem scriptum in libris manu scriptis, *ex hac urbe afuerunt*, facile conieci, *afuerunt* perverse a librario pro *afuturam* esse scriptum. nam infra quidem, paucis post versibus, ubi vulgati habent *abfuerunt*, iidem libri veteres habent *afuerunt*, litteris omnibus integris atque expressis [vid. annotata ad V. Accus. c. 51. §. 135.].

XXVIIII.

IN ORATIONEM PRO DOMO SUA.

C. 1. §. 1. UT AMPLISSIMI ET CLARISSIMI CIVES REM PUBLICAM BENE GERENDO RELIGIOSISSIMI RELIGIONES SAPIENTER INTERPRETANDO REM PUBLICAM CONSERVARENT. sic restitui coniectura ductus. nam recepta lectio non erat ferenda, et erat perspicuum, esse depravatam. est autem antithesis concinna, *clarissimi cives rem publicam bene gerendo*, *religiosissimi cives religiones sapienter interpretando rem publicam conservaverunt.*

C. 2. §. 4 (5. Beck.). SED IAM QUONIAM TE AD POMPEIUM CONTULISTI SIS INFERIOR NECESSE EST. sic legendum, vel libris omnibus invitis. dicebat Clodius, M. Tullium, quod se ad Pompeium applicuisset eiusque opibus niteretur, inferiorem quam se futurum apud eosdem Pontifices, qui scilicet moleste hoc ferrent, Ciceronem ad opes Pompeii confugisse, eique extra ordinem totius rei frumentariae potestatem sua sententia detulisse [sed vid. Ferrat. Epp. p. 354.].

C. 3. §. 5 (6.). SERVORUM DILECTU. sic habent libri manu scripti et ita sine dubio legendum [vid. annotata ad II. de Oratore c. 9. §. 36.].

C. 5. §. 11 (17.). extr. SIN IN CAUSA FUIT ANNONA. libri manu scripti non habent praepositionem *in*. et paullo ante doctissimi quidam viri *capere debuit* legendum contendunt, ubi et vulgati libri et manu scripti habent *potuit*. infra autem paullo post, ubi vulgati habent *stimulator*, manu scripti habent *instimulator*.

§. 12 (18.). NON EST SATIS FACTA LAPIDATIO EST. sic habent libri manu scripti, et ita legendum. quod autem ad vulgatam lectionem, quae habet *saxis facta lapidatio est*, attinet, ne quis forte eam amplectatur, plane inepta est, nulla enim lapidatio sine saxis.

Ibid. extr. CAUSAM ARREPTURUM FUISSE AD INCENDIA. quidam legendum putant, *ansam arrepturum*.

C. 7. §. 16 (25.). PETEBATUR A ME FRUMENTI COPIA ANNONAE VILITAS QUASI POSSEM ALIQUID IN EA RE MEAE VALITUDINIS RATIO NON HABEBATUR. sic reposui, non quod ita legendum esse magnopere confidam, sed quod me non longe a vera lectione abesse putem. proponam igitur scripturam vulgatam primum (ea est huiusmodi, *aliquid in ea re gerenda*, *non habebatur*), deinde

antiquam, quae talis est, *aliquid in ea re generatio non habebatur.* reperitur etiam haec, *neque ratio non habebatur.* quidam coniiciunt, esse reponendum *meae personae ratio non habebatur.* sunt et qui hoc modo, *anni ratio non habebatur,* quidam, *mei ratio non habebatur* [cf. Beck. V. D. p. 359.].

C. 8. §. 18 (27.). NON SOLUM REM MAXIMAM ERIPUI E PESTE SUMMI PERICULI SED ETIAM VOS A CAEDE INCENDIIS VASTITATE. secutus sum vulgatam magis, quam antiquam scripturam. haec enim ita corrupta est, ut nulla ex ea elici sententia possit. sic enim habent libri veteres, *rem maximam potuisse summi periculi non solum ea me, sed etiam vos* [istud *vos* afuitne a codice Lambini? v. Beck. p. 361.] *a caede*, et reliqua. omnino hoc in loco subest aliquod ulcus. per *rem maximam* autem rem frumentariam et annonam significare puto, ut infra eodem Oratione [p. 407, 19. id est C. 9. §. 24.], *nos, quod nominatim rei maximae, paene iam desperatae, summum virum ad extrema rei publicae tempora delectum praefecimus, a te reprehendemur?*

§. 21 (31.). SED QUID AD TE QUI NEGAS ESSE VERUM QUEMQUAM ULLI REI PUBLICAE EXTRA ORDINEM PRAEFICI? sic habent codices Memmiani, et recte. *verum* autem id est iustum, par, aequum. sic in Oratione pro Sylla [immo pro Murena p. 350, 29. nobis C. 35. §. 74.], *negat verum esse allici benivolentiam cibo.* idem libro 2. Epistolarum ad Atticum [epist. 1. p. 214, 15.], *quid verius, quam in iudicium venire, qui ob rem iudicandam pecuniam acceperit?* Horatius secunda epistola ad Maecenatem lib. 1. [l. Epp. 7, 98.], *metiri se quemque suo modulo ac pede, verum est* [vid. Commentaria Horatiana ad h. l. p. 242. A. et cff. VV. DD. inprimis Drakenborch. ad Livii 2. 48, 2. Tom 1. P. 2. p. 410. sq. adde Pareum Lex. Crit. p. 1285. sq.].

C. 9. §. 22 (33.). QUOD COGNOMINIBUS TANTUM UTERETUR. sic restitui, coniectura certissima ductus [Wolf. p. 159. »acute »notat Lambinus scribendum *quod cognominibus*, ut familiaris »praescriptio indicetur, qualis est ubique in notis epistolis, *Cicero* »*Attico.*«]. nam *Caesar, Pulcher,* cognomina sunt, non nomina. natum erratum est ex similitudine vocum, quum librarius scripsisset *cum nominibus* pro *cognominibus*, quo facto postea alius sustulit *quod.* quamquam appellatione *nominis* cognomen quo-
b. que et signi || ficatur et intelligitur.

§. 23 (35.). MULTIS S. C. ETIAM RECENTI LEGE GENERI IPSIUS LIBERATOS. sic restituit Ioannes Passeratius. et recte [vid. Franc. Robortell. Emendatt. 2, 40. Thes. Crit. Grut. Tom. 2. p. 110. et cf. Ernest. notis ad h. l. p. 991, 77.].

C. 10. §. 24 (37.). PERFERRE POTUISSES. sic est legendum, non, ut in libris vulgatis, *perficere* [Wolf. p. 163. »horum »utrum alteri praeferas, nihil interesse censet Garatonius. vere. »nam neutrum aptum est omnibus quae antecedunt verbis: *per-*

»*ferre* magis ad remotissimum *promulgasti*, ad reliqua magis »pertinet *perficere*.«

§. 25 (38.). HELUÓNI SPURCISSIMO. codex vetus habet *heluoni purgatissimo*, unde coniicio legendum, *impuratissimo* [vid. Pareum Lex. Crit. p. 383, 2. Plautina sunt *impuratus* et *impuratissimus*.].

C. 11. §. 28 (43.). SATIS AUDACITER. non video, quamobrem hanc vocem quidam simii Ciceronis tanquam barbaram fugiant, quum eam veteres grammatici tum a bonis omnibus Latinis scriptoribus, tum a Cicerone usurpatam esse testentur, quod et in scholiis Orationis Roscianae et alibi admonuimus [vid. ad Orat. pro Roscio Amerino C. 34. §. 104. sed tamen loco non motum *audacter* in Bruto p. 234, 3. nobis C. 68. §. 241.].

§. 29 (44.). PROINDE DESINANT ALIQUANDO ME IISDEM INFLARE VERBIS. sic est legendum, et ita est in codicibus Memmianis, cuius lectionis rationem afferrem, nisi se ipsa declararet ac probaret [aliter videtur Fr. Aug. Wolfio, viro in paucis magno, qui conferre iubet Burmannum notis ad Anthol. Lat. Tom. 1. p. 166.].

C. 12. §. 30 (46.). extr. IDEMQUE QUUM DIXISSET. quidam legi volunt, *idemque quum dixit*.

C. 13. §. 34 (50.). HOC DICO TE ESSE PATRICIUM. sic est legendum, et ita legitur in libris manu scriptis. constat autem, patricio non licuisse per leges Tribunum Pleb. fieri [cf. Beck. p. 379.].

Ibid. extr. QUAE OMNIS NOTIO PONTIFICUM QUUM ADOPTARERE ESSE DEBUIT. sic esse legendum, vincit ratio et ipsa veritas. Clodium enim nunc alloquitur. at Clodius adoptatus est, nempe ut fieret plebeius et ita Tribunatum gerere posset. hanc meam coniecturam adiuvat codex manu scriptus, in quo sic scriptum est, *adoptare*. *re* scilicet postremum a librario omissum est. iam vero Fonteius erat is, qui adoptabat.

C. 14. §. 36 (54.). UT IS QUI TE ADOPTAVIT VEL FILII TIBI LOCO PER AETATEM ESSE POTUERIT. sic est legendum, ordine verborum, qui perturbatus erat, restituto. atque hanc meam emendationem adiuvat vetus codex, in quo ita scriptum est, *vel illi tibi loco per aetatem esse potuerit*.

§. 37 (55). IMBERBEM ADOLESCENTULUM. hunc ipsum locum esse arbitror, quem testem producit Sosipater Charisius libro 1. [p. Putsch. 74.], ubi docet, *imberbos* dici non *imberbes*, his verbis, *sic et Cicero imberbum protulit, non imberbem*. quare hoc loco legendum esset *imberbum*, quod mihi videtur [et in ordinem recepit Gruterus, quem vid. p. 562, 39.].

Ibid. CUR ERGO ADOPTATUR. codex manu scriptus habet, *cur ergo adoptabat?*

C. 15. §. 40 (60.). extr. QUOD CONTRA AUSPICIA ADOPTATUS ESSES. mendose habent libri vulgati, *quae contra auspicia adoptatus esses*, emendate manu scripti, *quod contra.* quos secuti sumus. ex iisdem aliquot verba, quae deerant, quasi sepulta in lucem revocavi [nempe sic dedit Lambinus, additis nonnullis quae deesse videbantur, p. 410, 7. *videte hominis amentiam, qui tum demum suum Tribunatum perire voluerit, ubi per suum Tribunatum Caesaris actis illigatus teneretur.* non, ut est apud Beck. p. 389., *qui perire suum Tribunatum tum demum voluerit.* istud quicquid est Lambinianae lectionis, acceptum referendum est repetitionibus Lambinianis.]. iidem habent paullo post *illigatus teneretur*, ubi vulgati *alligatus.*

C. 16. §. 41 (61.). extr. SIN EADEM OBSERVANDA SUNT DECREVIT SENATUS M. DRUSI LEGIBUS QUAE CONTRA LEGEM CAECILIAM ET DIDIAM LATAE ESSENT POPULUM NON TENERI. iidem libri habent, *iudicavit Senatus* [ex interpretamento, opinor. vid. Drakenb. ad Livii 7. 9, 7. Tom. 4. P. 1. p. 87. sq.].

§. 43 (63.). FUERIS SANE TRIBUNUS PLEB. TAM IURE TAM LEGE QUAM FUIT HIC IPSE NULLUS. sic restitui, coniectura ductus. alii sic, *tam lege iureque* [non, ut est apud Beck. p 392., *tam iure legeque*, quae fuit lectio Caroli Stephani, probata loco simili, qui est apud Gellium 5, 19., in formula arrogationis.].

C. 17. §. 45 (65.). DEINDE NE NISI PRODICTA DIE QUIS ACCUSETUR. liber vetus habet, *praedicta die.* verumtamen nihil muto [de *praedicta die*, quod probatum Hotomano repraesentare narrant Victorianam, alias, vid. Drakenborch. ad Livii 2. 61, 8. Tom. 1. P. 2. p. 510. sq. *dicta dies* defendebat Fr. Aug. Wolf. Comm. ad h. l. p. 186.].

Ibid. UT TER ANTE MAGISTRATUS CITET INTERMISSA DIE. sic reposui libris omnibus invitis, in quibus legitur *accuset*, ratione et veritate approbante. qua ratione? qua veritate? ipso Cicerone infra paucis post versibus [p. 411, 1. id est c. 18. §. 46.], *quid indignius, quam qui neque adesse sit iussus neque citatus neque accusatus, de eius capite, liberis, fortunis omnibus conductos et sicarios, egentes et perditos suffragium ferre, et eam legem putare?* idem septem circiter post paginis [p. 417, 9. id est c. 31. §. 83. extr.], *in me, cui dies dicta nunquam est, qui reus non fui, qui nunquam sum a Tribuno Pleb. citatus, damnati poena esse potuit, ea praesertim, quae ne in ipsa quidem rogatione perscripta est?*

Ibid. SI QUA RES ILLUM DIEM AUT AUSPICIIS AUT RECUSATIONE SUSTULI. legendum fortasse est *illam diem.*

C. 18. §. 48 (69.). ALIOS QUI LEGES SCRIBERE SOLERENT. sic habent libri veteres, non, ut vulgo, *et alios esse qui leges scribere solerent.* praeterea paullo post, ubi vulgati habent *scriptoribus iisdem*, in illis scriptum est *scriptoribus isdem*, unico *i.* et ita saepenumero scriptum reperi in veteribus libris, quod semel dixisse satis sit, ne toties idem sit iterandum. haec au-

tem de re Tullius scripsit in Oratore Perfecto [p. 265, 1. id est c. 47. §. 157.].

C. 19. §. 49 (70.). QUUM TU FLORENS AC POTENS PER MEDIUM FORUM SCORTUM POPULARE VOLITARES. non putavi mihi hanc vocem *scortum*, in veteribus libris a me repertam, quod nulla sint in vulgatis eius vestigia, iccirco esse repudiandam. est enim acrimoniae et contumeliae plena, et in Clodium impudicum et infamem bellissime convenit. iidem libri veteres, ubi alii *scelerisque socius*, habent *scelerisque socios.*

§. 50 (72.). BONUS ILLE VIR M. SCAURUS. quidam libri veteres habent, *in bonis ille vir.* locus suspectus [cf. Beck. p. 403. sq. sed illud »Lambinianum« *magnus ille vir* ne sic quidem Lambino, sed Gothofredo acceptum referas. quem vid. p. 579. F.].

C. 20. §. 53 (75.). QUODSI IAM POPULUS ROMANUS DE ISTA LEGE CONSULTUS ESSET. sic legendum esse indicant scripturae veteris vestigia, et paullo ante [§. 52.] *quum inde decessisset*, ubi libri vulgati habent *quum Roma decessisset.* paullo post, ubi vulgati habent *de exsulibus Byzantiis*, in antiquis scriptum est *Byzantinis.* nihil muto tamen. *Βυζάντιος* enim dicitur a Graecis, qui Byzantii natus est [vid. Garatonium, hanc formam multis exemplis probantem.].

C. 21. §. 55 (78.). TIBI MANUM TIBI COPIAS TIBI SPARATOS CENTURIONES. sic est scriptum in libris manu scriptis. neque vero dubium est, quin ita sit legendum. *sparati* autem sunt sparis armati, *sparus* porro teli genus. Cicero pro Milone [p. 553, 24. c. 24. §. 64., non 65., ut est apud Nizolium p. 667, 1.], *scutorum, gladiorum, frenorum, sparorum pilorumque etiam multitudo deprehendi posse indicabatur.* Sallustius Coniur. Catilin. [56, 3., ubi vid. Cort. p. 360.], *sed ex omni copia circiter quarta pars erat militaribus armis instructa: ceteri, ut quemque casus armaverat, sparos, lanceas, alii praeacutas sudes portabant.* Virgilius libro 11. Aeneidos, *agrestesque manus armat sparus* [XI. Aen. 682., ubi vid. Servium Tom. 3. p. 681.].

Ibid. MEAM DOMUM REFERTAM VIRIS BONIS PER AMICOS SUOS COMPLERENT. locus suspectus. putabam legendum *compilarent*, et vocem *viris* delendam. verumtamen iudicet lector.

C. 23. §. 60 (83.). HORRIFICUM QUODDAM ET NEFARIUM. || libri p. 703. manu scripti habent *hostificum*, unde suspicor legendum *hosticum.* a.

§. 61 (84.). INTESTINUMQUE. quidam legi volunt, *internecinumque.*

Ibid. QUUM HORUM ETIAM TECTIS AC SEDIBUS RESIDERE ALIQUOD BELLUM SEMPER VIDETUR *. deest, nisi fallor, *ἀνταπόδοσις*, quae respondeat superiori parti similitudinis. quae *ἀνταπόδοσις* talem quandam sententiam complectatur, *sic vos vestrum in me immane et crudele odium in meam domum profudistis* [non *vestrum in me crudele et immane odium*, ut est apud Wolf. p. 208., Beck.

p. 418., Orell. p. 602. tenuit hunc verborum ordinem Laemariana p. 582. B. sed Gothofredum in his rebus, id est, in variis lectionibus conquirendis et inculcandis minus sollicitum fuisse, norunt qui eius opera usi sunt in evolvendis Ciceronis scriptis. rei causam satis hominum vulgo probabilem ipse attulit in Praefatione, quam editioni suae praemisit, scripta a. 1588.].

C. 24. §. 62 (85.). SENATUS CONSULES AD MEAM SALUTEM AUCTORITATE ATQUE ADEO PRECIBUS VOCABAT. quum ita scriptum reperissem in codicibus manu scriptis, *Senatus Consules vocabant* videremque hic aliquid deesse, nihil me temere facturum existimavi, si hunc locum ex ipso Cicerone supplevissem. itaque feci. supplevi autem ex principio Orationis de Haruspicum Responsis, ubi haec leguntur [p. 428, 31. c. 2. §. 3.], *quumque ad Consulare officium ipsis insignibus illius imperii, ad meam salutem non solum auctoritate, sed etiam precibus vestris vocarentur.* quodsi quis malit libros vulgatos sequi, licebit item probabilem sententiam exprimere, paucis additis ex loco huic simillimo, qui est novem circiter post paginis hac eadem Oratione, ibi [p. 421, 47. id est c. 43. §. 113.], *qui pro me Patres Conscriptos deprecari et populo supplices esse edictis atque imperio vetarent.* ex illo igitur loco sic hunc licebit legere, *Senatum Consules pro me deprecari edictis atque imperio vetabant* [Beck. p. 419. »Lambinus primum edidit, *senatus Consules ad* »*meam salutem non solum auctoritate, verum etiam pre-*»*cibus vocabat*, collato initio Orationis de Haruspicum Respon-»sis, deinde autem ita, *senatum Consules pro me deprecari edi-*»*ctis atque imperio vetabant.*« prioris lectionis auctorem equidem nullum reperire potui, praeter ipsum Lambinum, qui sic dedit in lemmate, quod praescriptum est annotationi, nolens, opinor, aut certe imprudens. sed vid. Gothofredum, plura etiam turbantem in margine Laemar. p. 582. B.].

Ibid. ALTERA AD ALTERUM CONSULEM ALTERA AD ALTERUM TRANSFEREBATUR. [corrige, si tanti res est, Orell. p. 602. sed erratum duce Gothofredo, id est repetitionibus Lambinianis.]. hunc locum sive culpa, sive errore librarii lacerum et mutilum redintegravi ex Oratione habita in senatu post reditum, ubi haec posita sunt [p. 399, 21. id est c. 7. §. 18], *uno eodemque tempore domus mea diripiebatur, ardebat, bona ad vicinum Consulem de Palatio, de Tusculano ad item vicinum alterum Consulem deferebantur.*

§. 63 (86.). IAM ERUMPEBAT NACTA TAM AUDACES DUCES. hunc locum sic restituit Muretus ex libris veteribus, quum ita legatur in vulgatis, *iam erumpebat in actum.* plane mendose [vid. Muretum VV. LL. 6, 19. Operum Tom. 2. p. 140.].

C. 25. §. 65 (88.). CATO MIHI FUERAT PROXIMUS QUOD AGERES NON ERAT NISI UT QUI MIHI DUX OMNIBUS IN REBUS FUERAT IDEM SOCIUS ESSET INIURIAE [non, *idem esset iniuriae socius*, ut habet margo Laemar.], Errici Stephani fidem secutus, qui hunc lo-

cum ita scriptum esse in veteri codice testatur, sic edendum curavi. ego autem, antequam hanc emendationem vidissem, hunc eundem locum sic purgare conabar, *Cato mihi in consiliis capiendis rebusque gerendis fuerat proximus. quid ageres? non erat ut, qui modus omnium moribus* [*rebus?* v. Beck. p. 424] *fuerat, idem tibi esset adiutor iniuriae* [*adiutor esset iniuriae*, margo Laemar. p. 582.]. *non erat ut*, id est, non poterat fieri ut [vid. Commentaria Horatiana ad III. Carmm. 1, 9. p. 136. B. et ad I. Epp. 12, 1. p. 251. D. E. de scriptura loci partim corrupti, partim interpolati vide Beck. p. 422. sqq.].

Ibid. SIC M. CATO INVISUS QUASI PER BENEFICIUM CYPRUM RELEGATUR. fortasse legendum est *invitus*. nam hoc *invisus*, nisi addatur *perditis hominibus*, aut aliquid simile, non placet.

C. 27. §. 72 (97.). PERNICIOSA PESTIS. libri veteres habent, *portentosa pestis*.

C. 28. §. 73 (98.). SUMMUM EST POPULI ROMANI POPULORUMQUE ET GENTIUM OMNIUM AC REGUM CONSILIUM SENATUS. emendata interpunctione hunc locum antea perturbatum et impeditum expedivi, facilemque reddidi [edebatur ante Lambinum, perversa distinctione, *Senatus decrevit, ut omnes, qui rem publicam salvam esse vellent, ad me unum defendendum venirent.*].

Ibid. SI EGO NON FUISSEM RESTITUTUS. vox *restitutus* abest a libris manu scriptis.

C. 29. §. 77 (104.). POTEST DESINERE CIVIS ESSE QUUM HOC IURIS A MAIORIBUS PRODITUM SIT UT NEMO CIVIS ROMANUS AUT LIBERTATEM AUT CIVITATEM POSSIT AMITTERE NISI IPSE AUCTOR FACTUS SIT? hunc locum (absit verbo invidia) valde εὐστόχως emendavi, a sententia ipsa ad hanc coniecturam quasi manu ductus. inductus autem fuit librarius in fraudem a similitudine vocum *potes dicere*, *potest desinere*. deinde ex *civis esse* factum postea est *scilicet*. ita totus locus miserabilem in modum depravatus nobis per manus traditus est. referenda autem sunt haec ad illa superiora, *potest igitur damnati poenam sustinere indemnatus* [sed vid. Wolf. p. 224.]?

Ibid. VITAE NECISQUE POTESTATEM HABERET UT IN FILIUM. hoc totum, *ut in filium*, alienum esse puto, non Ciceronis.

§. 78. (106.) REM IUDICATAM RESCINDERE POSSE VOLUERUNT. libri vulgati omnes, a quibus non discrepant manu scripti, habent *referre*, quae scriptura quum me offenderet, ascripseram e regione huius loci hanc meam coniecturam, *rescindere voluerunt*, quam operarii meo iniussu secuti sunt. restituatur igitur lectio recepta, quamvis sit obscura et paene inaudita, potius quam nostro iure quicquam immutemus [cf. Beck. p. 438. sq.].

§. 79 (107.). AN VERO VOLATERRANIS. quum in libris vulgatis saepe me offendisset hic locus, qui in eis ita legitur, *hanc vero Volaterrani*, levi immutatione facta pro *hanc*, *an* reposui. quo facto totum locum facilem ac planum reddidi.

C. 30. §. 81 (109.). MUNICIPIBUS ANAGNINIS ORNATISSIMIS. VOX *ornatissimis* abest a codicibus antiquis. et vero si non sit, *viris* aut *hominibus ornatissimis*, non videtur e consuetudine Ciceronis posita. admonendus autem lector est, ubicunque libri vulgati habent *Sedulius*, antiquos habere *Fidulus*.

C. 31. §. 82 (110.). ETIAM QUIBUSDAM DAMNATIS INTERDICTUM EST. placet mihi Petri Fabri Tolosani coniectura, arbitrantis hic esse legendum *quibus damnatis*, deleta una syllaba supervacanea *dam* [et sic correctum a Lambino in Indice Erratorum p. 848.].

§. 83 (111.). QUAERE HOC EX CLODIO SCRIPTORE LEGUM TUARUM. legendum puto *ex Sexto*, seu e *Sexto Clodio* [hoc in ordinem recepit Gruterus, sed, ut Gruterum decebat, hominem proclivem ad Lambinum reprehendendum, ne laudato quidem auctoris nomine. poterant utique correctionem subministrare Lambinianae repetitiones.].

Ibid. extr. QUAE NE IN IPSA QUIDEM ROGATIONE PERSCRIPTA EST. libri veteres habent, *praescripta est* [vid. Beck. p. 446.].

C. 34. §. 92 (122.). NON TAM INSOLENS SUM QUI IOVEM ESSE ME DICAM NON TAM INERUDITUS QUI MINERVAM IOVIS FILIAM IOVIS [sic corrigendum fuit istud *meam* auctore Lambino, qui sic reponi iussit in Indice Erratorum p. 848] SOROREM ESSE EXISTIMEM. sic restitui coniectura ductus. sed Ioannes Passeratius legit,
b. *qui Minervam Iovis sororem* || *meam esse existimem.* in *Minervam Iovis* autem subintelligit *filiam* [vid. Pareum Lex. Crit. p. 23.]. hic operae mendose addiderunt distinctionis notam post *Minervam* [sic, *qui Minervam, Iovis filiam.* de reliquis vid. Beck. p. 454. sq.].

C. 36. §. 96 (126). REMQUE PUBLICAM CONCIDERE UNIUS DISCESSU QUAM OMNIUM INTERITU OCCIDERE MALUI. libri manu scripti habent, *remque publicam concedere*, ubi vulgati *condere*, ex quo feci *concidere*. significat autem Cicero, rem publicam suo discessu concidisse, sin autem omnes interiissent, funditus occasuram fuisse [cf. Wolf. p. 241.].

C. 37. §. 97 (129.). pr. QUARE REM PUBLICAM (DIRUMPATUR LICET ISTA FURIA ATQUE AUDIAT HAEC EX ME QUONIAM LACESSIVIT) BIS SERVAVI. voces duas *remp.*, ita scriptas ut scribi solent, omissas a librario propter similitudinem vocis superioris restitui. quo facto totum hunc locum, cuius antea sententia erat perobscura, planum reddidi. tum versus duos, qui deinceps sequuntur, in libris vulgatis foede depravatos et aliquot vocibus spoliatos ac deformatos, in integrum restitui [hoc modo, *bis servavi: semel Consul, quum togatus armatos vici; iterum privatus, quum Consulibus armatis cessi, cuius utriusque temporis fructum tuli maximum*, et reliqua. cf. Beck. p. 461. sq. qui quod dicit, a Lambino eam scripturam, quam modo posui, quum ab antiqua lectione nimium recederet, postea ita muta-

tam, ut reponeretur, *bis servavi, et quum Consul togatus armatos vici, et quum privatus Consulibus armatis cessi,* videtur totum hoc deberi Lambinianis repetitionibus, in primis Laemarianae, id est Gothofredo. vid. ad h. l. c. 23. §. 61.].

§. 100 (130.). extr. IN EA URBE IN QUA TROPAEA ET DE ME ET DE RE PUBLICA VIDEAM CONSTITUTA. plane et sine ulla varietate ita scripta est vox *tropaea* in codicibus manu scriptis, ne quis forte pravae consuetudinis defensor pertinax dicat me sine librorum antiquorum auctoritate usitatam scribendi rationem immutasse. quod tamen in hac voce, ut et in aliis, veritate fretus facere non veritus essem [vid. annotata ad I. de Invent. c. 38. §. 69.].

Ibid. ET AB EODEM AEDEM EXTRUCTAM. vocem *aedem*, quae fuerat omissa a librario, decepto similitudine vocis quae antecedit, restitui, certa coniectura ductus.

C. 39. §. 104 (136.). extr. QUAM TU EODEM ORE. pudenter et verecunde hunc locum emendavi. nam ex *quum*, quod erat in vulgatis et antiquis, ego feci *quam*. ad *religionem* autem referendum est [Beck. p. 467. »saepe *quam* et *quum* confun»duntur. v. Drakenborch. ad Livii 28, 28.« immo 27. 28, 5. Tom. 8. p. 640.].

C. 40. §. 106 (139.). QUOD EST PRAESENTIS INFAMIAE. levi immutatione facta etiam hunc locum restitui, ex *insaniae* facto *infamiae*. quemadmodum paullo post primo versu pagina proxima [p. 421, 1 sive C. 41. §. 107.] ex *una iusta*, quod est in omnibus libris, feci *universa*.

C. 41. §. 108 (141.) extr. ISTA TUA PULCHRA LIBERTAS DEOS PENATES ET FAMILIARES MEOS LARES EXPULIT UT TE IPSA TANQUAM IN CAPTIVIS SEDIBUS COLLOCARET? ita scriptum est in libris manu scriptis, eamque scripturam rectam esse arbitror, vulgatam autem, *ut a te ipsa tanquam in captivis sedibus collocaretur,* vitiosam. quamquam hoc argumento defendi potest, quod paullo post dicit interrogando, hanc libertatem a Clodio domi suae collocatam. sed nihil id valet adversus hanc veterem scripturam. nam eo consilio libertatis signum in domo Ciceronis Clodius collocavit, ut ea ipsum Clodium in domo Ciceronis collocaret, id est, ut ipse Clodius domum Ciceronis possideret, cuius cupiditate inflammatus erat, ut supra a Cicerone dictum est. sed non dissimulabo, quibusdam placere legi, *in captivis aedibus* [vid. Drakenborch. ad Livii 5. 42, 1. Tom. 3. P. 1. p. 344.], nonnullis autem *in captivis sedibus*.

C. 45. §. 118 (152.). NON DENIQUE ADOLESCENTEM QUEMQUAM QUUM HABERES IN COLLEGIO FAMILIARISSIMOS ADHIBERE POTUISTI? legendum videtur, *non denique adolescentem scientem quenquam*, vel sic, *adolescentem peritum quendam*.

C. 46. §. 121 (155.). IBI ENIM POSTIS EST UBI TEMPLI ADITUS

EST ET VALVAE. legendum videtur, *ubi enim postis est, ibi templi aditus est et valvae.*

C. 48. §. 125 (159.). AN CONSECRATIO NULLAM HABET RELIGIONEM DEDICATIO EST RELIGIOSA? quum animadvertissem, a veteribus libris abesse vocem *ius*, quae est in vulgatis ante verbum *habet*, et in illis iisdem veteribus post verbum *habet* esse lacunulam, statim conieci, desiderari nomen *religionem.*

Ibid. QUID PRECES QUID PRISCA VERBA VOLUERUNT? legendum fortasse est, *valuerunt*, aut addendum *sibi*, ut sit *sibi voluerunt.*

C. 50. §. 129 (166.). IMPERIA SCRIBEBANTUR NOVA. sic habent vulgati codices, *imperia ascribebantur novae iuventuti*, manu scripti sic, *imperia ascribebantur nova iuventusque se iuvenum.* quae scripturae sine dubio corruptae sunt. quis enim non videt, primum *quae* [que] *se iuvenum* esse scriptum a librario oscitante pro *Q. Scio venenum?* deinde ex *iuvenum* factum esse *iuventus*, atque utrumque ab alio librario dubitante perscriptum? postremo *ascribebantur* pro *scribebantur* positum, propter *a* ultimam vocalem nominis *imperia* [cf. Beck. 497. sq.].

C. 52. §. 132 (171.). extr. REM PUBLICAM CONSUL EX VESTRIS MANIBUS AC FAUCIBUS ERIPUI. libri manu scripti habent, *ex vestris manibus ac facibus*, vulgati, *manibus ac faucibus.* vulgata scriptura probabilior est, et meo quidem iudicio vera et recta, quamquam antiquam non damno.

§. 133 (172.). extr. VERBIS GRAVISSIMIS PERTERRUISSENT. libri manu scripti habent, *proterruissent* [vid. VV. LL. ad Orationem pro Caecina C. 13. §. 37. et cff. ab Wundero V. C. notata ad h. l. p. LXXVI. sq.].

§. 134 (173.). UT IN VIVI ET IAM SPIRANTIS CAPUT BUSTUM SUIS MANIBUS IMPONERET. legendum fortasse est, *ut in vivi etiam tum spirantis.*

C. 53. §. 136 (176.). extr. QUANTAQUE DILIGENTIA SENATUS SUSTULERIT. verbum *sustulerit* abest a duobus libris manu scriptis, unde suspicari possit aliquis, hoc verbum esse alienum, non Ciceronis, quum verum esset a librario omissum, falsum ab eo, qui deesse videret, suppositum. omnino hoc *sustulerit* parum quadrare ad hunc locum videtur putaverimque *persecutus sit* potius, aut aliud simile a M. Tullio esse positum. nam quod infra non longe verbo illo utitur, ibi [§. 137.], *eam aram tollendam ex auctoritate Pontificum censuit*, primum, hic est *eam rem sustulerit*, illic *aram tollendam*, deinde, hic *sustulerit*, illic *tollendam censuit.* res ipsa loquitur, quid intersit. paullo
p.704. infra hunc locum, ubi operae || ediderunt *in templo inaurato*,
a. repone *in augurato* [et sic correctum in Indice Erratorum p. 848., neglecto ab iis, qui adhuc Lambiniana librorum Ciceronis editione, ab repetitionibus, quas vocant, Lambinianis diversissima, diligenter usi sunt.].

§. 137 (177.). extr. AD EQUITUM NOTAM AD DOLOREM BONORUM OMNIUM. hic locus mihi valde suspectus est, neque nos quicqnam hic libri veteres adiuvant immo suspicionem angent. ita enim scriptum in duobus est, *ab equitum nota doloris bonorum omnium,* in aliis, quomodo in vulgatis. ego putabam legi posse, *ad eius ignominiam, ad dolorem bonorum omnium*, vel, *ad ignominiam ac dolorem bonorum omnium* [vid. Beck. p. 507.].

C. 55. §. 141 (182.). ANTE OCULOS EXTERMINATORIS SUI. libri manu scripti habent, *ante oculos extinctoris sui.*

C. 56. §. 142 (183.). SOLI VESTRIS CERVICIBUS SUSTINETIS. sic est legendum, vel invitis libris omnibus. *soli* enim opponitur illi, *cum viris fortibus multis. solis* autem *cervicibus*, quomodo legitur in omnibus libris, ineptum atque absurdum est.

§. 143 (184.). QUORUM SI ISTE [sic corrigendum ex Indice Erratorum Lambini, p. 848.] SUIS SCELERATISSIMIS MANIBUS TECTA SEDESQUE CONVELLIT. videtur legendum, *quorum etsi iste suis sceleratissimis manibus tecta sedesque convellit.* hic operae omiserunt particulam *si* ante pronomen *isti* [hoc nomine ab Lambino castigati l. l.].

XXX.

IN ORATIONEM DE HARUSPICUM RESPONSIS IN P. CLODIUM.

C. 1. §. 2 (3. Beck.). POTEST GRAVIORIBUS A ME VERBIS VULNERARI. negatio *haud*, quae est in libris vulgatis ante verbum *potest*, abest a manu scriptis. eam scilicet addiderant semidocti seu indocti potius homines, non intelligentes, haec legi interrogando, non enuntiando, idque longe esse acrius, gravius, ornatius.

C. 2. §. 3 (4.). ET IRACUNDIA LONGIUS PROGRESSUM ARBITRABANTUR. sic emendaveram decem abhinc annis in meo codice, coniectura ductus, quam comprobavit postea liber optimus manu scriptus Memmianus. mendosi autem sunt vulgati, et qui habent *prope digressum*, et qui *prope progressum.*

Ibid. QUI ME QUI REM PUBLICAM QUUM DEFENDERE DEBERENT SERVARE POSSENT. libri manu scripti habent, *qui me qui rem quum defendere deberent*, vocem *meam* non habent, quae est in vulgatis. unde suspicatus sum, legendum *qui rem publicam.* quam meam coniecturam confirmant ea, quae sequuntur.

C. 4. §. 6 (8.). extr. NON MODO VINCIRE VERUM ETIAM VINCERE OPORTERET. sic habent libri manu scripti, longe melius quam vulgati, *vincere verum etiam vincire* [cf. Beck. p. 532.].

§. 7 (9.). extr. DIEM DIXISSET UT FECERAT. hic locus mihi suspectus est. nihil tamen dissimilitudinis in libris veteribus reperi. praeterea paullo post, ubi libri omnes habent *sic moderetur*, quidam legi volunt, *sic meditetur.*

C. 5. §. 8 (10.). DUGENTIS CONFIXUM SENATUS CONSULTIS. libri manu scripti habent, *senati consultis.* neque vero dubium est, quin ita locuti sint veteres [vid. annotata ad Divinationem in Caecilium C. 5. §. 19.].

C. 6. §. 11 (15.). MULTO MAXIMA EX PARTE. absunt a codice vetere haec *ex parte.* unde suspicor legendum, *multo maximam partem*, quomodo saepe loqui solent boni scriptores [atque hoc est illud »alii *maximam partem*« in marg. Laemarianae a. 1592. vid. annotata ad Orationem post Reditum ad Quirites C. 3. §. 8.].

Ibid. QUUM CETERA SCELERA STILO ILLO IMPURO SEX. CLODIUS CONSCRIPSISSET. nihil muto, quamvis liber quidam manu scriptus habeat, *stilo illo impuro Sex. Clodii ore tincto conscripsisset.*

C. 7. §. 13 (16.). RELIGIONIS EXPIATIO VEL AB UNO PONTIFICE PERITO RECTE FIERI POTEST. in libris omnibus legitur, *religionis explanatio.* quidam docti legi volunt, *religionis expiatio*, quibus assensus sum. nam ex iis, quae sequuntur, perspicuum est legendum *expiatio.* quid enim aliud est *expiare religionem*, quam religione liberare? ac sequitur paullo post, *domum meam iudicio Pontificium religione liberatam videri*, id est, religionem in domo mea expiatam [sed vide Wolf. p. 326. sq. et cf. Beck. p. 541.].

C. 8. §. 16 (20.). A IUDICIBUS MUNIENDAM PUTARET. sic restitueram in meo codice annis ante multis, idemque postea venit in mentem Petro Fabro Tolosano, consiliario Regio, viro doctissimo.

Ibid. DATA DOMUS EST IN VILLA PUBLICA. quidam legi volunt, *in via publica* [sed cf. annotata ad h. l. a Beckio V. D., p. 544. sq.].

C. 10. §. 21 (28.). EPULAEQUE LUDORUM PUBLICORUM. VOX *publicorum* abest a libris manu scriptis aliquot [abesse non potest *publicorum*, monente Garatonio, quum etiam *privati* sint ludi funebres.].

C. 11. §. 23 (31.). AN SI LUDIUS CONSTITIT. qui sint *ludii*, disce ex Nonio [12, 47. p. Mercer. 530, 24.] et ex Dionysio Halicarnasseo [2. p. 130. c. 71, Tom. 1. p. Reisk. 388. cff. ab Salmasio aliisque disputata ad Flori 3. 20, 3. p. Duker. 601. sq.

Ibid. AUT SYMBOLO ABERRAVIT. ubi vulgati habent, *aut si nutu aberravit*, sine ulla litura libri veteres habent, *aut symbolo aberravit.* quam scripturam cur reiiceremus, nulla causa

visa est [ex omissis post Tom. 1. p. 380. addantur haec: »sic »quidem edendum curavi, et ita reperi scriptum in aliquot li»bris manu scriptis, sed dissimulare non arbitror oportere, ex »Arnobio libro quarto Adversus Gentes suspicionem mihi ortam »esse, ne hanc quidem lectionem esse emendatam neque rectam. »verba autem Arnobii sunt haec, non longe ab extremo libri »[4. p. Herald. 186.], *et piaculis dicitur contracta esse commis»sio, si per imprudentiae lapsum aut in verbo quispiam aut »sympinio deerrarit.* ex illis igitur verbis legendum hic vide»tur *sympinio*, non *symbolo.* verumtamen iudicet lector. *sym»pinium* autem sive *simpinium* vas esse ligneum, quo etiam ute»bantur in sacris, ex Nonio Marcello [15, 12. p. Mercer. 544, »27. ubi nunc recte editur *simpuvium* sive *sympuvium*] cogno»scere licet. utitur hoc verbo et M. Tullius libro sexto de Re »Publica [? III. de Legg. C. 16. §. 36. p. Lambin. 348, 29. legitur *in simpulo*, cuius loci parum memor fuit Lambinus, quum »haec retractabat.]. consule Nonium in v. *Samium* [4, 441. p. »Mercer. 398, 24.], apud quem vulgo legitur, *quam si imperia »Pontificum*, ubi legendum, *quam simpina* aut *simpinia Ponti»ficum*« [cf. Gesner. Thes. L. L. v. *simpulum*, T. 4. p. 449, 37.].

Ibid. EXTITERUNT DIES ILLI FESTI PAENE FUNESTI. libri manu scripti habent, *dies illi profesti paene funesti.* quod probo. quamquam nonnulli sic legi velint, *dies illi festi pro festis paene funesti*, alii, *dies illi festi prope funesti.*

C. 12. §. 24 (33.). MEGALESIIS. vocem *Megalesiis* delendam censeo. nam hi ludi sunt ipsa Megalesia [cf. a Mureto disputata Scholiis in Terentium, Operum Tom. 2. p. 657. sq.].

C. 13. §. 29 (39.). UT IN PRISTINA RELIGIONE SERVARET. legendum putant quidam, *ut pristinam religionem servaret.*

C. 14. §. 31 (41.). extr. QUOD EODEM OSTENTO TELLURI POSTULATIO DEBERI DICITUR. secutus sum libros vulgatos, quibuscum consentiunt nonnulli manu scripti. alii quidam habent *postulo*, quod vir quidam doctus probat, atque per *postulonem* victimam significari ad deos placandos comparatam, seu supplicem potius aliquem existimat. et ita legendum censet apud Varronem libro quarto de Lingua Latina, ibi [4, 32. p. 36, 7.], *esse responsum, Deum Manium || postulonem postulare.* ubi vulgo legitur *postulionem.* sed Adrianus Turnebus melius, ni fallor, *deum Manium posti leonem postulare.*

C. 15. §. 33 (43.). AT QUA MENTE QUAM AMISERAS. praeclare hic locus restitutus est codicibus veteribus ducibus atque auctoribus, quum legatur in vulgatis, *qua invaseras.*

C. 16. §. 34 (44.). QUI OMNES AUDACES TRIBUNUS E CARCERE IN FORUM EFFUDIT. sic legendum est potius, quam ut habent vulgati libri, *iudices.* quamquam quidam reponunt *iudicatos*, quod magis probo. et ita fortasse legendum in Oratione pro Muraena p. 345, 50. [nobis C. 24. §. 49.], *vallatum audacibus atque si-*

cariis, ubi vulgati habent *iudicibus*. pro illo igitur suspicari possit aliquis legendum *iudicatis*, id est, damnatis [hoc ipsum igitur, quod posui, *iudicatis*, non *iudices* sive *indices*, quae fere permutantur (vid. annotata ad Orationem pro Flacco C. 17. §. 40.), Lambinus reponi vult pro *audacibus*. vid. Beck. p. 571. sed turbas dederunt quum aliis locis, tum hoc loco istae repetitiones Lambinianae, quas iam dudum laudo.].

C. 18. §. 37 (48.). QUOD TE IUDICES DIMISERUNT EXCUSSUM ET EXHAUSTUM. nonnulli libri habent *emiserunt* [restitutum a Grutero, quem vide p. 564, 79., defendit Garatonius, eique docet opponi *immissum esse*, ad Att. Epp. 1, 16.].

§. 38 (49.). HOMINES PROPE CONFITENTEM PROPTER PECUNIAM IUDICIO LIBERARUNT. has duas voces *prope confitentem* hoc ipso loco in codicibus manu scriptis plane scriptas, quae in omnibus vulgatis, quos quidem viderim, desiderantur, reponendas curavi. videntur autem, si absint, multum de orationis concinnitate detrahere. nam ut paullo ante dixit, *turpissimum nocentissimumque laudarent*, sic nunc congruenter et convenienter, *prope confitentem propter pecuniam iudicio liberarunt*. credibile autem est, librarium has duas voces omisisse, dum deerrat a voce *prope* ad vocem *propter*.

C. 19. §. 40 (52.). NE PER OPTIMATUM DISCORDIAM. verbum *monent* factum ex *moneri*, quod fuerat a librario iteratum, delendum curavi. est enim supervacaneum et inane.

Ibid. AUXILIISQUE DIMINUTIS EFFICIATUR. sic esse legendum res ipsa clamat, ratio et veritas pervincunt, maxime quum libri veteres habeant *diminutis*. hoc eodem versu hunc locum, *quare ad unius imperium res redeat*, ex ipso Cicerone restitui qui antea erat foede corruptus. sic autem ipse Cicero infra tertia abhinc pagina [p. 438, 32. id est C. 25. §. 54.], *etiam ne in unius imperium res recidat, monemur*.

Ibid. EXERCITUSQUE PULSUS AD DIMINUTIONEM ACCEDAT. sic legendum, et hanc lectionem confirmant antiquae scripturae vestigia.

C. 20. §. 42 (54.). IN DOMESTICIS EST GERMANITATIS STUPRIS VOLUTATUS. non potest mihi persuaderi, hunc locum esse emendatum. nam quid hoc sibi vult *germanitatis stupris*? scio, quid mihi dicturus sit aliquis: cum Clodia sorore Clodium rem habuisse significat. audio. itane vero? his verbis hanc sententiam exprimi oportuit? quis unquam hoc modo locutus est? dixisset potius, *in domesticis est cum germana stupris volutatus*. considerent igitur hunc locum, qui se Ciceronianos dici volunt et videant, num potius ita legi debeat, *in domesticis germanisque stupris est volutatus* [Beck. p. 582. »offenderunt haec »iam Lambinum, qui reponi voluit, aut *cum germanis sororibus* »*stupris*, aut *in domesticis germanisque stupris est volutatus*.«

sed alterum acceptum referendum Lambinianis repetitionibus, Gothofredo, aliis.].

Ibid. ATQUE IBI PIRATARUM CONTUMELIAS PERPESSUS. id est ὕβρεις, id est, libidines flagitiosas et contumeliae plenas. sunt enim libidines quaedam minus turpes et humanae et, ut ita dicam, tolerabiles.

§. 43 (56.). extr. QUAESTOREM A SUA FRUMENTARIA PROCURATIONE SENATUS AMOVIT. errant qui pronomen *sua* delendum censent. fuerat enim hic Saturninus Quaestor Ostiensis, et rei frumentariae praefuerat. M. Tullius pro Sextio [p. 465, 25. id est c. 17. §. 39.], *nec mihi res erat cum Saturnino, qui quod a se Quaestore Ostiensi per ignominiam ad Principem et senatus et civitatis, M. Scaurum, rem frumentariam translatam sciebat, dolorem suum magna contentione animi persequebatur.*

C. 21. §. 44 (57.). A MULIEBRIBUS [non, *mulieribus*] SOLEIS. legendum fortasse est, *stolis.*

§. 45 (58.). ET CONCORS ETIAM TUM SENATUS PRINCIPI CN. POMPEIO SENTENTIAM DICENTI. libri manu scripti habent, *senatus senatus principi.* quam scripturam si quis probabit, intelligemus Pompeium dici *principem senatus*, sin reiiciet, *principi* coniungetur cum voce *dicenti*, ut sit, *sententiam principi dicenti*, id est primo dicenti. licebit etiam legere *principi* per se [vid. Beck. p. 587.].

Ibid. EXCUSSERAT. sic restitui libris omnibus, hoc quidem loco, reclamantibus, sed alibi meam coniecturam comprobantibus. sic enim Philippica Secunda [p. 600, 6. c. 29. §. 73.], *itaque excussis tuis vocibus et ad te et ad praedes tuos milites misit.* idem ibidem [?], *excussae sunt tuae illae voces.* ubi tamen libri vulgati habebant *exclusis* et *exclusae.*

C. 22. §. 46 (61.). UT SE MODO HIS MODO VENDAT ILLIS. errans librarius in voce *modo*, bis posita, semel dumtaxat scripserat eademque opera *his* omiserat, quod totum ex uno manu scripto restitui.

Ibid. extr. ILLIUS FURENTES AC VIOLENTOS IMPETUS. libri duo manu scripti habent, *ac volaticos impetus* [cf. Beck. p. 591. sq.].

§. 47 (61.). ATQUE EX HAC A ME NONNULLORUM ALIENATIONE ET QUORUNDAM OCCULTIS ODIIS HAERENT ETIAM TELA IN RE PUBLICA QUAE QUAMDIU HAEREBANT IN UNO ME GRAVITER EQUIDEM SED ALIQUANTO LEVIUS FEREBAM. hunc locum coniectura ductus, sententiam ipsam subsecutus, vestigia scripturae et veteris et vulgatae persecutus sane quam feliciter restitui.

Ibid. NISI PRIMO SE DEDISSET IIS. quidam legi volunt, *nisi primo se vendidisset iis* [Beck. p. 592. »perperam Lambinus »probat nonnullorum coniecturam, *se vendidisset.*«].

Ibid. IN QUO FALLEBAT MULTOS. vox *multos* abest ab aliquot libris manu scriptis [delevit Gruterus, quem vid. p. 565, 43.].

C. 23. §. 48 (63.). REVIVISCERE MEMORIAM AC DESIDERIUM MEI VIDIT. libri aliquot veteres habent *revivescere*, unde coniicere possit aliquis legendum *revirescere*. nonnunquam enim in hoc peccabant librarii et *reviviscere* pro *revirescere* ponebant, ut Philippica Septima principio [p. 627, 41. id est c. 1. §. 1.], *non enim se tenent ii, qui senatum dolent ad auctoritatis pristinae* || *spem revirescere, coniunctum huic ordini populum Romanum, conspirantem Italiam, paratos exercitus, expeditos duces.* ubi libri minus emendati, et vulgati habent *reviviscere* [v. Burmann. ad Anthol. Lat. Tom. 1. p. 139. et Heins. ad Ovidii Metamm. 7, 305. Tom. 2. p. 479.]. verumtamen ego hic nihil mutare ausus sum [vid. quae disputantur a VV. DD. ad Silii 15, 134. p. Drakenborch. 750.].

p. 705. a.

§. 49 (64.). QUI OMNES ANGUSTIAS OMNES ALTITUDINES MONTIUM OBIECTAS SEMPER VI ET VIRTUTE PERFREGIT. quum animadverterem in libris manu scriptis non esse vocem *tela*, atque ita legi, *omnes altitudines omnium obiecta semper vi et virtute perfregit*, in vulgatis autem sic, *omnes altitudines, omnium obiecta tela semper vi et virtute perfregit*, facile conieci, *tela* esse adventicium et item *omnium*, aut certe corruptum, *obiectas* autem esse scribendum, ut cohaereat cum *altitudines*. de voce *omnium* amplius deliberandum censebam. sed mihi in mentem venit, totidem esse litteras in *omnium*, quot in *montium*, *t* addito. quodsi *o* et *m* transponas, erit *montium*. ita et erit sententia huic loco consentanea, et loquendi genus elegans et ornatum, *qui omnes angustias, omnes altitudines montium obiectas semper vi et virtute perfregit*.

C. 25. §. 54 (70.). ETIAM NE IN UNIUS IMPERIUM RES RECIDAT MONEMUR. a libris veteribus abest *etiam*, verum videtur retinendum propter verbum *monemur*, quod sequitur. quod si hoc *etiam* delebimus, delendum fortasse erit et verbum *monemur*.

C. 26 §. 55 (72.). post med. TANTAMQUE EVERSIONEM CIVITATIS IN MENTEM SUBITO IN ROSTRIS NEC COGITANTI VENIRE POTUISSE. in libris veteribus non est *nec*, unde suspicatus aliquando sum legendum, *in rostris concionanti*. omnino si quis attentius consideret, videtur ridiculum dictu, venire cuiquam aliquid in mentem *nec cogitanti*, nisi quis dicat, ea dici alicui in mentem venire *nec cogitanti*, quae cuiuspiam animo obiiciuntur ex tempore et aliud agenti.

C. 28. §. 60 (78.). SUFFRAGIA DISTRICTA TENENTUR A PAUCIS. libri aliquot veteres habent, *suffragia discripta* [cf. Beck. p. 608.].

§. 61 (80.). NON QUIN HANC PERSONAM. sic habent libri vulgati, *non inquam nisi hanc personam*, veteres autem sic ut

edendum curavi, *non quin hanc personam. quin* autem, id est, *quod non.*

Ibid. SED TAMEN FACILE TACENTIBUS CETERIS RETICUISSEM. suspectus mihi est hic locus, nihil tamen varietatis in libris manu scriptis reperi [Beck. p. 610. »Lambinus e coniectura edidit, »*sed quia facile tacentibus ceteris reticuissem*, contra verborum »nexum.« margo repetitionum Lambinianarum, etiam Laemarianae, sic habet, non Lambinus.].

§. 62 (81.). UT DEUS ALIQUIS DELAPSUS DE CAELO COETUS HOMINUM ADEAT. vulgati libri habent, *aliquis elapsus*, manu scripti, *aliqui delapsus.* itaque quod *delapsus* excudendum curavi, in eo manu scriptos secutus sum, quod *aliquis*, impressos. si quis tamen usquequaque veteres hic sequi volet, non repugnabo. *aliqui* enim pro *aliquis* dicebant veteres [vid. Voss. de Analogia 4, 8. p. 183. sq.].

§. 63 (82.). PROCURATIONES ET OBSECRATIONES. libenter reposuissem coniectura ductus librisque omnibus reclamantibus vel *precationes*, vel *postulationes.* quis enim non videt, vel ex sententia huius loci, vel ex iis quae statim sequuntur, *procurationes*, quod est in vulgatis et manu scriptis, esse depravatum et ab errante atque oscitante librario pro *precationes* scriptum? nam si quis dicat, significari *procurationes* ostentorum, cur non addidit hanc ipsam vocem *ostentorum*, ut supra? hunc igitur locum consideret lector statuatque, utrum addendum sit *ostentorum*, an legendum *precationes* seu *postulationes.* nam *procurationes* solitarium mihi non probatur.

XXXI.

IN ORATIONEM PRO CN. PLANCIO.

C. 1. §. 1. HUIC ACCUSATIONI ESSE FAUTUROS. omnes libri manu scripti, quos quidem viderim, habent *esse fautores.* sed ut dicam quod sentio, mihi placet magis vulgata lectio *fauturos*, primum, quia supra, ubi est eadem vox *fautoris*, posuit verbum *viderem*, quod significat quiddam praesens: hic autem ubi est *fauturos*, iunxit ei verbum *audirem*, quod hoc loco videtur aliquid futurum significare deinde non est verisimile, M. Tullium eandem vocem, praesertim tam insignem, tam brevi intervallo bis posuisse. haec me perpulerunt, ut lectionem vulgatam retinerem [cf. Ernest. p. 1076, 1.].

C. 3. §. 7. QUID TUNE AEQUUM DIGNITATIS IUDICEM PUTAS ESSE POPULUM? omnes libri manu scripti habent, *tu inanem*, vulgati, *tu non inanem.* utraque scriptura mendosa, sed antiqua propius

abest a recta. omnino legendum, *quid? tune aequum dignitatis iudicem putas esse populum?* sic enim disputabat Laterensis, ubicunque duo eundem magistratum petunt, qui superior est altero dignitate, is magistratum obtineat necesse est, si populus aequus est dignitatis iudex: quodsi non obtineat, largitione superiorem fuisse competitorem dicendum est. at populus semper est aequus dignitatis iudex; et ego, qui dignitate Laterensi superior sum, nihilo minus a Laterensi in campo superatus sum. largitione igitur me superavit Laterensis. M. Tullius Laterensis argumentationem sic infirmat, negando populum semper
b. aequum esse dignitatis iudicem. ‖ tune, inquit, aequum dignitatis iudicem populum semper esse putas? proinde quasi dicat, *non semper est.* praeterea non ita loquuntur Latini, *iudex est inanis*, sed *iudex est iniquus*, neque *iudex non inanis*, sed *iudex aequus.* iam quod supra sic edendum curavi [c. 2. §. 5.], *mihi autem non id est in hac re molestissimum, contra illum dicere*, et reliqua, in eo codices antiquos Memmianos et Clericanum secutus sum, qui plane sic habent.

§. 8. QUANQUAM QUA NOLUI IANUA SUM INGRESSUS IN CAUSAM. sic legendum, et ita est in uno codice manu scripto, et infra, pagina proxima aliquot post versibus [p. 442, 6. id est c. 4. §. 10. princ.], *ut fueris dignior*, non *at fueris.* quod et sententia ipsa flagitat et repetitio proxima, ibi, *sed ut fueris dignior. ut* autem, id est quamvis [vid. Voss. de Construct. c. 67. p. 265. Gronov. Observatt. 3, 6. p. 363. Drakenborch. ad Livii 22. 25, 2. Tom. 7. p. 162.].

C. 4. §. 10. extr. QUID CUIQUE IPSI DEBEANT CONSIDERARE SAEPIUS. libri manu scripti habent, *deliberare saepius.* iidem novem post versibus [c. 5. §. 12. princ.], *venio iam ad ipsius populi partes.* iam non multo post *semper sibi supplicari voluisse* edendum curavi, partim obscura scripturae veteris vestigia secutus, partim coniectura ductus.

C. 5. §. 12. extr. NON DICO C. SERENUM NON STULTISSIMUM HOMINEM. *Serenum subtilissimum* habent libri omnes et vulgati et manu scripti praeter unum Clericanum, qui (ridebit fortasse quispiam) habet *stultissimum.* unde quidam amicus meus addita negatione fecit *non stultissimum.* adiuvat eum ratio quae sequitur, *fuit enim et animi satis magni et consilii.* adde quod credibile est, negationem omissam esse a librario post nomen *Serenum*, propter syllabarum similitudinem *num*, *non.* postremo *subtilis* non solet esse epithetum personarum, sed rerum potius, ut quum dicimus *genus dicendi subtile, subtilis oratio, iudicium subtile.* quodsi quando personis addatur, hoc fit cum aliqua accessione, ut *vir subtilis in disserendo, subtilis in docendo, subtilis oratione, subtilis scriptor Lysias.* his rationibus adducor, ut illi amico meo assentiar putemque omnino hic legendum, *non stultissimum.*

§. 13. AEDILES QUICUNQUE ERUNT IDEM MIHI QUOD OSTENDERAS. oratio praecisa est. subintelligendum enim est *praestabunt*, aut aliquid simile: nisi quis dicat omissum esse et desiderari [nempe totum hoc, quod deinceps ponam, abest a Lambiniana, *iudices sunt parati: Tribuni plebis permagni interest qui sint. quare aut redde mihi*, p. Ernest. 1082.].

C. 6. §. 16 extr. NAM QUID ASSEQUERER. libri manu scripti habent, *nunc quid*, et paullo ante [delevi *post*], *mihi gravissimum esset sic dicere.* unde feci, *si dicerem.* et paullo post [c. 7. §. 17.] edendum curavi, *patuerit hominibus*, ut est in libro manu scripto.

C. 9. §. 22. NON ASSUETA MENDACIIS. locus mihi suspectus.

C. 10 § 26. LACRIMIS VOTIS OMINIBUSQUE. sic legendum, non *votisque omnibus.* Horatius od. 5. lib. 4. [v. 13], *votis ominibusque et precibus vocat.* quodsi quis malet ita legi, *votis bonisque ominibus*, non repugnabo: sed longius discesserit ab antiqua scriptura. paullo ante quidam legi volunt, *e civili terrore.* ego nihil muto.

Ibid. VEL RATIONE CEDENTEM. vocem *tempori*, quae non est in codicibus manu scriptis, neque Memmianis neque Clericano, delendam curavi. supervacanea enim est, et ab aliquo semidocto addita.

C. 11. §. 28. QUOS TU IURE LAUDAS. quidam legendum putant, *quos tu dilaudas.*

C. 12. §. 29. SI MINUS IN SCENA SUNT. sic habet codex Memmianus, cum quo ceteri veteres consentiunt, ubi vulgati habent *necessaria sunt.* plane mendose. *in scena sunt* autem interpretor, aperta sunt, nota sunt, in promptu et in conspectu sunt.

§. 30. QUA EXTERNIS QUA DOMESTICIS. sic legendum, non, *quem externis quem domesticis.* et ita saepe loquitur, ut libro 15. Epistolarum ad Atticum [p. 385, 21. epist. 18.], *intelligo te distentissimum esse, qua de Buthrotiis qua de Bruto* [vid. Nizolium a Facciolato castigatum p. 593, 1.].

Ibid. NON MODO NOMINE. legendum videtur, *non modo crimine.*

§. 31. IDEM POSTEA PRAETORIS MANDATU REQUISITUS. sic hunc locum restituit Adrianus Turnebus, qui locus in omnibus libris legitur *prae mandatis* [vid. Orell. p. 187.].

C. 15. §. 36. OMNES AMBITUS LEGES COMPLEXUS ES. sic quidam docti legendum putant, *omnes ambitus leges*, ubi libri vulgati habent *omnes ambitus legis.* quibus assentior. multae enim fuerunt leges de ambitu, neque ab uno latae.

Ibid. NISI HAC TRIBUARIA. codices veteres omnes habent *tributaria*, quod probant docti quidam viri, ut dicta intelligantur a tributis comitiis. ego vulgatam lectionem retineo, et rem *tribua-*

riam accipio, quae ad tribus pertinet, vel quae per tribus geritur.

Ibid. HOC UNO IN GENERE. nempe legis Liciniae de Sodalitiis.

Ibid. IN CETERAS CAUSAS. nempe tribuarias seu *tributarias*, ut alii legi volunt.

Ibid. IN IPSO DENIQUE IUDICIO DE AMBITU REIECTIONEM FIERI VOLUERIT IUDICUM ALTERNORUM. sic legendum censeo, pro eo quod est in in libris vulgatis, *de ipso denique ambitu*, *de reiectione fieri voluerit iudicium alternorum.* coniecturam meam adiuvant aliquot veteres codices, qui habent *reiectionem* et *de ambitu.*

p.706. a. C. 16. §. 38. || CUIUS TU TRIBUS VENDITOREM. sic habent omnes libri, sed ego iis invitis legendum puto *emptorem.* nam qui corrumpit, *emit* non *vendit.* nisi quis dicat *venditorem* hic pro emptore usurpari.

Ibid. NAM MAECIAM NON QUAE IUDICARET SED QUAE REIICERETUR ESSE VOLUISTI. quum in libro manu scripto Clericano ita scriptum reperissem *M. etiam*, ubi vulgati habent *tertiam etiam*, facile conieci *Maeciam* esse legendum, quum Maecia sit una ex triginta quinque tribubus civitatis Romanae.

C. 18. §. 45. NE PAR AB HIS MUNUS IN SUA PETITIONE RESPECTENT. vel legendum *expectent*, vel *respectent* idem valet hoc loco, quod *expectent.*

C. 18. §. 53. DUBITABITIS INQUIT QUIN COITIO FACTA SIT. duobus argumentis probare conabatur Laterensis, coitionem esse factam inter Plotium et Laterensem. primum illud est, *quum tribus plerasque cum Plotio tulerit Plancius.* cui ita respondet M. Tullius, *an una fieri potuerunt, si una tribus non tulissent?* proinde quasi dicat, si tribus una non tulissent, una Aediles esse non potuissent. ridicule igitur obiicis, eos una tribus tulisse: nam eadem opera obiicere deberes, nna Aediles esse factos. alterum argumentum, *nonnullas tribus cum Plotio tulit punctis paene totidem*: ergo coitio facta est. quod ita infirmat Cicero. hoc ideo ita accidit, quia superioribus comitiis prope iam facti declaratique ad comitia Aedilicia venissent. sunt autem haec, *cum punctis nonnullas paene totidem*, verba Laterensis, ut dixi, et legenda sunt interrogando. quare huc ascribe interrogationis notam, quam omisit librarius, hoc modo, *paene totidem* [correctum in Indice Erratorum p. 848.]?

§. 54. SED TAMEN TU AN PLOTIUM VIRUM ORNATISSIMUM IN IDEM CRIMEN VOCANDUM IUDICAS AN DICIS EUM TIBI ERIPUISSE [non, *eripere*] A QUO NON SIS DONATUS. sic emendavi coniectura ductus, partim vestigia scripturae veteris et vulgatae secutus, partim sententiam Ciceronis odoratus.

C. 23. §. 55. ATQUE IS QUIDEM ADDUCTUS AD CONSULES. libri veteres habent, *eductus.*

§. 57. extr. ILLA VOX VULGARIS »AUDIVI.« secutus Memmii, clarissimi viri, coniecturam sic reposui. nam libri omnes habent *auditu*, totidem litteris [vid. Madvig. Emendatt. p. 168. sq].

C. 24. §. 58. QUAE PLERAQUE DE IPSO ME FUERUNT. sic restitui coniectura ductus, veritate approbante, quod et ex his quae sequuntur intelligere licet, et ex ipso prooemio, ibi [p. 441, 3. id est c. 1. §. 3.], *equidem ad reliquos labores, quos in hac causa maiores suscipio quam in ceteris, etiam hanc molestiam assumo, quod mihi non solum pro Cn. Plancio dicendum est, cuius ego salutem non secus ac meam tueri debeo: sed etiam pro me ipso, de quo accusatores plura paene quam de re reoque dixerunt.*

§. 59. QUANQUAM AD PRAECEPTA AETAS NON EST NATI. libri veteres habent, *non est aetas generatus.* quod subindicat, hic aliquid subesse ulceris. hoc igitur sanet lector eruditus. quidam sic legunt, *aetas apta nati* seu *gnati*, ego autem sic potius, *ad praecepta apta aetas non est nati.* credibile est enim, vocem *apta* omissam esse a librario, errante propter similitudinem ultimarum litterarum vocis *praecepta.*

Ibid. MULTAE INSIDIAE SUNT BONIS. hi versus sunt Attii [sive *Accii*, nam utrovis modo hoc nomen scribunt lapides indubitati] poetae, quos paullo integriores leges in Sextiana [p. 477, 32. id est c. 48. §. 102.].

C. 25. §. 60. EST ENIM AD VIRTUTEM MULTUS ASCENSUS. nihil fere immutavi ex antiqua scriptura, tantum ex *multis* feci *multus.* sed velim pro *in virtute* legi *ad virtutem.* alii sic legunt, *etenim ad virtutem multi sunt ascensus*, quam lectionem non improbo. alii sic legi volunt, *est enim ad virtutem unicus* seu *unus ascensus.* quam valde probarem, nisi tam longe abesset ab antiqua scriptura.

C. 26. §. 63. NIHIL POTEST NISI NIMIS IN EUM ANQUIRENDUM PUTABIS FUISSE. quum mihi semper hic locus (qui sic in libris vulgatis legitur, *nisi eum nimis iracundum in se putabis fuisse*) suspectus fuisset, in libris veteribus autem sic fere scriptum reperissem, *nisi nimis eum aucarundum*, et in nonnullis, *incarendum putabis fuisse:* ego *anquirendum*, sive quis malit *inquirendum*, edendum curavi. sententia autem plana est.

§. 64. TAMEN EUM ME POSTEA FUISSE IN MAXIMIS REBUS ARBITROR. vox *rebus* abest a libris manu scriptis. unde suspicari possis aliquid aliud desiderari, verbi gratia *honoribus, magistratibus* aut quippiam tale [id est *imperiis*, quod in ordinem recepit post Graevium Ernestus, quem vid. p. 1105, 31.].

C. 30. §. 72. MAXIMIS BENEFICIIS VINCULIS OBSTRICTOS. scribe *beneficii vinculis.* erratum est operarum [correctum in Indice Erratorum p. 848.].

Ibid. CAUSA PERACUTA UT EI. legendum censeo, *cur ei.*

§. 74. NE AUT PROFERRE VIDEAR DIEM. sic legendum est, non, ut vulgo, *proferre ad tempus.* quae lectio nata est ex antiqua depravata: nonnulli enim codices veteres non habent praepositionem *ad. tempus* autem fuit interpretatio vocis *dies*, postea in contextum Ciceronis translata, vera eiecta.

C. 31. §. 75. ET IPSUM ID NON OBTINUERIT DICI »QUOUSQUE.« nihil equidem mutare ausim, sed legi tamen malim, *et id ipsum non obtinuerit.*

C. 33. §. 81. CUI NON LOCUS ILLE MUTUS UBI IPSE ALTUS AUT DOCTUS EST. libri manu scripti tres habent, *alitus aut doctus est.*

C. 34. §. 83. HIC ETIAM DIXISTI ADDIDISSE ME ICCIRCO MEAE LEGI »NISI EX TESTAMENTO PRAESTITUTA DIE« UT MISERABILIORES EPILOGOS POSSEM ELICERE. hic locus ex Oratione in Vatinium restitutus est, ubi haec dicuntur [p. 492, 17. nobis c. 15. §. 37], *quum mea lex dilucide vetet, biennio, quo quis petat petiturusque sit, gladiatores dare nisi ex testamento praestituta die: quae tanta in te sit amentia, ut in ipsa petitione gladiatores audeas dare?* tulerat autem etiam M. Tullius legem de ambitu. obiecerat igitur Cassius M. Tullio, iccirco eum addidisse
b. haec suae legi || de ambitu, qua sancitum erat, nequis biennio, quo peteret petiturusve esset, gladiatores daret, addidisse, inquam, haec, *nisi ex testamento praestituta die*, ut inde epilogos miserabiliores elicere posset. commemoraret enim scilicet M. Tullius voluntatem mortuorum, mortuos ab inferis excitaret, a quibus misericordiam iudicibus commoveret. mortuorum enim causa et oratio de mortuorum voluntate miserabilis est. hoc diluit M. Tullius propemodum nihil respondendo, hoc est eludendo, *non vobis videor cum aliquo declamatore, non cum oratore disputare?*

Ibid. extr. NON VOBIS VIDEOR CUM ALIQUO DECLAMATORE NON CUM ORATORE DISPUTARE. sic hunc locum restitui, coniectura ductus: nam neque antiqua scriptura, quae talis est, *non cum laboris*, neque vulgata, *non causa laboris et fori disputare*, ferri potest. habet tamen antiqua aliquid, unde fieri coniectura possit, subesse hic aliquod ulcus. ego igitur ex *cum laboris*, *cum oratore* feci: nam quod sequitur *et fori*, syllaba est vocis *oratoris* a librario iteratae, *toris*, *fori* [mutatis quoque *t* et *f*, scriptorum librariorum proclivi errore, de quo Drakenborchius monuit ad Livii 32. 21, 1. Tom. 9. p. 686. sq. et ad Silii 17, 259. p. 860.]. quod tamen si quis retineri volet, sic leviter immutare licebit, *non cum oratore et in foro disputare.* licet etiam ex antiquae scripturae vestigiis legere, *non cum accusatore disputare.* amicus quidam meus eruditus putat hoc totum, *non cum oratore et in foro*, seu *non causa laboris, et fori*, esse ex annotatiuncula ad oram libri ascripta natum, atque in contextum orationis translatum. itaque sic legit ille, *non vobis videor cum aliquo declamatore disputare?*

§. 84. PUTABAM IN VACCAEIS DICTURUM. sic est scriptum in codicibus antiquis et nonnullis vulgatis. *Vaccaeos* autem Hispaniae citerioris populos commemorat Plinius [Hist. Nat. 3, 3. sect. 4. Tom. 1. p. Harduin. 140. et 16, 39. sect. 76. Tom. 2. p. 34.].

Ibid. REPREHENSIONIS ANSAM ALIQUAM. codex scriptus Clericanus habet, *reprehensionis causam aliquam.*

C. 36. §. 89. QUEM UT POTES EX MULTIS AUDIRE QUI TUM AFFUERUNT INVITISSIMIS VIRIS BONIS CONSTAT CESSISSE. sic legendum est, non, ut habent libri fere omnes, *invictissimis* [vid. Drakenborch. ad Livii quum alios locos, tum ad Epit. 3. Tom. 2. P. 1. p. 8. et ad Silii 4, 679. p. 231.] *viris constat bonis cessisse.* Passeratius tamen legit, *invictissimis viris constat Tribunis cessisse.*

Ibid. TAMEN OB ILLAM QUA ILLUD VOLUNTARIUM VULNUS ACCEPIT CONSTANTIAM IUSTISSIMOS OMNIUM METELLORUM ET CLARISSIMOS TRIUMPHOS GLORIAE LAUDE SUPERAVIT. nihil videtur lectione vulgata integrius, quae talis est, *tamen ob illam constantiam, qua illud voluntarium vulnus accepit, iustissimos omnium Metellorum et clarissimos triumphos gloriae laude superavit.* verumtamen ex antiqua scriptura intelligere licet, ulcus aliquod subesse. sic autem habent libri veteres duo, *tamen ob illam, quo illud voluntarium vulnus accepit, iustissimos omnium Metellorum,* et cetera, unus habet, quemadmodum excudendum curavi.

C. 37. §. 90. QUAE SI VIGINTI QUIESSEM DIES IN ALIORUM IUGULUM CONSULUM RECIDISSENT. libri manu scripti habent, *in aliorum vigiliam Consulum recidissent.* mendose, opinor.

C. 38. §. 91. NON DESINO INCURRERE IN CRIMEN HOMINIS NIMIUM MEMORIS NIMIUMQUE GRATI. puto legendum, *non debeo incurrere.*

C. 40. §. 95. EXPLICABO BREVI. libris omnibus invitis legendum puto *breviter*: quanquam Charisius quodam loco notat *brevi* positum esse pro *breviter.* sed ego librariorum erratum esse arbitror [Charisii locus est p. Putsch. 176. sed illud *brevi,* non *breviter,* pluribus locis legitur apud Lambinum, huius loci et praecepti, ut videtur, non satis memorem. vid. O. M. Mueller. ad Orationem pro Sextio c. 45. §. 97. p. 128. sq.].

C. 41. §. 98. QUUM TUM ABESSENT [,] ALIQUOT DIERUM VIAM. deleto virgulam post verbum abessent [vid. Ind. Errat. p. 848.].

§. 100. PROPTER EIUS PROVINCIAE METUM ET CUM MEO FRATRE NECESSITUDINEM COMPARATAM. sic est scriptum in omnibus libris manu scriptis.

C. 42. §. 102. SALUTEM TIBI IDEM DARE POSSUNT QUI MIHI REDDIDERUNT. scribe, *tibi iidem dare possunt.* erratum est operarum [vid. Ind. Erratorum p. 848., vulgo neglectum.].

Ibid. NEC TAM IMMEMOR MEORUM NON DICAM IN BONOS MERITORUM SED BONORUM IN ME. videtur legendum potius, *non dicam meorum in bonos meritorum.*

XXXII.

IN ORATIONEM PRO P. SEXTIO.

C. 1. §. 2. SED ETIAM VOLUNTARIOS FORTISSIMIS ATQUE OPTIMIS CIVIBUS PERICULUM MOLIRI. duo libri manu scripti non habent vocem *voluntarios*, quam delendam censeo [sed vid. O. M. Mueller. p. 16. sq.]. paullo ante autem, ubi operae ediderunt *forunis*, scribe *fortunis*.

C. 3. §. 6. DUOBUS HIS GRAVISSIMIS AC SANCTISSIMIS VIRIS SIC PROBATUS FUIT. sic restitui partim coniectura ductus, partim antiquorum librorum auctoritate fretus. atque ita legendum, neque ullo modo Latine dici potest *duobus gravissimis antiquitatis viris*, quomodo est in vulgatis. paullo post iidem libri habent *benivolentiae*, ubi vulgati *benivolentiam*.

C. 4. §. 10. extr. VOCEM OFFICII PRAESENTIS. amicus quidam meus, vir doctissimus, legendum esse arbitratur *vocem officii praesentis*, ubi vulgati habent *vicem officii praesentis*. cui plane assentior. nam haec apte inter se consentiunt, *praedicationem, vocem, testimonium* [vid. Mueller. p. 28. sq.]. paullo post, versu 29. [p. 460, 29.], scribe, *ad timoris praeteriti cogitationem*, ubi operae fecerunt *cognitionem* [correctum in Indice Erratorum p. 848. itaque istud *cognitionem*, quod Lambinus solus habere dicitur, eximendum Orell. p. 195.]. aliquot post versibus [c. 5. §. 12.] lege *nimium communem Martem*, ubi operae fecerunt *nimim communem* [vid. Ind. Erratt. p. 848.]. paullo post sic habent libri veteres, *non excellens animus et amore rep. non*
p. 707 *praestans in rep. virtus.* ego || delevi copulationem *et.* alio-
a. qui legendum, *et amore* [corrigendum, *amor*] *rei publicae*, seu, *et amor in rem publicam* [Ernest. p. 1129, 17. »facile credo, »vitiosum locum esse, sed nulla certa correctio est.« Lambini prior ratio, *et amor rei publicae* corrigentis, placebat Guilelmo, nec displicuerit Grutero, p. 567, 43. in ordinem recepit O. M. Muellerus V. D., quem vid. p. 30.].

C. 6. §. 14. SED ETIAM MEMORIA DIGNAM REI PUBLICAE CAPESSENDAE AUCTORITATEM. sic hunc locum restituit Adrianus Turnebus, quindecim abhinc annos [Robortellus Emendd. 2, 42. Thes. Crit. Gruter. Tom. 2. p. 112. sic corrigebat, in reliquis Aldinum exemplar secutus, *sed etiam memoria dignam in re publica capessenda auctoritatem.*].

Ibid. ET HUIUS POTIUS TEMPORI SERVIAM QUAM DOLORI MEO. docti quidam sic legendum putant, et ita edendum curavimus, *huius potius tempori*. *huius* autem, nempe Sextii, quomodo post

scriptum reperi in duobus veteribus libris, ubi vulgati habent, *huic potius tempori.*

C. 7. §. 15. IN REI PUBLICAE MAGNO MOTU. sic est legendum, si et veteribus libris fidem habemus, et rationi ac veritati obtemperandum esse ducimus [vid. Robortell. Emendd. 2, 42. nempe *metu* habent plerique, lapsu frequentissimo, de quo post alios Drakenborchius monuit ad Livii 3. 69, 2. Tom. 2. P. 1. p. 572. sq. sed et alia turbant scripti pariter atque editi, de quibus vid. Gruterum p. 568, 5. praeterea Orell. p. 197, 11. »*in re publica* »Lambini suspicio non recepta.« hoc unde sit, equidem ignoro.].

§. 16. SOLVIT SUBITO LEGE CURIATA CONSUL. sic restituit Adrianus Turnebus [Adversarr. 20, 3.], idque praeclare ut pleraque omnia. alii legunt *legum cura*, minus recte.

C. 8. §. 18. PUTEALI ET FENERATORUM GREGIBUS INFLATUS ATQUE COMPULSUS. sic habent libri veteres, quos quamobrem sequi non debuerim potius quam vulgatos, qui habent *inflatus atque perculsus*, causa nulla visa est. *inflatus* tamen mihi suspectum est, pro quo alii legi volunt *infractus*, alii *inflictus atque perculsus* [cff. Orell. p. 198, 7. Mueller p. 37. adde Moser. ad III. de Re P. c. 12. p. 365.].

§. 19. UT ILLO SUPERCILIO ANNUS ILLE TANQUAM ATLANTE CAELUM NITI VIDERETUR. omnes fere libri manu scripti habent, *ut illo supercilio an mantuus ille tanquam niti viderentur.* mendose, fateor, sed unde suspicari possis, vulgatam esse mendosiorem. nam neque est in libris veteribus *resp.* [nempe Iuntina sic habet, *ut illo supercilio niti resp.* sive *res publica tanquam Atlantis humeris caelum videretur*, nullis libris auctoribus], neque *Atlante caelum.* quod tamen proximum retinui propter *tanquam*, quod est in libris illis. hic igitur locus considerandus. ego interea tamen ex illo toto *an mantuus ille* feci *annus ille*, eiecta voce *resp.*, quae non reperitur in veteribus libris [totum hunc locum uncis inclusit O. M. Mueller. p. 40., et abesse illum a duobus libris manu scriptis narrant qui Oxoniensi librorum Ciceronis editioni praefuerunt. alia tentavit, lectionis corruptae vestigia secutus, V. D. in Ann. Scholastt. Darmstadiensibus a. 1828. II, 50. p. 403.].

C. 10. §. 24. UT MULTA EIUS SERMONIS INDICIA REDOLERET. libri aliquot veteres habent *redolerent*, ut sit, *indicia redolerent* [vid. Nizolium a Facciolato castigatum p. 611, 1.]. ego nihil muto. sic enim loquitur libro de Oratore ad Q. Fratrem [p. 148, 47. nobis II. c. 25. §. 109.], *definitio doctrinam redolet* [vid. Nizolium l. l.].

C. 12. §. 28. EQUITES VERO ROMANOS DATUROS ILLIUS DIEI POENAS. quidam libri veteres habent *dies*, et notant grammatici veteres. est enim *dies* hoc loco patrius casus antiquus, qua de re nos in scholiis Lucretianis [ad 3, 931. cf. Voss. de Analogia 2, 19. p. 337. sqq. optime tamen de his formis genitivorum

quintae declinationis exposuit Conr. Leopold. Schneider. Doctrina Formarum L. L. 2. P. 1. p. 354. sqq. et vide quae annotantur ad h. l. ab Ott. Maur. Muellero p. 48. sq.].

C. 13. §. 29. extr. SED CIVEM ROMANUM SINE ULLO IUDICIO EX PATRIA CONSUL EIECERIT. sic legebatur in vulgatis, *sine ullo iudicio aut edicto*, plane mendose. nam et paullo ante dixit, Gabinium *edixisse*, ut abesset Lamia ab urbe milia passuum ducenta, et infra [§. 30.], *exterminabit*, inquit, *cives Romanos edicto Consul a suis diis Penatibus*? hoc igitur totum *aut edicto* natum est ex annotatione, quam quum aliquis ascripsisset ad oram libri, paullo tamen aliter, opinor, nempe hoc modo, *edicto* sine disiunctione *aut*, eam annotationem postea retulit in Orationis contextum librarius [vid. Mueller. p. 50.].

C. 15. §. 33. extr. UT OMNIBUS FASTIS DIEBUS LEGEM FERRI LICERET. sic est legendum, et ita reperi scriptum in libris manu scriptis et Memmianis et Clericano. sic idem de Provinciis Consularibus [p. 515, 1. nobis c. 19. §. 46.], *vobis*, inquit, *statuendum est, legem Aeliam manere, legem Fufiam non esse abrogatam, non omnibus fastis diebus legem ferri licere* [ceteri *festis* habebant]. paullo ante [c. 14. §. 32, extr.], ubi libri vulgati habent, *dolorem veste mutata significarent*, veteres habent *veste significarent*, sine voce *mutata*.

§. 34. SED QUUM DUOS CONSULES A RE PUBLICA PROVINCIARUM FOEDERA RETRAXISSENT [ex iis, quae sequuntur, corrigendum, *sed quum duo Consules*]. sic habent libri manu scripti, quod non reiicio: ita enim veteres loquebantur. Terentius Adelphis [5. 3, 23.], *tu illos duo olim pro re tollebas tua* [vid. annotata ad I. Accus. c. 16. §. 42. et ad Orationem pro Murena c. 37. §. 79. cf. Mueller. p. 55.]. habent et iidem libri *foedera retraxissent*, quam lectionem cur reiiceremus, causa mihi nulla visa est. *foedere* tamen non damno, si quis forte malit.

C. 16. §. 37. AD SUAM ENIM QUANDAM MAGIS ILLE GLORIAM QUAM AD PERSPICUAM SALUTEM REI PUBLICAE SPECTARAT. libri manu scripti habent, *sumpserat*. quod quid sibi velit, coniiciat lector ingeniosus [Orell. p. 205, 2. »defendi forsasse potest e §. 119. »*sed mihi sumpsi hoc loco doctrinam.*«].

C. 17. §. 40. DUO QUI PRIVATI TUM ESSENT ET PRAEESSE ET PARARE SI VELLENT EXERCITUM POSSE. *duo* posuit pro *duos*, ut supra [§. 34.]. sic enim habent libri veteres, quos sequor.

C. 18. §. 42. APUD ME DOMI POSITAS ESSE DIXERUNT. quidam putant vocem *domi* supervacaneam esse, neque esse Ciceronis [cf. Ruhnken. Dictatis ad Terentii Eunuchi 1. 2, 125. p. Schopen. 98.].

C. 19. §. 43. CONTENDEREM CONTRA TRIBUNUM PL. PRIVATUS ARMIS. sic ego reponendum conieceram duodecim abhinc annis, quam ego meam coniecturam nunc video ab omnibus libris antiquis confirmari.

Ibid. QUID RELIQUIARUM RESTARET. nihil muto. verumtamen libet antiquam scripturam in medio ponere, quae talis est, *quis reliqua ire staret*? quid, si igitur eam sic adiuvemus, *quae reliquiae restarent*?

§. 44. EGO VERO SI MIHI UNI PEREUNDUM FUISSET AC NON ACCIPIENDA PLAGA MIHI SANABILIS ILLIS MORTIFERA QUI EAM IMPOSUISSENT SEMEL PERIRE TAMEN IUDICES MALUISSEM QUAM BIS VINCERE. sic restitui, vestigia scripturae veteris non obscura secutus. nam primum codices veteres habent *sanabilis*, deinde non habent *remp.* [sive *rem publicam*], sed *quae imposuisset*. quod si quis malit legi, *illi mortifera qui imposuisset*, propius aberit ille quidem a vetere scriptura, sed sententiam non efficiet huic loco tam accommodatam [cf. Orell. p. 207, 6.].

C. 20. §. 45. VESTRARUM SEDUM. sic esse hic legendum admonent grammatici veteres [Priscianus 7. p. Putsch. 771. c. 16. §. 77. Tom. 1. p. Krehl. 344. et Consentius p. 2039. cf. Schneider. Doctr. Formarum L. L. P. 1. p. 243.], vincunt libri veteres. eadem pagina [non eadem, sed p. 467, 47. id est c. 22. §. 50.], ubi vulgati habent *Minturnis misericordiam*, ego et veteris scripturae vestigia secutus, et Passeratii approbata coniectura, *Minturnensium* reposui.

C. 21. §. 47. AT CIVES AT AB EO ARMATO PRIVATO. omissa erat vox *armato* a librario, quam ego restitui ex optimo codice manu || scripto [Ernest. p. 1144, 70. »sane concinne, sed *ar-* b.
»*mato privato* non bene sonat, et *ab eo* respondet istis *sine* »*armis conservarat* «]. *armatus*, *sine armis* autem opponuntur *Consul*, *privatus*. paullo post *canerentur* reposui ex antiquis item libris, ubi vulgati habent *concinerentur* [corrigendum *canebantur* et *concinebantur*.].

C. 22. §. 50. ATQUE ILLE VITAM SUAM NE INULTUS ESSET AD INCERTISSIMAM SPEM REI PUBLICAE RECUPERANDAE RESERVAVIT. sic reposui, quum reperissem in libris veteribus ita scriptum, *ad incertissimam spem rep. rata*, al. *ratam*, al. *randum* [cf. Mueller. p. 73. sq.].

Ibid. VIVIT MECUM SIMUL EXEMPLUM FIDEI PUBLICAE EXEMPLUM REI PUBLICAE DEFENDENDAE. hoc totum *rei publicae defendendae* abest a libris veteribus, unde coniecturam facio, legendum, *exemplum fidei publicae defendendae*.

C. 23. §. 52. NE CIVITAS UNQUAM INCIDAT IN EIUSMODI CONSULES. adiuvi scripturam veterem, quae talis est, *ne quis unquam incidat in eiusmodi Consules*. ex quo feci *civitas*, cuius rei veniam peto pudentem. nam ex *civitas* factum est a librario *civi* aut *civis*, ex *civis* [id est, *ciuis*] *quis*: quo facto cetera depravatio est consecuta.

C. 24. §. 54. NE NOCTEM QUIDEM CONSULES INTER MEUM DISCRIMEN ET SUAM PRAEDAM INTERESSE PASSI SUNT. VOX *discrimen* abest a codicibus veteribus, videtur tamen necessaria.

C. 25 §. 55. LEGUM MULTITUDINEM QUUM EARUM QUAE LATAE SUNT TUM VERO QUAE PROMULGATAE FUERUNT. in codicibus vulgatis sequitur verbum *dicam*, plane mendose. nam hoc totum *legum multitudinem* regitur a verbo *recordamini*: verbum *dicam* autem in libris veteribus ponitur post participium *tacentibus*, et recte.

Ibid. extr. ET ROGATA LEGE POTESTAS FIERET PROVINCIAE COMMUTANDAE. vulgatos libros sequor. nam manu scripti ad unum omnes habent, *rogata legem fieret provinciae commutandae*, cuius scripturae rationem explicare non possum.

C. 36. §. 56. extr. REDUCTI EXULES BYZANTII CONDEMNATI TUM QUUM INDEMNATI CIVES E CIVITATE EIICIEBANTUR. aut vox *condemnati* delenda, ut aliena et adventicia, aut servata voce *condemnati* et adscripta ei virgula sic est legendum, *condemnati exules Byzantii, reducti tum quum indemnati cives e civitate eiiciebantur*, ut ea vox cohaereat cum voce *reducti*. praeterea malim legi *Byzantii*, ut est in Oratione pro Domo Sua [p. 412, 12. c. 20. §. 53.], quam *Byzantini*, ut cohaereat cum voce *exules* [correxi locum, ab operariis male habitum].

C. 27. §. 59. TIGRANES IGITUR QUI ET IPSE HOSTIS FUIT POPULI ROMANI ET ACERRIMUM HOSTEM IN REGNUM RECEPIT. sic habent omnes libri vulgati, *tulit gessit qui*, neque ullam reperi in manu scriptis varietatem. putabam hanc scripturam esse integram et emendatam, atque ita explicabam, *Tigranes insigne regium, quod de suo capite abiecerat, a Pompeio repositum, beneficioque populi Romani receptum, tulit, gessit*. amicus tamen quidam meus asseveravit mihi, se in uno codice manu scripto scriptum vidisse *Tigranes igitur*. quod si ita est, non est dubium, quin haec lectio sit omnibus anteponenda. hoc idem mihi postea confirmavit Leodegarius Quernus, collega meus, et quod caput, ego ipse vidi in uno codice Memmii, post alios ad me misso [cf. Mueller. p. 84].

C. 29. §. 63. EIDEM FURORI. libri manu scripti habent *eiusdem furori*, et paullo ante *pervenire*, ubi vulgati *provenire*.

C. 30. §. 66. CUIUS NEGOTII PUBLICI COGITARI OPTARI FINGI CURATIO POTUIT [sic corrigendum istud *putavit*, commentum operarum a Lambino per imprudentiam neglectum]. secutus sum librorum manu scriptorum auctoritatem: nihil de meo addidi, nihil pro meo iure dempsi.

Ibid. QUAE RATIO AUT AUFERENDAE AUT CONFLANDAE PECUNIAE NON REPERIEBATUR. libri veteres habent *aut flandae aut conflandae*. non probo. non enim hic agitur de ratione pecuniae flandae, seu potius auri argentive flandi.

C. 32 §. 69. QUI QUUM IN SENATU PRIVATIM UT DE ME SENTENTIAS DICERENT FLAGITABANTUR. libri veteres habent *privati, ut de me sententias dicerent, flagitabant*. non probo [vid. Orell.

p. 216, 15. et Mueller. p. 95. et cff. disputata a V. D. in Annalibus Scholastt. Darmstadd. a. 1828. II, 50. p. 404. sq.].

C. 33. §. 72. SED EX DESERTO * GAVII OLELI HORREO ET CALATHIS GAVIIS IN CALATINOS ATILIOS INSITUS. secutus sum partim libros vulgatos, quamvis corruptos, partim manu scriptorum (quanquam etiam hi mendosi sunt) vestigia. sic autem habent, *ex deserto Gauio Laelior ea calatis ganis*, al. *ganiis*, al. *granis*. unde suspicor ita legendum, ut edendum curavi: nisi quod pro *Gavii Oleli horreo* malim legi, *Gaviani Atilii horreo*. quod si ausus essem, *Gavianis* pro *Gaviis* reposuissem: sic enim potius legendum arbitror, *et ex deserto Gavii Atilii horreo et calathis Gaveanis*. *calathis* autem accipio brevi paenultima, a nomine *calathus*. Sigonius legendum putat *calatis granis*, a *calando*: qui *grana calata* interpretatur grana ita pauca, ut calarentur, id est voce numerarentur. alii legunt *calathis gravis*, id est calathis onustus. omnino locus est obscurus et, quod deterius est, corruptus. hoc tantum in praesenti afferre possum, videri a Cicerone notari ac describi Sex. Atilium Serranum, qui in Tribunatu sua intercessione restitutionem Ciceronis impedierat.

Ibid. extr. ET TEMPORIBUS ET REI PUBLICAE PERMISSURUM. legendum fortasse est *remissurum*, ut ascriptum reperi ad oram libri unius manu scripti, eadem manu. *remissurum* autem, id est condonaturum. quanquam *permissurum* non damno. praeterea videtur legendum potius *et temporibus rei publicae*, deleta copulatione *et*. et paucis post versibus [C. 34. §. 74.] lege, *aliusque alio gravius atque ornatius de mea salute dixisset* [vid. Indicem Erratorum p. 848.], aut, si copulam *que* tollis, *dixissent*.

C. 35. §. 76. UNIVERSIQUE DESTRICTIS GLADIIS. sic legendum, et ita est in libris veteribus scriptum [vid. annotata ad III. Catilinar. C. 1. §. 2.].

§. 77. E FORO SPONGIIS EFFINGI SANGUINEM. sic legit Servius Commentariis in lib. 8. Aeneid., ibi [v. 634.], *corpora fingere lingua*. *fingere* autem interpretatur tergere [vid. Burmann. ad Virgilii l. l. Tom. 3. p. 346. et quae a Grutero notantur ad Ciceronis locum p. 569, 13.]. sic Afranius, *accedo*, inquit, *ad te, ut tibi cervicem fingam linteo*.

C. 36. §. 78. || AN VERISIMILE EST UT CIVIS ROMANUS AUT HOMO LIBER QUISQUAM CUM GLADIO IN FORUM DESCENDERIT ANTE LUCEM. p. 708. a. maneo in sententia, ut putem hoc totum, *an verisimile est*, alienum esse, non Ciceronis, quemadmodum et alibi idem peccatum esse ostendi [cff. annotata ad Orationem pro Roscio Amerino c. 41. §. 121. et ad IV. Accus. c. 6. §. 11.]. omnino ita legendum, his tribus vocibus detractis, *ut civis Romanus aut homo liber quisquam cum gladio in forum descenderit ante lucem, ne de me ferri pateretur, praeter eos, qui ab illo pestifero ac perdito cive iampridem rei publicae sanguine saginan-*

tur? atque hoc genus interrogandi, ita praecisum, longe acrius et gravius et ornatius est, quam si ita diceretur, *an verisimile est, quemquam civem Romanum aut hominem liberum cum gladio in forum descendisse ante lucem, ne de me ferri pateretur?* et reliqua.

Ibid. extr. FORUM PURGES. sic habent omnes libri et vulgati et manu scripti, neque quicquam mutandum censent viri docti, in his Adrianus Turnebus [Adversarr. 20, 3.]. est autem *purgare forum* forum reddere infrequens [cf. Pareum Lex. Crit. p. 1017, 2.].

C. 37. §. 79. CONTRA VERBA ATQUE INTERFATIONEM. sic reposui, libros veteres secutus, Adriano Turnebo approbante [l. l. vid. Pareum Lex. Crit. p. 629, 2. adde Quinctilianum 4. 2, 50. Tom. 2. p. Spalding. 90.]. nam non licebat Tribuno Pleb. loquenti *interfari*, seu interloqui [itaque *interpellationem* malebat Orellius, eandemque scripturam defendebat O. M. Muellerus ipsius Ciceronis auctoritate. legitur enim haec vox in Oratione de Provinciis Consularibus C. 8. §. 18.]. idem paullo ante ex vestigiis rectae scripturae, quae extant in libris veteribus, sic restituendum censet locum illum [§. 78. post med.], *nam si obnunciasset Fabricio is Praetor, qui servasse se de caelo dixerat*, ubi vulgo legitur, *is Tribunus Pl.*, in veteribus autem scriptum est, *Fabricio is PR.* observatum enim est a viris doctis et ingeniosis, has duas litteras *PR.* in libris veteribus saepe significare *Praetorem* [cff. annotata ad I. Accus. C. 42. §. 108. et ad Orationem pro Flacco C. 29. §. 71.].

C. 38. §. 80. PRIMUMQUE RESPIRASSET. sic reposui coniectura ductus, quum libri manu scripti haberent partim *resipisset*, partim *respisset*. *resipuisset* tamen pro ad se redisset, vel recreatus esset vel respirasset, non est fortasse reiiciendum [vid. Voss. de Analogia 3, 32. p. 114. sq.].

C. 39. §. 84. extr. VOS TACITI MIRABAMINI. omnes libri manu scripti habent *maerebamini*, nisi quod *merebamini* scriptum est sine diphthongo. vel igitur *maerebamini* usurpatum est, in voce patiente, vel *maerebatis* reponendum, vel *mirabamini*, quod magis placet. nam quod extat Marcii illius, poetae mimiambici, versus apud Varronem libro sexto de Lingua Latina [Tom. 1. p. edit. Bipont. 98. extr. cf. Scaligeri Obs. ad. l. l. Tom. 2. p. 237.], in quo *maerebar* positum est, *corpora Graiorum maerebar mandier igni*, primum dubito, utrum scriptum fuerit *maerebam*, quum esset scriptum a librariis illis *maerebaz*, ut solebant, post ex *maerebaz* factum sit *maerebar*, an potius *maerebant*. videtur enim versus ex illis Homericis expressus Iliad. η. [vv. 430. 431. Wolf. a. 1794.], ὣς δ' αὖτως ἑτέρωθεν ἐϋκνήμιδες Ἀχαιοὶ Νεκροὺς πυρκαϊῆς ἐπεμήνεον ἀχνύμενοι κῆρ. deinde non continuo, si Marcius *maerebar* usurpavit, iccirco credibile aut probabile est a M. Tullio quoque usurpatum esse. postremo *taciti mirabamini* magis congruit cum his quae sequuntur, *ferebatis, perferebatis, nemo resistebat, mentio nulla.*

C. 40. §. 87. ADIIT IGITUR T. ANNIUS AD CAUSAM REI PUBLICAE SICUT OPORTEBAT QUI CIVEM PATRIAE RECUPERARE VELLET EREPTUM. antiquam scripturam adiuvi, nihil praeterea. talis autem est, *recuperare velle te re. p. tum*, quas litteras et syllabas si apte conglutinabis et connectes, *recuperare vellet ereptum*, conficies. quidam tamen sic reponendum censent, *sicut si patriam recuperare vellet reip. tum simplex*, et cetera. a quibus dissentio [cf. Robortellum Emendatt. 2, 41. Thes. Crit. Gruteri Tom. 2. p. 111., qui sic videtur dare voluisse, Aldinum exemplar secutus, sed adhibita correctione, *adiit igitur T. Annius ad causam rei publicae sic, ut civem patriae recuperare vellet. rei publicae tum simplex caussa, constans ratio, plena consensionis omnium, plena concordiae. collegas adiutores habebat* (sic enim interpungendum). *Consulis alterius summum studium, alterius animus paene placatus.* quam alteram Lambini suspicionem Orell. p. 223, 8. posuit, *sic ut qui civem patriae recuperare vellet ereptum*, eam habere videntur repetitiones Lambinianae, habet margo Laemarianae a. 1596., qua utor. praeterea »alio»rum« sive emendationes sive coniecturae hae sunt, una e vetere, ut ait Gothofredus, Ursini codice ducta, *sicut civem par erat, qui rem publicam recuperare vellet,* altera aliunde petita, *sicut si patriam recuperare vellet.* ut reliqua sic deinceps currant, *rei publicae tum simplex causa, constans ratio, plena consensionis omnium, plena concordiae.*].

C. 41. §. 89. ESSE IAM E RE PUBLICA CREDIDIT QUONIAM SIBI IN ILLUM LEGIBUS UTI NON LICERET ILLIUS VIM NEQUE IN SUO NEQUE IN REI PUBLICAE PERICULO PERTIMESCERE. etiam hic veterem scripturam adiuvi, quae talis est, *ut etiam erepi redicit quoniam*, unde feci, *esse iam e re publica credidit, quoniam sibi in illum legibus uti non liceret, illius vim neque in suo, neque in rei publicae periculo pertimescere.* cuius lectionis ita plana sententia est, ut declaratione non egeat. alii sic legi volunt, *etiam turpe* [sic correxi istud *turpi*, ut sit, *et deterreri etiam turpe*]: *itaque fecit, ut, quoniam sibi in illum legibus uti non liceret, illius vim neque in suo, neque in rei publicae periculo pertimesceret.* quod nullo modo placet.

C. 42. §. 90. MONETUR. codex Memmianus unus habet *monetur*, quod ita probo, ut tamen vulgatam non damnem, praesertim aliis veteribus libris, ut uno item Memmiano et Clericano confirmatam [*movetur*, quia fortius sit, convenientius putat Mueller. p. 121. innumeris locis *moneri* et *moveri* in codicibus manu scriptis confunduntur. vid. Drakenborch. ad Livii 35. 35, 5. Tom. 10. p. 406. sq. et quos idem laudavit ad Silii 2, 273. p. 84.].

C 45. §. 97. SUNT NEGOTII GERENTES. sic est in libris antiquis. *negotii gerentes* autem, id est negotiatores [laudavit Orellius Orat. pro Quinctio C. 19. §. 62. et in Vatinium C. 5. §. 12. cf. Pareum Lex. Crit. p. 516, 1. et vide quae de participio

Latini sermonis disputantur a Perizonio ad Sanctii Minerv. 1, 15. Tom. 1. p. 140. sqq. not. 1.].

Ibid. ESTO IGITUR UT II SINT OPTIMATES QUAM TU NATIONEM APPELLASTI QUI ET INTEGRI SUNT ET SANI ET BENE DE REBUS DOMESTICIS CONSTITUTI. libri manu scripti partim habent *est igitur*, partim *ei igitur*. plane mendose [Orell. p. 226, 10. »haec, *qui* »*et integri sunt et sani et bene de rebus domesticis constituti*, »desunt in editionibus aliquibus, probantibus Manutio et Lam»bino.«]. paullo ante, ut libri omnes habent, *brevi circumscribi*, legendum fortasse est *breviter* [vide ad Orationem pro Plancio C. 40. §. 95.].

C. 47. §. 101. USQUE AD C. MARIUM. omnes libri manu scripti habent, *usque ad Q. Varium*. quod probo. nam hic Q. Varius Hispanus M. Scaurum accusavit [vid Aurelium Victorem de Viris Illustr. 72, 11. p. Gruner. 185. et Valerium Maximum 3. 7, 8. adde quae a Spaldingio nostro annotantur ad Quinctiliani 5. 12, 10. Tom. 2. p. 342.].

C. 48. §. 102. STULTITIA SIT INQUIT POSTULARE. veteres codices habent partim *inscita sunt*, plane mendose (sed hinc coniiciunt quidam legendum, *in scitum sit*), partim *instutia sit*, unde feci *stultitia sit*. vulgatum *inscitia* non placet. si quis tamen a me dissentiat, et vel *inscitia sit* vel *inscientia sit* legi posse iudicet, non magnopere repugnabo.

C. 49. §. 104. A DELECTIS PRINCIPIBUSQUE. libri omnes veteres habent, *a dilectis* [vide ad Orationem pro Domo C. 3. §. 5.].

C. 50. §. 106. QUAE CONCIO FUIT PER HOS ANNOS QUAE QUIDEM ESSET NON CONDUCTA SED VERA IN QUA POPULI ROMANI CONSENSUS PERSPICI POSSET. si quis attente legat, iudicabit, nisi fallor, deesse hic negationem. ita enim legendum videtur, *in qua non populi Romani consensus perspici posset*, vel, *in qua populi Romani consensus perspici non posset* [Gruter. p. 569, 30. »Lambinus »autumat excidisse negationem: sed iniurie, et contra omnes »libros.« utrovis loco addendum fuit istud *non*, ratione ipsa flagitante, etiam reclamantibus omnibus libris, quibus nemo sanus abutatur contra veritatem. vid. Mueller. p. 138.].

C. 51. §. 109. IN QUA OMNES HONESTATES CIVITATIS. Gabriel Faernus teste Manutio hoc totum, *omnes honestates*, delendum putabat tanquam ex errore librarii natum, qui *omnes aetates*
b. bis scripsisset, deinde ab alio aliquo ex priore || *omnes aetates*, *honestates* factum esse [vid. Mueller. p. 140.].

§. 110. med. NIHIL SANE ATTAE IUVABANT [non, *Attae iuvabant anagnostae*, ut est apud Mueller. p. 142.]. sic reposui, veteres codices secutus, quam scripturam et Petrus Victorius probat [VV. LL. 22, 7. cff. Lambini Commentaria Horatiana ad II. Epp. 1, 79. 80. p. 310. D.]. fuit autem *Atta* poeta. alii, ingenio confisi, legi volunt vel *arte iuvabatur*, vel *adiuvabatur*, vel *chartae adiuvabant*. omnino antiqua scriptura tutior est.

C. 52. §. 110. extr. SED UT PLEBICOLA VIDERETUR. alii legunt *poplicola* [vide quae disputantur a VV. DD. ad Livii 2. 8, 1. Tom. 1. P. 2. p. 67. sq., inprimis vero Duker. ad Flori 1. 9, 4. p. 72. et Drakenborch. ad Silii 2, 8. p. 61. sq.].

§. 111. IN QUO TAMEN EST ME ULTUS QUUM ILLO ORE INIMICOS EST MEOS SUAVIATUS. huius loci restitutio accepta referenda est Octavio Pantagatho, viro doctissimo et, ut eum Manutius appellat, nostrae aetatis Varroni, cuius amicitia et consuetudo fuit mihi, quum Romae essem, perutilis et periucunda. significat autem Gellii os fuisse impurum, eumque mares irrumare solitum, adeo ut, quos oscularetur, eis magnum malum daret [vide Franc. Robortellum Emendatt. 2, 42. in Thes. Critico Gruteriano Tom. 2. p. 112.].

C. 54. §. 115. VESTER ISTE IN ME ANIMORUM OCULORUMQUE CONIECTUS. sic reposui, quum in libris veteribus scriptum reperissem *contectus*.

C. 55. §. 117. PRIMO QUUM AUDITO SENATUS CONSULTO AUCTORI IPSI [sic correxi istud *auctor ipsi*, ex Indice Erratorum p. 848.] ATQUE ABSENTI SENATUI PLAUSUS EST AB UNIVERSIS DATUS. divina Memmii approbata coniectura sic reponendum existimavi. alii legi posse putant *praeconi ipsi*, alii *Consuli ipsi*. mendose hic operae fecerunt *auctor ipsi*, pro *auctori ipsi* [vid. Indicem Erratorum l. l.].

§. 118. SIMULANS UT OPINOR. locus suspectus. Manutius *simulans* vel togatae nomen esse posse putat [Afranii, auctore etiam Nonio quum aliis locis, tum 2, 425. p. Mercer. 124, 5.], vel esse participium, quod cohaereat cum *caterva*.

C. 61. §. 129. ATQUE UT IIDEM AD RES REDEUNTES UT VENIRENT ROGARENTUR. malim legi, *ad res suas redeuntes*, vel, ut Memmio videtur, *ad suos* [vid. annotata ad Orationem post Reditum in Senatu C. 11. §. 27.].

§. 130. QUI EXCITATUS QUUM SUMMA AUCTORITATE P. SERVILII, TUM INCREDIBILI QUADAM GRAVITATE DICENDI. totus hic locus, ut Manutio restituendus visus est, ita a me editus est. paucis post versibus videtur legendum, *beneficio suo rediit in gratiam* vel *summo suo beneficio*, ut in Oratione de Provinciis Consularibus [p. 510, 42. id est C. 9. §. 22. extr.].

C. 63. §. 131. QUUM IPSIS NONIS SEXTILIBUS IDEM DIES ADVENTUS MEI FUISSET QUI REDITUS NATALIS. cum hoc loco conferendus est ille, qui est epistola 1. libri 4. ad Attic. [p. 237, 13.], *Brundisium veni Nonis Sextilibus. ibi mihi Tulliola mea fuit praesto natali suo ipso die, qui casu idem natalis erat et Brundisinae coloniae et tuae vicinae Salutis.* Manutius pro his verbis, *idem ut scitis*, reponit *idem et Salutis:* ego et *Salutis* addidi, neque tamen illa *ut scitis* sustuli. per me tamen tollantur licet: nam plane videntur supervacanea. dies autem reditus natalis intelligendus est, quo M. Tullius patriae redditus

videtur de integro natus esse. vocem *natalis* porro bis edendam curavi. fuit autem proclive librario, quum bis scriptam reperisset, semel dumtaxat scribere.

C. 64. §. 133. QUOTIDIE ALIQUID DE ME FICTI AFFEREBAT. hanc Manutii emendationem maxime probabilem iudicavi [vid. Torkill. Badenum in Seebodii V. C. Bibl. Crit. Vol. 3. p. 218.].

Ibid. ACTA MEA AIT SIBI DISPLICERE. Memmii coniecturam secutus sic restitui.

XXXIII.

IN ORATIONEM IN P. VATINIUM.

C. 1. §. 1, SED FUI PAULLO IN TE INTEMPERANTIOR FORTASSE QUAM DEBUI. veteres codices habent *paullo ante*. ego nihil mutavi, verumtamen putaverim esse legendum, *paullo ante in te intemperantior fortasse quam debui*.

§. 3. SED HESTERNO PRO TESTIMONIO ESSE MENTITUM. videtur deesse provocabulum *te*, atque ita legendum, *sed te hesterno*. quidam etiam vocem *die* desiderari putant, ut ita legatur, *sed te hesterno die pro testimonio esse mentitum* [sed *hesternum testimonium* testimonium est heri sive hesterno die dictum, inquit Orell. p. 244. cf. Pareum Lex. Crit. p. 987, 2. cave tamen illud *die* frustra additum credas, aut omnino recte haec iungi, *hesterno pro testimonio dicere*, quum sit potius ita, *pro testimonio te mentitum hesterno*, id est heri, in testimonio dicendo. monuit Madvigius V. D. Epistola Critica p. 60. cf. annotata ad IV. Accus. C. 8. §. 18.].

C. 2. §. 4. extr. REPENTE ENIM TE TANQUAM SERPENS E LATIBULIS OCULIS EMINENTIBUS INFLATO COLLO TUMIDIS CERVICIBUS INTULISTI STATIM UT MIHI RENOVATUS EGO ILLE TUUS IN TE VETEREM MEUM AMICUM SED TAMEN TUUM FAMILIAREM DEFENDERIM. locus est subobscurus, neque fortasse a mendo purus. *veterem amicum meum* autem, id est, C. Cornelium, quem mox nominat.

C. 3. §. 6. SANGUINEM PRINCIPUM CIVITATIS EXSORBERE. VOX *principum* abest a libris veteribus.

C. 4. §. 10. SED TAMEN NE ME CUM HIS PRINCIPIBUS QUI ASSUNT P. SEXTIO. haec omnia sunt addita ex duobus codicibus manu scriptis, altero Memmiano, altero Clericano, quae desunt in vulgatis.

Ibid. UT ALIQUANDO ISTA ILIA QUAE SUNT INFLATA RUMPANTUR. VOX *ilia* abest a duobus libris manu scriptis, verumtamen

ego censeo retinendam tanquam necessariam, a librario propter vocem *ista*, similitudine decepto, omissam.

C. 8. §. 20. QUIBUS REM PUBLICAM PUTASTI DELERI. suspicor omissum esse a librario *posse* post *putasti*.

C. 11. §. 26. IMPURISSIME ET PERDITISSIME HOSTIS. VOX *perditissime* cum copulatione *et* abest a libris manu scriptis.

§. 28. COMMODIOREM INIMICO SUO CONDICIONEM REIECTIONIS DARE NOLUISSE. libri manu scripti habent *voluisse* [vid. Drakenborch. et qui laudantur ad Livii 39. 15, 11. Tom. 11. p. 377.].

C. 12. §. 30. IN EPULO Q. ARII. libri scripti alii habent *Q. Varii*, alii *Q. Arri* [sic puto Lambinum dedisse, operae tamen maluerunt hoc totum ita refingere, »alii habent *Q. Var.* palii »*Q. Arri.*«]. ego legi malim *Arrii*, omninoque ita legendum [et habet margo Laemarianae a. 1596., Lambino recte vindicans. vid. Orationum Fragmm. Ambrosiana p. repet. edit. 189.]. aliquot versibus post [c. 13. §. 31], ubi vulgati habent *Fidulo*, scripti habent *Fibulo*. unde quidam legi volunt *Figulo*, quod magis placet.

C. 13. §. 32. INTER COQUOS FUERAS. sic est legendum, et ita iampridem Adrianus Turnebus ex auctoritate librorum manu scriptorum emendarat [Adversarr. 21, 11. vid. Lambinum Epp. ad Muretum Tom. 1. Operum p. Ruhnken. 398.]. nam Memmiani plane habent vel *coquos*, vel *cocos*, Clericanus et alii *cacos*.

C. 14. §. 33. LEGE LICINIA [sic corrigendum] ET IUNIA. sic hunc locum || restituit Hieronymus Ferrarius. sic et illum, qui p. 709
est Philippica Quinta [p. 617, 12. nobis C. 3. §. 8.], *ubi poenae* a.
recenti lege Iunia et Licinia?

§. 34. URNAS DELEVERIT. libri veteres habent *urnas delegerit*, plane mendose. sed ex hac dissimilitudine intelligere aut certe suspicari licet, in *deleverit* mendum subesse. quid enim valet, *urnas delere?* cur non potius dixit *everterit*, ut et alibi [ut II. de Divin. C. 32. §. 69.]? quid si legamus, *urnas disiecerit* seu *deiecerit* [margo Laemarianae a. 1596. »alii« *delegerit*, id est, everterit. vid. Pareum Lex. Crit. p. 330, 1.].

C. 15. §. 35. extr. MORE MAIORUM DELIGERE POSSET. libri veteres habent *diligere posset*, unde suspicari possit aliquis legendum, *dilegere posset* [vide ad Orationem pro Sextio C. 49. §. 104.]. iidem libri paullo post habent, *imperatoris dilegendi iudicium*, et paullo post partim *diligeret*, partim *dilegeret imperatorem*.

§. 36. QUI NUNQUAM ANTEA SUMMO CONSILIO GUBERNATIONEM AUFERRE CONATUS EST. sic restitui, scripturam veterem aliquantum depravatam adiuvans, quae talis est, *qui nunquam aut summi consilii gubernationem auferre conatus est.* per *summum consilium* senatum significat, ut definitionem pro nomine definito

positam esse intelligamus. senatus enim est summum consilium civitatis.

Ibid. OB HASCE OMNES RES SCIASNE TE SEVERISSIMORUM HOMINUM SABINORUM FORTISSIMORUM VIRORUM MARSORUM ET PELIGNORUM TRIBULIUM TUORUM IUDICIO NOTATUM. ne quis miretur, hoc loco ordinem aliquot versuum, qui est in libris vulgatis, a me esse immutatum, id feci libros omnes veteres secutus, in quibus hic ordo servatur [vid. Orell. p. 255, 8.].

XXXIIII.

IN ORATIONEM PRO M. CAELIO.

C. 1. §. 1. SED ADOLESCENTEM ILLUSTRI INGENIO. liber unus Memmianus habet, *sed adolescentem nobilem, illustri ingenio.*

Ibid. ATRATINI ILLIUS PIETATEM NON REPREHENDAT. videtur nomen *Atratini* esse ab aliquo adiectum.

C. 2. §. 3. NON AEQUE EST COGNITUS. *aeque* abest a libris veteribus.

§. 5. NEMINI UNQUAM PRAESENTI PUTEOLANI MAIORES HONORES HABUERUNT. libri scripti habent partim *praesenti praetoriani*, partim *praesenti Praetori* [quod non omnino absurdum videtur Grutero p. 571, 4.], partim *praesenti praestutiani.* ego lectionem receptam probo [Gruter. p. 571, 6. »videtur fuisse *Prae»tutiani. Praetutianam* sane regionem claram inter Italicas no»tum cuilibet, vel ex Plinii libro 3. N. H. c. 13. et 14.« id est sect. 18. et 19. T. 1. p. Harduin. 170. sq.].

C. 3. §. 6. AB HIS FONTIBUS PROFLUXI AD HOMINUM FAMAM. codices Memmiani habent *perfluxi* [proclivi lapsu vid. Drakenborch. ad Livii 9. 10, 7. Tom. 5. P. 1. p. 86. et ad Silii 17, 56. p. 844.]. iidem *demanavit ad existimationem hominum.* alii cum vulgatis consentiunt.

Ibid. QUAE SI PETULANTIUS IACTATUR. Muretus [VV. LL. 8, 19. Operum Tom. 2. p. 193.] legit, *iaciatur.* cui assentior.

§. 8. PRIMUM UT QUALIS ES TALEM HI TE ESSE EXISTIMENT. sic habent omnes libri manu scripti, nisi quod duo non habent *hi* [neque habet Vincentius Bellovacensis Spec. Doctr. 6, 67. edit. pr. cf. eundem Spec. Hist. 7, 70.].

C. 5. §. 11. SED QUI PRIMA ILLA INITIA AETATIS. VOX *initia* abest ab uno codice manu scripto.

C. 7. §. 16. extr. TAMEN EST EIUSMODI CUPIDITATIS UT MAGIS INSECTARI ALTERIUS INNOCENTIAM QUAM DE SE TIMIDE COGITARI VIDEATUR. quum libri vulgati sic haberent, *eiusmodi cupidus*, consentientibus nonnullis manu scriptis, putabam, vocem *cupidus* esse delendam, ut adiectam [vid. Ernest. p. 1213, 30.], Turnebus addendum *gloriae*, ut esset, *est eiusmodi gloriae cupidus*. sed posteaquam reperi in uno Memmiano *eiusmodi cupiditatis*, nulla iam opus esse coniectura existimavi [vide tamen Orell. p. 275, 15.].

C. 10. §. 23. EST ENIM REX. sic plane scriptum est in codicibus manu scriptis, Memmiano et aliis. iidem codices non habent negationem paullo post, ante verbum *negavit*, neque infra ante vocem *suspicione*, ibi, *non modo non suspicione* [cf. Muretum VV. LL. 10, 7. Operum Tom. 2. p. 231. sqq.]. iidem *afuit* pro *abfuit*, ibi, *a conscientiae suspicione afuit* [vide annotata ad Orationem post Reditum in Senatu c. 14. §. 34.].

§. 24. ATQUE OPTIMIS ARTIBUS PRAEDITI. nihil equidem varietatis in libris manu scriptis et vulgatis reperi, verumtamen quidam legendum censent, *atque optimis artibus dediti*.

C. 11. §. 27. extr. QUI NULLUM CONVIVIUM RENUERIT. libri veteres habent *remunerit*, quod quid sibi velit quaero.

C. 13. §. 31. CUM CRUDELISSIMO DISCIDIO. sic est legendum, et ita scriptum est in pluribus libris manu scriptis. *discidium* autem, a verbo *discindo* natum, vocem esse Latinam, docuimus in Commentariis Lucretianis [vid. ad III. de Oratore c. 17. §. 63. et cf. Pareum Lex. Crit. p. 367, 2.].

C. 15. §. 36. OCULIQUE PERCULERUNT. sic est legendum, non *perpulerunt*. *perculerunt* autem, id est moverunt, ut tu victa eius pulchritudine caderes, te everterunt seu perverterunt [vide annotata ad I. de Oratore C. 10. §. 40. et cf. Drakenborch. ad Livii 3. 30, 5.].

Ibid. FUISTI NONNUNQUAM IN IISDEM HORTIS VISA NOBILIS MULIER. verbum *fuisti* restitui ex auctoritate codicum manu scriptorum [sed vid. Muretum Scholiis ad I. Philipp. c. 12. §. 29. Operum Tom. 2. p. 982.]. et *isdem* eosdem libros secutus edi iussi, quo interdum utebantur veteres pro *iisdem*, ut docet M. Tullius in Oratore Perfecto [p. 265, 1. nobis c. 47. §. 157. vide ad Orationem pro Domo c. 18. §. 48.], et nos admonuimus in Commentariis Lucretianis. quare, quando operae, genus hominum indocile et contumax, mihi obtemperare noluerunt, repone *isdem* pro *iisdem*.

C. 16. §. 37. DEDE TE AC DISIICE PER ME LICEBIT. libri manu scripti habent, *dede ac disce*, plane mendose. neque video, quomodo adiuvari possint aut quid ex hoc boni elici possit [cf. Pareum Lex. Crit. p. 371, 2. sqq.].

§. 38. HUIC TRISTI AC DIRECTO SENI. sic est legendum, et ita habent libri veteres [vid. Pareum Lex. Crit. p. 364, 1.].

C. 17. §. 40. OBSOLEVERUNT. sic habent libri manu scripti, et ita legit Priscianus libro 9. [p. Putsch. 872. id est c. 10. §. 54. Tom. 1. p. Krehl. 468.].

C. 18. §. 42. post. med. NE INCURRAT IN ALTERIUS DOMUM
b. ATQUE FAMAM. codex unus Memmianus ‖ habet, *domum atque familiam.*

Ibid. NE QUEM INTERIMAT. libri manu scripti tres habent, *ne quem vi terreat.* quod probo. neque tamen vulgatam lectionem damno, sed mea quidem sententia melior est antiqua.

§. 43. CUPIDITATES DEFERVISSENT. sic habent omnes libri manu scripti, neque video, cur hoc reiiciamus, quum grammatici veteres observarint, a *ferveo* seu *fervo* praeterita esse *fervi* et *ferbui* [vid. annotata ad Brutum c. 91. §. 316.].

Ibid. SUMPTUS LIBIDINIS. non video, quamobrem hanc scripturam in omnibus libris antiquis repertam aspernari debuerim.

C. 19. §. 44. NULLA CONVIVIORUM AC LUSTRORUM LIBIDO. libri veteres habent, *conviviorum ac stuprorum libido.* ego nihil muto.

§. 46. OMITTENDAE SUNT OMNES VOLUPTATES non damno lectionem vulgatam, antiquam tamen dissimulare nec debeo nec possum, *obterendae sunt omnes voluptates.*

Ibid. LUDUS IOCUS CONVIVIUM SERMO PAENE FAMILIARIUM DESERENDUS. sic hunc locum edendum curavi, ut eum scriptum reperi in libris antiquis. neque multo aliter profert Nonius in nomine *iocus* [3, 116. p. Mercer. 209, 27.]. nam apud eum non est vox *paene*, neque *omnium.*

C. 20. §. 49. UT NON SOLUM MERETRIX SED ETIAM PROCAX VIDEATUR. liber unus antiquus habet, *ut non solum meretrix, sed etiam proterva meretrix videatur.*

C. 21. §. 51. extr. IN SERVIS AD HOSPITEM DOMINI NECANDUM SOLLICITANDIS. sic habent duo codices Memmiani, et ita legendum. supra autem, ubi libri vulgati habent *legatis insidiandis*, ab uno libro admonitus, in quo legitur *legatis insidiolandis*, reposui *violandis.* doctus quidam tamen ex hac depravata scriptura antiqua legendum suspicatur, *legatis per insidias* seu *insidiose violandis.*

C. 22. §. 54. ID IN URBE AC DOMI SUAE COEPTUM ESSE LEVITER FERRET. quidam libri veteres habent, *leniter ferret* [vid. ad Orationem pro Mur. c. 29. §. 60. et habet codex palimpsestus Taurinensis apud Peyron. p. 196, sed improbante Garatonio.]. et supra, ubi vulgati habent, *quod per ignotos actum quum comperisset*, veteres quidam habent *actum si comperisset* [vid. Peyron. Fragmm. Oratt. p. 196. et cf. Madvig. Epist. Crit. p. 130.].

C. 24. §. 60. QUONAM MODO ILLE FURENTI FRATRI SUO PATRUELI CONSULARIS RESTITISSET QUI CONSUL INCIPIENTEM FURERE ATQUE CONANTEM SUA SE MANU INTERFECTURUM AUDIENTE SENATU DIXERIT. quidam libri impressi habent, *Consulari restitisset qui Consule incipientem furere*, omnes veteres, *Consularis restitisset qui Consulem incipientem furere.* unde vir quidam doctissimus suspicabatur olim legendum, *Consularis restitisset qui Consule me*, et cetera. deliberandum amplius censeo. mihi properanti non est fas, quae sit verissima lectio diiudicare.

Ibid. NE QUAM VOCEM ELICIAT. nisi in uno codice manu scripto scriptum reperissem *eliciat*, assensus essem Mureto, qui in libris Variarum Lectionum [2, 17. Operum Tom. 2. p. 50.] *eiiciat* legendum censet. cum quo tamen faciunt duo alii manu scripti. omnino utraque lectio probabilis est [et proclivis error in confinibus vocabulis. vide ad IV. Herenn. c. 10. §. 14. et cf. annotata a VV. DD. ad Caesaris III. de B. C. 25, 4. p. Oudendorp. 693. sq.]. nam si *eliciat* legemus, ad Clodiam referemus hoc modo, ne ipsa Clodia eliciat vocem aliquam: sin *eiiciat*, ad domum, hoc modo, ne domus vocem aliquam mittat [cf. Lambinum Epp. ad Muretum Operum Muretinorum Tom. 1. p. 398. sq.].

C. 25. §. 61. CONSTITUTUM ESSE CUM SERVIS UT VENIRENT AD BALNEAS XENIAS. sic edi malui, quam ut est in vulgatis, *constitutum factum cum servis.* quamquam hanc lectionem non damno. dicunt enim Latini *constitutum facere* [cf. Gronovium Observatt. 1, 1. p. edit. Lips. 13. sq.].

C. 26. §. 63. UT IN BALNEAS CONTRUDERENTUR. liber unus manu scriptus habet *conducerentur*, et paullo ante *dein eam*, ubi vulgati habent *deinde eam.* et item infra paullo, pluribus post versibus [c. 27. §. 65.], *dein id se vidisse dicerent.*

Ibid. HOMINES GRAVITATI DEDITOS. omnes libri veteres habent, *homines temperantes.* legendum fortasse est, *homines intemperantes.*

C. 27. §. 64. extr. FUERANT AD HOC ROGATI. libri vulgati habent *fuerant hoc rogati.* quidam veteres *ad hoc rogati.* quam scripturam probavi. paucis post versibus [§. 65.], ubi vulgo legitur, *quem quomodo reprehenderent*, illi *quae quomodo.*

C. 28. §. 66. DE MANIBUS EMISERIT. libri veteres habent *de manibus miserit.* legendum fortasse est, *de manibus dimiserit* seu *amiserit.*

C. 29. §. 69. AUDITA ET PERVULGATA ET PERCELEBRATA SERMONIBUS RES EST. hoc totum, *et pervulgata*, abest a libris manu scriptis.

§. 70. fin. SED AD MULIERIS LIBIDINES ET DELICIAS DEPOSCITUR. liber unus antiquus habet, *sed ad mulieris libidinosae delicias deposcitur* [probante Madvigio Epist. Crit. p. 122.].

C. 31. §. 77. IAM ISTA DEFERVERINT. sic item hoc loco habent libri veteres omnes, praeter unum, in quo est *deserverint* quod arbitror a librario errante scriptum esse pro *deferverint* [vide ad h. l. c. 18. §. 43.].

§. 78. HOMINEM SINE RE. videtur legendum, *homo sine re, sine fide, sine spe, sine sede, sine fortunis, ore, lingua, manu, vita omni inquinatus.*

XXXV.

IN ORATIONEM DE PROVINCIIS CONSULARIBUS.

C. 2. §. 4. SED ETIAM CASTRIS THRECIIS DISTINCTA AC NOTATA. libri veteres partim sic habent, *Threciis*, inquam, partim *Threiciis* [vid. Commentaria Horatiana ad l. Carmm. 24, 13. p. 62. E. et cf. Drakenborch. ad Livii 37. 33, 3. Tom. 10. p. 812.].

C. 3. §. 6. ET MORTE VOLUNTARIA NEFARIAM TURPITUDINEM DEFULISSE. vox *nefariam* abest a duobus libris manu scriptis.

p. 710. a. C. 4. §. 6. EXHAUSTI SUMPTIBUS BELLORUM || MAXIMIS. libri veteres habent, *exhausti sumptibus bellisque maximis.*

§. 8. fin. UT NEMO POSSET UTRUM DETERIOR AN INFELICIOR ESSET IUDICARE. libri veteres habent *utrum posterior.* quod probo. usus est eodem nomine Oratione in Pisonem [p. 537, 41. id est c. 27. §. 66], *nihil isto est posterius, nihil nequius* [locum subministravit Nizolius p. 558. 1. ipse Lambinus sic dedit, *nihil scitote esse luxoriosius, nihil libidinosius, nihil protervius, nihil nequius.* vid. Orell. p. 299, 10. sq. et ad Pisonianam l. l. p. 357, 8.].

C. 5. §. 12. HOS PERIRE PATIEMINI. libri manu scripti habent, *patiemur?*

C. 6. §. 13. ET HAS DUPLICES PESTES SOCIORUM. non putavi mihi fas esse, omnium codicum veterum auctoritatem negligere ac reiicere, qui sic habent, *duplices*, non *publicas.*

§. 14. extr. QUIBUSCUM IAM IN EXOSTRA HELUATUR. sic legendum est, et ita est scriptum in codicibus antiquis. est autem *exostra* pars scaenae, seu machina, qua quae intus geruntur, rotis circumactis, spectatoribus patefiunt. lege Pollucem [4, 19. p. 426 sq].

C. 8. §. 18. AN NON TI. GRACCHUS (PATREM DICO CUIUS UTINAM FILII NE DEGENERASSENT A GRAVITATE PATRIA) TANTAM LAUDEM EST ADEPTUS. tantam, quantam M. Lepidus. quidam legunt, *eandem laudem*, quod idem valet.

Ibid. fin. QUI TRIUMPHASSET. hic ordo sententiarum et periodorum integrarum erat perturbatus: ego in ordinem redegi. hoc tantum. praeter codicum autem duorum auctoritatem, qua fretus ordinem vulgatorum immutavi, adiuvit me ratio. nam exemplum Tib. Gracchi, quemadmodum et M. Lepidi, pertinet ad consilium inimicitiarum rei publicae causa ponendarum. quare ea coniunctim legi debent, et locanda sunt post illa [§. 20.], *quid si ipsas inimicitias depono rei publicae causa* [vid. ab Orellio V. D. annotata ad h. l. p. 302, 7.]?

C. 10. §. 25. UT NEMINI ULLO EX BELLO. libri veteres habent, *uno ex bello.*

C. 11. §. 27. ET CUIUS SENTENTIA PRIMUM DUPLICATA EST SUPPLICATIO CONSULARIS. vox *Consularis* videtur inanis, et ideo delenda.

C. 12. §. 29. NISI UT EA QUAE PER EUM AFFECTA SUNT PERFECTA REI PUBLICAE TRADAT. sic habent omnes libri veteres, et concinnior est haec lectio [vid. Nonium Marcellum 2, 703. p. Mercer. 160, 32.].

C. 13. §. 33. CETERAS CONTRIVIT CONTUDIT DOMUIT. libri veteres habent *conterruit* pro *contrivit* [vid. Drakenborch. ad Livii 3. 11, 9. Tom. 2. P. 1. p. 112.]. *contudit* autem edendum curavi pro *compulit*, quod in veteribus libris duobus scriptum *contulit* reperi [vide ad Orationem pro Sylla c. 14. §. 40.].

C. 14. §. 34. fin. ET AD RENOVANDUM BELLUM REVIRESCENT. nihil hac scriptura incorruptius, nihil integrius. non celabo lectorem tamen, in libris manu scriptis scriptum esse *reviridescent* [fuitne *revidescent?*]. unde quidam suspicantur legendum *reviridescent.* cuius verbi usus mihi est incognitus, atque adeo inauditus.

C. 15. §. 36. EAM SE SCISCERE LEGEM QUAM ESSE LEGEM NEGET CUI NON POSSIT INTERCEDI ET QUAE PARS PROVINCIAE SIT HANC SE AVELLERE. locus suspectus, quem quidam sic legi volunt, *quam esse legem neget, et cui possit intercedi: quae pars provinciae sit, et cui non possit intercedi, hanc se avellere: quae defensorem habeat, non tangere.*

§. 37. ATQUI MIHI NIHIL VIDETUR MAGIS A DIGNITATE DISCIPLINAQUE MAIORUM DISSIDERE. in libris manu scriptis saepenumero hoc observatum est, *minus* pro *magis*, et contra *magis* pro *minus* a librariis esse positum. ergo hic item *minus* pro *magis* fuerat scriptum [vid. quos Drakenborchius laudavit ad Livii 45. 25, 7. Tom. 12. P. 1. p. 518. sq.].

C. 16. §. 39. EXIMIIS AC NOVIS REBUS ORNATUS. legendum fortasse est, *eximiis ac novis honoribus ornatus.*

C. 17. §. 40. fin. CONIUNCTI TAMEN AMICITIA MANEREMUS. nihil hoc loco videtur esse integrius. vetusti tamen codices habent, *coniuncti tamen amicitiam amaremus.* quos non sequor.

§. 41. fin. QUO PRINCIPEM CIVEM SUUM GENERUM. libri manu scripti habent, *quo principem civium, suum generum.*

C. 19. §. 46. CENSORIUM IUDICIUM AC NOTIONEM. quidam legi volunt *ac notationem*, et ita saepe appellatur animadversio Censoria potius quam *notio.* quanquam utrumque reperitur usurpatum, quum de Censorum animadversione verba fiunt [vid. Pareum Lex. Crit. p. 802, 2.].

XXXVI.

IN ORATIONEM PRO L. CORNELIO BALBO.

C. 1. §. 2. NIHIL DE MORE MAIORUM DE EXEMPLIS ACUTIUS. vulgati sic habent, *nihil de memoria, nihil de more*, manu scripti sic, *nihil de memoria, nihil de maiore.* ego sic restituo, *nihil de more maiorum, de exemplis acutius.* quomodo sine dubio est legendum.

§. 3. OMNIA QUAE FACERE VELLET FACILLIME TRACTARE. docti quidam verbum *facere* delendum putant.

C. 2. §. 4. ET PRAEDICATOREM ET ACTOREM. sic habent libri veteres omnes, et ita legendum [vid. ad III. de Oratore c. 56. §. 213.].

C. 3. §. 6. extr. NULLIUS PROELIO EXPERTEM FUISSE. codex unus Memmianus habet, *nullius periculi expertem fuisse* [ita variant libri et in Livii loco 37. 30, 7., ubi vid. Drakenborch. Tom. 10. p. 800.].

§. 7. NISI HONOS IGNOMINIA PUTANDA EST. quidam libri veteres habent, *ignominia vocanda est.*

C. 4. §. 9. PUERITIAE TEMPUS EXTREMUM. codices nonnulli veteres habent, *pueritiae tempus extremae.*

C. 5. §. 11. extr. CUM FOEDERIBUS QUORUM ACERRIMA DILIGENTIA EST PERPENDEMUS? sic reposui, libris omnibus reclamantibus. *diligentiam* enim *acerrimam* dicimus, non *acerbissimam*, deinde *perpendere* pro comparare seu potius ἐξετάζειν, id est examinare, ex quo *perpendiculum*, non *pertendere*, quod haud sico an non sit Latinum [vid. Pareum Lex. Crit. p. 923, 2.].

C. 6. §. 14. QUASI VERO NON LEVIUS SIT. approbata Errici Memmii coniectura sic reposui.

§. 15. extr. ATQUE UT EGO SENTIO IUDICES CAUSA DICTA EST TEMPORIS MAGIS VITIO QUAM ULLIUS CORNELII CRIMINE DE QUO PLURA NON DICAM. huius loci restitutio debetur Petro Danesio, quam quum ‖ in codice suo perscriptam habent Leodegarius Quernus, vir optimus et humanissimus, collega meus, mecum communi-

cavit. utrum autem ex aliquo antiquo codice sumpta sit, an a Danesio excogitata, nescio [vid. ab Orell. notata ad h. l. p. 316, 11. et cf. Madvig. Epist. Crit. p. 95. sq.].

Ibid. EST ENIM HAEC HUIUS SAECULI LABES QUAEDAM ET MACULA. libri veteres habent alio verborum ordine, *est enim haec huius saeculi quaedam macula atque labes* [locum sic laudavit Vincentius Bellovacensis Spec. Doctr. 5, 130. edit. pr. *est haec saeculi malitia quaedam atque labes*, *virtuti velle invidere ipsumque florem dignitatis infringere.*].

§. 16. extr. CUIUS IGITUR AUDITA VIRTUS DUBITATIONI LOCUM NON DARET HUIUS PRAESENS EXPERTA ATQUE PERSPECTA OBTRECTATORUM VOCE LAEDETUR? vox *praesens* abest a libris veteribus. ego puto et aliud nomen deesse tale, quale est *virtus*. nam si quis dicat *virtus* repeti ἀπὸ κοινοῦ, duriusculum est.

C. 8. §. 21. QUUM MAGNA PARS IN IIS CIVITATIBUS IURIS SUI LIBERTATEM CIVITATI ANTEFERRET. libri veteres habent, *foederis sui libertatem* [plures habent *civitate anteferret* vel *anteferrent*, Hotomanus Observatt. 2, 20. adiiciendum putat *nostrae*. vid. Gruter. p. 574, 1.].

C. 10. §. 26. QUI NULLIS PRAEMIIS PROPOSITIS. legendum fortasse est, *qui multis praemiis propositis*.

C. 15. §. 34. DUO FULMINA NOSTRI IMPERII. omnino legendum est *duo lumina nostri imperii*, et ita edi iusseram, sed operae librariae, genus hominum indoctum, contumax et indocile, mihi obtemperare noluerunt, ut apparet [vid. Ind. Erratorum p. 848.]. neque vero me movent veteres codices, qui cum vulgatis consentiunt. quid enim sibi vult *fulmina belli*, aut quid valet? nam quod Virgilius [VI. Aeneid. 843.] dixit *fulmina belli*, quid simile? *fulmina belli* graviter et ornate dictum, *fulmina imperii* non convenit. praeterea *lumina* extingui et occidere convenit, *fulmina* non item [vid. Weiskium notis ad h. l. p. 262.].

Ibid. CUM GADITANIS FOEDUS ICISSE DICITUR. omnes libri manu scripti habent, *foedus fecisse*.

§. 35. fin. NISI QUOD PER POPULUM PLEBEMVE SANCITUM EST. libri veteres habent, *sanctum est* [vide annotata ad II. de Invent. c. 49. §. 146. et cf. Drakenborch. ad Livii 10. 9, 3.].

C. 16. §. 35. extr. MAIESTATEM POPULI ROMANI COMITER CONSERVANTO. quum in veteribus codicibus reperissem *conservant*, ego edendum curavi *conservanto*, pro quo vulgati habent *conservent*, minus eleganter minusque accommodate.

§. 36. IN QUO ERAT ACCUSATORIS INTERPRETATIO INDIGNA RESPONSIONE QUI ITA DICEBAT COMITER ESSE COMMUNITER. videtur hic aliquid deesse, aut certe ita legendum, *in verbo comiter accusatoris interpretatio erat indigna responsione, qui ita dicebat, comiter esse communiter.*

C. 17. §. 38. QUAE MIHI TUM SI GADITANI CONTRA ME DICERENT VERE POSSE RESPONDERI VIDERENTUR. quum in uno codice manu scripto reperissem scriptum *vere posse conditi*, ego ex hac depravata scriptura *vere posse responderi* reposui. quae lectio confirmatur iis, quae statim sequuntur, *responderem, legem populum Romanum iussisse de civitate tribuenda.* vulgata autem, *vere posse dici*, mihi nullo modo probatur.

Ibid. HUIC GENERI LEGUM FUNDOS POPULOS FIERI NON SOLERE. secutus sum veterum librorum auctoritatem in hoc quoque loco mutando. neque vero dubium, quin ita sit legendus. quid autem hic dicat Cicero, et quamobrem haec antiqua scriptura praestet vulgatae, facile intelliget, qui, quae supra de *populis fundis* a Cicerone dicta sunt, teneat.

C. 18. §. 41. extr. RE DENIQUE MULTO ANTE GADIBUS INAUDITA. sic habent omnes, quos vidi, libri veteres, neque dubium cuiquam debet esse, quin ita sit legendum. *inaudita* autem participium est a verbo *inaudio*, ne quis putet esse compositum ex *in* et *auditus*, quod significat *non auditus*, ut, *supplicia inaudita, scelera inaudita*, id est non audita. hoc loco autem *inaudita* idem fere valet, quod *audita* [vid. Pareum Lex. Crit. p. 589, 1.].

§. 42. ET HUIUS CIVITATIS HONORE DIGNISSIMUM IUDICARET. scripturam antiquam adiuvi. nam quum reperissem ita in libris antiquis scriptum, *et ius civitatis honore dignissimum*, vulgatam autem lectionem ferri non posse, *et ius civitatis honorem dignissimum* (nam primum, de cuius civitatis iure sentiat, non aperit, deinde *honos dignissimus* quid valet?) ego ex *ius* feci *huius*, cetera scripturae veteris fidem atque auctoritatem sum secutus.

C. 19. §. 43. INVETERATAM QUONDAM BARBARIAM. legendum fortasse est *quandam*, non *quondam*.

Ibid. UT EX NOBILISSIMO CIVI SANCTISSIMUM HOSPITEM. sic habent omnes libri veteres: nihil prorsus de meo addidi, nihil detraxi. quae lectio quanto praestet vulgatae, usque adeo hebetem puto esse neminem, quin intelligat.

C. 22. §. 50. QUID HERACLIENSIUM LEGIONEM. nihil me quidem in hac scriptura offendit, praeter numerum et multitudinem. sed tamen antiquam scripturam ponam in medio, quae talis est, *Heracles unalexam* [vid. Garatonium ad Plancianam p. Orell. 311. et Niebuhrium Fragmm. Cic. p. 61.]. iidem libri infra, ubi vulgati *LX*, habent *novem* litterate scriptum. in quo dubitari potest, fueritne principio scriptum *LX* et inde factum sit *IX*, an contra. iidem paullo post, ubi vulgati *Aletrinensem, Avenniensem.*

§. 51. ET MAMERTINOS OVIOS. sic hunc locum emendat Bucananus, quum in libris omnibus vulgatis et manu scriptis, quos quidem viderim, ita legatur, *nam et Gaditanum Asdrubalem ex*

bello Africano, et Mamertinos obvios, et quosdam Uticenses, et Saguntinos fabros civitate donavit. his autem verbis suam emendationem probat Bucananus. »vox *obvios* hic procul dubio »locum non habet, neque dubito, quin pro eo substituendum »sit *Ovios.* Oviorum enim familia in primis clara erat apud »Campanos, ut ex T. Livii libro 9. [26, 7.] et ex historia belli »Punici secundi facile colligi potest. porro Mamertini coloni »erant Campanorum. nam Campani milites Messanam in prae»sidium missi, veteribus incolis expulsis, sese Mamertinos dixe»runt, ut scribit Polybius libro 1. [c. 8. Tom. 1. p. Schweig»haeus. 17.]. itaque non mirum, si multa veterum e Campania »familiarum nomina || ibi resederint, quale *Oviorum.* ab *ove* p. 711. »enim multae veteribus cognomento appellatae fuerunt familiae, a. »ut praeter eam, quam dixi, apud eosdem Campanos *Offilii* pro »*Ovilii*, et Romae *Ovivii* et *Fabius Ovicula*, et in Pelignis *Ovi»dii*, quod ab *οἰδίον* declinatum videtur.«

Ibid. fin. ITAQUE ET SIBI UNDIQUE FORTES VIROS ASCIVERUNT ET HOMINUM IGNOBILIUM VIRTUTEM PERSAEPE NOBILITATIS INERTIAE PRAETULERUNT. satis feliciter (non enim dicam ingeniose) hunc locum resitui. nam quum in uno libro manu scripto reperissem scriptum *civi undique*, ego, qui et scirem *u* pro *b* librarios illos scribere solitos [vide annotata ad V. Accus. c. 69. §. 177.], et viderem, sententiam ut *sibi* legatur postulare, ego ex *civi* feci *sibi* [cf. Drakenborch. ad Livii 3. 23, 3., quo loco item *cibi*, sive *civi*, et *sibi* confusa reperias, propter similitudinem soni, quem in pronuntiando habent *c* et *s*.].

C. 24. §. 55. MENTE DOMESTICA ET CIVILI PRECARENTUR. libri veteres habent *precaretur*, ut referatur ad sacerdotem *civem.* tum supra iidem libri habent *diligerent*, ubi vulgati *deligerent:* ego tamen, si Festum sequi vellemus, *dilegerent* reponendum censerem [vide annotata ad II. de Oratore c. 9. §. 36.].

C. 25. §. 56. ICCIRCO ILLA IN OMNI PARTE ORATIONIS SUAE ARTE ASPERGI VIDEBATIS. vocem *arte* natam ex nomine *parte* docti quidam suspicantur, neque putant esse Ciceronis [vide annotata ad Top. c. 7. §. 32.].

C. 26. §. 57. NON ILLO MIMICO. sic legendum, non *inimico*, ut habent libri vulgati [*in* et *m* confusis, propter ductuum similitudinem, cuius erroris exempla sunt fere obvia. vid. Drakenborch. ad Livii 36. 6, 4. Tom. 10. p. 493.].

§. 59. MUNUS HOC MERITO. malim legi *meritum* paullo ante [§. 58.], ubi vulgati libri habent *vestrisque discordiis*, ego, aliquot libros veteres secutus, *nostrisque* reposui.

Ibid. extr. AB HOC IMPARI CERTAMINE ATQUE INIUSTA CONTENTIONE AVOCABAT. antiquam scripturam adiuvi, quae talis est, *ab hoc imperito certamine.* nam vulgata, *ab hoc improbo certamine*, non placet, et videtur Latinis auribus inaudita. haec

autem, *certamen impar*, seu inaequale, usitatissima et probatissima est. coniecturam meam adiuvat, id quod sequitur, *atque iniusta contentione. iniusta* enim, id est iniqua, inaequalis.

C. 28. §. 64. NON DE ALIQUO CRIMINE SED DE PERICULO SUO DE PUBLICO IURE DISCEPTAT. malim legi, *sed periculo suo de publico iure disceptat.*

XXXVII.

IN ORATIONEM IN L. CALPURNIUM PISONEM.

In hac Oratione tametsi neque nos deficerent codices veteres, et Memmiani et alii, tamen Faerni emendationes in plerisque locis secuti sumus, qui et ipse optimos codices secutus est, et mirus fuit verae et rectae scripturae ex antiqua depravata coniector.

C. 1. §. 1. DECEPIT FEFELLIT IN FRAUDEM INDUXIT. delendum hoc totum *in fraudem*, et ita iusseram excudi [vid. Ind. Erratorum p. 848.].

C. 3. §. 6. CIVICAM CORONAM DEBERI A POPULO ROMANO DIXIT. ex nostris codicibus, hoc est, Memmianis sic reposuimus. nam vulgati, a quibus non discrepat exemplum a Faerno emendatum, habent *deberi a rep.* [id est *a re publica*, cuius formulae hoc est compendium *RP.*, quod compendium cum altero *PR.*, id est *populus Romanus*, passim confunditur, culpa scriptorum librariorum. vid. Drakenborch. ad Livii quum alia loca tum 22. 37, 12. Tom. 7. p. 224. et cf. annotata ad Orationem pro Sextio c. 37. §. 79.].

C. 4. §. 8. extr. COMPITALIORUM DIES. sic legendum, non *Compitalitiorum*, et ita habent etiam nostri codices. *Compitalia* dies festus. est enim unus, ex quo *ludi Compitalicii* nominati [cf. Comm. Horatiana ad II. Satirr. 3, 281. p. 144. A.].

C. 5. §. 10. extr. NOTIONEMQUE CENSORIAM. *notationem* legendum potius videtur [vide ad Orationem de Provinciis Consularibus c. 19. §. 46.]. *notionem* tamen habent omnes libri, et manu scripti et impressi, quos quidem viderim.

C. 6. §. 12. EGERE FORIS ESSE GABINIUM. hic locus integer est et ab omni mendo purus. quare delendus asteriscus, qui huc appingitur in libris vulgatis. dicitur autem *foris esse* debitor, qui latitat neque facit sui conveniendi copiam [cf. Pareum Lex. Critico p. 496, 1.].

C. 7. §. 15. INTERIRE PATRIAM. legendum putant quidam, *interimere patriam.*

C. 8. §. 18. QUIS HOC FECIT ULLA IN SCYTHIA TYRANNUS. sic habent omnes libri, et vulgati et manu scripti, neque opus fuit hic cuiusquam emendatoris opera.

C. 9. §. 19. EGO ISTIUS PECUDIS AC PUTIDAE CARNIS CONSILIO SCILICET AUT PRAESIDIO NITI VOLEBAM. doctus quidam existimat hic legendum, *putidae canis* [is est Petrus Faber, quem vid. Semestr. 1, 2.]. ego nihil muto. nam primum non convenit, eundem coniunctim appellare *pecudem* et *canem:* deinde id quod statim sequitur, *eiecto cadavere,* argumento est, a M. Tullio scriptum esse *putidae carnis.*

Ibid. QUEM IN HOC ANIMALI INVENIRE NON POSSEM. sic omnes quidem habent libri, sed Isidorus in voce *maialis* [Originum 2, 39. vid. nunc inter Fragmm. Orationum Ciceronis Peyronn. p. 207. sed tamen *maialis* displicebat Hotomano Observatt. 8, 7.] legit hic, *in hoc maiali.* est autem *maialis* porcus castratus [cf. Pareum Lex. Crit. p. 707, 1.].

§. 20. AN CUM ALTERO BARBARO EPICURO. Faernus legit *barbaro Epicureo,* ego *Epicuro* malo, praesertim quum ita habeant Memmiani codices, et infra eodem nomine appellet, ibi [p. 532, 32. id est c. 16. §. 37.], *confer nunc Epicure noster.* appellat scilicet *Epicurum* Pisonem, tanquam voluptatis laudatorem, *barbarum* utpote Semiplacentinum, ut distinguat ab illo Gargettio et Attico Epicuro. eodem versu autem, ubi vulgati habent *laternario*, Faernus testatur scriptum esse in libris veteribus *lanternario*, nos in nostris partim *lanternario* [vid. Fragmm. Orationum Peyronn. p. 207. et cf. Pareum Lex. Crit. p. 660.], partim *lantumario.* unde doctissimi quidam viri legendum existimant *lautumario*, et *lautumarium* interpretantur carceris colonum et quasi carceris habitatorem. ego non video, quomodo *lautumarius* a *lautumia* fingi possit. putarem *lautumiarius* potius esse dicendum: quod tamen non puto, quum sive *latomia* sive *lautumia* [vid. Pareum Lex. Crit. p. 667, 1.] dicatur a Latinis, nomen sit Graecum, a Graecis nominibus autem talis derivatio fieri non possit [probatur *lautumiarius* Adriano Turnebo Adverss. 21, 18.].

C 10. §. 22. extr. QUOD QUIDEM ISTIUS || IN ILLIS REI PUBLICAE LUCTIBUS SYMPOSIUM QUASI ALIQUOD LAPITHARUM AUT CENTAURORUM CONVIVIUM FEREBATUR. vocem Graecam *symposium*, quae hic reperitur in aliquot libris manu scriptis, deleverant nescio qui homines. eam nos restituimus [vide tamen Fragmm. Orationum Peyronn. p. 208. habet certe nunc vulgata, quo se tueatur.]. p. 712. a.

§. 23. HIS TU CLODIANE CANIS INSIGNIBUS CONSULATUM DECLARARI PUTAS. sic hunc locum emendavi, parva immutatione facta. Pisonem autem *Clodianum canem* appellat, quia more canum P. Clodio Tribuno Plebis adulatus sit, ut provinciam quam

vellet obtineret, pecuniamque publicam exhauriret, profunderet ac dissiparet.

Ibid. ARMA IN TEMPLUM CASTORIS LUCE ET PALAM COMPORTARENTUR. sic legendum, libris omnibus invitis.

C. 13. §. 29. IDEMQUE IN ITALIA. legendum fortasse est, *itemque in Italia.*

C. 15. §. 34. CONSENTIENTE ATQUE UNA VOCE REVOCAVIT. duas voces, *populo Romano*, fidem antiquorum codicum et Faerni sententiam secutus, delevi. appellat autem *consentientem et unam vocem* non discordem, non discrepantem, ὁμοφωνοῦσαν.

§. 35. extr. PRAETERQUE DUOS DE LAPIDE EMPTOS TRIBUNOS PL. Sex. Atilium Serranum et Q. Numerium significat. *de lapide emptos* autem dicit, quia sese silentiumque suum P. Clodio vendiderant. respexit ea, quae a praecone in auctionibus proclamantur ac venduntur [vid. Parenm Lex. Crit. p. 661, 1. v. *lapis.*].

§. 36. VOS DIRIBITORES. sic legendum, et ita emendarunt viri doctissimi auctoritatem codicum veterum secuti [vid. Turnebum Adversarr. 21, 15. de verbi *diribere* et quae inde derivata sunt verborum significatione docte et copiose disputavit Wunder. Praefatione in VV. LL. e codice Erfurt. enotatas p. CXXVI. sqq.].

C. 16. §. 37. EX HARA PRODUCTE NON EX SCHOLA. hunc locum profert Nonius in nomine *hara* [2, 398. p. Mercer. 120, 23.].

§. 38. fin. APPELLATUS EST HIC VULTURIUS ILLIUS PROVINCIAE SI DIIS PLACET IMPERATOR. producit testem hunc locum Charisius libro primo in nomine *vulturius* [1. p. Putsch. 120.], hoc modo, *vulturius illius provinciae*, significans haec verba, *illius provinciae*, cohaerere cum voce *vulturius*, et non cum voce *imperator.* per *vulturium* autem vult intelligi Cicero expilatorem et direptorem. idem ibidem alium ex eadem oratione locum profert, qui hodie non reperitur, *Scaurus vulturius rei publicae.*

C. 17. §. 39. NE TUM QUIDEM PAULLE NOSTER TABULAS ROMAM CUM LAUREA MITTERE AUDEBAS. legendum, ut habent libri nonnulli veteres, *tabellas.*

Ibid. ET AMICOS TUOS PLUS HABUISSE ET PUDORIS ET CONSILII. qui hunc locum attente leget, sic esse legendum, vel invitis libris omnibus, quemadmodum edidimus, iudicabit.

Ibid. QUAM AUT TE VIDERI PUDENTIOREM FUISSE QUAM SOLES. sic habent omnes libri, non solum manu scripti, verum etiam vulgati et a Manutio, Iunta, Colinaeo, Frobenio impressi [sunt qui *prudentiorem* praeferant, et sic repraesentare codicem Erfurtensem auctor est Wunder. V. D. p. 80. proclivem in confinibus vocabulis lapsum notavi ad Orationem pro Flacco c. 23. §. 55.].

C. 18. §. 42. extr. ETIAMSI IN FALARIDIS (sic) TAURO INCLUSUS SUCCENSIS IGNIBUS TORREATUR. hunc quoque locum profert

Charisius in nomine *Phalaridis*, quod apud eum scribitur per *f* [1. p. Putsch. 104.].

§. 43. NOTA INUSTA A SENATU. sic restituit Faernus, quum scriptum reperisset in veteribus codicibus, *nota iusta Senatus.*

C. 20. §. 45. NON SECUS AC DE TAETERRIMIS HOSTIBUS. nihil muto, quamvis testetur Faernus scriptum esse in suis libris antiquis, *acerrimis hostibus.* nam et *taeter hostis* gravius dictum quam *acer*, et in Oratione pro M. Caelio ita est locutus [p. 495, 18. id est C. 6. §. 13], *quis tetrior hostis huic civitati?*

§. 47. QUID EST ALIUD FURERE NISI NON COGNOSCERE HOMINES NON COGNOSCERE LEGES NON SENATUM NON CIVITATEM. a libris veteribus abest particula *nisi*, eamque censeo tollendam. sed (fatendum est enim) servivi semidoctis, qui detracto *nisi* non intelligerent hoc loquendi genus elegantissimum et antiquissimum.

Ibid. extr. CRUENTARE CORPUS SUUM LEVE EST. sic restituit hunc locum Faernus. et recte. nam qui, non restitutis his duabus vocibus *leve est*, quae non sunt in vulgatis, aliter emendare conati sunt, operam luserunt.

C. 21. §. 48. QUUM PARTIM EIUS PRAEDAE PROFUNDAE LIBIDINES DEVORASSENT. Faernus admonet, in libris antiquis scriptum esse, *quum partem* [sed vid. Voss. de Constructione C. 64. p. 248].

C. 23. §. 55. QUUM EGO CAELIMONTANA INTROISSE DIXISSEM SPONSIONE ME NI ESQUILINA INTROISSET HOMO PROMPTUS LACESSIVIT. si hoc solum profuissent libri veteres, quibus Faernus usus est, quod ad hunc locum restituendum adiuverunt, et Faerno maximae gratiae deberentur, et codices illi quantavis laude essent dignissimi. quum igitur ex hoc loco, tum ex infinitis aliis intelligere licet, quantum tribuendum sit antiquitati, non dico illi antiquitati paene recenti, patrum et avorum et proavorum nostrorum, qui incorruptam illam et sinceram antiquitatem corruperunt, ipsi in summa ignoratione litterarum versati sunt, sed illi ultimae, unde quantumcunque nunc bonarum litterarum nostra aetate remanet, profectum ad nos pervenit.

Ibid. AUT VESTRUM QUISQUAM AUDIERIT. Faernus testatur, verbum *audierit* reperiri quidem in codicibus manu scriptis, sed sibi videri otiosum esse. cui quamvis assentiar, delere tamen non sum ausus. deleto autem repetendum erit *ἀπὸ κοινοῦ*, *sive debuerit.*

C. 24. §. 56. extr. TRIUMPHI NOMINE TEGERE ATQUE CELARE CUPIDITATEM SUAM. libri vulgati habent, *tegere atque velare*, Faernus testatur in suis libris manu scriptis esse scriptum, *atque celare* [vid. Burmann. ad Anthol. Lat. Vol. 2. p. 677.]. quos secuti sumus. nonnulli ex nostris vulgatam lectionem tuentur, quae quamvis quibusdam probabilis videatur, nos tamen antiquam magis probamus.

§. 57. SIC EST LAEVI ANIMI LUCEM SPLENDOREMQUE FUGIENTIS. Faernus legendum putat, *sic est laevi animi*, id est, sinistri, stolidi, infelicis, quod malo quam quod est in omnibus libris, *levis*. verumtamen puto delendam vocem sive *levis*, quae vox est in libris antiquis et vulgatis, sive *laevi*, quam substituit Faernus. plane enim otiosa est, et credibile est additam esse propter vocem *levitatis*, quae antecedit. sic igitur hic legendum puto, *sic est animi lucem splendoremque fugientis, iustam gloriam, qui est fructus verae virtutis honestissimus, repudiare.*
b. si quis tamen *laevi* retinere volet, non carebit similibus || exemplis. Virgilius Tityro [Eclog. 1, 16.], *si mens non laeva fuisset.* et Horatius epistola ad Pisones de Arte Poetica [II. Epp. 3, 301. 2.], *o ego laevus, Qui purgo bilem sub verni temporis horam* [vid. Commentaria Horatiana ad I. Epp. 7, 52 p. 238. B.]!

Ibid. extr. QUUM MARE VASTISSIMUM HIEME TRANSIBAS. Faernus testatur in libris veteribus scriptum esse, *transiebas*, quemadmodum Terentius dixit in Hecyra [1. 2, 97.], *ad hos rediebat lege hereditas.*

C. 26. §. 64. INFIMO AC DESPICATISSIMO. vulgati codices habent *infirmissimo ac desperatissimo*, manu scripti *infimo ac desperatissimo* [vid. VV. DD. ad Livii 4. 59, 6. et 10 6, 4.]. ego ab antiqua scriptura tanquam manu ductus legendum censeo, *ac despicatissimo.* utitur eadem voce in Oratione pro Sextio [p. 465, 4. id est c. 16. §. 36.], *cessi Tribuni Plebis despicatissimi hominis furori.*

C. 27. §. 64. QUO EX ORDINE VIR PRAESTANTISSIMUS L. LAMIA EST TE CONSULE RELEGATUS. sic legendum. nam ex historia et ex ipsius M. Tullii Orationibus, Sextiana [p. 463, 34. id est c. 12. §. 29.] et ea quae post reditum est habita [p. 398, 15. nobis c. 5. §. 12.], didicimus, L. Lamiam a Clodio esse relegatum, non L. Aelium.

C. 27. §. 67. PANIS ET VINUM A PROPALA ATQUE DE CUPA. sic restituit Adrianus Turnebus [Adversarr. 1, 1.]. est autem *propala*, ut docet ille, qui merces propalam et veluti de palo suspensas vendit [de *propala* sive *propola* vid. Pareum Lex. Crit. p. 202, 1. et Gesnerum Thes. L. L. Vol. 3. p. 1119, 35. de *cupa* sive *cuppa* hunc eundem l. l. Vol. 1. p. 1316, 81.].

Ibid. IPSE SOLUS [.] BIBITUR USQUE EO DUM DE SOLIO MINISTRETUR. sic legendum et distinguendum, et ita impressum est in exemplis Romanis a Faerno emendatis.

C. 28. §. 68. IS QUUM ISTUM ADOLESCENTEM IAM TUM CUM HAC DIIS IRATA FRONTE VIDISSET NON FUGIT EIUS AMICITIAM QUUM ESSET PRAESERTIM APPETITUS. non placet antiqua scriptura, *iam tum hac distracta fronte*, quamvis eam Faernus probare videatur, ut forte (inquit ille) *distractam* Pisonis *frontem* appellet ob id, quod supra de eodem dixerit [p. 528, 31. nobis C. 6. §.

14.], *altero ad frontem sublato, altero ad mentum depresso supercilio.* idem testatur legi in suis veteribus libris, *non fastidivit eius amicitiam.* quod non improbo. sed neque vulgatam lectionem damnare audeo.

C. 30. §. 73. extr. POETARUM MORE TUM LOCUTUS. quum libri veteres ita habeant, *poetarum more conlocutus* [cf. Drakenborch. ad Livii 4. 24, 7. Tom. 2. P. 2. p. 200.], ego *tum locutus* reposui. quae scriptura videtur esse recta et vera.

§. 74. CONCEDAT LAUREA LINGUAE. sic Quinctilianus legit [XI. Instit. Orat. C. 1. §. 24. Tom. 4. p. Spalding. 241.], *concedat laurea linguae*, et ita esse legendum docet Petrus Victorius libro quinto Variarum Lectionum [c. 24.], non ut vulgo, *laurea laudi.* nata autem mendi origo et occasio est ex iis, quae paullo post sequuntur, *non modo amplissimae, sed etiam minimae laudi lauream concessisse.* quum M. Tullius per *linguam* eloquentiam intelligi velit, quae laus est amplissima, Piso autem indicarit, lauream non modo *eloquentiae*, quae amplissima laus est, sed etiam *minimae laudi* concessisse [addantur ex Omissis ad calcem Tom. 4. p. 625. haec: »postremo praeter antiquorum »librorum auctoritatem confirmat hanc scripturam et Plutarchus »in Cicerone, his verbis, *ἡ δὲ Κικέρωνος ἐν τοῖς λόγοις ἀμετρία »τῆς περιταυτολογίας ἀκρασίαν τινὰ κατηγόρει πρὸς δόξαν, βοῶν»τος, ὡς τὰ ὅπλα ἔδει τῇ τηβέννῳ, καὶ τῇ γλώσσῃ τὴν θριαμβι»κὴν ὑπείκειν δάφνην·* id est, *Ciceronis autem immoderata de »se ipso praedicatio declarabat, eum esse gloriae supra modum »avidum, quum clamaret, arma togae cedere debere, et lau»ream triumphalem linguae.«* locus Plutarchi est in Vita p. 887. A. conferenda etiam sunt, quae ad I. de Off. C. 22. §. 77. a. VV. DD., imprimis a Beiero disputantur Tom. 1. p. 181.].

C. 33. §. 81. CUIUS EGO IMPERIUM NON ALPIUM VALLUM ASCENSUI TRANSGRESSIONIQUE GALLORUM NON RHENI FOSSAM GURGITIBUS ILLIS REDUNDANTEM GERMANORUM IMMANISSIMIS GENTIBUS OBIICIO ET OPPONO. libri vulgati, a quibus manu scripti non discrepant, habent, *cuius ego imperio.* quae verba, si emendata scriptura est, sic explico, *cuius ob imperium, cuius propter imperium.* sed putabam olim legendum, neque nunc mihi aliter videtur, *imperium*, ut sit haec sententia, *cuius Caesaris* imperium *oppono ascensui Gallorum, non Alpium vallum*, et cetera. id est, *cuius imperio et rebus in imperio gestis factum esse iudico, ne Galli in Italiam pervenire possint*, et caetera.

C. 34. §. 84. QUUM TE TRECENTIS TALENTIS REGI COTTO VENDIDISSES. sic habent omnes libri, quos quidem viderim, et ita edidit Faernus. sed Adrianus Turnebus legit, *quum trecentis talentis regi Cotto vendidisses*, detracto pronomine *te* [Adversarr. 21, 15.].

Ibid. extr. FAMILIAS ABRIPUERUNT. sic habent libri veteres, quos quidem viderim, atque ita edidit Faernus. neque quicquam mutandum. aptissime enim cohaerent haec, *familias abripuerunt, pecus abegerunt*, et reliqua. *matres familias* au-

tem *abripuerunt,* quod aiunt quidam in quibusdam codicibus reperiri, non convenit.

C. 36. §. 89. IN VILLA EUCHADIAE QUAE FUIT UXOR EXEGISTI IACUISTI MAERENS ALIQUOT DIES. sic Faernus; Adrianus Turnebus [Adversarr. 21, 15.], *in villa Leucadiae, quae fuit uxoris Aegisti.* paullo ante, ubi operae *Tharsum* impresserunt, legendum *Thasum* [et sic correctum in Indice Erratorum p. 848.].

C. 37. §. 90. IN QUO TU ACCEPTA TAMEN ET DEVONATA PECUNIA UTINACHORAM CENTUM TALENTA EVOMERE NON POTERAS. locus corruptus, quem intactum praeteriit Faernus, Turnebus autem sic sanandum censet, *et devorata pecunia, ut in Achaeorum centum talentis, evomere non poteras.*

Ibid. fin. QUORUM NIHIL EST QUOD NON SIT LEGE IULIA NE FIERI LICEAT SANCITUM DILIGENTER. libri veteres habent, *ne fieri possit sanctum diligenter,* quos sequimur, vulgati, *ne fieri liceat sancitum diligenter.* quos tamen in hoc non damnamus, sed aliquam scripturam potiorem ducimus, et ita excudi iusseramus, si operae nobis obtemperare voluissent [vide annotata ad Orationem pro Balbo C. 15. §. 35.].

§. 91. ARSINOAM THRACUM NEOPACTUM. lege, ut censet Adrianus Turnebus [l. l.], *Arsinoam, Stratum, Naupactum* [notatur idem in Omissis ad calcem Tom. 1. p. 381. sed illud *Neopactum* operis acceptum referendum, non Lambino. vid. Indicem Erratorum p. 848., quo nomine leviter castigandus Orell. p. 365.].

Ibid. EX OPPIDIS AGGRINARUM. Adrianus Turnebus emendandum censet *Agraeorum*, seu *Agrianum* [vid. Popponem ad Thucyd. P. 1. Vol. 2. p. 149.].

C. 39. §. 94. NON AEQUE LEGETUR. lege, *non enim leget* [ex Omissis ad calcem Tom. 1. p. 381.].

Ibid. NON INIQUITAS AD SIMULATIONEM CONNITETUR. sic restituit huc locum Faernus, coniectura ductus. ego olim, quum hic locus me offenderet, sine ope librorum veterum sic putabam reponendum, *non iniquitas ad simultatem conferetur,* seu potius, *non simultas ad iniquitatem conferetur.* sed Faerni emendationem tueamur, dum aliquid melius afferatur.

Ibid. NEMINEM INVITABIS INVITUS. quidam legi volunt *invitum*, ego nihil muto.

b. C. 40. §. 97. TUM TU IPSE || DE TE »FECISSE VIDERI« PRONUNCIASTI. hic locus foedum in modum fuerat a semidoctis hominibus depravatus, quem erudite simul et feliciter emendavit Faernus, idemque explicavit multis verbis. quae ut in pauca contraham, docet ille, quaesitores olim, id est Praetores, qui cognoscebant de crimine aliquo publico, reo convicto sic pronunciare solitos, *fecisse videtur.* significat igitur, Pisonem de se et contra se sententiam pronunciasse illo iam tempore, quum lauream abiecit triumphumque desperavit. porro hanc eandem scripturam, quam edidimus, reperi in libris Memmianis, sine ullo mendo ullave litura aut littera supervacanea expressam.

XXXVIII.

IN ORATIONEM PRO T. ANNIO MILONE.

C. 1. §. 2. AFFERUNT TAMEN ORATORI HORRORIS ALIQUID. M. Antonius Muretus anno superiore, quum in Galliam longo intervallo rediisset, mihi asseveravit, se ita scriptum vidisse in codice manu scripto Vaticano, *horroris aliquid.* neque vero Memmiani multum ab hac scriptura discrepant, qui habent *terroris aliquid*, quod tantumdem valet.

Ibid. EXISTIMAREM ORATORI LOCUM ESSE. codices Memmiani habent, *orationi locum esse* [vide ad II. de Oratore c. 84. §. 341.], et paullo ante, *nec enim inter tantam vim armorum.*

§. 3. QUOS UNDIQUE INTUENTES EX HOC IPSO LOCO CERNITIS. codex unus Memmianus habet, *quos undique confluentes ex hoc ipso loco cernitis*, ceteri, ut Clericanus, lectionem vulgatam tuentur [»aliorum« est *contuentes*, Peyron. p. 286., non Lambini.].

C. 2. §. 4. DILECTIS VIRIS. sic habent omnes libri veteres [vid. ad Orationem in Vatinium c. 15. §. 35.], et aliquot post versibus [§. 5.], *metu crudelissimorum suppliciorum* [et sic cod. Duisburgensis, quem accurate excussi, et edit. Adamiana a. 1472.], et totidem fere post versibus [§. 6.], *ut quia mors P. Clodii*, ubi vulgati [etiam Adam. edit. a. 1472.], *ut si mors*, et paullo post, *sin illius insidiae clariores hac luce fuerint.*

C. 3. §. 7. QUAE ET IN SENATU AB INIMICIS SAEPE IACTATA SUNT ET IN CONCIONE AB IMPROBIS ETIAM PAULLO ANTE AB ACCUSATORIBUS. ordinem verborum, qui mirum in modum perturbatus erat in libris vulgatis, ego ex fide codicum antiquorum restitui.

C. 4. §. 11. QUAE NON MODO HOMINEM OCCIDI. legendum, *quae non hominem occidi*, deleta voce *modo* [vid. Ind. Erratorum p. 848.].

C. 7. §. 17. NISI FORTE MAGIS ERIT PATRICIDA. ne quis me putet pro meo iure ita edi iussisse, *patricida*, quum vulgo legatur *parricida*, confirmo ita esse scriptum in libris Memmianis et Clericano. natum errorem esse puto ex nomine *parricida. parricida* autem is est, qui qualemcunque hominem occiderit, inquit Festus, idque probat verbis legis Numae Pompilii, quae sunt, *si quis hominem liberum dolo sciens morti duit, paricida esto;* dictus fortasse, quod *parem* occidat. omnes enim homines pares sunt natura inter se [Festi locum cum similibus, quae huc pertinent, vide apud Gesnerum Thes. L. L. Tom. 3. p. 695, 31.].

C. 10. §. 29. QUUM AUTEM HIC DE RHEDA REIECTA PAENULA DESILUISSET. hunc locum profert Diomedes grammaticus libro primo capite de verbo [p. Putsch. 371.]. paullo ante autem [§. 28. extr.], ubi vulgati libri habent, *vulgi magno impedimento*, veteres habent, *vulgo magno et impedimento* [Graevii errorem scite notavit Orell. p. 378, 2. sed eum errorem equidem non puto Graevii esse, sed eorum qui praefuerunt repetitionibus Lambinianis et in segetem deteriorem fruges dederunt. itaque, ut hoc primum ponam, margo Laemarianae a. 1596. sic habet, *paenulatus, magno et impedito et muliebri ac delicato ancillarum puerorumque comitatu*, satis temere hanc scripturam Lambino vindicans. deinde »aliorum« profert coniecturam sive emendationem, *paenulatus, vulgo magno et impedito.* ipse Gothofredus imprudens Lambiniana repraesentare iussit, *paenulatus, vulgi magno impedimento, ac muliebri et delicato ancillarum puerorumque comitatu.* cf. a Peyrone annotata ad h. l. p. 305.].

C. 12. §. 33. EXHIBE LIBELLARIUM. sic habent duo libri manu scripti et nonnulli vulgati, alii manu scripti *liberalium.* quae scriptura, quamvis corrupta, confirmat tamen illam [quam habet et Romanum illud exemplar a. 1472.], *libellarium.* est autem *libellarium* cista, in qua conditi servantur libelli [cf. Pareum Lex. Critico p. 674.].

C. 13. §. 34. med. QUI EAM AUDERET POSSETQUE CONFRINGERE. libri veteres habent, *possetque constringere* [idque, ut solet, perplexe vindicat Lambino Laemariana a. 1596.]. paullo post, ubi vulgati habent, *at non P. Clodio*, ego, *at nunc P. Clodio mortuo* [non *remoto*, ut est in Laemariana a. 1596., quam modo laudavi], reposui, secutus unum et alterum codicem antiquum [unum Duisburgensem sic repraesentare hunc locum memini, *at nunc, P. Clodio usitatis rebus exempto.*].

§. 35. QUID SI HAEC NON DICO MAIORA FUERUNT IN CLODIO QUAM IN MILONE. hunc locum profert Sosipater Charisius ad particulam *si*, libro secundo [p. Putsch. 201.].

Ibid. ILLE SIC ODERAT UT ODISSET PRIMUM DEFENSOREM SALUTIS MEAE. sic habent duo libri veteres, longe, opinor, melius quam vulgati, *ille sic erat.* videtur tamen aliquid desiderari, ut ita legendum sit, *illi h u n c sic oderat, ut odisset primum* [non, *ut primum odisset*, Orell. p. 381, 14. sed plura etiam turbat Gothofredus in marg. Laemar. a. 1596.] *defensorem salutis meae*, et reliqua.

C. 15 § 41. QUUM ILLE VI IN SEPTA IRRUISSET. quidam libri habent *irrupisset* [Ernest. p. 1361, 57 »in locum clausum *irrumpitur*, non *irruitur*, et *vis* est in irrumpendo« monstra lectionis congessit Lagomarsinii diligentia, apud Peyron. p. 316. addam hoc unum, in codice Duisburgensi, qui nunc Bonnae est, sic extare, *quum in septa ille ruisset.*].

C. 16. §. 42. extr. SED ETIAM RECTE FACTA SAEPE FASTIDIUNT. sic habent omnes libri veteres, et item in Oratione in Pisonem hoc verbum iunxit, cum accusandi casu dico, ut habent veteres codices. nam ubi vulgati habent [p. 538, 6. nobis c. 28. §. 68.], *non fugit eius amicitiam,* illi habent, *non fastidivit.* sic Horatius Epistola ad Iulium Florum lib. 1. [3, 11.], *fastidire lacus et rivos ausus apertos* [sed vid. Peyron. p. 317. *recte factis,* omissa praepositione, cum Lagomarsinianis tuetur de meis Rom. a. 1472. neque hoc mirum. sic enim solet istud *in* et nasci ex *m* finali vocis praecedentis, et intercipi ab eadem littera. vid. Drakenborch. ad Livii 10. 13, 3 Tom. 5. P. 2. p. 93.].

C. 17. §. 45. MILONI NULLA FACULTAS MANENDI. libri veteres non habent *manendi* in contextu verborum, sed ad oram libri e regione huius loci, sic, *sc. manendi.* unde suspicari licet, *manendi* esse annotationem. non sum ausus tamen delere [delent Lagomarsiniani, et abest ab edit. Romana a. 1472. codex vero Duisburgensis sic habet, *Miloni nulla manendi,* omisso nomine *facultas.*].

C. 19. §. 49. VITANDUS POTIUS QUAM EXPETENDUS FUIT. nonnulli libri habent, *quam exspectandus fuit* [vide annotata ad Partitt. Oratt. c. 40. §. 140.]. et deinceps [§. 50.] omnes habent, *noctu, insidioso et pleno latronum in loco* [a meis libris abest hic locus, ut et verbum *occidisset*], et paullo post, *tum neque muta solitudo* [alios errores indicavit Lagomarsinius apud Peyron. p. 320. Graevio placebat *denique,* idque ille in scriptis se reperisse testatur. habet illud et Romanum exemplar a. 1472.], et paullo longius [§. 51.], *Aricia rediens devertit Clodius ad Albanum,* et paullo post, *deversurum* [vide ad H. de Invent. c. 13. §. 43.].

§. 52. extr. NOCTE PROPE URBEM EXPECTANDUM. liber unus antiquus habet, *noctem prope urbem expectandam.* ego tamen nihil muto.

C. 20. §. 53. QUO IN FUNDO PROPTER INSANAS ILLAS SUBSTRUCTIONES FACILE MILLE HOMINUM VERSABATUR VALENTIUM. hunc locum profert Macrobius libro 1. capite 5., quemadmodum ‖ p. 713. vulgo legitur et quomodo edidimus, et A. Gellius libro 1. capite a. 16. quare nihil mutandum.

§. 54. QUID NECESSE TARDE [videtur tamen Lambinus sic voluisse, *quid necesse est tarde?*]. ego hoc totum, *est tarde,* delendum censeo. paullo post autem duas voces *procul inde* sine ulla religione nulloque reprehensionis metu sustuli, propterea quia et absunt a veteribus codicibus et sunt supervacaneae [eum locum interpolavit Rom. edit. a. 1472., haec repraesentans, *sciebat in Alsiensi esse villa, procul inde ut villam, et si ibi non Pompeium perspiceret.*].

C. 21. §. 56. ADDE INSCITIAM PRANSI POTI OSCITANTIS DUCIS. profert hunc locum Diomedes libro primo, capite de Participio,

ab hac voce *pransi* usque ad *ducis*. quod autem ad vocem *inscitiam* attinet, quidam *inscientiam* legi volunt.

C. 22. §. 59. PROXIME DEOS ACCESSIT CLODIUS. sic esse legendum et libri veteres pervincunt, et Priscianus testatur [18. p. Putsch. 1172. id est c. 23. §. 179. Tom. 2. p. Krehl. 188.].

§. 60. HEUS TU RUSCIO CAVESIS MENTIARE. magna est librorum manu scriptorum in hoc loco varietas. alii sic habent, *heus tu visio ubi causa*, alii, *heus tu Rufio verbi causa cavesis mentiare*, alii, *heu ubi responsio ubi causa*, alii, *heu tu visio nisi causa*. ex hac varietate intelligere licet, quid secuti simus.

C. 23. §. 63. QUUM SUO PERICULO SALUTEM REI PUBLICAE ATTULISSET. nihil mutamus, quamvis aliquot libri veteres habeant, *salutem Romani populi*, quia hoc totum *Romani populi*, praeterquam quod perspicue mendosum est (nam *Romano populo* legendum sit potius), natum putamus ex his litteris *R. P.*, quae significant *rei publicae*. hinc autem nata sunt menda innumerabilia in his nominibus *Praetor*, *populus Romanus*, *rei publicae*, dum librarii in his litteris errant *PR.*, quibus ita coniunctim scriptis significant *Praetor*, disiuncte *P. R. populus Romanus*, converso ordine *R. P. res publica* [vide annotata ad Orationem pro Sextio c. 37. §. 79. et ad Orationem in Pisonem c. 3. §. 6.].

C. 24. §. 64. QUID QUAE POSTEA SUNT IN EUM CONGESTA. quidam legi volunt *coniecta*. quod probarem, si in libris antiquis reperiretur [vid. Drakenborchium ad Livii 3. 38, 7. Tom. 2. P. 1. p. 316.].

Ibid. QUAE QUAMVIS ETIAM MEDIOCRIUM DELICTORUM CONSCIENTIAM PERCULISSENT. non dubium est, quin haec scriptura sit sincera et recta. admonebo tamen lectorem, in uno codice manu scripto scriptum esse *pertulissent* [hunc eundem errorem in Livianis codicibus notavit Drakenborchius ad Livii 35. 27, 16. Tom. 10. p. 374.]. quod eo notavi, ut intelligamus, libros manu scriptos esse adiuvandos, iudicioque et ratione tractandos.

Ibid. UT SUSTINUIT DII IMMORTALES SUSTINUIT IMMO VERO UT CONTEMPSIT. profert hunc locum Charisius ad particulam *ut*.

Ibid. SCUTORUM GLADIORUM FRENORUM SPARORUM PILORUMQUE ETIAM MULTITUDO DEPREHENDI POSSE IUDICABATUR. vox *sparorum* abest a nonnullis libris manu scriptis [et ab editione Rom. a. 1472.], quam retineo tamen. et paullo post, ubi vulgati habent *iudicabatur*, illi *indicabatur* [vide ad Orationem post Reditum ad Quirites c. 10. §. 25.].

§. 65. extr. CONFESSIONEM SERVORUM AUDIRI. vox *ebriosorum* ante vocem *confessionem* abest a codicibus antiquis. et vero supervacanea est [abest hoc additamentum et a codice Duisburgensi, quo usus sum, et ab editione Rom. a. 1472]. delenda et vox *omnino* ante *omnia ne aliquid vos timeretis* [abest ab edit. Rom. a. 1472. contrariam rationem secutus est codicis

Bonnensis sive Duisburgensis scriptor librarius, haec repraesentans, *sed omnino ne vos aliquid timeretis.* eiecit ille *omnia*, aut in *omnino* abire passus est.].

C. 25. §. 68. SI TIBI ITA PENITUS INSEDISSET ISTA SUSPICIO. quidam libri veteres habent, *penitus haesisset.*

Ibid. NAE ISTE HAUD DUBITANS PATRIA CESSISSET. omnes libri veteres habent hanc particulam *ne* sine diphthongo scriptam [vide ad Orationem II. Catilin. c. 3. §. 6.].

C. 26. §. 69. QUANTAE INFIDELITATES IN AMICIS. quidam libri habent, *in amicitiis* [hi ergo sunt »alii« in margine repetitionum Lambinianarum, etiam Laemarianae a. 1596, quam Gothofredus curavit].

C. 27. §. 72. extr. CUIUS NEFARIUM ADULTERIUM. libri veteres habent, *nefandum*, quod non probo [firmant tamen hoc ipsum libri meliores, in his palimpsestus Taurinensis Peyron. p. 327., et habet editio Romana a. 1472.]. iidem [§. 73.], *conservatorem iudicarant.* quod probavimus [itaque reponendum fuit p. contextus verborum Ciceronis 554, 43., ubi nunc legitur *iudicabant*, invito Lambino.].

§. 74. extr. REPENTE LINTRIBUS IN EAM INSULAM MATERIEM CALCEM CAEMENTA ARENAM CONVEXIT. sic legendum, si et veritatis vocem audire, et veterum librorum auctoritati obtemperare volemus [marg. Laemar. a. 1596. »alii, *atque arenam.*« sed meliores *arma* tuentur. vid. Peyron. ad h. l. p. 329. adde scriptis Bonnensem, in quo est, *calcem atque caementa et arma*, exulante *materiam*, editis vero exemplar Romanum a. 1472., copulam *atque* defendens.].

C. 28. §. 76. IMPERIUM ILLE SI NACTUS ESSET. sic habent codices Memmiani, et paullo post, *pecunias dico*? ubi vulgati, *a liberis dico*? quem locum Petrus Victorius notavit libro 20. Variarum Lectionum [c. 18. cff. disputata a Francisco Modio Novantiquis Lectionibus ep. 45. Thes. Crit. Gruter. Tom. 5. p. 120. sqq.].

§. 77. PER ME UNUM. post haec verba, *per me unum*, libri vulgati habent, *effectum est*, quae et absunt ab omnibus libris manu scriptis, et sunt supervacanea. hic enim ordo verborum est, *ego illa repuli, ut per me unum ius, aequitas, leges, libertas, pudor, pudicitia in civitate manerent.* et paullo post iidem libri veteres habent, *esset vero timendum, quonam modo id ferret civitas.* neque habent vocem *factum* post illa, *quonam modo id* [habet Romanum exemplar a. 1472.].

Ibid. NEQUEO VETERA ILLA POPULI ROMANI QUANTA FUERINT GAUDIA IUDICARE. codex unus Memmianus habet, *non queo*, quod Plauto et Terentio usitatum est, neque video, quamobrem fugere debeamus [tuetur cum libris melioribus, Bavarico, Erfurtensi, Duisburgensis, tuentur »alii« in marg. repetionum Lam-

binianarum, Laemar. a. 1596.]. quanquam Cicero in Oratore Perfecto scribit, *nescire* esse dulcius, *non scire* barbarum iam videri [locus est p. Lambin. 265, 5. nobis c. 47. §. 157.].

C. 29. §. 79. med. SI IS INQUAM POTUISSET UT QUAESTIONEM DE MORTE P. CLODII FERRE SIC IPSUM AB INFERIS EXCITARE. libri manu scripti habent, *potuisset aut quaestionem de morte P. Clodii ferre aut ipsum ab inferis excitare.* non probo. et paullo post, *illum ab inferis avocare.*

C. 31. §. 85. RELIGIONES ME HERCULE IPSAE ARAEQUE QUUM ILLAM BELUAM CADERE VIDERUNT. libri manu scripti non habent *arae*, et hac voce detracta cetera sic, *quae tum illam beluam cadere viderunt* [sic certe codex Bonnensis sive Duisburgensis, sed mutato *tum*, id est *tū*, in *tamen* sive *tn̄*, ob ductuum affinitatem. vid. Drakenborch. ad Livii 22. 17, 5. Tom. 7. p. 120.].

C. 35. §. 95. extr. QUEMCUNQUE CURSUM FORTUNA DEDERIT. sic habent omnes libri veteres, non solum Memmiani, verum etiam Florentini, quod testatur Victorius libro 22. Variarum Lectionum [c. 22.]. sic Virgilius libro 4. Aeneid. [v. 653.], *vixi, et quem dederat cursum fortuna, peregi.*

§. 98. QUUM OMNES A TUIS INIMICIS FACES INVIDIAE MIHI SUBIICIUNTUR [non *invidiae meae*, ut est in margine Laemar. a. 1596.]. sic legendum libris omnibus invitis. sunt enim verba Milonis cum Cicerone loquentis. fuit autem prolapsio facilis a littera *t* ad *s*.

Ibid. ET OPINOR ALTERA ULTRA QUAM FINES IMPERII POPULI ROMANI SUNT. sic habent omnes libri manu scripti, nisi quod nonnulli non habent *ultra*, quod credibile est esse omissum
b. propter similitudinem vocis, quae ante ‖ cedit, *altera*, quemadmodum impressi omnes non habent *altera*, propter similitudinem praepositionis *ultra* [vid. Lagomarsinium p 338. sq. codex Duisburgensis sic habet, *centesima haec lux est ab interitu P. Clodii*, in reliquis lectionem editam firmans, nisi quod abesse iubet illud *iam* in his, *non solum fama de illo.*]. paullo post [c. 36. §. 99.], ubi vulgati habent, *reliqua est illa tamen ad consolandum querela*, in manu scriptis est, *reliqua est saltem.* aliquanto longius [§. 100. med.], ubi vulgati habent, *si qua dimicatio capitis futura*, manu scripti non habent duas voces *capitis futura.* et paullo post iidem libri habent, *quid habeo? quid dicam? quid faciam?* ubi vulgatos tamen sequor [abest tamen *quid* sive *quod dicam* a codice Duisburgensi. v. Peyron. p. 339. eiecisse haec verba Lambinum, auctor est Gothofredus in margine Laemarianae a. 1596.].

C. 37. §. 101. EST QUODAM INCREDIBILI ROBORE ANIMI. in vulgatis sequitur deinceps *septus*, quae vox abest a manu scriptis, quod et Victorius notavit [VV. LL. 22, 22.].

Ibid. SED HIC EA MENTE NATUS EST. in eo dumtaxat libros vulgatos secutus sum, quod *natus est* edendum curavi, non *ornatus*, ut est in libris veteribus. cetera veteres secutus sum [Lambini scripturam repraesentare vidi codicem Duisburgensem, *sed hic ea mente natus est.*].

XXXVIIII.

IN ORATIONEM PRO C. RABIRIO POSTUMO.

C. 2. §. 4. med. RE AUGERE FIDE SUSTENTARE. vocem *re*, quae abest a vulgatis, ex antiquis libris restitui.

§. 5. QUOD MALE CECIDIT BENE CONSULTUM PUTARES. nihil hic mutavi, praeterquam quod interrogationis notam post *cecidit* delevi, et distinctionis insigne posui. haec enim sententia est: putasset aliquis optime sibi initio consuluisse Rabirium, quod postea male cecidit. proinde ac si diceret, consilium quidem videbatur rectum, sed casus non respondit consilio. saepenumero enim bonorum consiliorum eventus sunt infelices, neque iccirco tamen consilia sunt vituperanda, sed de fortuna querendum.

C. 3. §. 5. extr. HINC PRIMUM EXORITUR CRIMEN ILLUD. putant docti quidam viri, multa ante haec verba deesse [Orell. p. 405, 2. »*hic* Lambin. in marg. 1584., non 1566.« puto equidem sic voluisse Lambinum p. 561, 2. et in lemmate id ipsum posuit *hic*, non *hinc*.].

§. 6. QUID EGO SENATUM DEFENDAM HOC LOCO. libri veteres habent, *quid ergo? senatum defendam hoc loco, iudices?* quod magis probo.

C. 4. §. 8. QUO EA PECUNIA PERVENERIT. id est, haec causa, in qua quaeritur, quo ea pecunia pervenerit. sic et infra non multo post.

Ibid. NEC AB EO PRAEDES DATI NEC EX EIUS BONIS QUANTA SUMMA LITIUM FUISSET A POPULO RECEPTA. si hunc locum conferes cum simillimo illo, qui est pagina 565. versu 6. [nobis c. 13. §. 37.], intelliges sic esse legendum.

Ibid. A POPULO RECEPTA. id est recuperata. quidam legunt *redacta*, quemadmodum et infra in eo loco, quem huic simillimum esse dixi, *populus redegisset*. non dissimulabo tamen, in codicibus Memmianis pro *recipi* scriptum esse *servari*, unde suspicari possis, lege debere, *populo servata*. atque hoc verbum agnoscent iuris consulti, eos dico, qui artis civilis studia tractant eleganter et polite. nam *servare pecuniam* dicuntur

apud illos, qui a debitore recuperant, exigunt, redigunt, recipiunt quod mutuum dederunt. quin ipse M. Tullius sic infra loquitur hac eadem Oratione p. 563, 47. [id est c. 10. §. 28. vid. Gronov. ad h. l. p. 634, 9. et cf. Muretum VV. LL. 17, 5.].

Ibid. LEX ECQUA EST. id est, num aliqua lex est [vide annotata ad II. de Invent. c. 12. §. 42.]?

§. 9. QUAE ALIQUAM FACULTATEM DISCENDI AFFERRE POSSET. Hotomanus [Observatt. 2, 6.] legendum arbitratur, *facultatem discendi*. cui assentior [nec enim raro *discendi* et *dicendi*, etiam *docendi* verba commutantur a librariis imperitis aut parum diligentibus. vid. annotata ad I. de Oratore c. 17. §. 79. et ad II. c. 34. §. 145. et cf. Drakenborch. ad Livii 6. 25, 9. Tom. 3. P. 2. p. 230.].

§. 10. ITAQUE IN INFERENDIS LITIBUS ADESSE SOLEBANT. vel sic legendum est, vel *in aestimandis litibus*, vel delenda vox *inferendis*.

C. 5. §. 11. QUAE IN IUDICIO A. GABINII RECITATAE NON SUNT. sic habent codices Memmiani, et ita legendum, non ut in vulgatis, *A. Gabinio*.

Ibid. QUA ILLATIONE LITIUM. sic est legendum, non ut in vulgatis libris, *appellatione litium*. natum autem erratum est ex voce *appellatus*, quae proxime antecedit. scio autem, quosdam malle hic reponi *aestimatione*, sed nimis longe abest a scriptura recepta. denique sic et supra locutus est, ibi [§. 10], *in inferendis litibus*.

§. 12. ILLO INQUIT CAPITE QUOD ERAT IN POSTUMUM QUOD IN GABINIUM IUDEX ESSES NIHIL GABINIO DATUM QUUM IN EUM LITES AESTIMARENTUR. nihil hic discrepant libri manu scripti a vulgatis. quare nihil mutandum esse duxi, quamvis quidam legendum putent, *index esses* [vid. quae ab Drakenborchio annotantur ad Livii 5. 26, 6. Tom. 3. P. 1. p. 210. de reliquis cf. Muretum VV. LL. 17, 5. Operum Tom. 2. p. 417.].

C. 7. §. 16. extr. AD POSTERITATIS MEMORIAM PRODITA. nihil muto, quamvis nonnulli existiment legendum, *prodendam*.

C. 9. §. 24. SIQUIDEM TAM NON SEMPER STULTI QUAM SERO SAPIENTIS EST. sic esse legendum, facile intelligent, qui attente hunc locum legent. hoc enim dicit, eius esse qui non semper stultus sit, eiusque qui sero sit sapiens, quum stulto aliquo consilio sit impeditus, quoquo modo possit, se expedire. nam plane, qui se aliquando stultitia sua expedit, non semper stultus est.

C. 10. §. 27. VIRTUTIS ANTIQUITATIS PRUDENTIAE. quidam putant legendum, *virtutis, sanctitatis, prudentiae*. quae lectio planior et probabilior est [eam receperunt, Lambino vindicantes, qui post hunc Ciceronis libros ex eiusdem recensione repetendos curaverunt, etiam Gothofredus in marg. Laemar. a. 1596.].

C. 11. §. 29. ET »PRAETER ROGITATUM SI LOQUARE.« legendum, *si loquare*, non ut in libris manu scriptis et vulgatis, *quaerare*. sunt enim haec ex Euripidis Medea [v. 322. vide Planck. p. 87. sq.], *μὴ λόγους λέγε* [*λόγους πλέκε*, eleganti coniectura C. L. Valckenarii ad Euripidis Phoeniss. 497. proposita. adde vero ex Omissis ad calcem Tom. 1. p. 381. haec: »quum »dicat, haec esse imperia, videtur legendum, *praeter rogitatum* »*ne loquere*, seu *non loquare*.«].

§. 30. QUUM GABINIO PECUNIAM POSTUMIS COGERET EX DECUMIS IMPERATORUM. vel legendum, *ex decumis imperatis*, vel quod quibusdam probatur magis, interpretandum *imperatorum* earum pecuniarum, quae imperatae fuerant [vid. Turnebum Adverss. 10, 23.].

C. 12. §. 34. extr. QUID POSTEA CREDETUR CREDETUR. sic hunc locum restitui [nempe sic interpungens, *quid? postea credetur? credetur*], ad hanc coniecturam a libris Memmianis quasi manu ductus, in quibus legitur, *postea creditur*. sententia autem huius loci postu || lat, ut subiiciatur responsio haec, quasi p. 714. a.
ab adversariis, *credetur*. quam vocem omissam esse a librario credibile est propter alterum *credetur*, quod proxime antecedit. meam coniecturam confirmat id quod sequitur [§. 35.], *ergo ista condicio est testium, ut, quibus creditum non sit rogantibus, iisdem credatur dicentibus*? eodem errore omissum erat verbum *dixerunt*, paullo post, ibi, *at si verum dixerunt tum, quum verissima fronte dixerunt, nunc mentiuntur. verissima fronte* autem sic dictum, ut illud Terentianum *vero vultu* [Andria 5. 1, 20. vide ad eum locum dictata Ruhnkenii p. Schop. 79.].

§. 35. QUID MULTA. in codice uno Memmiano scriptum est *quid multi*? unde feci, *quid multa?* licet etiam legere, *quid multis*. iam cetera, quae deinceps sequuntur, felicissime sunt a nobis, non sine adiumento librorum antiquorum, quamvis depravatorum, emendata.

Ibid. OMNIA DENIQUE AB HIS MIMORUM ARGUMENTA NATA SUNT. aliquot ante diebus, quam hunc locum in codicibus antiquis inspexissem, Adrianus Turnebus collega meus, vir singulari doctrina praeditus, sola coniectura fretus, a nullis exemplaribus veteribus adiutus, divinarat ita legendum esse [Adversarr. 10, 23.], quemadmodum edidi, *mimorum argumenta*. cuius coniecturam quum ego sola eius auctoritate adductus magnopere probavissem sequique cogitassem, manus sustuli, postea quam eam ipsam scripturam reperi in libris Memmianis expressam.

C. 13. §. 37. POPULUS RECEPISSET. sic omnes quidem habent libri, sed legendum puto *redegisset*, ut et supra p. 561, 20 [immo 21. et cf. Cuiacium Observatt. 10, 25.], *nec ex eius bonis, quanta summa litium fuisset, a populo recepta*. ubi notavi, videri nonnullis legendum *redacta* [vide ad h. l. annotata c. 4. §. 8.]. malim tamen et hic legi *reciperasset*, et illic *reciperata*,

C. 14. §. 40. ET LINTEIS ET VITRO CELATAE. quidam legi volunt, *et nitro.*

Ibid. CATAPLUS ILLE PUTEOLANUS. sic scriptum reperi in uno codice Memmiano, quomodo tamen Adrianus Turnebus [l. l.] ex alia antiqua scriptura aliquantum depravata legendum coniecerat, quae talis est, *atata plus ille.* tanta est hominis *εὐστοχία.* idem liber habet, *aestatem unam*, *non plures*, certe, ne mentiar, *non pluribus* [locus nondum persanatus. vid. Orell. p. 414, 1.].

C. 15. §. 41. extr. ET IN TANTA OCCUPATIONE MAXIMARUM RERUM. libris omnibus reclamantibus, qui habent *tanta oppugnatione*, doctissimorum virorum iudicium auctoritatemque secutus, qui *occupatione* legendum censent, sic edendum curavi.

C. 17. §. 45. TUNE ES CURII FILIUS. lege *Curtii* [vid. Adrianum Turnebum Adverss. l. l. et cf. Hotomanum Observatt. 6, 8. *Curtii*, vel potius *C. Curtii* (hoc enim suspicor Lambinum voluisse, coll. h. l. c. 2. §. 3. in.) Lambino vindicant repetitiones, quas dudum laudamus, quum hoc loco, tum altero illo, quem dixi. ipse Lambinus, quem potissimum auctorem secuti sumus, ad c. 2. §. 3. sive p. 560, 32. nihil habet annotationis, in ordinem tamen recepit hoc ipsum *C. Curius.*].

XL.

IN ORATIONEM PRO M. MARCELLO.

C. 1. §. 2. ILLO AEMULO ATQUE IMITATORE. hunc locum profert Nonius, in voce *aemulus* [4, 11. p. Mercer. 239, 1. dedit Mercerus, si hoc tanti est, *studiorum meorum ac laborum.* de meis, quibus olim usus sum, codices Rehdigeranus Bibl. D. Elisabethae et Gud. 2., *studium et laborum meorum*, Romanum exemplar a. 1472., *atque laborum.*].

§. 3. SED PAULLO ANTE OMNIBUS. sic est legendum, id quod admonuit Petrus Victorius libro Variarum Lectionum 18. [c. 6.]. hic enim est ordo verborum, *intellectum est mihi quidem in multis, et maxime in me ipso, sed paullo ante omnibus, quum M. Marcellum senatui populoque Romano et rei publicae concessisti, commemoratis praesertim etiam offensionibus, te auctoritatem huius ordinis dignitatemque rei publicae tuis vel doloribus vel suspicionibus anteferre.*

C. 4. §. 11. UT TROPAIS MONUMENTISQUE TUIS NON NULLA UNQUAM ALLATURA SIT FINEM AETAS. sic esse legendum hoc loco

etiam Petrus Victorius indicat libro 16. VV. LL. [c. 21. mei libri sic habent, codex Rehdig. et Romanum exemplar a. 1472., *ut nulla tropaeis et monumentis tuis allatura sit finem aetas.* cod. Gud. 2., *ut nulla tropaeis et monumentis tuis allatura finem sit aetas.*].

§. 12. VEREOR UT HOC QUOD DICAM PROINDE INTELLIGI POSSIT AUDITU ATQUE EGO IPSE COGITANS SENTIO. sic esse legendum et codices Memmiani et ratio et veritas vincunt. nam *vereor ut* idem valet, quod *vereor ne non.* ita qui sic loquitur, *vereor ut intelligi possit*, hoc significat, cupere se ut intelligatur, sed vereri ne non possit intelligi. infra non longe [C. 5. §. 13. fin.], ubi est, *civile bellum esse susceptum*, iidem libri non habent *civile* [abest etiam ab iis libris, qui mihi ad manum fuerunt.].

C. 6. §. 20. ET SPECIE QUADAM REI PUBLICAE. libri veteres habent, *et facie quadam* [librariorum proclivi lapsu, de quo monuerunt Heinsius ad Ovidii Metamm. 4, 229. Tom. 2. p. 258. et Drakenborchius ad Livii 40, 12, 4. Tom. 11. p. 614. *sed ex spe quadam rei publicae* codex Rehdigeranus, *et spe quadam* Romana editio a. 1472. vid. ad Orationem pro Flacco C. 8. §. 19.].

C. 8. §. 25. ADDO ETIAM SI PLACET GLORIAE. sic est legendum, et ita scriptum est in omnibus libris antiquis.

C. 9. §. 27. EAQUE TU IN PRIMIS CUM SUMMA TRANQUILLITATE ET OTIO PERFRUARE. vocem *composita* post *in primis*, quae est in libris vulgatis [abest ab edit. Rom. a. 1472.], non reperi in manu scriptis. iccirco delevi [et exulare iubent codices Rehdig. et Gud. 2.]. contra praepositionem *cum*, quae non erat in vulgatis, repertam in manu scriptis restitui [abest tamen a codice Gud. 2.]. sed hoc varietatis in his reperi, quod alii habent, *eaque tu in primis cum summa tranquillitate et otio perfruare*, alii, *eaque tu in primis cum summo otio perfruare* [unus Rehdigeranus, *cum summa felicitate et otio.*].

§. 30. ETIAMSI TUNC AD TE UT QUIDAM FALSO PUTANT NON PERTINEBIT. libri scripti habent partim *permanabit*, partim *permanebit.* quod posterius reiicio, *permanabit* non damno, sed vulgatam lectionem magis probo.

C. 10. §. 31. QUAM QUI IN CAUSA ANIMAM PROFUDIT. P. Victorius libro VV. LL. 17. cap. 21. omnibus libris manu scriptis reclamantibus censet addendam esse negationem, et legendum *non profudit.* quasi hoc sentiat M. Tullius, eum magis esse ferendum, qui in ea causa, quam semel probarit, usque ad extremum spiritum perseveraverit et in acie ceciderit, quam qui mortem in acie non oppetiverit, quia haec constantia videri potest. quod mihi nullo modo probari potest. non enim M. Tullius comparat in sententia et causa perseverantem cum eo, qui non perseverarit: sed con || tra duos perseverantes et

obfirmatos inter se contendit, alterum, qui in acie cecidit causamque usque ad extremum vitae diem defendit, alterum, qui, armis iam alteri causae extortis belloque victoria alterius partis confecto et diiudicato, perseveret tamen in causa devicta animumque retineat armatum, aitque hunc esse longe illo deteriorem. ratio est: nam ille videri potest constans, hic est iniustus et ingratus.

C. 11. §. 33. ET QUOD VOLUNT ET QUOD M. MARCELLO A TE HUIC ORDINI POPULOQUE ROMANO ET REI PUBLICAE REDDITO PRAECIPUE ID A ME FIERI DEBERE INTELLIGO. libri veteres habent, *et quod fieri decet et quod M. Marcello* [sic de meis Rehdig. et Gud. 2., nisi quod ille *debet* praeferre videtur], paullo post autem non habent haec verba, *praecipue id a me deberi*, sed hoc tantum, *et rei publicae reddito fieri intelligo* [Gud. 2. a me exploratus, *intelligo id fieri*, Rom. edit. a. 1472., *fieri id intelligo.*]. ego vulgatam lectionem probo. paullo post iidem non habent, neque *solum* neque *omnium*, sed ita in eis legitur, *non de unius, sed de communi salute sentio.* ego *solum* delendum censeo, *omnium* retinendum [de meis *solum* delent codex Rehdigeranus et edit. Rom. a. 1472., *omnium* adesse nolunt codd. Rehdig. et Gud. 2., praeterea *communi* abesse iubet Romanum exemplar, quod laudo.].

XLI.

IN ORATIONEM PRO Q. LIGARIO.

C. 1. §. 1. ET ANTE HUNC DIEM INAUDITUM. duo libri manu scripti habent *ante hunc diem non auditum* [de meis accedit Gud. 2. cf. Diomed. 2. p. 463.], et paullo post, *familiaritate ea quae est ei tecum*, ubi vulgati *ea familiaritate* [ex Omiss. Tom. 1. p. 381.].

Ibid. UT ID INTEGRUM IAM NON ESSET. libri veteres duo habent, *ut integrum non esset*, alii, *ut integrum iam non esset*, nulli habent vocem *id* [ex Omiss. Tom. 1. p. 381. cum Lambino facit codex Gud. 2. quod nunc editur, *ut id iam integrum non esset*, memini illud extare sic scriptum in edit. Rom. a. 1472.].

Ibid. OMNIS RATIO. omnes fere libri veteres habent, *omnis oratio* [ex Omissis l. l. vid. annotata ad II. de Invent. C. 38. §. 112. et cf. Drakenborch. ad Livii 35. 25, 9.].

§. 2. SED TAMEN ITA CONFITENTEM SE IN EA PARTE FUISSE QUA TE TUBERO QUA VIRUM OMNI LAUDE DIGNUM PATREM TUUM. plerique libri veteres non habent vocem *ita*, neque paullo post vocem *Tubero* [ex Omiss. Tom. 1. p. 381. abest hoc nomen, quod

modo praecesserat, et a cod. Gud. 2. *sed tamen hoc confitentem* habet Rom. edit. a. 1472. vid. Wunder. V. C. Praefat. p. XXXIV.].

Ibid. LEGATUS IN AFRICAM CUM PRO CONSULE C. CONSIDIO PROFECTUS EST. non habent *pro Consule* libri veteres [ex Omissis Tom. 1. p. 381. apposite cod. Gud. 2. *cum Consule Considio*, id est, *cum C. Considio.* is enim erroris fons, ex *C.* primo factum *Consul*, deinceps reliqua corrupta sunt aut immutata. eius confusionis exempla posuit Drakenborchius ad Livii 22. 14, 13. Tom. 7. p. 105.].

Ibid. INTEGRITAS EIUS ET FIDES. libri veteres habent, *eius integritas et fides* [ex Omiss. Tom. 1. p. 381. *eius integritas et fides* et Rom. edit. a. 1472. *eius integritas ac fides* cod. Gud. 2., consentiens cum Thuringico apud Wunder. p. 38.].

§. 3. PRIMO SALUTIS POST ETIAM STUDII SUI QUAEREBANT ALIQUEM DUCEM. vulgati sic habent, *primo salutis causa*, quae vox postrema abest ab omnibus libris manu scriptis.

C. 3. §. 6. QUANTUM POTERO VOCE CONTENDAM. quidam docti legi volunt, *vocem contendam.*

§. 7. extr. SI EAM NULLIS SPOLIATAM ORNAMÉNTIS REDDIDISSET. libri duo veteres habent *dedisset*, et paullo ante eorum alter *putavit dare*, alter, ut ceteri omnes, *reddere* [sed et alibi haec confusa reperias. vid. vel ad Livii 7. 15, 4. Tom. 4. P. 1. p. 131.].

C. 4. §. 11. HAEC NON MODO MIRABILIA SUNT SED PRODIGII SIMILIA QUAE DICAM. sic habent omnes libri Memmiani et Clericanus [et favet Lambino exemplar illud Romanum a. 1472. unus Gud. 2., *haec non modo mirabilia, sed prodigia sunt quae dicam.* vid. et Modium Novantiquis LL. epist. 87. Thes. Crit. Grut. Tom. 5. P. 1. p. 232.]. et paullo ante, *destrictus in acie Pharsalica gladius*, et ita semper hoc verbum scribendum [vide ad Orationem pro Sextio C. 35. §. 76.].

Ibid. USQUE AD SANGUINEM INCITARE SOLENT ODIUM. duo libri veteres habent, *incitari solent odio* [facit cum his Gudianus 2., quem denuo excussi. *concitari* habet Romana edit. a. 1472. vid. Drakenborchium ad Livii 8. 33, 1. Tom. 4. P. 2. p. 276.].

Ibid. NE SIT IN PATRIA NUM EST. sic est in omnibus veteribus libris scriptum, id quod et P. Victorius notavit VV. LL. libro 21. [c. 15. *num ita est?* Romanum exemplar. a. 1472.].

C. 5. §. 13. SI ENIM IN EXSULIO EST SICUTI EST. libri duo veteres habent, *uti est* [ex Omissis Tom. 1. p. 381.].

Ibid. MULTOQUE EST GRAVIUS. codex unus Memmianus habet, *durius.* idem ubi vulgati habent, *id a te in foro oppugnari* [§. 14.], *id te in foro oppugnare.* quomodo edendum curavi.

§. 14. C. CAESAR CAVE CREDAS CAVE IGNOSCAS. hoc totum, *cave credas*, non reperitur in tribus libris veteribus [neque in Gud. 2.]. et vero delendum est. nam inculcatum est ex eo, quod paucis post versibus sequitur, ibi [§. 16. med.], *diceres, Caesar, cave credas, fuit in Africa Ligarius* [ex Omissis Tom. 1. p. 381.].

§. 16. SI HONESTO ET MISERICORDI MENDACIO SALUTI CIVI CALAMITOSO ESSE VELLEMUS [non *calamitoso civi*, ut est apud Ernest. p. 1421, 9.]. nihil videbatur lectione vulgata integrius, quae talis est, *saluti civis calamitosi consultum esse vellemus.* sed cum antiqua camparata clamat, se esse corruptam. reperitur autem haec antiqua, quam secuti sumus, in duobus codicibus Memmianis et in Clericano, et aliis [tuentur eandem codex Gud. 2. et Romana editio a. 1472.].

C. 6. §. 17. NON DUBITO QUIN DEMIRATUS SIS. sic nonnulli libri veteres, alii ut vulgati, *admiratus sis* [ex Omissis Tom. 1. p. 381.].

Ibid. VEL QUIDNAM NOVI FACINORIS AFFERRET. nonnulli libri veteres habent, *novi sceleris* [Ernest. p. 1422, 11. »nihil omnino interest.«].

§. 19. SED CIVILE DISCIDIUM. sic habent libri veteres. ego tamen hic lectionem vulgatam non damno *dissidium* [vide annotata ad Orationem pro Caelio C. 13. §. 31.].

Ibid. NUNC MELIOR CERTE EA IUDICANDA EST QUAM ETIAM DII ADIUVERUNT. liber unus Memmianus habet *nuter.* unde suspicari possis, legendum *nuper melior certe ea iudicanda est.*

C. 7. §. 20. SED UT OMITTAM COMMUNEM CAUSAM VENIAMUS AD NOSTRAM. libri quidam manu scripti, *veniam ad nostram* [ex Omissis Tom. 1. p. 381. illud *veniam*, paucissimis libris firmatum, Gothofredus, temere Lambino vindicavit, repetitiones, ut opinor, Lambinianas secutus.].

§. 22. extr. QUAM ALIQUEM SE IMPERATOREM ESSE MALUISSE. quidam libri veteres, in his unus Memmianus, habent, *quam aliquem se maluisse.* quod non displicet, ut repetatur ἀπο κοινοῦ *provinciam obtinere* [ita *quam aliquem se maluisse*, et codex Gud. 2. reliqua videntur ab interpolatoribus profecta, quae sic repraesentat Romanum exemplar a. 1472., *quam aliquem imperatorem se esse voluisse.*].

C. 8. §. 24. extr. ET PROHIBITI UT PERHIBETIS SUMMA CUM INIURIA. quanto praestet haec antiqua scriptura vulgatae, neminem tam invisum Musis esse arbitror, qui non sentiat. non celabo tamen lectorem, in veteribus libris non esse, *ut perhibetis*, quod per me tollas licet [abest et a codice Gud. 2. et ab edit. Romana a. 1472.].

C. 9. §. 28. QUI IN EUM LOCUM VENISSES. quidam libri manu scripti habent *veneras* [ex Omissis Tom. 1. p. 381.].

C. 11. §. 31. extr. SED VIDEO TAMEN APUD TE CAUSAS UT DIXI ROGANTIUM VALERE PLUS QUAM VULTUS. sic plane legendum, et ita scriptum reperimus in omnibus libris manu scriptis, quod et Petrus Victorius ex uno item manu scripto admonuit libro 24. Variarum Lectionum [c. 8.].

§. 33. VALEAT VOX ILLA TUA QUAE VICIT. libri manu scripti habent, *quae dicit*. unde suspicor, hoc totum, sive *quae vicit* sive *quae dicit*, esse alienum et foris profectum.

C. 12. §. 35. DISSENSERIT NON A TE SOLUM. liber unus manu scriptus habet, *dissederit* [Lambini lectionem repraesentare memini codicem Gud. 2. *discesserit* tuetur Romanum exemplar a. 1472.].

XLII.

IN ORATIONEM PRO REGE DEIOTARO AD C. CAESAREM.

C. 3. §. 8. NON TAM IN BELLIS NEQUE IN PROELIIS QUAM IN PROMISSIS ET FIDE FIRMIOREM. sic habent omnes nostri libri manu scripti [et Romanum exemplar a. 1472.]. agnoscit Priscianus [3. p. 604. sive C. 2. §. 16. Tom. 1. p. Krehl. 114.]. quod eo notavi, quod quidam legendum putant, *non in bellis neque in proeliis, quam in promissis et fide firmiorem* [in codice Gud. 2. sic est, *non tam in becillis nec in proeliis, quam promissis et fide firmiorem*.].

§. 9. QUUM FACILE EXORARI CAESAR TUM SEMEL EXORARI SOLES. quidam legendum censent, *tum facile orari Caesar tum semel exorari soles*. ego nihil muto [de meis tuentur *orari* cod. Gud. 2. et Rom. editio a. 1472. haec praeterea dedit, *tum facile orari*.].

Ibid. extr. SI QUUM AUXILIA POMPEIO VEL ETIAM FILIUM MISISSET IPSE TAMEN AETATIS EXCUSATIONE USUS ESSET. sic reposui auctoritatem veterum librorum secutus [cf. Muretum VV. LL. 2, 16. Operum Tom. 2. p. 49. sq. *aetatis excusatione* habent cod. Gud. 2. et Romanum exemplar a. 1472.], et paullo post, *perparvam in amicitia culpam relinquebas*, quum eos libros adiuvissem, in quibus scriptum est partim *in amicitia*, partim *inimicitia* [certe *inimicitiae* dedit Roman. edit. a. 1472.].

C. 5. §. 13. fin. UTILITATIBUS TUIS PATUIT. sic est legendum, non *paruit* [vid. Ernest. p. 1434, 14.]. paullo post [§. 14.], ubi vulgati libri habent, *et proba* || *tissimum*, scripti manu ni- p. 715.
hil habent, in eisque legitur sic, *ex tuis fidelissimum omnibus* a.

delegisti [et Romanum exemplar a. 1472., *ad quem tu ex tuis civibus fidelissimum omnibus delegisti*.].

C. 6. §. 17. AB ISTO ADOLESCENTE ESSE CORRUPTUM. verbum *existimavi*, quod est in libris vulgatis post vocem *adolescente*, non reperitur in manu scriptis, neque Memmianis neque ullis aliis. de Memmianis testes sunt mihi complures homines doctissimi, de quibusdam aliis testatur Muretus libro VV. LL. 2. [c. 16. Operum Tom. 2. p. 50], neque in suis huius verbi ulla extare vestigia atque ita legi, quemadmodum edendum curavi. itaque hoc verbum funditus delevi, ut supervacaneum et alienum. et vero apparet, ab eo adiectum esse, qui non videret, unde haec penderent quove referrentur. pendent autem illinc, *quum est ad me ista causa delata*, nempe *Philippum medicum*, et cetera.

C. 7. §. 19. UT COLLOCATI FUERANT. libri manu scripti habent, *ubi collocati fuerant*. verumtamen nihil muto. *ut* enim saepe idem, quod *ubi*, significat apud bonos scriptores [vid. Commentaria Horatiana ad I. Carmm. 17, 10. p. 50. F. cf. annotata ad V. Accus. c. 12. §. 30. et Pareum Lex. Crit. p. 1330, 2. et Mantiss. Lex. Crit. p. 123, 1.].

C. 8. §. 23. AT MISIT AD CAECILIUM NESCIO QUEM. sic est scriptum passim hoc nomen in veteribus libris [vid. Perizonium Animadverss. Historicis p. Harles. 184. sq.]. paullo post, ubi vulgati habent [§. 24.], *non optimos misisse tibi*, illi non habent *tibi*. cetera denique, quae sunt a nobis immutata, a codicibus illis petita sunt.

C. 10. §. 29. EGO QUI PACIS AUCTOR SEMPER PHARSALICO AUTEM PROELIO SUASOR ARMORUM NON DEPONENDORUM SED ABIICIENDORUM FUI. quemadmodum hic locus fuerat foede corruptus ab indoctis, ita beneficio librorum antiquorum praeclare in integrum restitutus est. paullo post verbum *habet*, quod erat in vulgatis, eosdem libros secutus delevi.

Ibid. CALAMITOSUS DEIOTARUS QUI NON MODO AB EO QUI IN IISDEM CASTRIS FUERIT NON MODO A PEREGRINIS SED ETIAM A SUIS ACCUSETUR. ita scriptum reperi in duobus libris manu scriptis. paullo post [c. 11. §. 30.] vel legendum, *quis tuus pater antea qui esset quam, cuius gener esset, audivit*? vel si hanc lectionem probamus, *quis tuum patrem antea quis esset*, seu *qui esset*, Graecorum vel Comicorum more locutus est. sic enim illi, *fac me ut sciam*, pro *fac ut ego sciam* [cf. annotata ad II. Agrar. c. 21. §. 57. et vid. Pareum in Mantissa Lex. Crit. p. 167. et Ruhnkenium Dictatis in Terentii Eunuch. 1. 2, 80. p. Schopen. 96.]. et paullo post [p. 581, 5.] *spe promissisque corrumpere*, ubi vulgati habent *spe praemiisque*.

C. 11. §.. 32. NONNE QUUM ESSET PERDUCTUS ET QUUM TECUM FUISSET REFUGIT AD REGIS LEGATOS. vocem *testis*, quae est in libris vulgatis (abest autem a manu scriptis), delendam curavi, simul

perductus excudi iussi, eosdem libros secutus [*perductus* una habet Romana edit. a. 1472. vid. ad II. de Invent. C. 54. §. 162. et cf. Drakenborch. ad Livii 39. 50, 1. et ad Silii 15, 100.]. supra autem, versu 14. [§. 31.], ubi est, *ad Scaurumque deduci*, legendum puto, *ad Scaurumque reduci.*

C. 12. §. 33. EIUS ENIM NOMINE VIRI OPTIMI NEC TIBI IGNOTI MALEDICEBAT TIBI. et mirabar antea et stomachabar, quum legerem in libris vulgatis *optimi hominis*, quod mihi persuasum habebam, nec *optimus homo* nec *bonus homo* Latine dici, sed *vir optimus* et *vir bonus.* idem posteaquam in omnibus libris antiquis scriptum reperi plane *viri optimi*, desii et mirari et stomachari, meoque iudicio delectatus sum. proximo versu corrige distinctionem et lege, *te invidiose tyrannum existimari: statua inter reges posita, animos hominum vehementer offensos* [operae sic dederant, iniussu Lambini, *statua: inter reges posita*, p. 581, 25. vid. Indicem Eratt. p. 848.].

§. 34. IN SUMMA REI PUBLICAE LIBERTATE NATI. libri scripti manu omnes habent, *in summa P. R.*, id est, *in summa populi Romani libertate nati.* quomodo sine dubio legendum est [vide ad Orationem pro Milone C. 23. §. 63.].

C. 13. §. 35. AD EXTREMAM CAUSAE PARTEM RESERVATUM. quidam libri veteres habent, *ad extremum causae.*

§. 36. ILLE ENIM FURORIS MULTAM SUSTINUERAT HIC ERRORIS. omnes libri veteres habent, *multuram subierat. multuram* quid valeat, nescio, *subierat* probo [et habet Rom. editio a. 1472.]. iidem habent partim, *retento atque reservato*, partim, *retento atque servato*, ubi vulgati, *conservato* [solent enim *conservare* et *servare* a librariis commutari, cuius commutationis exempla vid. apud Drakenborch. ad Livii 42. 24, 10. Tom. 12. P. 1. p. 61. ita denique *servare* in *reservare* abiit. vid. eundem ad Livii 10. 25, 17. Tom. 5. P. 2. p. 191. sq.].

XLIII.

IN PHILIPPICAM PRIMAM SIVE PHILIPPICARUM IN M. ANTONIUM LIBRUM PRIMUM.

Principio hoc testatum volo, omnes fere emendationes Philippicarum esse sumptas de codice Vaticano manu scripto, cuius inspiciendi et consulendi laborem susceperunt Muretus et Faernus. itaque breves hic erimus. satis est, admonitum esse

lectorem, quicquid hic erit immutatum, magnam partem ab illis viris ex auctoritate codicis illius optimi esse emendatum. si quid erit aliud, id acceptum referri debebit et codicibus Memmianis et nostris coniecturis.

C. 1. §. 1. NEC A RE PUBLICA DEIICIEBAM OCULOS. hunc locum profert Nonius [4, 151. p. Mercer. 289, 3.], profert et illum qui non multo post sequitur [c. 2. §. 4.], *non modo regno, quod pertuleramus, sed etiam regni timore sublato* [4, 411. p. Mercer. 385, 22.].

C. 9. §. 22. QUID EST ALIUD HORTARI ADOLESCENTES UT TURBULENTI UT SEDITIOSI UT PERNICIOSI CIVES VELINT ESSE. errant qui *adolescentes* scribunt per *u* in secunda syllaba. *adolesco* enim compositum verbum est ex praepositione *ad* et verbo *olesco*, quod crescere significat. quod vero reperitur ita scriptum in antiquis libris, culpa est vel temporum, vel librariorum. scribebant enim saepe *o* pro *u*, et *u* pro *o*, ut admonui in Commentariis Lucretianis. atqui ita sunt consulendi et sequendi codices veteres, ut eos adiuvemus in eisque legendis iudicium adhibeamus. quis enim ferat eum, qui contendat, scribendum esse *novilis*, non *nobilis*, et *abemus*, non *avemus*, et contra *havitare*, non *habitare*, *avieris*, non *abieris*, *havemus*, non *habemus*, et similia, quia plerumque ita scripta reperiantur in libris illis?

b. C. 14. §. 33. || ET METUI A CIVIBUS TUIS QUAM DILIGI MALIS. hoc totum, *quam diligi malis*, testificatur Muretus [Operum Tom. 2. p. 982.] abesse a libris veteribus. quod tamen retinet Faernus.

§. 35. extr. SINE QUO NEC BEATUS NEC CLARUS NEC AUCTUS QUISQUM ESSE OMNI POTESTATE POTEST. sic hunc locum restituit Adrianus Turnebus [Adversariis 15, 2.], a Faerno quidem desperatum (sequitur enim libros vulgatos), a Mureto tentatum, qui reponit, *nec tutus esse quisquam omnino potest.* quum igitur antiquus ille liber habeat, *nec unctus quisquam esse omni potestate*, Adriani Turnebi coniecturam propius ad hanc scripturam accedere iudicavi. ita autem dictum est a M. Tullio *auctus potestate*, ut ab eodem et ab Horatio *honoribus auctus* [Cicero III. de N. DD. C. 36. §. 87. Horatius I. Satirr. 6, 11. vid. Nizolium a Facciolato castigatum p. 92, 1.].

C. 15. §. 36. extr. QUI LUDIS SUIS ITA CARUIT UT IN ILLO APPARATISSIMO SPECTACULO STUDIUM POPULUS ROMANUS TRIBUERIT ABSENTI UT DESIDERIUM LIBERATORIS SUI PERPETUO PLAUSU ET CLAMORE LENIERIT. diu dubitavi, quo pacto hunc locum edendum curarem, quia Faernum et Muretum, quibus testibus antiquae scripturae utimur, hic pugnantia loqui video. Faernus enim ait ita scriptum esse in optimo illo libro, *ut in illo apparatissimo spectaculo studium populus Romanus tribuerit absenti, ut desiderium liberatoris sui perpetuo plausu et clamore leniret*, Mu-

retus autem sic, *ut in illo apparatissimo spectaculo studium populus Romanus tribueret absenti, desiderium liberatoris sui perpetuo plausu et clamore leniret.* utri credam, quum alterum necesse sit falsum dicere? utrique non possum, quum duo contraria non possint simul esse vera. neutri igitur potius. nam *tribuerit* reperitur in libris vulgatis. hos igitur in hoc sequor, non antiquum illum, quamvis hi in eo ipso cum illo consentiant, si Faerno credimus. addidi tamen particulam *ut*, quam Faernus etiam in illo libro reperiri confirmat, de qua Muretus nullum verbum. non displicet mihi porro Faerni sententia existimantis, vocem *studium* delendam esse, ut alienam. verumtamen nihil muto. assentior autem Mureto, mollius et suavius casuram orationem, si ita legamus, *clamore leniret*, qua lectione probata supra legendum erit *tribueret*.

XLIV.

IN PHILIPPICAM SECUNDAM.

C. 4. §. 7. extr. QUAM MULTA IOCA SOLENT ESSE IN EPISTOLIS. cave, lector, sequaris in hoc antiquorum librorum auctoritatem, quod in eis scriptum est *epistulis*. fuit enim certis quibusdam temporibus consuetudo illa depravata scribendi *u* pro *o* et *o* pro *u*, quemadmodum admonuimus paullo ante [ad I. Philipp. C. 9. §. 22.]. tu igitur, quicquid dicant certi quidam homines, scribe *epistola* et *adolescens* per *o*, non *epistula* et *adulescens* per *u*.

§. 8. QUI QUUM HOC IPSO TEMPORE STENT CUM GLADIIS IN CONSPECTU SENATUS. sic coniecit esse legendum Muretus ex antiqua scriptura, quae talis est, *qui quum hoc ipsumo tempore*. affert idem aliam coniecturam, nempe hanc, *qui quum nunc ipsum (o tempora!) stent cum gladiis*. quam plane non probo. Adrianus Turnebus autem sic tentabat restituere [15. Adverss. 2.], *qui quum hoc pessimo tempore*, et cetera. quae coniectura videtur longe optima.

C. 16. §. 41. QUEM PALAM HEREDEM SEMPER FACTITARAT NE NOMINAVIT QUIDEM. ego in huius loci emendatione Mureto assensus sum, scripturam antiquam ipsis vestigiis persequenti, a Faerno, qui ex *nominat* facit *meminit*, dissensi. fateor tamen, me ex *nominat* fecisse *nominavit*, ut cohaererent tempora.

C. 18. §. 44. SUMPSISTI VIRILEM QUAM STATIM MULIEBREM TOGAM REDDIDISTI. toga praeterquam quod erat virorum, erat etiam

meretricum. unde *mulieres togatae* meretrices intelliguntur. Horatius sat. 2. lib. 1. [v. 63., ubi vid. Lambin. Commentariis p. 23. D.], *quid inter Est, in matrona, ancilla peccesne togata?*

C. 20. §. 49. AUDE DICERE TE PRIUS AD MATREM TUAM VENISSE QUAM AD ME. sic hunc locum restitui, Georgii Buchanani auctoritatem secutus. vulgata autem scriptura est haec, neque aliter habent codices manu scripti, *venisti e Gallia ad quaesturam petendam, aude dicere, te prius ad patrem tuum venisse, quam ad me.* his argumentis ac verbis Buchananus hanc lectionem oppugnat, atque adeo evertit. »etsi in hac lectione »omnia consentiunt exempla, si quis tamen propius inspexerit, »mendum deprehendet. nam pater Antonii atque etiam vitri»cus Lentulus, qui in coniuratione fuerat Catilinae, multo ante »hoc tempus excesserant e vita. neque *patruum* legi potest. »nam C. Antonius, M. Antonii patruus, damnatus fuerat repe»tundarum, accusantibus Macedonibus, Css. Caesare et Bibulo, »ut ex Cicerone et Suetonio perspicuum est. Cicero enim in »Oratione pro Domo Sua ita scribit [C. 16. §. 41. p. Lambin. »410, 10.], *hora fortasse sexta diei questus sum in iudicio, »quum C. Antonium collegam meum defenderem, quaedam de »re publica, quae mihi visa sunt ad illius miseri causam per»tinere. haec homines improbi ad quosdam viros fortes longe »aliter atque a me dicta erant detulerunt. hora nona illo ipso »die tu es adoptatus.* ex quibus Ciceronis verbis intelligere »licet, quo die P. Clodius a patribus ad plebem transiit, eo »die C. Antonium causam dixisse. Clodium vero ad plebem »transiisse constat ex Suetonio Caesare et Bibulo consulibus. »iisdem igitur css. C. Antonius in exsulium abiit, damnatus
p. 716. »repetundarum, nequedum redierat M. Antonio et Dola || bella
a. »consulibus. exprobat enim Cicero in hac Philippica M. Anto»nio, quod, ceteris ab exsulio revocatis, patruum non restituis»set. M. autem Antonius praefectus equitum cum Gabinio »profectus fuerat in Syriam, e Syria cum Ptolemaeo in Alexan»driam, ab Alexandria in Galliam ad Caesarem, e Gallia Ro»mam rediit ad quaesturae petitionem, etiam tunc exsulante »patruo. non potest igitur, ut ante dixi, pro *patrem* supponi »*patruum.* neque *ad fratres tuos* posse legi arbitror, sive quod »non tam facilis sit lapsus ex mutatione tot litterarum, sive quod »fratres eius etiam tunc adolescentes et ignoti essent, nec ulla »re postea nisi flagitiis nobilitati. itaque *ad matrem tuam* le»gendum censeo. fuit autem ex vicinitate litterarum librario »facilis peccandi occasio. praeterea satis constat, Iuliam M. »Antonii matrem, matronam illustrem et spectatae probitatis ad »triumviralem usque proscriptionem vixisse, ac L. Caesarem fra»trem suum proscriptum servasse. una igitur mutata littera *matrem* »legendum censeo.« haec Buchananus. si quis tamen, propius accedens ad scripturam antiquam *parentem tuum, parentem tuam* legendum esse contendet, non pugnabo [vid. Muretum VV. LL. 18, 6. Operum Tom. 2. p. 449. sq.].

C. 22. §. 53. CAUSAM BELLI CONTRA PATRIAM INFERENDI DEDISTI. quidam legi volunt, *ansam belli.*

C. 23. §. 56. COLLUSOREM SUUM RESTITUIT. desideratur post haec verba hoc totum, *non ut luderet cum restituto* [vid. Muretum VV. LL. 18, 7. Operum Tom. 2. p. 450.].

C. 28. §. 69. PRO TRICLINIIS POPINAE SUNT Petrus Faber Tolosanus [supplicum libellorum in Regia magister, *ex Omiss. Tom.* 4. *p.* 625.], commotus antiqua scriptura, quae talis est, *pro conclavibus popinae triclinissent*, delendam censet vocem *popinae*, legendum, *pro conclavibus triclinia sunt* [ex Omissis post Tom. 4. p. 625. addantur haec: »idem aliquot post mensibus, »quum Lutetiam venisset, sententia mutata dixit mihi, sibi vi»deri totum hunc locum sic potius esse legendum, *pro cubicu»lis stabula, pro conclavibus triclinia, pro tricliniis popinae sunt.* »cui assentior. sic Severus ad Rogonium Celsum apud Aelium »Spartianum in Pessenio Nigro [C. 3. Tom. 1. p. Bipont. edit. »166], *milites tui vagantur, Tribuni medio die lavant, pro »tricliniis popinas habent, pro cubiculis meritoria, saltant, bi»bunt, cantant, et mensuris conviviorum vacant, quum sine »mensuris potent.* quem locum idem mihi indicavit, ut et al»terum ex Oratione C. Gracchi, qui est apud A. Gellium lib. »15 cap. 12. *nulla apud me fuit popina, neque pueri eximia »facie stabant, sed in convivio liberi vestri modestius erant, »quam apud praeceptorem* (alii *praecipem*, quod idem valet). »en tibi in his tribus locis commemorantur *popinae* et *stabula.* »nam quae M. Tullius *stabula* nominat, *meritoria* a Severo di»cuntur. Gracchus autem his pluribus verbis eandem rem si»gnificavit, *neque pueri eximia forma stabant.* ita ex Severi »et Gracchi verbis intelligimus, per *stabula* apud M. Tullium »significari *meritoria* et quasi *prostibula.*«].

Ibid. CLAVES ADEMIT EXEGIT. videtur legendum, *foras exegit*, et ita extat apud Nonium Marcellum ad verbum *exigere* [4, 160. p. Mercer. 291, 6.]. nam neque Petrus Victorius [VV. LL. 2, 2.], neque Faernus, neque Muretus [VV. LL. 5, 8. Operum Tom. 2. p. 107. sq.] adverbium *foras*, quod desideratur, restituerunt.

C. 31. §. 77. OMNEM SE AMOREM ABIECISSE ILLIM. sic restituimus, scripturae veteris vestigia secuti. *illim* autem valet *illinc* [vid. Voss. de Analog 4, 19. p. 219. et Pareum Lex. Crit. p. 568, 2.].

C. 35. §. 88. SUSTULIT ILLUM DIEM FORTUNA POPULI ROMANI. nihil muto, quamvis Faernus testetur in antiquo libro scriptum esse, *fortuna rei publicae* [id est *R. P.* vide annotata ad Orationem pro Deiotaro C. 12. §. 34.]. neque tamen illam damno, quum alibi ita loquatur.

C. 37. §. 94. IGITUR A QUO VIVO NEC PRAESENS NEC ABSENS REX DEIOTARUS QUICQUAM AEQUI BONI IMPETRAVIT APUD MORTUUM FA-

CTUS EST GRATIOSUS. sic habet codex ille Vaticanus, ut testantur Faernus et Muretus: verumtamen lectionem vulgatam malim tueri. nam verba illa, *rex Deiotarus*, nata sunt, meo quidem iudicio, ex annotatione, quae respondebat voculae *is*.. atque hac vocula omissa, verba illa in contextum verborum a librario coniecta sunt. supra autem paucis ante versibus verba aliquot, quae alieno loco erant posita, quum infra sexdecim post versibus suo loco legantur, delenda curavi, ut inania et supervacanea [ea sunt, lecta vulgo post illa §. 93. *quonam modo ante Kal. Apriles debere desisti*, sed in suum locum relata C. 38. §. 97., *quid ego de commentariis infinitis, quid de innumerabilibus chirographis loquar?* erroris causam indicavit Orell. p. 483, 10. absunt haec, *sunt ea quidem innumerabilia*, et a codice Gud. 2., quem denuo excussi, usque ad finem capitis.].

C. 38. §. 99. QUUM METUISTI CREDO NE SALVO CAPITE NEGARE NON POSSES. hic locus, meo iudicio, corruptus ac depravatus est. secutus autem sum Faerni et Mureti emendationem ex antiquo illo codice Vaticano. nam Hieronymus Ferrarius testatur sic legi in aliquot aliis manu scriptis, *quem metuisti, credo, ne salvo capite negare non posses.* quam scripturam non probat, ex ea tamen suspicatur legendum, *necare non posses.* quae coniectura non videtur esse reiicienda, et fortasse emendatus locus esset et perpurgatus, si ita legeretur, *intervenit enim, quod metuisti, ne salvo capite eum necare non posses.* vel sic, *intervenit enim. quid? metuisti, credo, ne salvo capite eum necare non posses.* vel sic, *intervenit enim. quid? eum metuisti, credo, ne salvo capite necare non posses.*

C. 45. §. 115. CUM HAC IMMANI NUNDINATIONE TUA. secutus sum Antonii Augustini coniecturam, quam fecit ex hac antiqua, *quum in manum latione tua*, quam nullo modo probo. non enim si usitatum est *dare in manum*, *ferre in manum* etiam usu est receptum. sed demus, *in manum dationem* et *in manum lationem* idem valere, neutrum tamen hic locum habere potest, sed potius *in manum acceptio* [adde ex Omissis post Tom. 1. p. 381. »reperi in uno libro antiquo, *cum hac numeratione tua.*«].

XLV.

IN PHILIPPICAM TERTIAM.

C. 2. §. 3. NE OPTANTIBUS QUIDEM NOBIS. nec potui nec debui optimi libri auctoritatem aspernari, qui sic habet, ut testantur Faernus et Muretus. adde, quod verbum *cogitantibus*, quod antecedit, satis indicat, legendum esse hoc loco, *ne optantibus*

quidem. sed ratio, quae subiungitur, quare non optarint, inanis est ex sententia philosophorum. optamus enim etiam ea, quae fieri non posse arbitramur, verbi gratia, optamus immortalitatem; optamus ea quae facta sunt, ut sint infecta; denique optamus *ἀδύνατα.*

C. 6. §. 15. QUAM BARBARUS QUAM FERUS. sic legendum esse ex loco huic simillimo, qui est pagina sequente, versu tricesimo nono [p. 610, 39. nobis C. 9. §. 23.], iudicavi, ibi, *quum in edictis tam fuisset ferus* [immo, *tam ferus fuisset*, ut ibi nunc legitur.]. omnino illud *rudis,* quod est in libris vulgatis, non placet, neque aures meae ferre possunt.

§. 17. QUI AUTEM CONVENIT UT TIBI IULIA NATA IGNOBILIS VIDEATUR QUUM TU EODEM MATERNO GENERE SOLEAS GLORIARI? assentior Antonio Augusti ‖ no et M. Antonio Mureto, ut legendum *b.*
putem, *Iulia nata*, quomodo edendum curavi, id est Iuliae filia, nempe Attia, Octaviani mater, de cuius genere hic agitur.

C. 8. §. 19. QUUM TOT EDICTA PROPOSUISSET EDIXIT UT ADESSET SENATUS FREQUENS A. D. VIII. KAL. DECEMB. assentior Faerno, qui arbitratur, verbum *edixit* esse delendum.

C. 9. §. 23. A QUO ERAT HONESTISSIMIS CONTENTIONIBUS ET SAEPE ET IURE VEXATUS. secutus sum libros vulgatos, neque antiquam illam scripturam, *honestissimis contionibus et saepe et iure contentionibusque vexatus,* ut probarem, animum inducere potui. puto enim hoc *contionibus* hinc esse natum, quod quum librarius hanc vocem in ora libri a nescio quo dubitante ascriptam reperisset, utramque in contextum intulerit, *contionibus* et *contentionibus.* quamquam ne quid dissimulem, malim ita legi, *a quo erat honestissimis conditionibus et saepe et iure vexatus.*

C. 12. §. 30. QUI QUUM SUSCENSERE NEMINI POSSET. libri omnes veteres sic habent, ut edidimus, *suscensere*, non *succensere* [vid. VV. DD. ad Livii 25. 6, 4. Tom. 8. p. 37. et cf. Conr. Leop. Schneider. Doctrina Elemm. L. L. P. 2. p. 606. et sic infra IX. Epp. 1. p. Lambin. 94, 27. ex Indice Erratorum p. 566. corrigendum *suscenserem*, ibi, *etsi non iccirco eorum usum dimiseram, quod iis suscenserem, sed quod eorum me suppudebat.*]. supra autem, ubi vulgati habent, *L. Antonius* [*et*, sed hoc *et* abest a codice Gud. 2.] *M. Antonius,* versu decimo sexto [p. 611, 16. id est c. 10. §. 26.], nihil mutavimus, quamvis antiqui habeant *L. Annius.*

§. 31. ET AD DISPERDITIONEM URBIS VENIRE CONATUS. liber antiquus, omnium optimus, habet *ad dispersionem,* unde ego legendum coniicio, *ad direptionem.* nam neque *disperditionem* neque *dispersionem* mihi ullo modo probantur. idem liber paullo ante habet [§. 30. fin.], *foro excusserit,* ubi vulgati, *foro excluserit.*

C. 13. §. 32. VIDETISNE REFERTUM FORUM POPULUMQUE ROMANUM AD SPEM RECUPERANDAE LIBERTATIS ERECTUM? sic habent libri vulgati, et ita edendum curavit Muretus. at Faernus sic, *videtis refertum forum, populumque Romanum ad spem recuperandae libertatis erectum*, per enunciationem et sine interrogationis nota.

C. 14. §. 36. SUNT IMPII CIVES PRO CARITATE REI PUBLICAE NIMIUM MULTI PRO MULTITUDINE BENE SENTIENTIUM ADMODUM PAUCI. sic edidit Hieronymus Ferrarius, sic Faernus, sic habent nonnulli vulgati. Muretus autem hoc modo, *sunt impii cives pro caritate rei publicae nimium multi: contra multitudinem bene sentientium admodum pauci.*

XLVI.

IN PHILIPPICAM QUINTAM.

C. 7. §. 18. extr. OPERTIS VALVIS CONCORDIAE. sic Faernus edidit; sic habent libri vulgati et nonnulli scripti manu; Muretus autem, nisi typographi sit erratum, *apertis valvis.*

C. 11. §. 29. extr. NOVI HOMINIS INSANAM ARROGANTIAM. Faerno assentior, qui optimo illo codice repugnante et invito, in quo est *insaniam*, *arrogantiam*, ut in vulgatis omnibus, sic legendum censet, *insanam arrogantiam.*

C. 12. §. 31. QUORUM EXPECTATIO DUBITATIONEM BELLI AFFERT. sic testatur esse scriptum Faernus in codice illo Vaticano, ego tamen malim legi, *afferet*, ut in vulgatis. et quidem ita excudi iusseram, si operae mihi obtemperare voluissent [omissum in Erratis p. 818. recepit in ordinem Gothofredus, illud *affert* »aliis« assignaturus.].

§. 33. QUI NE SORTI QUIDEM FORTUNAS NOSTRAS DESTINAVIT. sic edidit Hieronymus Ferrarius. Faernus autem mavult legi, *destituit*, ut habent nonnulli libri vulgati. fatetur tamen, in optimo illo codice scriptum esse *destinuit*, quod corruptum esse putat, ut et mihi videtur. unde multis verbis ostendere conatur, legendum *destituit.* de quo iudicet lector [et Pareo probatur *destinavit*, Lex. Crit. p. 342, 1.].

§. 34. extr. DE RE PUBLICA QUA DE RETULISTIS. Faernus legendum putat, *de re publica quod et retulistis*, ego sic, *de re publica qua de retulistis.* quae scriptura quum propius abest ab antiqua, *quo ad retulistis*, quae vitiosa est, tum sententiae magis convenit.

XLVII.

IN PHILIPPICAM SEXTAM.

C. 3. §. 6. extr. NOVI VIOLENTIAM. secutus sum libros vulgatos, quibuscum congruunt nonnulli scripti, ut testatur vulgatus Memmianus, et ita edidit Muretus, Faernus autem, *vinolentiam*. quod minus probo.

§. 7. OMNES UNDIQUE COPIAE COLLIGENDAE. hunc locum profert Nonius in verbo *colligo* [4, 113. p. Merc. 273, 21.].

Ibid. extr. HORAM EXCUBARE NULLAM IN TALI CIVE LIBERANDO SINE SCELERE NON POSSUMUS. proponam initio scripturam antiquam, a qua non discrepant nonnulli codices vulgati, *horam exhibere nullam in tali cive liberando sine scelere non possumus.* ex qua Hieronymus Ferrarius fecit, *horam eximere nullam in tali cive liberando possumus.* quam emendationem, si emendatio est et non corruptio, sequatur qui volet, ego quidem non probo. movet me omnium veterum librorum consensus in voce *exhibere*, sed maxime in negandi particula, quam tollit Ferrarius. servata igitur negatione sic puto hunc locum esse emendandum, *horam excubare nullam in tali cive liberando sine scelere non possumus.* ut sit haec sententia, scelerati simus, si nullam horam excubemus in tali cive liberando. qua in emendatione primum aut pudentius aut certe aeque pudenter *exhibere* verto in *excubare*, ut qui idem verbum || in *eximere* verterunt; p. 717. a.
deinde negationem retineo, quam illi, ut suam emendationem tueri possent, sustulerunt. sic autem fere loquitur infra eadem Philippica [p. 627, 11. nobis c. 7. §. 18.], *quantum potero, Quirites, excubabo vigilaboque pro vobis* [cf. Nizolium p. 280, 1.].

C. 4. §. 11. IAM FERT IN OCULIS POSTQUAM VIDIT SINE TABULIS NOVIS SALVUM ESSE NON POSSE. duas voces, *ipsum Trebellium*, ut ex annotatione ac declaratione natas, delendas curavi. supra autem paullo ante [§. 10.] legendum, *T. Plancus* [legitur p. 626, 5. *T. Plancius*.].

Ibid. extr. QUIS EST QUI HUNC NON CASU EXISTIMET RECTE FECISSE QUI NEQUITIA ET SCELERE ITA EXCELLAT? in optimo illo et antiquissimo libro Faernus et Muretus testantur ita legi, *nequitia est scelere.* a quo non discrepat Memmianus. unde Faernus legendum suspicatur, *nequitia excellere*, ego, adiuvans Faerni coniecturam, sic legendum censeo, *qui nequitia et scelere ita excellat.* credibile enim est, illud *excellat* a librario scriptore esse praetermissum propter similitudinem vocis *scelere*, quae antecedit.

C 5. §. 14. HIS QUOQUE DIVISIT REMURIUM. sic putat legendum Hieronymus Ferrarius. sed ego vetueram quicquam mutari

[itaque reponendum contextus p. 626, 33. *Semurium* pro *Remurio*.]. nam primum *Semurium* habent omnes libri et manu scripti et vulgati; deinde Semurium constat agrum fuisse hoc nomine, quem populo Romano legaverat Larentia, idque ex Macrobio, si cui forte dubium est, cognoscere licet, libro 1. Saturnaliorum cap. 10. [p. Zean. 251.], *Cato ait Larentiam meretricio quaestu locupletatam, post excessum suum populo Romano agros Turacem, Semurium, Lincerinum et Solinum* [Solinium] *reliquisse*, et cetera. admonet et Adrianus Turnebus libro 3. Adversarr. cap. 3.

XLVIII.

IN PHILIPPICAM SEPTIMAM.

C. 6. §. 18. NON QUAERET URBE EXPULSOS. Mureti coniecturam ut verisimiliorem atque adeo ut certam et veram, meo quidem iudicio, probo, qui ex antiqua scriptura aliquantum depravata, *non quaeret urbe expulsus*, sic restituit, *non quaeret urbe expulsos?* nam Faernus sic edidit, *non queretur expulsos?* quod minus probo.

§. 19. SED PACIS NOMINE BELLUM OBVOLUTUM REFORMIDO. quum in libris veteribus legatur, *bellum ovolutum*, propius ad eam accedit *obvolutum* quam *involutum*, quod est in vulgatis.

C. 7. §. 21. pr. DOCEBO NE COAGMENTARI QUIDEM POSSE PACEM. docti quidam viri existimant, scribendum esse verbum *coagmento* sine *g*, *coamento*, quia *amenta*, inquiunt, ea sunt quibus ad ligandum utimur, et *coamentare* nihil aliud sit quam colligare. sed vereor ne errent, credibiliusque sit, *coagmentare* dictum esse vel ab *agmentis*, quae commemorat Varro libro 5. de Lingua Latina, et refert Sosipater Charisius lib. 1., ibi, *later, lutum, agmenta;* vel a *coagmentis*, quae sunt *coniunctiones artae et compares*, inquit Nonius [1, 96. p. Mercer. 42, 20.], *a coagendo, id est stringendo dictae, unde coagulum* [vide annotata ad III. de Oratore c. 43. §. 171. et ad Brut. c. 17. §. 68.].

C. 9. §. 25. A QUA EXCLUSUS ET REPUDIATUS EST. sic edidit Muretus, neque nos admonet aliter esse scriptum in codice Vaticano, Faernus autem *expulsus*.

XLVIIII.

IN PHILIPPICAM OCTAVAM.

C. 1. §. 3. QUOD BELLO VACATIONES VALENT TUMULTU NON VALENT. Iulio Pogiano assentior, qui existimat, detrahendam esse vocem *Italico* seu *Gallico*. nam ex libris vulgatis alii habent, *bello Gallico*, alii, *bello Italico*.

C. 2. §. 4. NOLUMUS HOC BELLUM VIDERI. Faernus edidit, *nolimus hoc bellum videri*. quod puto esse erratum typographi. quare legendum, *nolumus hoc bellum videri*, quomodo Muretus.

C. 4. §. 13. ATQUE AIS EUM TE ESSE QUI SEMPER PACEM OPTARIS. sic edidit Faernus ex antiquo illo codice. in ea autem editione, cui praefuit Muretus, sic legitur, *atque vis eum te esse, qui semper pacem optaris*. quam lectionem mendosam puto, et culpae typographi assignandam.

Ibid. SI BONOS ET UTILES REI PUBLICAE CIVES. Faernus et Muretus ediderunt ex illo codice antiquo, *et utiles et e re publica cives*.

C. 7. §. 21. FORE UT OMNES INFLAMMATI ODIO EXCITATI DOLORE ARMIS EQUIS VIRIS D. BRUTO SUBVENIREMUS. haec pendent ex verbo *consolabar*, quod est supra. nam vox *putabam*, quae est ante *fore* in libris vulgatis, non reperitur in antiquo Vaticano, neque in Memmiano. iam vero copulationem *quod*, post verbum *consolabar*, delevi ut alienam et subditam.

C. 9. §. 27. extr. ✻ ✻ HUIUS COMITIIS C. FRATER EIUS (EST ENIM IAM ANNUS UT REPULSAM TULIT). locus corruptus et mutilus, quem sic conatus est restituere in integrum Antonius Augustinus, *L. comitiis Consul fiat iure*.

C. 11. §. 32. QUAM CAPTIVI SERVI FRUGI ET DILIGENTES SOLENT. nolim equidem antiquam scripturam damnare, quam se testantur Faernus et Muretus sequutos esse, nempe hanc, *quam captivi servi frugi et diligentes solent*. sed tamen mihi videtur vox alterutra, vel *servi* vel *captivi*, redundare et foris aliunde in contextum verborum Ciceronis illata.

§. 33. med. SI QUIS EORUM QUI CUM M. ANTONIO SUNT FECERIT QUOD HONORE PRAEMIOVE DIGNUS ESSE VIDEATUR. || scripturam *b.*
antiquam partim sequutus sum, partim adiuvi. nam, deleto pronomine *quis*, *dignus* retinui, quod reperitur in libris vulgatis. atque haec verba, *fecerit quod honore praemiove dignus esse videatur*, sic interpretor, fecerit, *propter quod* honore et praemio dignus esse videatur. sic loquitur Terentius Phormione

[5. 9, 63. 4.], *vin' primum hodie facere, quod ego gaudeam, Nausistrata, Et quod tuo viro oculi doleant? quod*, id est propter quod [vide Pareum Lex. Crit. p. 1050, 1. et Ruhnkenium Dictatis ad Terentii l. l. p. Schopen. 270]. et ita Donatus.

L.

IN PHILIPPICAM NONAM.

C. 5. §. 11. SEMPER AD UTILITATEM AEQUITATEMQUE REFEREBAT. libri omnes habent, *semper ad facilitatem aequitatemque referebat*, itaque excudi iusseram. sed quum docti cuiusdam coniecturam ascripsissem, qui legendum putat, *ad utilitatem aequitatemque*], typographus, consilio meo non intellecto, vera et recepta lectione eiecta incertam et coniecturalem admisit. quamquam ne quid dissimulem, malim ita legi, ut docto illi videtur, quam omnibus in libris legitur. quid enim sibi vult hoc loco *facilitas?* nisi dicamus idem fere valere, quod lenitas et *aequitas*, summo iuri contraria. quomodo fortasse et usurpavit lib. 1. Epistolarum ad Familiares ep. 9. [p. Lambin. 15, 2.], *facilitate autem quod vellem consequi potuisses, ne eius ordinis rem aut voluntatem offenderes.*

LI.

IN PHILIPPICAM DECIMAM.

C. 2. §. 5. QUID EST ALIUD LIBRARIUM BRUTI LAUDARE NON BRUTUM [delevi *quam* post *aliud*, a Lambino admonitus Ind. Erratorum p. 848.]? legendum, *quid est aliud librarium Bruti laudare, non Brutum?* deleta particula *quam*, quae nescio, unde huc irruerit. in eo quidem exemplo, quod operas sequi iusseram, nullum erat eius vestigium. credibile est, semidoctum aliquem eis auctorem fuisse, ut eam adiicerent, quasi necessariam et a me imprudente praetermissam.

C. 4. §. 8. QUANQUAM QUI UNQUAM AUT LUDI AUT DIES LAETIORES FUERUNT QUAM QUUM IN SINGULIS VERSIBUS POPULUS ROMANUS MAXIMO CLAMORE ET PLAUSU BRUTI MEMORIAM PROSEQUEBATUR [dedi hoc quidem loco lemma praescriptum annotationi, exemplum Lambini secutus]? sic habent libri omnes et vulgati et manu scripti. Faernus tamen hoc modo legendum censet, *quanquam*

qui unquam aut ludi aut dies laetiores fuerunt, quam tum? in singulis versibus populus Romanus maximo clamore et plausu Bruti memoriam prosequebatur. cui assentimur.

C. 5. §. 10. A PRIMA ORA GRAECIAE. sic habent omnes libri vulgati, neque quicquam mutat Faernus. sed Muretus legit, *a primo ore Graeciae*, itaque scriptum esse testatur in codice illo Vaticano. ego vulgatam scripturam magis probo.

§. 12. OMNES LEGIONES OMNES COPIAE QUAE UBIQUE SUNT POPULI ROMANI SUNT. Faernus et Muretus ediderunt, *rei publicae sunt* [vide annotata ad II. Philipp. c. 35. §. 88.]. ego lectionem vulgatam tolerabilem et probabilem esse arbitror. nam et paucis post versibus eodem modo loquitur, *tenet igitur populus Romanus Macedoniam, tenet Illyricum, tuetur Graeciam*, et cetera [p. 641, 25. nobis c. 6. §. 14.]. quanquam etiam in eo loco Faernus legit *resp.*, et ita edendum curavit.

C. 9. §. 17. NE ILLORUM SIMULATIO HORUM OBSIT IGNAVIA. Faernus legit, *ne illorum aemulatio, horum obsit ignavia.* non probo, quamvis dicat ille, sic esse scriptum in codice Vaticano. qua de re tamen Muretus nullum verbum, quin lectionem vulgatam retinet ac tuetur. est autem verbum *obsit* repetendum ἀπὸ κοινοῦ, hoc modo, *ne illorum simulatio obsit, horum obsit ignavia.*

LII.

IN PHILIPPICAM UNDECIMAM.

C. 1. §. 3. MORTEM NATURAE PUTAT ESSE. Faerno assentior, qui censet delendam esse vocem *poenam*, post nomen *naturae.*

C. 2. §. 5. SECUTAE COLLOCUTIONES FAMILIARISSIMAE SUNT CUM TREBONIO. hunc totum locum sic fere edendum curavi, quemadmodum Faerno emendandus visus est.

C. 5. §. 11. QUI EX AEDILITATE CONSULATUM PETIT. sic ediderunt Faernus et Muretus, neque dubium iam cuiquam debet esse, quin ita sit legendum, siquidem verbum *petit*, quod negabat Ferrarius in ullo codice vetere reperiri, in illo Vaticano reperitur.

C. 11. §. 26. NON UT EX ACIE EO RESPECTUM HABEREMUS. Ferrarii coniecturam secutus sum tanquam probabilem et antiqua scriptura longe meliorem, quae talis est, *non ut ex ea acie respectum haberemus.*

§. 27. post med. QUUM ESSENT TALI VIRTUTE AUCTORITATE NOBILITATE SUMMI VIRI. approbata Faerni coniectura sic edendum curavi.

LIII.

IN PHILIPPICAM DUODECIMAM.

C. 6. §. 13. QUID EST ALIUD NON PACEM FACERE SED DIFFERRE BELLUM. sic legendum, non ut vulgo, *quid est aliud quam non pacem facere, sed differre bellum?* atque ita loquutus est Philippica Decima, non longe a principio [p. 639, 47. nobis c. 2.
p.718. §. 5.], *quid est aliud* || *librarium Bruti laudare, non Brutum?*
a. quamvis operae nescio cuius impulsu ediderint, *quid est aliud quam librarium Bruti laudare, non Brutum?* plane mendose [sed correctum in Indice Erratorum p. 848.].

C. 7. §. 16. IUVENTUTEM OMNEM EX TOTA ITALIA EXCUSSIMUS. quum et ita habeant libri manu scripti, et ita hunc locum proferat Nonius [4, 181. p. Mercer. 298, 33. vocabulo *excutere*], lectionem vulgatam reiiciendam mihi esse existimavi, quamvis probabilem et speciosam [vulgatae *excivimus* non unus codex patrocinatur. cf. XIII. Philipp. c. 3. §. 5. p. Lambin. 656, 21.].

C. 8. §. 19. DE MEIS BONIS DONARE SE DIXIT PETISSIO URBINATI. alii libri habent, *Urinati*, et ita edidit Muretus.

§. 21. extr. UT NON OBSTAREM REI PUBLICAE. vel sic legendum, quemadmodum edidimus, vel, *non obstaret rei publicae*, ut subintelligatur *spiritus*.

C. 11. §. 27. extr. LEGES INTER SE CONDICIONESQUE TULERUNT. secutus sum Ferrarii coniecturam ita, meo iudicio, certam, ut ne librorum quidem auctoritas eam infirmare possit, qui sic habent, *legis inter se condiciones contulerunt*.

LIIII.

IN PHILIPPICAM TERTIAM DECIMAM.

C. 3. §. 6. extr. EIQUE UTI DEO PAREAM. sic malo legi, quam, quomodo Faernus edidit, *cui ut deo paream*.

§. 7. VINCAMUS ODIUM PACEMQUE PATIAMUR. locus praeclare restitutus beneficio codicis Vaticani. sententia autem haec est, et pacem patiamur, tanquam malum quiddam, et inutile atque adeo damnosum.

Ibid. AUT ENIM HIS FRUEMUR VICTRICE RE PUBLICA. *his*, nempe vita, fortunis, re familiari.

C. 10. §. 22. VELIM PATRES CONSCRIPTI UT ADHUC FECISTIS ME ATTENTE AUDIATIS. sic edidit Faernus quem hic secuti sumus, quanquam non significat nobis, unde sumpserit verbum *velim*. nam in libris antiquis non reperitur. ego putabam omissum esse a scriptore librario verbum *peto*, propter syllabarum, quae sunt in voce antecedente, similitudinem.

C. 12. §. 26. post med. A SUIS PUBLICIS. sic legendum censet Adrianus Turnebus. per *publicos* autem vult intelligi carnifices et lictores, quos Graeci *δημίους* appellant. vulgata autem lectio, *a servis publicis*, doctis quibusdam viris non placet.

C. 15. §. 30. extr. NON IGITUR SENTIS HUIC CAUSAE ORBEM TERRAE PARERE. sic habent omnes libri, [et] sic ediderunt Faernus et Muretus. ego tamen legendum puto *patere* [vid. annotata ad I. Accusat. C. 31. §. 78.].

C. 20. §. 46. extr. INTELLIGIT MAXIMAM PIETATEM CONSUETUDINE PATRIAE CONTINERI. legendum, *conservatione patriae contineri*. erratum est operarum nescio unde natum, nisi ex insigni eorum incuria et negligentia, seu potius stupore et caecitate [correctum ab Lambino in Indice Erratorum p. 848.].

LV.

IN PHILIPPICAM QUARTAM DECIMAM.

C. 4. §. 7. QUAE SUNT URBANARUM MALEDICTA LITIUM NON INUSTAE BELLI INTERNECINI NOTAE. sic habent libri aliquot vulgati, et ita ediderunt Ferrarius et Faernus. Muretus autem sic, *non iustae belli internecini notae*, quod minus probo. Cuiacius autem [Observatt. 1, 2.] totum hunc locum suspicatur ita esse legendum, *non iustae belli notae, internecina testamenta, credo, subiiciunt*. est autem *testamentum internecinum*, propter quod dominus necatus est [vid. Pareum Lex. Crit. p. 631, 1. et quae ab Drakenborchio annotantur ad Livii 9. 25, 9. Tom. 5. P. 1. p. 209. sq.].

§. 8. OMNIBUS (QUANQUAM RUIT IPSE CUM SUIS) CLADEM PESTEM VASTITATEM CRUCIATUM TORMENTA DENUNTIAT. sic potius legendum, quam ut Faernus, *gladios, pestem, vastitatem, cruciatum, tormenta denuntiat*.

C. 5. §. 13. extr. ETIAM IN EOS QUI OMNES SUAS CURAS IN REI PUBLICAE SALUTE DEFIGUNT CRIMEN INVIDIAQUE QUAERETUR? in hoc

loco restituendo partim codices veteres, partim Gabrielis Faerni, Hieronymi Ferrarii, Georgii Bucanani coniecturam secutus sum.
b. atque haec emenda || tio ita iam certa est, ut nullus cuiquam dubitandi locus sit relictus, praeterquam quod vox *Catilinam* mihi videtur aliena et foris illata. eam tamen tollere non sum ausus. iam hoc totum *pridie Vinalia*, pro *per* [?*prid.*] *idus Quintil.*, Ferrarii est, quod quidem ita mihi videtur certum et rectum, ut, cui non probetur, eum fenum esse oporteat.

C. 11. §. 30. QUANQUAM NOS EA QUAE PROMISIMUS STUDIOSE CUMULATEQUE REDDEMUS. alii, *studiose cumulata reddemus*, emendarunt (coniectura quadam ducti, quum omnes libri manu scripti habeant, *quanquam multa*), ego, *cumulateque reddemus.*

LVI.

IN ORATIONEM C. CRISPI SALLUSTII UT VULGUS PUTAT IN M. TULLIUM CICERONEM.

C. 1. §. 1. extr. AC NON REPTICIUS. secutus sum libros vulgatos: nam manu scripti habent, *reperticius.* quidam legi volunt *irrepticius* [*repertitus et accitus* habet Catilinariarum Ciceronis editio Coloniensis, de qua dixi ad I. Catilin. C. 2. §. 4. sed in *reperticius* consentire vidi codices Gud. 2. et Duisburgensem.].

C. 2. §. 2. AC PERIURIIS DELIBUTA. secutus sum libros vulgatos: nam manu scripti habent, *ac periuriis debilitata* [*ac periuriis nobilitata*, vetus edit. Francofurt. a. 1509., »per Baccalaureum Balthassar Murherr,« de qua editione Panzeri Ann. Typographh. Tom. 7. p. 51.].

Ibid. extr. QUAE P. CRASSI VIRI CONSULARIS FUIT. Adrianus Turnebus legendum censet, *viri clarissimi.* et recte [Turnebo sic corrigenti adest codex Gud. 2.]

§. 3. QUUM LEGIS PLANCIAE IUDICIA DOMI FACIEBATIS. legendum videtur *legis Plautiae* [et sic habent, *Plautiae* sive *Plauciae*, codices Gud. 2. et Duisburgensis]. nam primum nulla lex fuit *Plancia;* deinde *lex Plautia* de vi publica lata est a M. *Plautio*, quae hic fortasse intelligitur et ad hunc locum quadrat. lata est et ab eodem lex iudiciaria, quae nihil ad hunc locum pertinet.

C. 4. §. 7. IN CONCILIO DEORUM. lege, *in concilium* [ut est in meis. *concilium* sive *consilium*, proclivi in his vocabulis errore, quae quid notent et quomodo differant, vide Drakenborch. ad Livii 44. 2, 5. Tom. 12. P. 1. p. 268. sqq.]. errratum est operarum.

Ibid. QUO IURE CUI INSIDIAS IN CIVITATE FECISTI ANCILLARIS. lege, *ei ancillaris* [illa vero, *quo iure*, locum non satis certum habere videntur, adeoque a Lambino transposita sunt. sic enim ea repraesentare memini editionem Coloniensem, *cui in civitate insidias ancillares fecisti, tu de exilio tuo dirachio redires quo iure eum insequeris*, et reliqua.].

LVII.

IN RESPONSIONEM M. TULLII CICERONIS UT FALSO INSCRIBITUR.

C. 1. §. 2. ET IPSIUS AURES CALENT. legendum, *callent*. erratum est operarum [vid. Indicem Erratorum p. 848. *callent* satis firmatur codicum Gud. 2. et Duisburgensis auctoritate.].

C. 2. §. 5. extr. NEQUE ME CUM IIS CONFERRE DECET P. C. QUI IAM DECESSERUNT OMNIQUE ODIO CARENT ET INVIDIA. hic locus ex illo loco Orationis Demosthenis *περὶ στεφάνου* expressus est [in Bekkeri Oratt. Atticis Tom. 4. p. repet. edit. 297. Reisk. 329.], *οὐ μέντοι δίκαιόν ἐστιν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὴν πρὸς τοὺς τετελευτηκότας εὔνοιαν ὑπάρχουσαν προσλαβόντα παρ' ὑμῶν πρὸς ἐκείνους ἐξετάζειν καὶ παραβάλλειν ἐμὲ τὸν συζῶντα μεθ' ὑμῶν. τίς γὰρ οὐκ οἶδε τῶν πάντων, ὅτι τοῖς μὲν ζῶσι πᾶσιν ὑπεστί τις ἢ πλείων ἢ ἐλάττων φθόνος, τοὺς τεθνεῶτας δὲ οὐδὲ τῶν ἐχθρῶν οὐδεὶς ἔτι μισεῖ;* id est, *verumtamen iniquum est, Athenienses, Aeschinem sibi assumpta atque in se derivata ea, quam in mortuos habetis, benivolentia me, qui vobiscum vivo, cum illis componere et comparare. quis enim omnium mortalium nescit, vivos omnes invidia fere aliqua laborare, alios maiore, alios minore, in mortuos autem ne eorum quidem, qui inimici fuerunt, ullum odium remanere* [cf. Muretum Commentt. ad I. Catilin. c. 12. §. 29. Operum Tom. 2. p. 570. sqq.]?

C. 5. §. 11. pr. ITA NON EST FACILE REPUTARE. libri veteres habent, *exputare* [ex Omissis Tom. 1. p. 381. firmat hoc ipsum codex Gud. 2., a me denuo exploratus, *reputare* tuetur Duisburgensis cum editione Catilinariarum Ciceronis Coloniensi sive Zelliana.].

DIONYSII LAMBINI
TULLIANARUM EMENDATIONUM
PARS TERTIA
SIVE
IN EPISTOLAS ANNOTATIO.

I.

Tom. 3. p. 453. a.

IN LIBROS EPISTOLARUM AD FAMILIARES.

I, 1. Ernest. Vol. 3. p. 1. QUONIAM TU NISI PERFECTA RE DE ME NON CONQUIESTI. sic distinguendum [*nisi perfecta re de me*], non ut vulgo, *nisi perfecta re, de me non conquiesti.* sic enim loquitur libro 6. Epistolarum ad Ampium Balbum [ep. 13. p. 67, 28.], *neque ullo modo divulgandum, de te iam esse perfectum.*

Ibid. p. 2. PER EOSDEM CREDITORES. quidam libri manu scripti habent, *per eosdem competitores.* quod non placet.

Ibid. NEC ADMONITIONIBUS RELIQUIT LOCUM. legendum puto, *nec monitionibus* [idque habet contextus verborum Ciceronis p. 3, 25.]. nam supra non dixit *admonere*, sed *monere. admonere* certe videtur idem fere valere, quod ὑπομιμνήσκειν, quod est in memoriam redigere: *monere* autem aliud est [cf. Pareum Lex. Critico p. 750, 1.].

2. p. 4. CUI QUIDEM REI IAM OBSISTI NON POTERAT. secutus sum libros manu scriptos, nisi quod ex *que* feci *quidem.*

Ibid. INTENDERE COEPIT. libri veteres fere omnes habent, *intendere coepit*, quod quamobrem reiiciam, causam non video,

vulgati autem partim *contendere*, partim *intercedere*. omnino *contendere* malim quam *intercedere*.

Ibid. NAM EI BIBULI SENTENTIAM VALERE CUPIERUNT. *ei* idem valet quod *ii*. sic autem habent tres libri veteres Memmiani et Clericanus [vid. annotata ad Brutum C. 2. §. 9. et C. 54. §. 199., item ad Orationem pro Murena C. 1. §. 1.]. paullo post vocem *primus*, quae est ante *honestissimus*, eorundem librorum veterum auctoritatem sequuti sustulimus.

Ibid. p. 5. ET UT QUAM RECTISSIME AGANTUR OMNI MEA CURA OPERA DILIGENTIA GRATIA PROVIDEBO. hic discrepant inter se libri manu scripti, et hi a vulgatis. nam quidam scripti manu sic habent, *agantur omnia mea cura*, et cetera; quidam sic, *et ut quam rectissime agatur, omni mea cura, opera*, et cetera; alii sic, ut edidimus.

3. p. 5. in quibusdam libris manu scriptis haec epistola cum superiore cohaeret.

Ibid. GRATIOSISSIMUS IN PROVINCIA FUIT. sic reposui, codicem unum manu scriptum secutus, atque ita sine dubio legendum, etiamsi nulli codices hanc lectionem confirmarent. nam ceteri omnes habent *gratissimus*.

4. p. 5. UNUMQUE CERTAMEN ESSET RELICTUM SENTENTIA VOLCATII [sic habet lemma praescriptum annotationi.]. legendum fortasse est, *cum sententia Volcatii* [atqui hoc ipsum Lambinus posuit in contextu verborum p. 4, 46.].

Ibid. MAGNA INVIDIA. coniunctionem *que*, quae erat in vulgatis, sustuli, fretus veteribus codicibus.

Ibid. ALIO TRAFEREBANT [non *transferebant*, ut est in lemmate]. sic habent omnes libri manu scripti [cf. Voss. de Anaog. 4, 24. p. 235. et vide ab Drakenborchio notata ad Livii 42. 22, 6. Tom. 12. P. 1. p. 57.].

5. p. 7. NEQUE FIDE MAIORE ESSE IUDICO. libri scripti nonnulli habent, *neque fidem maiorem*, quos non sequor, alii, *neque fide meliorem*. unde iudico, *fide meliore* esse legendum. paullo ante, hac eadem pagina, versu vicesimo sexto [p. 5, 26.], quae illae voces, *causa regia*, supervacaneae videntur, quae tamen reperiuntur in libris manu scriptis.

Ibid. A CATONE ASPERE ET ACERBE OMNIUM MAGNO SILENTIO EST ACCUSATUS. omnes ferme libri manu scripti habent, *nimium magno silentio*.

7. p. 9. ET FIDE ET ANIMO IN TE SINGULARI. nulli veteres libri habent, *in te*, quae tamen mihi necessaria videntur [vid. benedictum p. 40.].

Ibid. p. 11. CUIUS PROPE IN CONSPECTU AEGYPTUS EST. multos abhinc annos Memmius coniecerat sic || esse legendum, eiusque *b.*
coniecturam probaveramus. quod multo fecimus impensius,

posteaquam eam omnium veterum librorum auctoritate vidimus confirmatam.

Ibid. QUI PER PROVINCIAM TUAM ATQUE IMPERII TUI PROVINCIAS PECUNIAS EI CREDIDISSENT. sequutus sum codices manu scriptos, in quibus ita scriptum est, quemadmodum edendum curavimus. neque vero est, quod cuiquam haec scriptura absurda videatur. nam aliquando plures provinciae uni attribuebantur, quemadmodum provinciae Ciliciae tres διοικήσεις Asiaticae erant attributae. sic igitur Aegypto provinciae aliae provinciae erant attributae, fortasse Cilicia et Cyprus, cui rei argumento sunt verba illa, supra hac eadem epistola [p. Lambin. 6, 49. Ernest. 10.], *qui Ciliciam Cyprumque teneas*, et cetera.

Ibid. p. 12. UT PLUS ADDITUM AD MEMORIAM NOMINIS NOSTRI QUAM DEMPTUM DE FORTUNA VIDERETUR. sic emendaveram decem abhinc annis in meo codice, cuius mei iudicii tuli fructum, quum ita scriptum esse in omnibus libris manu scriptis comperi. *demptum* autem, id est detractum, quod opponitur illi additum. aliud porro est *adimere*, aliud *demere* [vid. Pareum Lex. Crit. p. 331, 2.].

8. p. 13. ET UT ME DIGNITAS UTILITASQUE COGIT. Petrus Victorius ex suo codice manu scripto edendum curavit, *ut me pietas utilitasque cogit.* quam scripturam confirmant Memmiani, in quibus est *dictas.* *d* enim est *p* inversum [vid. ab Drakenborchio notata ad Livii 43. 6, 9. Tom. 12. P. 1. p. 206. sq.]. in alium librum item scriptum manu incidi, in quo scriptum est, *et ut commoditas utilitasque cogit* [cf. Benedict. p. 56. sqq.].

Ibid. p. 14. SI QUIDEM HOMINES. sic habent nonnulli libri et manu scripti et vulgati, alii, *si quidam.*

Ibid. p. 15. NOSTRUM STUDIUM EXTABIT. libri duo Memmiani habent, *nostrum studium excitabunt.*

9. p. 15. EOS UBERIORES ET PRAESTANTIORES PRAESENS CAPERE POTUISSES. sic habent omnes codices Memmiani, praeter unum, in quo est *praesentiores*, quomodo Petrus Victorius in suo manu scripto scriptum reperit.

Ibid. p. 18. UT INTEGRAM MIHI DE CAUSA CAMPANA AD SUUM REDITUM REM SERVAREM. sic hunc locum restitui, levi immutatione facta. nempe ex *integrum* feci *integram*, ex *reservarem* autem *rem servarem.* sic autem loquitur Brutus libro 11. [p. 132, 2. ep. Lambin. 20. Ernest. 21. extr.], *totamque vobis integram servavi* (alii, *reservavi*). quidam tamen ita legendum censent, *ut integrum me de causa Campana ad suum reditum servarem.* quibuscum non pugnabo. sic enim loquitur libro 7. Epistolarum ad Atticum [p. 285, 17. ep. 25.], *quod me amicissime admones, ut me integrum, quoad possim, servem, gratum est.*

Ibid. p. 20. NON DICAM QUID ACCIDERIT. sic habent omnes

libri, sed legendum videtur, *non dicam per quos acciderit,* vel *qui acciderit.*

Ibid. TANTUM DICAM BREVI. legendum videtur *breviter.* nam quum dicimus *brevi*, subintelligitur *tempore.* Charisius tamen [p. Putsch. 176.] notat, dictum esse a M. Tullio *brevi* pro *breviter*, libro 1. de Oratore ad Q. Fratrem [p. 110, 39. nobis C. 8. §. 34.], *ac ne plura quae sunt innumerabilia consecter, comprehendam brevi.* ubi tamen quidam legunt *breviter* [idque intactum reliquit ipse Lambinus. vid. annotata ad Orationem pro Plancio C. 40. §. 95.].

Ibid. QUI MEOS CIVES ET A ME CONSERVATOS ET ME SERVARE CUPIENTES SPOLIATOS DUCIBUS SERVIS ARMATIS OBIICI NOLUERIM. sic habent omnes codices Memmiani et item Clericanus, et ita edendum curavit Petrus Victorius. neque vero est quod cuiquam durum videatur hoc loquendi genus, *nostrum consilium, qui noluerim.* || nam *nostrum* positum pro *meum*, in *meum* autem inest *ego.* p. 454. a.

Ibid. p. 21. PRIMUM ILLA FURIA MULIEBRIUM RELIGIONUM. Clodius significatur. itaque sequitur, *qui non pluris fecerat Bonam Deam*, et cetera, et *assecutus*, non *quae* neque *assecuta.* paullo post *impunitatem scelerum* edendum curavi, codices Memmianos secutus, quibuscum consentiunt nonnulli vulgati.

Ibid. p. 22. ET EGREGIA ANIMI ALACRITATE AFUERIT. sic edidit Petrus Victorius, sic habent codices Memmiani, et item Clericanus [vide quae notantur ad Brutum c. 80. §. 276. et ad V. Accusat. C. 51. §. 135.]. paullo post, ubi vulgati habent, *redire curarit*, illi habent *curaret.*

Ibid. CUNCTIS ORDINIBUS HOMINIBUSQUE INCUMBENTIBUS. libri manu scripti non habent copulam post *hominibus*, cetera cum vulgatis consentiunt. unde ego legendum puto, *cunctis ordinibus*, *diis*, *hominibus incumbentibus.*

Ibid. p. 23. TUM EUM NEC PERSUADENDO NEC COGENDO REGI POSSE VIDISSET. sic hunc locum emendandum esse arbitror, levi immutatione facta. alii autem sic, *quum eum nec persuadendo nec cogendo.* alii hunc locum non tangentes neque quicquam in eo mutantes legunt paullo post *quem persuaderi*, pro *quum persuaderi.*

Ibid. p. 24. DIXI ME FACERE QUIDDAM QUOD IN EUNUCHO PARASITUS SUADERET MILITI. legendum fortasse est, *dixi me facere idem, quod in Eunucho parasitus suaderet militi.*

Ibid. TU PAR PARI REFERTO. sic est legendum, non ut vulgo, *par pro pari.* nam primum libri nulli veteres habent *pro;* deinde nonnulli sic habent, ut nos edidimus; postremo Latini sermonis lex postulat, ut ita legatur, *par pari referto* [et sic laudat Servius Comm. ad Virgilii Aeneid. 1, 261. Tom. 1. p. 80. Terentii locus est Eunuch. 3. 1, 55., ad quem vide magnum Bentleium p. repet. edit. 137. sq.].

Ibid. p. 27. NEQUE ITA MULTAE UT PERTIMESCAS. sic habent omnes codices Memmiani, sed Petrus Victorius edendum curavit, *ne pertimescas*.

Ibid. TRES LIBROS IN DISPUTATIONE AC DIALOGO DE ORATORE. hoc totum, *in disputatione ac dialogo*, alienum videtur et subditicium.

Ibid. p. 28. DIGNITATEM LIBERALITATEM. sic habent codices Memmiani, nisi quod in uno, quum scriptum sit *libertatem*, adiectae sunt eadem manu supra tres hae litterae *ali*, quae adiectio significat, scriptorem voluisse legi *liberalitatem*. omnino ego malo *liberalitatem*, quum propter alias causas, tum quia paullo post dicit, non posse Lentulum sine suspicione cupiditatis provinciam retinere.

Ibid. FACILITATE AUTEM QUOD VELLEM CONSEQUI POTUISSES. sic legendum, et ita habent codices Memmiani et vulgati. Petrus autem Victorius edidit, *felicitate quidem* [solent enim *faciles* et *felices*, adeoque *facilitas* et *felicitas* commutari a scriptoribus librariis, ut observatum Drakenborchio et quos hic laudavit ad Livii 23. 11, 2.], cuius scripturae quamvis rationem videam (significat enim, fortunae beneficio Lentulum consequi potuisse, ut ne publicanos offenderet, idque se optare), tamen hanc receptam facillime tueri possum, ut dicamus, *facilitatem* significare aequitatem quandam et lenitatem et iuris remissionem, iuri summo contrariam, sententiam non acrem, neque severam, neque omni ex parte cum summo iure consentaneam: quemadmodum usurpavit Philippica 9. sub extremum [p. Lambin. 638, 8. nobis c. 5. §. 11.], *itaque quae proficiscebantur a legibus et a iure civili, semper ad facilitatem aequitatemque referebat* [operae Lambini sic dederunt p. l., *ita ea, quae proficiscebantur a legibus et ab iure civili, semper ad utilitatem aequitatemque referebat*. sed vide annotata ad eum locum.]. malim tamen hic legi, *facilitate tamen quod vellem consequi potuisses*.

II. 1. p. 31. SIC AD NOS CONFIRMATUS REVERTARE. legendum fortasse est, *conformatus* [vide ad Orationem pro Cluentio c. 32. §. 88.].

4. p. 33. QUARUM LAUDUM GLORIAM ADAMARIS. sic edidit Petrus Victorius, sic habent codices Memmiani; vulgati autem, quibuscum consentiunt tamen nonnulli veteres, *admiraris*. in hoc eodem versu erratum operarum corrige et scribe, *in iis esse elaborandum*, ubi est, *id iis* [correctum in Erratis Operarum p. 566.].

9. p. 39. EGO VOLUPTATEM ANIMI NIMIAM. versus Trabeae, *ego voluptatem animi nimiam summum errorem esse puto* [cf.

II. de Finn. c. 4. §. 13. et IIII. Tuscc. c. 15. §. 35., ubi hunc trochaicum paullo aliter complevit magnus Bentleius.]. errat autem Rivius, qui ex nescio quo vetere codice sic legendum censet, *ago voluptatem hominum nimiam*, quamvis me quoque in uno codice Memmiano ita scriptum reperisse non negem, *hominum*, inquam, pro *animi* [vid. Benedictum p. 138.].

11. p. 41. SCRIPSI ENIM HAEC IPSIS MEGALESIIS. sic reposui libris omnibus repugnantibus atque invitis, sola ratione et veritate fretus. nam *Megalenses* et *Megalensibus* neque Graece, neque Latine dici potest [vid. ad Orationem de Responsis Haruspicum c. 12. §. 24. et cf. ab Dukero docte, ut omnia, disputata ad Livii 34. 54, 3. Tom. 10. p. 226. sq.].

13. p. 42. QUONIAM *κωμικὸς μάρτυς* UT OPINOR ACCEDIT PHANIA. secutus sum codices quosdam vulgatos, in his Lugdunenses. nam omnes manu scripti, quos quidem viderim, habent *accidit* [quod ipsum saepissime confusum reperias cum altero, vid. Drakenborch. ad Livii 21. 10, 12.], praeter unum, in quo scriptum est *occidit*, et supra scriptum *id est*, *mortuus est:* sed ita, ut facile appareat, ex *a* vocali factum esse *o*, recentiore manu. erat autem hic Phania Appii libertus, ut intelligere licet ex epistolis 1. et 5. libri 3.

Ibid. p. 43. QUID AIS CAESAREM NUNC DEFENDIT CURIO. secutus sum libros vulgatos, et historiae rationem. nam ex libro octavo Epistolarum licet intelligere, || Curionem defendisse Caesarem et iis acriter restitisse, qui Caesarem ex provincia retrahere conarentur. *b.*

15. p. 44. sq. CAESARI HONESTISSIME CUPIO. quidam libri habent, *Caesarem honestum esse cupio*, quae scriptura non est reiicienda: sed *Caesari honestissime cupio* magis probo. mendose autem operae fecerunt, *honestissime esse cupio*, quum in exemplo esset, *honestissime cupio*, sine verbo *esse* [vid. Errata Operr. p. 566.].

Ibid. p. 45. NEQUE ERAT SUPERIORE HONORE USUS QUEM PRAEFICEREM. sic habent omnes libri veteres, quos quidem viderim, nisi quod in nonnullis legitur *ullus*. unde coniicere quis possit, legendum esse, *neque erat superior honore ullus quem praeficerem*. quomodo loquutus est epistola 18. eiusdem libri [p. 23, 29.], *habes enim neminem honoris gradu superiorem*.

Ibid. OMNES CASSIOS. quidam legunt, *iuvenes Cassios*.

16. p. 46. EO SI ONERE CAREREM. duo libri Memmiani habent, *eo si honore carerem* [eundem in hoc verbo lapsum librariorum notaverunt VV. DD. ad Livii 9. 8, 3.].

Ibid. QUOD AUTEM IN MARITIMIS SUM FACILE MOVEO NONNULLIS SUSPICIONEM VELLE ME NAVIGARE. codices tres Memmiani habent, *quod autem in maritimis sum*, *submoveo nonnullis suspicionem*. Victorius edidit, *quod autem in maritimis sum facillime*, *moveo*

nonnullis suspicionem, velle me navigare. in quo mutata dumtaxat distinctio est.

Ibid. NONNE OMNIA POTIUS CUR IN SENTENTIA PERMANEREM. sic legendum, *cur in sententia permanerem*, non, *ut in sententia*, quamvis omnes libri reclament. sic enim loquimur, *omnia acciderunt cur hoc vel illud facerem.* et supra proxime sic loquitur, *quid ergo accidit, cur consilium mutem?*

Ibid. p. 47. SATIS AMPLUM PATRIMONIUM RELINQUAM MEMORIAM NOMINIS MEI. omnes fere libri manu scripti habent, *in memoriam*, unde fortasse Petrus Victorius edidit, *in memoria.* ego nihil muto.

Ibid. HAC TAMEN OBLECTABAR SPECULA. sic habent codices Memmiani, et recte, quamvis aliter ediderit P. Victorius.

Ibid. QUAS LIBERTATE SUA CONTRAXERAT. sic legendum censent viri docti, reiecta vulgata lectione *liberalitate*, referentes hoc ad accusationem Appii, qua Dolabella eius accusator Pompeium, Brutum, Lentulum offenderat.

Ibid. p. 48. TE TAMEN ORAMUS. codex unus Memmianus habet, *te tantum oramus*, quae scriptura non est reiicienda [verum in tanta horum compendiorum, id est *tm̄* sive *tantum* et *tn̄* id est *tamen*, similitudine facilis confusio. vid. Drakenborchium ad Livii 3. 46, 1.].

17. p. 49. NEC TUM ERANT CONFECTAE. omnes libri veteres habent, *nec tamen erant confectae*, atque ita edidit P. Victorius [vid. Drakenborchium ad Livii 22. 18, 5. Tom. 7. p. 120.]. porro non celabo lectorem, principium huius epistolae mihi non videri integrum. nam quum infra, versu 8. pagina proxima, dicat se uni epistolae respondisse, venire ad alteram, videtur esse legendum, *binas litteras*, seu *litteras binas.*

19. p. 52. QUAECUNQUE A ME ORNAMENTA IN TE PROFICISCENTUR. omnes libri manu scripti Memmiani et alii nostri habent, *ad te proficiscentur.* nihil muto tamen. nam sic loquutus est epistola 1. libri 3. [p. Lambin. 24, 40. Ernest 53.], *intelligo omnia, quae a me profecta sunt in te, tibi accidisse gratissima.* praeterea nulli habent *elaborabo*, nec ullum aliud verbum in eius locum. unde suspicor legendum, *quaeque* pro *quaecunque* [vid. Pareum Lex. Crit. p. 1047.].

III. 1. p. 53. VERUM ETIAM QUOD IUVET CURIOSUS. sic habent omnes fere libri manu scripti, atque hanc scripturam pluribus verbis confirmat P. Victorius, vulgati autem, *quod vidi.*

3. p. 55. PRO NOSTRA CONSTANTISSIMA VOLUNTATE. codices Memmiani habent, *consociatissima*, et ita P. Victorius edidit. nos nihil mutavimus, neque tamen antiquam scripturam damnamus.

4. p. 57. DUOS ENIM DUARUM AETATUM PLURIMI FACIO. Petrus Victorius ex Florentino codice edendum curavit, *duo enim*, quod probo. sic enim saepe veteres loquebantur [vide quae annotantur ad Orationem pro Sextio c. 15. §. 34.].

5. p. 57. RESTITUERESQUE ET PRAEPARARES QUODAMMODO OMNIA. legendum fortasse est, *et reparares*.

6. p. 60. QUAS QUIDEM EX TUIS INTELLEXI SATIS MATURE AD TE ESSE PERLATAS. vocem *litteris*, et quia eam non habent codices Memmiani et quia supervacanea videtur, sustuli, quamvis eam Petrus Victorius retinuerit.

Ibid. QUUM INTEREA NE LITTERAS QUIDEM UNAS ACCEPI QUAE ME DOCERENT QUID AGERES. sic reposuimus, libris omnibus invitis, levi immutatione facta, quum in illis legatur *ullas*, plane mendose. quin doctus quidam existimat ita esse legendum, et ait lectionem longe fore venustiorem, *ne unam quidem litteram accepi, quae me doceret quid ageres*. ego non sum ausus ita excudi iubere, tametsi non improbem. sed vellem tamen excusum esset, ordine mutato, *ne unas quidem litteras*.

7. p. 61. || LEGATI APAMEANI. sic legendum est, libris quibusdam manu scriptis invitis, vulgatis approbantibus. p. 455. a.

Ibid. p. 63. UT QUID SIT ἐξοχὴ QUID SIT εὐγένεια INTELLIGAS. nihil muto, quamvis in editione Florentina non sit hoc membrum, *quid sit ἐξοχή*, quod puto esse necessarium, et credibile est ab operis esse praetermissum.

8. p. 67. QUID POTEST ESSE CALLIDIUS. sic habent omnes libri manu scripti et nonnulli vulgati. quidam legi volunt *incallidius*, quomodo scriptum est in aliis vulgatis. ego nihil muto, et sic accipio, ut sit εἰρωνεία.

Ibid. QUOD TE PUTEM NON NOLLE DICI. sic legendum esse declarat quod sequitur versu 14., *hos ego sermones, quod et multi sunt et tuam existimationem, ut ego sentio, non offendunt, lacessivi nunquam, sed non valde repressi*. nam haec verba, *quod te putem non nolle dici*, hanc vim habent, *de quo te putem non laborare, si dicatur*, quia scilicet existimationem tuam non laedat.

Ibid. LAEDI SE PUTAT. sic habent omnes libri, et manu scripti et vulgati. puto autem obscure et, ut ita dicam, oblique significari Appium ipsum. verumtamen quidam legendum putant, *laedi te putat*, quae lectio multo planior ac facilior esset.

Ibid. UT HOMINIS NOBILISSIMI. codex unus Memmianus habet post vocem *nobilissimi, liberalissimi* sine copulatione. unde quidam suspicantur, eiecta voce *nobilissimi*, legendum, *ut hominis liberalissimi*.

10. p. 71. SI VERO EFFECERIS UT CENSOR CREERIS. libri manu scripti habent, *si vero efficis, ut Censores creentur, et si ita gesseris Censuram, ut et debes et potes*. quomodo P. Victorius

edendum curavit, quod non probo. neque vero ullo modo ferri potest, ut declarant ea, quae sunt in hac epistola extrema et in 16. et 17. supra autem, ubi est *invitissimo*, corrige *invitissime*, ut habent omnes libri, et vulgati et manu scripti [vid. Erratorum Indicem ab Lambino confectum p. 566.].

11. p. 75. extr. AD TE NIHIL ALTERUM ENIM NON ATTIGISTI ALTERAM AUXISTI. sic reposui, libris omnibus reclamantibus. hoc enim significat, quod ad Appium attinet, nihil referre, utrum sit absolutus maiestatis an de ambitu, quia utrumque crimen aeque falso ei illatum sit, quum maiestatem populi Romani auxerit, crimen ambitus non attigerit: sed quod ad rem et crimina ipsa attinet, interesse, quia crimen maiestatis sit obscurum, ambitus vero ita apertum, ut aut accusetur reus improbe, aut defendatur. supra autem, hac eadem pagina, versu vicesimo secundo [ep. 10. p. Ern. 74. post haec verba, *non pauca desiderantur*], deleto duas voces temere eo coniectas, *est ille* [vid. Indicem Erratorum p. 566.].

Ibid. p. 76. in. VERUMTAMEN EA EST MAIESTAS (UT SYLLA VOLUIT) UT IN QUEMVIS IMPUNE DECLAMARE LICERET. maiestatis crimen, inquit, ita obscurum est, ut cuivis liceat in alterum declamare, id est, ut cuivis liceat alterum quasi declamandi et exercendi ingenii causa accusare impune, id est, sine metu poenae.

Ibid. post med. ET MAIORA PRAESIDIA. videtur hic aliquid deesse, quod respondeat superiori illi, *quam timebam*, ut hoc totum sic legi debere videatur, *video enim et pericula leviora quam timebam, et maiora praesidia quam sperabam.*

13. p. 79. PROPTER QUAE HAEC ELABORANTUR. codices veteres habent, *laborantur*, et ita Petrus Victorius edendum curavit.

IIII. 4. p. 86. DIXIT SE SENATUI ROGANTI DE MARCELLO NE OMINIS QUIDEM CAUSA NEGATURUM. sic edidit Petrus Victorius, eamque editionem sequuti sumus, ne optimo codici, quem ille sequutus est, fidem derogasse videamur. sed quamvis et ea omnia probemus, quae scribuntur a viro illo doctissimo, et ita habeant aliquot libri manu scripti, ut edidimus, hanc lectionem tamen non probo, quum multas alias ob causas, tum maxime, quod ea sententia, quae huic loco accommodata est, ex his verbis elici atque exprimi non potest. dicebat enim Caesar, se Senatui pro Marcello deprecanti non negaturum, non solum ne negando Marcellum patria privaret, sed ne male ominaretur. quare sic potius legendum videtur, *dixit se Senatui roganti de Marcello, ne ominis quidem causa, non negaturum.* quomodo loquitur in Oratione pro Roscio Amerino [p. 35, 35. nobis c. 48.

§. 139.], *nolo in eos gravius quicquam, ne ominis quidem causa, dicere.*

Ibid. ET AD CAESAREM SUPPLEX ACCEDERET. quidam legi volunt, *accideret*, quod probo.

5. p. 87. DECREVI BREVI AD TE PERSCRIBERE. vel reponendum *breviter*, vel subintelligendum *sermone*, aut *oratione* aut tale || quiddam. quod mihi durum videtur, tametsi Charisius b.
doceat, ita loquutos esse veteres [vide annotata ad I. Epp. 9. p. 20.].

Ibid. p. 88. AT ILLIUS VICEM CREDO DOLES. sic est legendum, vel omnibus libris adversantibus, in quo Manutio assentior [retractavit Lambinus in Omissis ex Annotatt. p. 565. a. hoc modo: »immo a Manutio dissentio, et codices antiquos se»quor omnesque vulgatos, qui habent *an illius vicem, credo,* »*doles?* est enim ironia, atque ita saepe loquebantur veteres. »Lucretius libro 5. [vv. 175. 6.], *an, credo, in tenebris vita ac* »*maerore iacebat, Donec diluxit rerum genitalis origo?*« vid. et Indicem Erratorum p. 566.].

Ibid. SI QUIS NOSTRUM INTERIIT. legendum fortasse est, *nostrorum* [Ernest. p. 88, 18. »si de liberis modo loquitur Ci»cero, bene, nec tamen sequentia hoc postulant.«].

Ibid. p. 89. UNA CUM RE PUBLICA FUISSE. quidam legi volunt, *una cum re publica floruisse.*

7 [non 6., corrigendi enim sunt et ab hoc loco numeri epistolarum, in quibus erratum est ab operis, imprudente Lambino]. p. 93. HIC PRO TE UNIUS SOLLICITUDINES. sic esse legendum intelliget, qui haec attente leget. hoc enim dicit M. Tullius, C. Marcellum fratrem et se pro M. Marcello deprecari, non autem precibus a M. Marcello contendere, ut aliquid agat. quod ita esse, argumento est id quod proxime sequitur: *nos cura et dolore proximi sumus, precibus tardiores, quod ius adeundi, quum ipsi deprecatore eguerimus, non habemus.*

8. p. 94. VIRUMQUE FORTISSIMUM. P. Victorius edidit, *unumque fortissimum.*

9. p. 95. IISDEM IGITUR TE DE REBUS. quum in uno codice manu scripto reperissem scriptum, *iisdem igitur de re rebus*, ego, *de te rebus*, legendum esse iudicavi [edebatur ante Lambinum, *iisdem igitur de rebus*, exulante substantivo.].

Ibid. IS UTITUR CONSILIO NE SUO QUIDEM SED SUORUM. legendum, *ne suorum quidem sed suo* [vid. Erratt. p. 566.], ut habent omnes libri. quod autem aliter editum est, mea nonnulla culpa est, qui, quum amici cuiusdam mei, viri docti, coniecturam ascripsissem ad marginem exempli, quod typographus sequuturus esset, operis ansam peccandi praebuerim. docti quidam tamen hanc lectionem probant, me dissentiente.

Ibid. QUI IN BELLO QUUM OMNIUM NOSTRUM CONIUNCTUM ESSE PERICULUM SUO CERNERET CERTORUM HOMINUM MINIME PRUDENTIUM CONSILIO UTERETUR. Rivius sic legendum censet ex quodam libro manu scripto, *quum omnium nostrum coniunctum esset periculum.* quo quidem modo ego in duobus etiam libris Memmianis scriptum vidi [cf. Iac. Gronovium notis ad h. l. p. 850.].

Ibid. QUAM INCERTIS IN REBUS FUISSET [sic videtur Lambinus dare voluisse, non, *quam incertis rebus fuisset,* ut nunc legitur p. 41, 18.]. sic emendavit Petrus Victorius, quum antea vulgo legeretur, *quam in ceteris rebus fuisset*, quae tamen lectio reperitur in uno codice Memmiano. alii cum editione Florentina et Victoriana consentiunt habentque, *incertis in rebus*, nisi quod in uno hoc dissimilitudinis inesse animadverti, quod habet, *ceteris in rebus dubiis fuisset.*

11. p. 97. ITAQUE HOC EGO MIHI GRATULOR. libri manu scripti habent, *itaque in hoc ego mihi gratulor.* et recte.

12. p. 98. VOS CERTIORES UT FACEREM. sequutus sum libros vulgatos. nam scripti omnes habent, *vos certiores facere*, quomodo edidit Petrus Victorius. sed hoc loquendi genus ferri non potest, meo quidem iudicio, *visum est faciendum vos facere certiores.* itaque vel ita legendum, ut habent vulgati libri, vel si, *vos certiores facere*, legi volumus, delenda vox *faciendum,* ut ita legatur, *visum est, quoquo modo res se haberet, certiores vos facere.*

13. p. 100. extr. FORTASSE SEMPER FORE. in uno codice manu scripto reperi scriptum, *fortasse non semper fore.* quod si quis probabit, intelligemus M. Tullium vaticinari et praedicere interitum Caesaris.

Ibid. p. 101. UT TE HORTER ET OBSECREM. Victorius mavult legi, *ut te orem et obsecrem.* cuius lectionis nullum reperi in nostris libris manu scriptis vestigium [vid. Benedictum p. 327.].

V. 2. p. 106. NIHIL DICO DE SORTITIONE VESTRA. quidam libri veteres habent *nostra*, et paullo post *nolo*, ubi alii *volo,* [vid. ad Orationem in Vatinium c. 11. §. 28.]. ego nihil mutandum censeo.

Ibid. extr. QUOD TE AUDISSE CERTO SCIO. legendum, *quod te audisse credo,* ut habent omnes libri veteres, et ita excudi iusseram [vid. Benedict. p. 340.].

Ibid. p. 107. QUA INIURIA NEMO UNQUAM IN ALIQUO MAGISTRATU IMPROBISSIMUS CIVIS AFFECTUS EST. Paullus Manutius seu Ubaldinus Bandinellus legendum putat, *in minimo magistratu.* et recte [vid. Gronovium patrem p. 850.].

Ibid. SED VI ATQUE IMPRESSIONE EVERTERE. quidam legendum putant, *vi atque oppressione evertere.*

4. p. 109. QUA UT AD TE SCRIBEREM SUM INDUCTUS. quum in libris manu scriptis pro *sum coactus*, quod est in vulgatis, scriptum reperissem *sum commotus*, in uno neque *coactus* neque *commotus*: suspicatus sum, utramque vocem esse alienam et subditiciam. omnino duo illa participia sic posita, ut leguntur in libris vulgatis, *qua inductus coactus sum*, aures nostrae respuebant. paullo post omnes libri habent, *tu tuas inimicitias ut rei publicae donares, te vicisti*, quidam viri docti legi volunt, *ut rei publicae condonares* [vid. Nizolium a Facciolato castigatum p. 162, 2].

5. p. 110. || QUOD AIUNT FALSO A ME SOLERE PROFERRI. libri p.456. vulgati sic habent, *quod abs te aiunt falso in me solere conferri.* a. si quis locus est in Epistolarum libris difficilis et obscurus, et, meo quidem iudicio, corruptus, hic est. difficultas autem est in verbo *comperisse*, et in his verbis, *quod abs te aiunt falso in me solere conferri*, quae plane depravata sunt. quod igitur ad verbum *comperisse* attinet, constat saepe obiectum fuisse Ciceroni, iuratum dixisse, se *comperisse* et patefecisse conspirationem coniurationemque illam Catilinariam. libro 1. Epistolarum ad Atticum, epistola cuius initium est, *vereor ne putidum* [ep. 13. p. Lambin. 203, 21.], sic Cicero [ibi, p. 204, 12.], *Clodius contiones miseras habebat, in quibus Lucullum, Hortensium, C. Pisonem, Messallam Cs. contumeliose laedebat, me tantum comperisse omnia criminabatur.* Sallustius, aut quisquis auctor fuit illius Oratiunculae in M. Tullium [p. 671, 32. id est C. 2. §. 3.], *qui vero nihil poterat, is erat calumniae proximus; is aut domum tuam oppugnatum venerat aut insidias senatui fecerat; denique de eo tibi compertum erat.* huc pertinet etiam illud, quod est in Lucullo [p. 22, 46. id est II. Acadd. c. 19. §. 62.], *an tu quum res occultissimas aperueris in lucemque protuleris, iuratusque dixeris, eas te comperisse*, et cetera. et quod est in Oratione pro Sylla [p. 377, 26. nobis c. 14. §. 40.], *exclusus hac criminatione Torquatus rursus in me irruit, me accusat; ait me aliter, ac dictum est, in tabulas publicas retulisse.* ex his igitur et similibus locis, ne longior sim, puto hunc locum primum esse corruptum, deinde sic emendandum, *nam comperisse me, non audeo dicere, ne forte id verbum ponam, quod aiunt falso a me solere proferri.*

10. p. 116. ACTIONE EXPOSTULANT. Petrus Victorius edidit, *actiones expostulant*, quomodo et nonnulli codices Memmiani habent. ego lectionem receptam retinui, quae et in aliis quibusdam scriptis manu libris reperitur. *actionem* autem interpretor actionem legis, qualis est actio furti, actio servi corrupti, et similes.

12. p. 119. CUM CETERIS REBUS NOSTRA CONTEXERE. malim legi, *nostras*.

Ibid. UT ORNES ME POSTULEM. legendum censeo, *ut ornes mea*.

Ibid. p. 120. A QUA TE AFFICI NON MAGIS POTUISSE DEMONSTRAS. P. Victorius edidit, *a qua te flecti*. ego vulgatam lectionem, quia eam aliquot veterum librorum auctoritate confirmatam animadverti, ferri ac retineri posse existimavi [cf. Bened. p. 375. sq.].

Ibid. p. 121. QUI QUID SIS NESCIAS. sic habent omnes libri vulgati, et ita edidit Petr. Victorius. nonnulli tamen libri mss habent, *qui qui sis nescias* [vid. Pareum Lex. Crit. p. 1033, 1.].

14. p. 124. extr. QUAM A ME DISCESSERAS. secutus sum codices vulgatos, quibuscum consentiunt duo manu scripti. et ita Paullus Manutius edidit, P. Victorius autem, *quam discesserat*, ut subintelligatur Caesar [»sed id nimis abruptum est »a principio epistolae, ubi nulla ante vel ipsius mentio, vel rei »unde de Caesare cogitare veniat in mentem, nec consentiunt »sequentia.« Ernest. p. 125, 59.].

Ibid. p. 125. EORUM QUORUM CONSUESTI. genus loquendi Graecis usitatum, apud quos relativum quod appellant congruit cum eo, quod antecedens nominatur [vid. Perizonium ad Sanctii Minervam 4, 12. Tom. 2. p. Lips. 387. sq.].

15. p. 126. TECUM VIVERE POSSEM EQUIDEM ET MAXIME VELLEM. paullo aliter habent codices mei [sic correxi istud *meum*, quanquam puto equidem Lambinum dedisse *Memmiani*], nempe hoc modo, *tecum equidem vivere possem, et maxime vellem*. quae scriptura mihi videtur facilior, quanquam non admodum discrepat a vulgata, quam sequutus sum, cum qua congruit Florentina editionis postremae, quae talis est, *tecum vivere possem equidem, et maxime vellem*. si mihi tamen quod sentio dicere liceat, neutram harum lectionum rectam esse puto. videtur autem mihi sic legendum, *tecum vivere posse equidem maxime vellem*.

17. p. 129. TUUM CRIMEN CONIUNGERETUR. sic habent codices Memmiani, et ita edidit Petrus Victorius. quidam tamen habent, *tuum nomen coniungeretur* [vid. ad I. Accusat. c. 38. §. 96.].

Ibid. TALES CASUS ACCIDISSE. sic scriptum reperi in uno codice manu scripto, ceteris omnibus dissentientibus, in quibus est *incidisse*. quod minus probo [cf. Pareum Lex. Crit. p. 21, 1.].

Ibid. DE TUO AUTEM FILIO VEREOR NE SI NIHIL AD TE SCRIPSERIM DEBITUM EIUS VIRTUTI VIDEAR TESTIMONIUM NON DEDISSE. libris omnibus veteribus invitis sic edendum curavi. nam quod illi habent *cepisse*, natum ex *dedisse*, quum pro eo *depisse* esset scriptum [vid. ad I. Epp. 8. p. 13.], oberrante librario, deinde ab alio ex *depisse* factum *cepisse*.

18. p. 131. UT QUOD UNA SENTENTIA EAQUE DUBIA POTENTIAE ALICUIUS CONDONATUM EXISTIMETUR. sic edidit Manutius. alii fere omnes libri vulgati habent, *idque una sententia*, et cetera, cum quibus consentiunt quidam libri manu scripti. unde quidam docti legi volunt, *quodque una sententia eaque dubia potentiae alicuius condonatam existimetur.*

20. p. 133. || NON HABUI CUI POTIUS ID NEGOTII DAREM QUAM M. TULLIO LAUREAE. haec verba, *M. Tullio Laureae*, nulli codd. mss habent, quemadmodum nec illa, quae reperiuntur in aliis vulgatis, *quam scribae meo;* nisi quod haec, quae edenda curavi, ad unius libri veteris oram ascripta reperi, idque aliena manu. et vero licet illa tollamus. nam his deletis sententia est integra et aperta. facile enim subintelliguntur. et credibile est, ex annotatiuncula esse nata, vel ab aliquo coniectore, qui deesse putaret, addita. b.

Ibid. RATIONES CONFECTAS ET CONSOLIDATAS DEPONEREMUS. sic habent omnes libri veteres, et ita edidit Petrus Victorius, vulgati alii *consignatas*, alii *consolutas* [vid. Pareum Lex. Crit. p. 264, 1. et cf. Benedictum p. 423. sq.].

Ibid. DE VOLUSIO QUOD SCRIBIS. vocem seu tres voces, *quam ob rem*, aliunde huc illatas et ex verbo *habere*, quod proxime antecedit, natas sustuli.

Ibid. p. 134. QUOD REM A ME NON INSIPIENTER EXCOGITATAM NE COGITATAM QUIDEM PUTAS [hanc olim vulgatam Lambinus dedit p. 57, 9. imprudens, ut opinor. nam ex iis quae sequuntur necessario reponendum, *quum rem a me non insipienter excogitatam, ne cogitatam quidem, putes.*]. secutus eram initio libros quosdam vulgatos, qui sic habent, *non insipienter actam, ne cogitatam quidem putes.* sed Victorio malui tandem assentire, qui se quitur optimum istum codicem Florentinum manu scriptum. nam manu scriptorum nostrorum alii habent, *quum rem a me non insipienter excogitatam, ne cogitatam quidem putes* (et ita edidit Petrus Victorius), quam scripturam nos secuti sumus, alii, *quum rem a me non insipienter excogitatam quidem putes*, plane mendose. ego P. Victorii et Florentinam editionem solam veram et rectam iudico, vulgatam tamen tolerabilem et probabilem esse puto.

Ibid. ET UT MULTA TAM GRAVIS VALERIANIS PRAEDIBUS IPSIQUE T. MARIO DEPELLERETUR. videtur legendum, *et ut multa tam gravis a Valerianis praedibus ipsoque T. Mario depelleretur.*

Ibid. p. 135. SED SI QUID EST QUANDO DE LOGEO PARUM GRATUM EST. ego quam proxime potui, accessi ad scripturam antiquam. nam libri manu scripti hoc loco sunt corrupti, sed tamen partim sic habent, *quando de logeo parum gratiosum est*, partim, *gravissimum est*, vulgati autem, *parum provisum est.* quae lectio probabilis est, nec eam damnamus. praeterea quod ad vocem *logeum*, nos putavimus utrobique, et supra, ibi [p.

Ernest. 134., ubi vid. quae annotantur], *nam de logeo ita est actum*, et hic, *quando de logeo parum gratum est*, eandem rem agi, ideoque idem nomen intercedere oportere. *logium* autem seu *logeum* vox Graeca est, quae significat, praeter alia, locum, ubi rationes referuntur et ubi deponuntur.

Ibid. TE CERTE PECUNIAE ABS TE [haec duo inserui, a Lambino admonitus in Indice Erratorum p. 566.] EXACTAE RATIONEM REFERRE EX MEIS RATIONIBUS RELATIS NON OPORTUIT. etiam hoc loco scripturae veteris vestigia secutus sum. nam quum in veteribus libris partim hoc modo scriptum reperissem, *te certe in pecunia exacta ista referre ex meis*, et cetera, partim sic, *te certe pecuniae exactionem ista referre*, ego ex voce *exactionem* feci *exactae rationem*, ex *ista abs te*, quas voculas operae per imprudentiam omiserunt. cetera integra et immota servavi.

VI. 1. p. 139. NAM ETSI QUOCUNQUE IN LOCO QUISQUIS EST IDEM EST EI SENSUS. sic habent omnes libri manu scripti. *quisquis* autem positum pro *quisque*, ut *quicquid* saepe ab eodem, et a Lucretio, Terentio, Plauto, pro *quidque* usurpatum esse alias docuimus [vid. ad Orationem pro Fonteio c. 7. §. 15. contraria ratione *quisque* pro *quisquis* positum apud posterioris aevi scriptores saepe occurrere docuit Burmannus ad Anthol. Lat. Tom. 1. p. 356. et qui ibi laudantur.].

Ibid. TAMEN VEREOR NE CONSOLATIO NULLA POSSIT VERA REPERIRI. sic legendum est, vel ut quidam alii libri habent, *vereor ut ulla consolatio*, et cetera, quorum verborum eadem sententia est atque eorum, quae in hac editione posita sunt [optime hanc rem explicavit Perizonius ad Sanctii Minervam, de analogia significationum, 4, 15. n. 28. et 29. Tom. 2. p. Lips. edit. 513. sqq. contraria igitur significatione adhiberi has formulas *vereor ne* et *vereor ut*, satis vulgo notum est, nec tamen hoc quicquid est discriminis perpetuo a scriptoribus Latinis servatur. vide quos laudavit Ruddimannus Instt. Gramm. L. L. Tom. 2. p. Stallbaum. 237. sq. n. 25.].

Ibid. p. 140. QUAM RATIO ET VERITAS PRAESCRIBIT. quidam libri veteres habent, *et rei veritas*, nonnulli, *ratio et virtus*.

4. p. 145. UT IMPUDENTIA VIDEATUR EANDEM FORTUNAM SI RES COGAT RECUSARE. videtur legendum, *ut impudentis videatur*.

5. p. 147. ITA EDUCATUS ITA DOCTUS ES. sic habent omnes libri vulgati, neque aliter edidit P. Victorius. sed codices Memmiani tres et alii nonnulli habent, *ita eductus*. quod probo [vid. Drakenborchium ad Livii 21. 43, 15. Tom. 6. P. 2. p. 225.

ad Silii 9, 434. p. 476. et Ruhnkenium Dictatis in Terentii Andriam 1. 5, 39. p. Schopen. 37.].

6. p. 150 RERUM HOC NATURA ET CIVILIUM TEMPORUM NON PATIETUR. videtur legendum, *rerum hoc natura non patietur*; *civilium temporum nec manens nec mutata ratio feret, primum, ut non in causa pari*, et cetera.

7. p. 151. QUOD TIBI NON TAM CELERITER LIBER EST RÉDDITUS. quidam legi volunt, *liber est traditus*.

Ibid. p. 152. QUUM PORRO NON OFFENDAM QUID SI NON VULT? sic esse legendum intelligent, qui et attente legent et non erunt tardissimi. hoc enim sentit M. Tullius: age, laudo aliquem? sic mecum cogito: num offendo Caesarem illius lauda || tione? p.457. sed finge me non offendere, quid si non vult illum laudari? a. fieri enim potest, ut facto aliquo aliquis non offendatur neque laedatur, id factum tamen non probet, aut id factum nolit.

Ibid. p. 153. UBI HOC TU OMNIUM PATRONUS FACIS. secutus sum libros vulgatos. nam manu scripti habent, *ubi hoc omnium patronus facit*, et ita edidit Petrus Victorius.

Ibid. APUD IPSUM MULTUM APUD EIUS OMNES PLURIMUM POTES. Petrus Faber Tolosanus putat legendum, *apud eius homines*, a quo dissentio. ita enim saepe loquitur M. Tullius, *mei omnes, tui omnes*, ubi subintelligitur *familiares*, seu *domestici*, seu *comites* [innumeris locis, idque plures ob causas, librarios has voces commiscuisse, a VV. DD. ad Livii quum alia loca, tum in primis ad 3. 54, 6. animadversum est. alterutrum quando dici conveniat, explicare iidem aggressi sunt ad Livii 9. 8, 11. et 27. 9, 14. sed nunc illud potius quaerendum est, utrum hoc loco recte ponatur, *eius omnes*, an *eius homines*, commentum Fabri? nam et *eius homines* Latine dici posse, quamvis alio sensu, docuit vir in hoc litterarum genere eximius, C. Fr. Heinrichius ad Oratt. Fragmm. p. 24. 59.].

8. p. 154. HUIC MEAE ACTIONI SEU ROGATIONI POTIUS NON CONTINUO RESPONDERUNT. sic legendum est, quamvis aliter ediderit Petrus Victorius.

Ibid. NIHIL EX EO TE OFFENSIONIS HABITURUM. docti quidam legi volunt, *offensionis aditurum*.

Ibid. QUID SIN TIBI AUCTOR. lege, *quid sim tibi auctor* [correctum in Erratis p. 566.].

10. p. 156. CICERO TREBATIO. legendum, *Trebiano*, et item epistola proxima, alias *Torquato*.

13 (12. Ern.). p. 159. VINCEBATUR ENIM FORTUNA IPSA DEBILITASQUE GRATIAE NOSTRAE TUI CARITATE ET MEO PERPETUO ERGA TE AMORE. sic emendavi, coniectura proxime ad scripturam antiquam sententiamque accedens, quum in uno codice manu scripto reperissem scriptum *debilitasce*, in alio *debilitare*. nam *debili-*

tasce valet *debilitasque* [vid. Heinrichium V. D. ad Oratt. Fragmm. pp. 54. 63. et 111.]. neque vero me fugit, in quibusdam libris vulgatis impressum esse *debilitatae*. quae lectio quamquam tolerabilis videri potest, non aeque placet tamen ut haec, quam reposuimus.

Ibid. p. 160. MAGIS UT CONSOLARER FORTEM VIRUM ATQUE SAPIENTEM QUAM UT EXPLORATAM SPEM SALUTIS OSTENDEREM NISI EIUS QUAM AB IPSA RE PUBLICA QUUM HIC ARDOR EXTINCTUS ESSET SPERARI OPORTERE CENSEREM. sic emendavi. nam quis non videt, hunc esse verborum ordinem eamque sententiam: *magis ut consolarer fortem virum atque sapientem, quam ut exploratam spem salutis ostenderem, nisi eius salutis, quam sperari*, etc.

20 (19.). p. 166. DE CURATIONE ALIQUA MUNERUM REGIORUM CUM OPPIO LOCUTUS SUM. sic habent omnes libri manu scripti, quos quidem viderim, etiam is, quo usus est P. Victorius, praeterquam quod in uno est, *munerum regionis*, cuius auctoritate defendi potest Manutii coniectura, qui vult legi, *munerum regionum*.

Ibid. SED TAMEN ALIQUID VIDEBIMUS IN QUO SIT SPES. libros vulgatos secuti sumus, quibuscum consentiunt tres manu scripti. Petrus Victorius mavult legi, *in quo sit species*, quomodo dicit esse scriptum in codice manu scripto antiquissimo [vid. annotata ad Orationem pro Marcello C. 6. §. 20.].

21 (20.). p. 167. NE ILLUD QUIDEM NEGLIGENDUM QUAMVIS SUBITO QUUM CERTI ALIQUID AUDIERIS TE ISTINC POSSE PROFICISCI [reponendum ex Indice Erratorum p. 566. *posse istim te proficisci*]. secutus sum libros vulgatos. nam mss Memmiani habent, *ne illud quidem non negligendum quamvis subito*, plane mendose. unde in hanc opinionem veni, verbum *negligendum* esse alienum et foris profectum, eamque solam esse rectam et veram scripturam, quam P. Victorius ex illo optimo codice hausit, *ne illud quidem non quantivis subito quum certi aliquid*, et cetera. *ne illud quidem non quantivis* autem, id est, illud est plurimi faciendum, illud est quantivis aestimandum, posse subito, etc. vulgata tamen lectio tolerabilis est, et sententiam continet planam et facilem. verum quid tum postea, si non est Ciceronis oratio, sed aliena? omnino igitur Florentinam scripturam censeo esse amplectendam, et vulgatam respuendam, in qua *quamvis subito* intelligendum pro quantumvis subito [vid. Pareum Lex. Crit. p. 1029, 2 tum addendum ex Omissis p. 565. »etiam codices nostri habent *te istim*, ut et is quem P. Victorius saepe »laudat. itaque iusseram excudi, si mihi operarii obtemperare »voluissent. sic et saepe alibi M. Tullius locutus est, ut hac »eadem pagina libro eodem eadem ep. versu 18. in extr., *et te »istim ne temere commove*. et Epistolis ad Atticum lib. 7. ep. 20, »*istim enim emanant*. et lib. 9. pag. 310. lin. 26. [ep. 18.], »ubi vulgo legitur, *illinc quidem Cnaeum profectum puto*, ple»rique veteres habent: *illim quidem*, et cetera.« vid. Pareum

Lex. Crit. p. 568, 2. et Mantissa p. 91, 1. Vossium de Analogia 4, 19. p. 219. Muretum VV. LL. 12, 11. Operum Tom. 2. p. 283. sq].

VII. 1. p. 171. ET PATEFECISTI SEIANUM. alii legunt, *patefecisti scenam* [ex Omissis post Tom. 1. p. 381. addantur haec: »libri veteres aliquot habent, *patefecisti sinum.* quod quidam »probant et retinent. quid si legamus, *Misenum?*« cf. Benedictum p. 541. sqq].

Ibid. QUAS TIBI IPSE AD ARBITRIUM TUUM COMPARARAS. sic reperi scriptum in codicibus Memmianis, quum vulgati habeant, *quas tibi ipsi.*

Ibid. QUID QUOD NE ID QUIDEM LEPORIS HABUERUNT QUOD SOLENT MEDIOCRES LUDI? sic emendavit Rivius multis abhinc annis, cuius iudicium probamus.

Ibid. CRATERARUM TRIA MILIA. legendum *arcerarum* seu *arcerrarum tria milia*, ut recte emendavit Scaliger. *arcerra* autem genus est vehiculi, Varro lib. 4. de Lingua Latina [ex Omissis p. 565. adde ex Indice Erratorum p. 566. »*acerrarum* s. *acerarum.*« Varronis locus c. 31. cf. Gellium 20, 1. et Nonium Marcellum 1, 268. p. Mercer. 55, 3.].

Ibid. p. 172. SED NEC LIBER OMNINO FUISSE [sic reponendum ex Indice Erratorum p. 566.]. sic legendum, non ut vulgo, *sed ne liber omnino fuisse.* nisi quis malit ita legi, *sed ne liber quidem omnino fuisse*, vel sic, *sed liber omnino non fuisse.* hic operae omiserunt particulam *nec* [omiserant iidem p. 71, 41. hac epistola, p. Ernest. 171., in his, *aut armatura varia peditatus et equitatus*, copulativam, addendam ex Indice Erratorum p. 566.].

2. p. 174. NOS HIC MULTITUDINE ET CELEBRITATE IUDICIORUM. legendum fortasse est, *nos hic multitudine et crebritate iudiciorum* [Gebhard. p. Gronov. 770, 13. »frivola est Lambini emen»datio *crebritate*, in quam vel cordatiores despuent vel pueri »ipsi meient.«!].

5. p. 178. VEL REGEM GALLIAE FACIAM VEL LEPTAE LEGATUM. ita discrepant hoc loco inter se exemplaria vetusta, et ea ipsa a libris vulgatis, ut [non *vel*] putem mihi licere, vel unam aliquam scripturam probare, || vel unam fingere. quum igitur b.
ex manu scriptis alii habeant, *vel Leptae delegem*, alii *delegam*, alii *delega*, vulgati partim, *vel certe legatum*, partim, *vel Leptae legatum*: ego *vel Leptae delegabo*, reponendum putaverim, hoc sensu, *Leptae delegabo*, qui eum ornet et locupletet; non pugnaturus, si quis acutior meliorem lectionem reperiat. quidam docti volunt legi, *vel*

certe pro rege, Manutius, *vel tertiae legionis legatum*. Turnebus scripturam in uno codice vetere repertam integram retinens legit, *vel Leptae delega*, libro 12. Adverss. cap. 18., quam minus probo.

10. p. 182. QUEM ANTEA NE ANDANABATAM QUIDEM DEFRAUDARE POTERAMUS [reponendum, *Antanabatam*]. *Antanabatae* non populi fuerunt, sed gladiatores seu certatores, qui ex equis pugnabant, idque oculis clausis aut capite operto, ne cernere alter alterum posset. dicti autem sunt *Antanabatae* a praepositione *ἀντὶ* et *ἀναβάτης*, quae vox significat eum qui equum conscendit, quive in equo sedet. ita *antanabatae* sunt, qui ex equis inter se certant, seu qui in equis sedentes inter se adversantur et pugnant.

12. p. 183. IAM TUM MIHI NON PLACEBAS QUUM IDEM INTUEBARE QUOD ET SEIUS FAMILIARIS MEUS. quid si legamus, *quum idem tuebare* [deinceps reponendum, *inter bonos bene agier*, dempto *et*, monente Lambino Erratt. Indice p. 566. vid. annotata ab eodem ad Topica C. 17. §. 66. p. nostrae editionis 97.]?

13. p. 185. ET TU NON SOLES AD VIM FACIUNDAM ADHIBERI. sic esse legendum, sententia ipsa clamat. hoc enim significat Cicero: vereor ne artificium tuum tibi parum prosit, quia istic non est opus iuris consulto, quum arma valeant. nam tu quidem, qui iuris consultus es, non soles ad vim faciendam adhiberi. sequitur deinceps: *neque est quod illam exceptionem ex interdicto pertimescas, quod tu prior vi hominibus armatis veneris.* id est, nemo te agentem hac exceptione repellet: *recte ageres, nisi prior vi, hominibus armatis venisses.* nunquam enim vim cuiquam prior inferes, neque quemquam hominibus armatis oppugnabis. at haec exceptio convenit in eos, qui priores alteri vim intulerunt, qui alterum lacessiverunt. sic puto hunc locum et legendum esse et intelligendum. negatio scilicet, quae debebat locari ante verbum *soles*, fuerat in alienum locum translata, et ante verbum *veneris* collocata.

16. p. 186. NUNC VERO IN HIBERNIS VINCTUS MIHI VIDERIS. sic legendum est, non *iniectus*. sic autem reposui, ab uno codice manu scripto adiutus et quasi manu ad hanc coniecturam ductus in quo scriptum est, *innectus*. omnino prior lectio mendosa est, neque ferri potest. non enim dici potest Latine *iniectus in hibernis*, sed *in hiberna iniectus* dicendum.

19. p. 190. DOCTOREM TAMEN NONNUNQUAM DESIDERANT. Petrus Victorius suum, nos nostros, hoc est Memmianos codices sequuti sumus, in quibus omnibus, praeterquam in uno, qui congruens cum vulgatis habet *lumenque*, scriptum est *nonnunquam*, quod nobis videtur probabilius, quam quod Victorius reposuit, *unumque*. quod si coniecturae locus daretur, ego magnopere probarem Manutii coniecturam, qui legit, *doctorem usumque desiderant*. interea hanc lectionem, quam reposui,

censeo retinendam, longeque illis, *lumenque* et *unumque*, anteponendam.

20. p. 191. QUAMQUAM ILLA QUIDEM HABET LUCUM. Petrus Victorius edidit *lotum*, Manutius *lucum*, ut habent omnes libri vulgati.

21. p. 192. NI BONORUM TURPILIAE POSSESSIONEM. sic esse legendum declarat formula sponsionum, quae concipiebantur per *ni*. haec autem erat controversia. Turpilia testamentum fecerat, eoque testamento Silium heredem sive ex asse sive ex aliqua parte fecerat. Silius bonorum possessionem secundum tabulas ex edicto Praetoris petiverat, seu potius Praetor edixerat, se bonorum possessionem secundum tabulas testamenti Silio daturum. Silius quum cognati bona ad se pertinere dicerent, quia Turpilia testamenti factionem non habuisset, et ita testamentum non esse iure factum, edicto Praetoris fretus sponsionem facere cum eis cogitabat huiusmodi, *ni bonorum Turpiliae possessionem Q. Caepio Praetor ex edicto suo mihi dedit, centum dare spondes?* sed Cicero, Silii patronus, priusquam hanc sponsionem Silius faceret, Trebatium consuluerat, possetne hanc sponsionem facere sine periculo? responderat Trebatius, posse. Servius autem Sulpicius item consultus negabat, rationemque hanc afferebat, quia tabulae testamenti non essent eae, quas instituisset is qui testamenti factionem non haberet. omnino Trebatius bene responderat. satis erat enim esse tabulas testamenti, secundum quas bonorum possessio peteretur. non enim quaeritur, testamentum sit ratum an irritum, firmum an infirmum, sed *sitne factum testamen* || *tum?* itaque sine peri- p. 458.
culo poterat illa sponsio fieri. a.

23. p. 194. PER LICINIAM SE EGISSE DICEBAT. P. Victorius edidit, *per Licinium*, quomodo scriptum est in omnibus libris manu scriptis Memmianis. idem Victorius edidit *Dexius* pro quo nostri libri habent *Decius*, et item vulgati. ego *Decimus* legendum puto.

24. p. 195. CIPIUS OPINOR OLIM »NON OMNIBUS DORMIO.« sic legendum censet Antonius Augustinus, non *Cepius* neque *Capius*, quamvis ita ediderit P. Victorius. nostri quidem codices, Memmianos dico, partim sic habent, partim *Citius*. sed omnem dubitationem tollit Festus Pompeius in proverbio, *non omnibus dormio*, ubi docet, proverbium videri natum a *Cipio* quodam, qui *pararenchon* dictus est, quod simularet dormientem, quo impunius uxor eius moecharetur. eundem commemorat et Plutarchus ἐν ἐρωτικῷ, ubi tamen κάββας nominatur, si locus emendatus est [locus Plutarchi Operum Tom. 2. p. 759. F.].

Ibid. RESPONDI NULLO MODO ME FACERE POSSE QUUM VELLEM. libri vulgati et nonnulli scripti habent, *quem vellet, alium diem si sumpsisset, me ei non defuturum.* nos P. Victorii emendationem secuti sumus.

Ibid. ET SAT BONUM UNCTOREM. quidam legendum putant, *et sat bonum cantorem.* quibus assentior.

25. p. 196. VEREOR NE IN CATONIUM CATONINOS. locus est valde obscurus, et fortasse corruptus. ego quidem antiquam scripturam religiose secutus sum. videtur autem significare, metuendum esse, ne Caesar, quem *magistrum* dicit, eos, qui laudes Catonis scripserunt, ad inferos praecipites agat. vox *Catonium* a Laberio usurpata est, ut refert Gellius lib. 16. cap. 7., *tollet bona fide vos Orcus nudas in Catonium.* quamquam doctissimi quidam viri legunt *catomum* et hic et apud Laberium, interpretanturque *catenam.* et ita P. Victorius edidit.

29. p. 200. TEQUE AD VER LUBENTES [*libenter* habet lemma] VIDERE. sic habent libri fere omnes manu scripti, quibus usi sumus.

Ibid. ET NOSTRA REFIGERE DEPORTAREQUE TUTO POSSIMUS. videtur legendum, *et nostra deferre*, vel potius *refigere*, id est auferre, non ut est in libris vulgatis, *defigere.* verumtamen iudicent lectores.

Ibid. SED AMICE MAGNE. amicum *magnum* appellat, quem Horatius *amicum potentem*, in Epistolis [1. 18, 44. sq.], *tu cede potentis amici Lenibus imperiis.* et item alibi [II. Carmm. 18, 12. sq. ibi, *nec potentem amicum Largiora flagito.* vid. Lambinum Commentariis Horatianis ad I. Epp. 18, 44. p. 284. A.]. paullo ante in quibusdam libris scriptum est, *Sulpicio successori*, ubi alii habent, *Sulpicii successori*, quos secuti sumus.

31. p. 201. ERGO IS TIBI NOS EI SUCCEDIMUS. secutus sum editionem Florentinam postremam. nam alii libri habent, *nos ei succedamus*, alii, *succedemus.*

32. p. 202. PER ANTONII PERSONAM DISPUTATA. immo per Iulii personam. itaque vel μνημονικὸν ἁμάρτημα est, vel hoc totum non est Ciceronis, sed ab aliquo parum attento aut memori huc illatum.

33. p. 203. ET CUM COMMUNIBUS NOSTRIS AMATORIBUS. quidam legi volunt, *nostri amatoribus.*

Ibid. p. 204. ET ILLIS INTERIORIBUS LITTERIS EIS QUIBUS SAEPE VERECUNDIOREM ME IN LOQUENDO FACIS. sic est legendum, vel reclamantibus libris omnibus.

VIII. 1. p. 206. QUOD OPINOR CERTE FACTUM ESSE. quidam legi volunt, *fictum*, a quibus dissentio. nam videtur Caelius significare, se existimare rumores illos de Caesare veros esse.

denique in omnibus libris manu scriptis, quos vidi, scriptum est aut *factum est*, aut *factum esse* [proclivi librariorum errore, quem notavit Drakenborch. ad Livii 40. 12, 7.].

Ibid. Q. POMPEIUM BAULIS EMBAENETICAM FACERE. sic omnes quidem habent, quos vidi, libri, sed assentior doctissimo viro Turnebo, collegae meo, qui coniecit legendum, *empineticam facere*, ut intelligamus ludere et iocari Ciceronem in voce *empineticam*, quae oritur a verbo πεινᾶν, quod valet esurire. quasi dixisset *artem esuriendi facere* seu exercere, ut dicimus *navicularíam* et *argentariam facere*.

2. p. 207. ME PRAESENTE PRONUNCIATUM EST. secutus sum libros vulgatos. nam manu scripti habent partim, *me repraesentare*, partim *repraesentante*, partim *me prehensante*.

Ibid. VIDE MODO INQUIS. secutus sum libros omnes manu scriptos. nam vulgati habent, *rides? rogo, inquis*.

Ibid. ET RUDENTISIBILUS. sic mihi legendum videtur. est autem *rudentisibilus* nomen compositum seu iunctum ex || *rudente* et *sibilo*, quo usus est Pacuvius teste Varrone lib. 4. de Lingua Latina [c. 1. p. 7, 2.]. quod autem Rivius putavit legendum, *rudentum similis sibilus*, mera divinatio est. b.

3. p. 209. QUAE PERMULTA SUNT. legendum fortasse est, *qui permulti sunt*.

4. p. 210. A GALLIIS DUABUS. legendum, *a Galliis duobus*. significantur enim M. et Q. Gallii.

Ibid. TOTUS UT NUNC EST HIC SENATURIT. sic restitui, quum et veritas hanc scripturam postularet, et liber unus manu scriptus me admonuisset, in quo scriptum est *sentirit*, pro eo quod est in vulgatis, *scaturit*. *senaturit* autem ita dictum est, ut *syllaturit* [et probatur Io. Matth. Gesnero Thes. L. L. Vol. 4. p. 387, 70.].

Ibid. p. 211. LAELIOS ET ANTONIOS. legendum *Lollios*, ut emendavit Manutius, itaque excudi iusseram.

Ibid. NAM M. CAELIUM VICINIANUM [?]. secutus sum libros vulgatos et aliquot manu scriptos. nam alii manu scripti habent *Vincianum*, quae scriptura non longe abest a vera. idque intellexi nuper ex nummo argenteo, quem mihi indicavit Clemens Teveninus, homo antiquitatis Romanae studiosissimus, cuius altera pars prae se ferebat effigiem Victoriae alatae coronam manu tenentis, inscriptio autem erat L. VINICI., id est *Vinicius* aut *Vinicianus*. in altera parte effigies erat concordiae. hoc igitur ex illo nummo argenteo et cognovi et cognoscere licere dico, *Vinicios* fuisse Romae, non *Vicinios*, et hic esse legendum *Vinicianum*, non *Vicinianum*, neque *Licinianum*, ut coniecit esse reponendum vir alioqui doctissimus, Manutius [ex Omissis post Tom. 3. p. 565.].

Ibid. INDE [*A.* additur in lemmate] HIRRUM CUNCTI IAM AD NON FACIENDUM FLAGITARE. sic reperi scriptum in duobus codicibus Memmianis, ut non dubitem de veritate huius scripturae, quamvis aliter ediderit Victorius.

Ibid. p. 212. QUO NUMERO ESSET QUO APPELLARETUR. locus corruptus, ut et multi sunt alii in hoc libro. libri vulgati habent, *quo appeteretur*, quidam legunt, *quo appellaretur*. a *numero* enim appellabantur *legiones*, prima, secunda, tertia, etc. alii volunt legi, *quando repeteretur*. deinceps libri manu scripti habent, *quum Pompeius esset in Gallia, coactus est dicere, Pompeium*, et cetera. meo iudicio mendose. quidam pro *coactus* legunt *conatus*.

Ibid. HOC EST DE PROVINCIIS. hoc totum alienum puto, et iccirco delendum. in eadem extrema epistola, ubi vulgo legitur, *et quam hoc Caesari et iis, qui suam causam non rei publicae curent, suppetat, non te fallit*, manu scripti habent, *et quam hoc Caesari, qui sua causa rem publicam non curent, superet, non te fallit*. ego nihil muto.

5. p. 213. SANE TANQUAM IN QUODAM SILICE IAM OMNIA ADHAESERUNT. Turnebus Adversariorum lib. 12. cap. 17. legit, *tanquam in quodam cilicio*, alii, *in incili* [ex Omissis post Tom. 1. p. 381.].

6. p. 214. NUNC SI AD ILLAM SUMMAM SEVERITATEM LEGITIMUM IUS EXEGERIS. nonnulli libri manu scripti habent, *ad illam summam veritatem*.

Ibid. p. 215. NE QUA INVIDIOSUM TIBI SIT. libri manu scripti habent, *denique invidiosum*. ego vulgatos sequor.

Ibid. ET HERCULE CONFECTA OMNIA FOEDE ET INHONESTE SUNT. alii libri habent, *confecta, omnia foeda et inhonesta sunt*. mendose, opinor.

Ibid. BELLISSIME ENIM QUIA DE INTERCALANDO NON OBTINUERAT TRANSFUGIT AD POPULUM. secutus sum etiam hic codices vulgatos, quibuscum congruunt et nonnulli manu scripti. alii autem habent *levissime*, quod magis probo, et ita Victorius edidit. paullo post quidam docti legendum censent, *legemque vinariam*, ubi vulgati et scripti manu habent, *legemque viariam*. et paullo post libri Memmiani habent, *ponito me in gratia*, non ut alii, *in gratiam* [vid. Voss. de Constructione C. 65. p. 251. sq.].

7. p. 216. NONDUM RETULERAT. sic habent omnes libri veteres. quidam legi volunt, *mundum retulerat*.

8. p. 218. ET AD EXTREMUM UT SOLENT »NON REDIGAM.« sic omnes habent libri manu scripti Memmiani, et ita P. Victorius edidit. vulgati quidam, *et ad extremum, ut solet, ait, referam*.

Ibid. A QUODAM EMISSARIO SUO TITIO. hic idem est P. Titius, quem commemorat epistola ad Plancum lib. 10. [ep. 12.

p. Lambin. 112, 34.], ibi, *rogatu Servilii P. Titius intercessit.*

Ibid. p. 219. D. E. R. I. C. id est, *de ea re ita censuerunt.* et supra *V. F.*, id est, *verba fecit*, et *S. Q. C.*, id est, *senatusque consultum.*

Ibid. AD SENATUM POPULUMQUE REFERRI. omnes libri veteres habent, *ad hunc ordinem referri*, quomodo P. Victorius edidit, et ego sic edi iusseram.

9. p. 221. CURIONEM PRORSUS NON MEDIOCRITER OBIURGAT SCILICET HAC REPULSA SE MUTAVIT. sic coniecit esse legendum P. Manutius, cui difficile fuit non assentiri. verumtamen non displicet mihi Passeratii coniectura, *non mediocriter obiurgat. is hac repulsa se mutavit.*

10. p. 223. QUAM PARATUS AB EXERCITU. vel legendum *imparatus*, vel hoc *paratus* accipiendum εἰρωνικῶς.

11. p. 225. SED QUUM DE HOSTIBUS AGERETUR. codices Memmiani praeter unum et alterum habent, *de hostiis ageretur*, et ita edidit Petrus Victorius. quod autem in aliis est *de hostibus*, natum erratum putat ex antiqua scriptura *hostis* pro *hostiis* [cuius librariorum erroris exempla posuit Drakenborchius ad Livii 21. 60, 7. et 22. 8, 7.]. nos tamen *de hostibus* edendum curavimus, ut et Manutius, non pugnaturi, si quis *de hostiis* malit. paullo post, ubi omnes emendati libri habent *numerarentur*, quidam non indoctus existimat esse legendum, *numerus daretur.*

12. p. 228. POSTEA NON DESTITIT ARCESSERE POLAM SERVIUM ACCUSATOREM INIRE CUM DOMITIO CONSILIA. sic legendum, || non *arcessere palam Servium etc.* [sic correxi ex Ind. Erratorum p. 566.]. confirmat hanc emendationem quod sequitur, *vix hoc erat Pola elocutus*, et cetera. erat autem *Pola* cognomentum horum Serviorum. p. 459. a.

13. p. 229. STOMACHO EST MAGNUS NUNC ITA LANGUENTI. hoc totum *scilicet Pompeius*, quod reperitur in omnibus libris vulgatis et nonnullis calamo exaratis, delevi ut alienum et ex annotatione profectum; quod iam olim Paullo Manutio venerat in mentem. atque ut intelligas ita esse, incidi in unum codicem manu scriptum, in quo non erat vox *Magnus*, sed hoc tantum *Cn. Pompeius*, quum videlicet scriptor librarius errans id quod esset Ciceronis eiecisset, quod alienum et subditicium retinuisset.

Ibid. UT RATIO ESSET EIUS HABENDA. sic ediderunt Petrus Victorius et Paulus Manutius, et ita habent aliquot libri veteres, alii, *ut ratione esset eius habenda*, plane mendose. unde nata fortasse est illa vulgata lectio, *ut nec ratio esset eius habenda*, quam nullo modo probo. Pompeius enim nolebat

eius rationem haberi, qui neque exercitum neque provincias tradere vellet.

14. p. 230. NAM CN. SATURNINUM ADOLESCENTEM IPSE CN. DOMITIUS REUM FECIT. quidam legi volunt, *nam Cn. Saturninum adolescens ipse Cn. Domitius reum fecit*, ut intelligatur Domitii filius.

15. p. 232. IDQUE CELERITER FORE SPERO. legendum fortasse est, *id quod celeriter fore spero.*

Ibid. NAM ME QUUM EXPULISSET EX ITALIA POMPEIUM CONSTITUIT AD URBEM VOCARE. legendum videtur, *nam me, quum Caesar expulisset ex Italia Pompeium, constituit ad urbem vocare.*

Ibid. p. 233. DOMITIUM QUENDAM NOBILEM ILLIC CAESARIS HOSPITEM. secutus sum libros vulgatos, a quibus non discrepant aliquot manu scripti. nam unus et alter habent, *nobilem illi Caesaris hospitem.* quos non sum ideo secutus, quia puto erratum esse librarii, qui in adverbio *illic c* omiserit propter vocem sequentem, a simili litera initium capientem. si quis tamen *illi* putabit esse rectum, ut apud Terentium Phormione [1. 2, 41.], *interea dum sedemus illi*, et fortasse apud Lucretium lib. 1. [v. 1064.], *illi quum videant solem*, non magnopere pugnabo [ex Omissis p. 565. cf. Pareum Lex. Crit. p. 567. sq. et Mantissa p. 91, 1.].

Ibid. QUANTUM PSECADE NATUS. secuti sumus Petri Victorii coniecturam, quam et Manutius probat et veteres codices adiuvant.

16. p. 234. SI SPES TUAE RELIQUAE TIBI CARAE SUNT. nonnulli codices habent, *curae sunt. carae sunt* tamen magis probamus.

17. p. 235. BONAM MENTEM IRACUNDIAE TUMORE OBLATAM. negare equidem non possum, hanc esse antiquam scripturam, quam et Rivius se in uno codice perantiquo reperisse testatur. sed ego vulgatam, *iracundia et amore ablatam*, magis probo atque ita edi iusseram, si mihi typographus obtemperare voluisset. nam hoc dicit Caelius, se odio Appii compulsum et amore Curionis adductum esse, ut partes Caesaris sequeretur. fuit autem Appius Pompeianus, Curio Caesarianus.

Ibid. UT MAXIME PLEBS. quidam libri manu scripti habent, *ut maxime partes.* unde docti quidam suspicantur legendum, *ut maxime patres* [litteris enim transpositis fieri non potest ut hae duae voces, *partes* et *patres*, non passim confundantur. vid. Drakenborchium et quos hic laudavit ad Livii 4. 60, 3.].

Ibid. p. 236. NEC HAEC ADHUC MIHI VIDEMINI INTELLIGERE. quidam delent pronomen *haec.*

VIIII. 2. p. 238. CALUMNIABAR IPSE. videtur desiderari *me*, ut sit, calumniabar ipse me.

Ibid. p. 239. NAVARE OPERAM REI PUBLICAE. alii aliter, ego sic hunc locum restituendum censeo. nam quod in libris manu scriptis plerisque legitur *navare remp.*, erratum est librarii scriptoris, qui quum scribere deberet, *navare operam reip.*, scripserit *navare ram reip.*, vel *navaram reip.*

3. p. 239. TAMEN AMICO AD TE EUNTI NON POTUI NIHIL DARE. sic habent omnes fere libri veteres et aliquot vulgati, alii, *tamen Caninio ad te eunti*, etc.

6. p. 241. SI QUID FERENDUM EST. videtur legendum, *si quid ferendum non est.*

7. p. 243. VOLEBAM PROPE ALICUBI ESSE. legendum fortasse est, *esses.*

Ibid. DUBITANDUM NON EST QUIN EQUIS VELIS. secutus sum libros vulgatos; nam manu scripti habent, *equis*, *viris.* ego puto M. Tullium significare, iam fugiendum esse omni contentione, terra marique.

Ibid. SED RIDICULA MISSA FACIAMUS. verbum *faciamus*, ne quis putet a nobis de nostro adiectum, reperimus in duobus libris manu scriptis.

9. p. 245. CIRCUMVALLATO NUNC DENIQUE. legendum fortasse est, *nunc undique.*

10. p 247. ET INGENTIUM GALLINARUM. codices vulgati, quibuscum tamen consentiunt nonnulli manu scripti, quos et Petrus Victorius secutus est, habent *culinarum*, alii partim *integrius cularum*, partim *ingentium gularum*, partim *ingentium cochlearum*, partim *ingentium ferculorum*, partim *ingentium gallinarum*, quam scripturam probavi.

12. p. 249. || MUNUSCULUM MITTERE VOLUI LEVIDENSE CRASSO FILO. secutus sum libros manu scriptos, non damnata Octavii Pantagathii, viri doctissimi, coniectura, existimantis legendum, *levi dente*, quam adiuvat vetus codex Memmianus, in quo est *levi dē se* disiunctim scriptum, et *dense* sine diphthongo. *levi dente* autem, id est levi pectine. Isidorus [19, 22.] autem docet, *levidensem vestem* dictam raro filo, leviterque densatam, contra *pavidensem*, seu *pavitensem*, quasi graviter pressam. *b.*

15. p. 254. PONOR AFFUISSE SCRIBENDO. sic est legendum libris omnibus invitis [vid. annotata ad I. Attic. 18 (19.). p. 550.].

16. p. 258. AUT ETIAM POLYPUM MINIATI IOVIS SIMILEM. Turnebus lectionem receptam et vulgatam retinet *miniani.* testificor tamen, ita scriptum esse in nonnullis libris manu scriptis, ut edendum curavi. quod si quis alteram illam magis probabit *miniani*, hoc statuat oportet, *miniani* idem valere quod *miniati* [ex Omissis Tom. 1. p. 381.].

Ibid. SOLEBAM ENIM ANTEA DELECTARI OLEIS ET LUCANICIS TUIS.

ulceris est aliquid in hoc loco. nam ex libris veteribus alii habent, *delibitari*, alii *debilitari*, alii *delimitari*, pauci *delectari*, ut vulgati, ut notatum est a Petro Victorio. ego hic ἐπέχω [ex Omissis Tom. 3. p. 565. vid. Ind. Erratorum p. 566. Rutgersius VV. LL. 3, 3. etiam coniecit *debellari*, Iacobo Gronovio p. 853. placet *deblitari*, ignotum nobis verbum, in quo et librarii haesitarint, a *blito* deductum, quod genus herbae dicitur iners ac sine sapore aut acrimonia ulla, apud Plinium 20, 22. sect. 93. Tom. 2. p. Harduin. 226. cf. Pareum Lex. Crit. p. 150, 1.].

Ibid. SALIS ENIM SATIS EST SANNIONUM PARUM. in nonnullis libris scriptum est, *sannonum parum*.

19. p. 261. TENUICULO APPARATU SIGNIFICAS BALEUM FUISSE CONTENTUM. nonnulli manu scripti habent, *tenuissimo*. P. Victorius edidit, *tenuiculo*.

20. p. 262. NON EUM QUEM TU SOLITUS ES PRO MULSIDE CONFICERE. amicus quidam meus legendum censet, *confercire*.

Ibid. IN EPICURI NOS ADVERSARII NOSTRI CASTRA CONIECIMUS. assentior Victorio, existimanti mendum subesse in voce *castra*, pro qua nonnulli codices manu scripti habent, *cassatra*.

Ibid. NOS IAM EX ARCIS TANTUM HABEMUS. Adrianus Turnebus [Adversariis 6, 1.] legendum censet *ex arcis*. alii, *ex areis*, alii, *tantum ex te artis*.

22. p. 264. AMO VERECUNDIAM TU POTIUS LIBERTATEM LOQUENDI. sic est legendum, reclament omnes libri licet.

Ibid. p. 266. BATUIT INQUIT IMPUDENTER DEPSIT MULTO IMPUDENTIUS. sic legendum esse, non *clepsit*, ab aliis iam indicatum est. fuit hoc verbum etiam apud Catullum depravatum in aliud. nam ex *perdepsuit*, quod est rectum et verum, factum est *perdespuit*. sic igitur legendum carmen illud in Gellium [74, 1. sqq. p. Lachmann. 67.], *Gellius audierat patruum obiurgare solere, si quis delicias diceret aut faceret. Hoc ne ipsi accideret, patrui perdepsuit ipsam Uxorem et patruum reddidit Harpocratem.* quod et a Scaligero nostro nuper animadversum est. sed hic Catulli locus me admonet, ut alium restituam in carmine ad Thallum, cuius hoc initium est, *Cinaede Thalle etc.* in eo igitur sic vulgo legitur [25, 10 sqq. p. 14.], *Ne laneum latusculum manusque mollicellas Inusta turpiter flagella conscribillent.* plane mendose. in cuius locum alii substituunt *consigillent*, Turnebus ordine mutato scribendum putabat *conscribillent flagella*, alii aliter, ego *flagella concribellent*. *concribello* autem verbum a nomine *cribellum* factum, *cribellum* porro deminutum nomen a *cribro*, ut a labro *labellum*. apud eundem in illo carmine in Caesarem, cuius initium est, *Quis hoc potest videre etc.*, ubi vulgo legitur [29, 20.], *hunc Galliae timent, timent Britanniae?* legendum ex antiquo codice, *hunc Galliae timetis et Britanniae?* in epigrammate ad Ipsithillam,

ubi vulgo legitur [32, 4. p. 17.], *illud adiuvato*, praeclare restituit Turnebus, *illud adiubeto*. sed redeo ad Ciceronem. hoc eodem versu *batuere* ponitur a Cicerone in obscaenis [vid. Pareum Lex. Crit. p. 142, 1.], vel per translationem, quia *batuere* est ferulis verberare, vel quia *βατέεσθαι* seu *βατεύεσθαι* apud Siculos valet idem quod iniri a mare. Theocritus [1, 87. p. Gaisford. repet. edit. 26.], *ὄκη ἐσορῆς τὰς μηκάδας οἷα βατεεῦνται* [ex Omissis Tom. 3. p. 565.].

Ibid. SUPPEDIT. alii libri habent *suppellit*, alii *suppellere* [et hoc defendit Carrio LL. AA. 1, 12. in Thes. Crit. Gruteri Tom. 3. P. 2. p. 17. seq.].

26. p. 270. MIRARIS TAM EXHILARATAM ESSE SEVERITATEM NOSTRAM? codices Memmiani aliquot habent, *servitutem nostram*, Clericanus, *senectutem nostram*? ego *servitutem* legendum esse puto.

Ibid. p. 271. ILLE VARO TE PUTABAT QUAESITURUM. omnes fere libri manu scripti habent *vero*. unde Adrianus Turnebus, collega et amicus noster, legendum esse existimat, *quum ille Varo*, de quo loco lege eius Adversaria [9, 2. et cf. Pareum Lex. Crit. p. 1264, 1.].

Ibid. IBI PRAESERTIM. quidam libri habent, *tibi praesertim*.

Ibid. SED ETIAM INTRA LEGEM. legendum *infra legem*, ut recte iudicat Ioannes Passeratius.

X. 8. p. 279. UT AUT CELERITER POLLICENDO MAGNA MIHI IPSE AD PROFICIENDUM IMPEDIMENTA OPPONEREM. sic videtur legendum potius, quam quomodo alii libri habent, *magna in spe ad perficiendum*.

Ibid. p. 280. SED ALIQUANTUM NOBIS TEMPORIS. videtur legendum, *aliquanti*.

Ibid. QUAM CUM PAUCIORIBUS FUNESTAM ORBI TERRARUM VICTORIAM PARTIREMUR. secutus sum P. Victorii coniecturam, qui ex *pateremur* et *patiremur* fecit *partiremur*. nonnulli tamen codices manu scripti habent *pararemus*, quomodo et aliquot vulgati, alii quidam *pareremus*, quod postremum magis probo.

9. p. 282. NIHIL ME TIBI TEMERE AUT TE CAETERIS DE ME FRUSTRA RECEPISSE LAETOR. verbum *scripsisse*, quod fuerat interiectum inter *temere* et disiunctionem *aut*, ego fretus manu scriptorum librorum auctoritate delevi. nam verbum *recepisse* etiam huc pertinet et est commune, quod non intelligentes indocti verbum *scripsisse* adiecerant de suo.

12. p. 286. QUAE HABENT SPECIEM GLORIAE COLLECTAM EX INANISSIMIS SPLENDORIS INSIGNIBUS. sic habent duo codices Memmiani, neque video, cur hanc scripturam reiicere debeamus.

Ibid. BREVIA FUGACIA CADUCA. sic habent omnes fere libri vulgati, sed videtur P. Victorio legendum *fucata*, et item Manutio, quum neuter, ut arbitror, de alterius sententia quicquam audisset. testatur autem P. Victorius in optimo illo, quo usus est, codice scriptum fuisse, quanquam litteris obscurioribus, *fugata*. *fugacia* tamen, quod est in libris vulgatis, non videtur reiiciendum [»quod inter *brevia* et *caduca* melius est, quam *fucata*.«].

13. p. 287. APPELLAVIT πτολίπορθον. quidam libri manu scripti habent πτολιπόρθιον, atque ita edidit P. Victorius.

16. p. 290. TUM ERANT GRAVISSIMIS VERBIS ET SENTENTIIS PERSCRIPTAE. quum antea vulgo legeretur, *et sententiis plenae*, Victorius ex auctoritate quorundam librorum vocem *plenae* delevit. et recte. ego autem quum in uno atque altero reperissem vocem *perscriptae*, quamvis non ausim asseverare Ciceronis esse, sed suspicor esse subditiciam, tamen non putavi mihi negligendam aut reiiciendam.

p. 460. a. 17. p. 291. ‖ QUO OBSIDE FIDEI ILLIUS ET SOCIETATIS IN RE PUBLICA ADMINISTRANDA UTERER. iam pridem sic mihi visum erat hoc loco legendum. aliquot post annis cognovi, Errico Stephano viro doctissimo idem videri. alii retinent lectionem vulgatam, *fide illius etc.*, et tamen *fide* pro *fidei* positum esse volunt, ut sit antiquus generandi casus [vid. Voss. de Analogia 2, 19. p. 339.].

Ibid. SEX. GAVIANO PROBAVIT. hunc commemorat in Oratione pro Sextio M. Tullius [p. 472, 22. nobis C. 34. §. 74.].

18. p. 292. SCIEBAM ENIM (ETSI CAUTIUS ILLUD ERAT CONSILIUM EXPECTARE ME AD ISARAM DUM BRUTUS TRAIICERET EXERCITUM ET CUM COLLEGA CONSENTIENTE EXERCITU CONCORDI ET BENE DE RE PUBLICA SENTIENTE HOSTIBUS OBVIAM IRE) TAMEN SI QUID LEPIDUS BENE SENTIENS DETRIMENTI CEPISSET, HOC OMNE ASSIGNATUM IRI AUT PERTINACIAE MEAE AUT TIMORI VIDEBAM SI AUT HOMINEM OFFENSUM MIHI CONIUNCTUM CUM RE PUBLICA NON SUBLEVASSEM AUT IPSE A CERTAMINE BELLI TAM NECESSARII ME REMOVISSEM. multa hic immutata sunt, partim coniectura partim ex auctoritate codicum manu scriptorum. primum *etsi cautius etc.* pro *et cautius* ex vetere codice edendum curavi. deinde totum illud, *sicut milites faciunt*, pro meo iure delevi, quia clamat non esse Ciceronis. postremo illa, *exercitu concordi et bene de re publica sentiente*, sunt item a vetere codice. iam verbum *videbam*, tametsi supervacaneum videatur, quum verbum *sciebam* satis superque sit, tamen non sustuli, quia credibile est a M. Tullio esse positum propterea, quod multa sunt interposita inter verbum *sciebam* et illud,

hoc omne assignatum iri. propter hyperbatum scilicet ita posuit verbum *videbam,* quasi verbum *sciebam* non sit initio positum, ut consulat memoriae lectoris. si quis tamen delere volet, per me licebit neque repugnabo.

20. p. 294. VERUM UT ERRARE MI PLANCE POTUISTI. negare non possum, eam esse scripturam antiquam, quam defendit Petrus Victorius, *verum ut errarem id, Plance, voluisti.* sic enim habent et Memmiani codices. verumtamen vulgatam lectionem amplector, ut valde probabilem et cum iis, quae sequuntur, congruentem et consentaneam.

21. p. 295. PUTABAM POSSE ME NEC DE LAUDE IEIUNI HOMINIS DELIBRARE QUICQUAM. si nostri omnes codices manu scripti habent *deliberare,* ut habent; si semper ubicunque vulgati libri habent *delibare,* in manu scriptis scriptum est *deliberare* aut *delimare,* quod admonui in Scholiis Lucretianis: nunquamne intelligent homines, in omnibus libris talibus locis esse reponendum *delibrare* pro *delibare* [vide annotata ad II. de Invent. C. 39. §. 114.]?

23. p. 298. AUT AB ILLIS FERVENTIBUS LATRONIBUS INTERCIPERETUR. sic habent fere omnes libri manu scripti, *furentibus* tamen non damno, quod est in vulgatis, praesertim quum sequatur non longo post intervallo, *veniebant enim eodem furore in me, quo in patriam incitati.*

Ibid. EGO MAGNO CUM DOLORE PARICIDARUM ELAPSUS SUM BIS. sic legit Paullus Manutius, quanquam libri omnes habent, *elapsus sum iis,* aut certe *his.*

24. p. 300. ALIQUANTO ILLUM PROPIUS ESSE E RE PUBLICA ESSE VIDEBAMUS. sic mihi visus est hic locus esse restituendus, quum esset corruptissimus. nam primum hoc totum, *quod ad Caesarem attinet,* fuerat frustra et temere inculcatum. quod conieci ex unius codicis antiqui scriptura, quae est talis, *aliquanto illum propius esse.* nam pronomen *illum* satis demonstrat et significat Caesarem sine illa accessione; deinde verbum *videbamus* facile indicat aliquid deesse. quid autem aliud deesse dici possit, quam quod reposuimus? quod scilicet eiectum fuerat, receptis illis verbis, *quod ad Caesarem attinet,* quae nata fortasse sunt vel ex iis quae sequuntur, *quod ad Caesaris amorem attinet,* vel ex eo quod pronomen *illum,* quod reperimus in duobus codicibus antiquis, sublatum esset, vel ex annotatione ad vocem *illum* ascripta, quum lector aliquis ascripsisset *Caesarem.* doctus quidam tamen sic hunc locum legendum existimat, *aliquanto autem propius esse Caesarem volebamus.*

31. p. 308. QUOD QUUM LEPIDUS CONCIONARETUR ATQUE OMNIBUS SCRIBERET SE CONSENTIRE CUM ANTONIO MAXIME CONTRARIUM FUIT. si hoc significat Asinius, hoc sibi maxime obfuisse maximeque adversarium fuisse, insolens locutio est: sin aliud, quaero quid? ego putabam locum esse mendosum, et ita corrigendum,

cui quod Lepidus concionaretur atque omnibus scriberet, se consentire cum Antonio, maxime contrarium fuit.

Ibid. p. 309. QUANTAS HABUERIM CONTENTIONES. sic emendavit Paullus Manutius, cui assentior.

32. p. 310. GLADIATORIBUS AUTEM FADIUM QUENDAM MILITEM POMPEIANUM. praepositionem *ob* alieno loco [inter *quia* et *quum depressus in ludum*] ab operariis positam restitue in suum ordinem, hoc modo, *gladiatoribus autem ob Fadium quendam, militem Pompeianum, quia, quum depressus in ludum bis gratis depugnasset, auctorari sese nolebat etc.* [vid. Ind. Erratorum p. 566. Ernest. n. 26. »Graevius addidit *ob*, ut referretur »huc *immisit*, auctore Io. Fr. Gronovio Pec. Vet. 4, 1., sed »contra libros. nec est necesse. est aliquid *ἀναχολουθίας*, cuius »et alia exempla sunt.«].

Ibid. p. 311. CIVIS ROMANUS SUM. P. Victorius edidit, *civis Romanus natus sum*, quomodo et aliquot Memmiani codices habent.

Ibid. NUNC QUOD RESTAT. libri aliquot veteres habent,
b. *quod praestat*, et ita multa || exempla vulgata.

33. p. 312. NAM ET ROBUR ET SUBOLES MILITUM INTERIIT. quamvis iampridem admonuerim, scribendum esse *suboles*, non *soboles* [Commentariis Horatianis ad III. Carmm. 13, 8. p. Confluent. edit., quae nuper prodiit, 298. vid. ad III. de Oratore C. 38. §. 153.], admoneo tamen iterum hoc loco, tum quia ita scribitur in duobus libris manu scriptis, tum quia ita edidit Petrus Victorius. [vid. Lambin. Comm. Lucretianis ad IIII, 1225. p. 566.].

XI. 1. p. 316. TIMERE EUM NE SI MEDIOCRE AUXILIUM DIGNITATIS NOSTRAE HABUISSEMUS NULLAE PARTES IIS IN RE PUBLICA RELINQUERENTUR. legendum videtur, *nullae partes sibi in re publica relinquerentur.*

2. p. 318. NAM ILLUD VALDE LEVE EST AC NUGATORIUM EA RE DENUNTIATUM ESSE VETERANIS QUOD DE COMMODIS EORUM MENSE IUNIO LATURUS ESSES. videtur aliquid deesse post vocem *veteranis*, nempe tale quiddam, *ut venirent.*

3. p. 319. NAM DE DILECTIBUS HABITIS. haec est antiqua scriptura, atque ita sine dubio legendum [vid. annotata ad II. de Oratore C. 9. §. 36.]. mendose autem hic operae fecerunt, *delictibus* [nequaquam satis castigati illi ab Lambino in Indice Erratorum p. 566. sic enim dederunt pro p. 125, 29. *iam de dilectibus.*].

10. p. 324. SI TAMEN HAEC TEMPORIS VIDEANTUR DICI CAUSA MALIM MEHERCULE TUUM IUDICIUM QUAM EX ALTERA PARTE OMNIUM ISTORUM. secutus sum libros vulgatos. nam manu scripti aliquot habent, *malle me tuum iudicium quam ex altera parte omnium istorum.* et sic restituit Paullus Manutius multis abhinc annis, sive coniectura ductus, sive codicis alicuius veteris auctoritate fretus. sic postea edidit et Petrus Victorius, optimum illum codicem et antiquissimum Florentinum secutus. ego tamen scripturam vulgatam probo, quam et nonnulli veteres confirmant [ignoravit hanc scripturam Ernestus, summus vir, qui cum Graevio recepit Victorii emendationem. ita enim ille l. l. »si »esset, *malim mehercule*, placeret.« loquitur de scriptura librorum quorundam, qui sic habent, *mallem* sive *malem mehercule.*].

20 (21.). p. 335. QUUM QUIDAM DE COLLEGIS NOSTRIS AGRARIAM CURATIONEM LIGURRIRENT. sic habent omnes libri veteres. quidam tamen legendum censent, *agrariam rogationem.*

21 (22.) p. 336. QUAE PLURIMUM VALET. quidam legi volunt, *qua plurimum vales.*

26 (27.). p. 340. EQUIDEM SI QUANDO AUDIO TAM DEFENDO QUAM ME SCIO A TE CONTRA INIMICOS MEOS SOLERE DEFENDI. quamvis sciam, P. Victorium edidisse *iniquos meos*, ut est in vulgatis, ego tamen, secutus libros manu scriptos Memmianos, *inimicos* reposui. neque tamen aut nego aut nescio, *iniquos* interdum usurpatum esse a Cicerone pro *inimicis* [vide annotata ad V. Accusat. C. 69. §. 177.].

27 (28.). p. 341. AIUNT ENIM PATRIAM AMICITIAE PRAEPONENDAM ESSE. secutus sum libros vulgatos praesertim, quibuscum consentiunt nonnulli manu scripti. atque ita locutus est Oratione pro Rabirio perduellionis reo [p. 313, 46. nobis C. 8. §. 23.], *ut amicitiam patriae praeponeret.* nam quod P. Victorius ex antiquis codicibus reponit, *aiunt enim patriae amicitiam praeponendam esse*, hac sententia, *aiunt amicitiam patriae praeponendam esse amicitiae amicorum*, probare non possum. sic potius existimarim esse legendum, si quid sit mutandum, *aiunt enim patriae libertatem amicitiae praeponendam esse* [hoc est illud „aliorum" in margine Laemarianae a. 1596., qua utor.].

Ibid. p. 342. AT DEBEO PRO CIVILI PARTE REM PUBLICAM VELLE SALVAM. quidam putant legendum, *pro virili parte*, sed ego nihil mutandum censeo. nam quemadmodum dicimus *pro virili parte*, ita et *pro civili parte.*

28 (29.). p. 343. SUMQUE ADMIRATUS ET FIDEM TUAM ET IN CONSILIO DANDO RELIGIONEM. videtur legendum quibusdam, *sumque admiratus et fidem tuam in consilio dando et religionem.*

XII, 1. p. 345. AB ILLO DUMTAXAT SORDIDISSIMO PERICULO TUTI. quidam legi volunt, *foedissimo periculo.*

Ibid. PECUNIAE MAXIMAE DISCRIBUNTUR. sic legendum, non *describuntur* [cf. Pareum Lex. Crit. p. 337. sq.].

2. p. 346. AD QUAM PARATUS VENERAT QUUM IN VILLA METELLI COMPLURES DIES COMMENTATUS ESSET. sic est legendum, et ita habent duo codices manu scripti. unde tamen quidam legendum putant, *at quam etc.* nam *ad* valet *at* [vid. Drakenborch. ad Livii 6. 24, 8. Tom. 3. P. 2. p. 221.]. ego puto *ad quam* rectam esse scripturam, ut subintelligamus caedem.

5. p. 349. EX DILECTU ITALIAE COMPARAT. legendum *compararat*, et ita habent omnes codices. erratum est operarum [quos frustra castigavit Lambinus in Indice Erratorum p. 566. tenuerunt illi suum *comparat*, pro *compararat.*].

13. p. 356. NON SUBITA NEC INCONVENIENTIA. Petrus Victorius testatur esse in optimo illo libro scriptum, *nec convenientia*, et vult *nec convenientia* accipi pro *non convenientia*, quasi dictum sit, *non subita et non convenientia.* Manutius testatur
p. 461 in nonnullis li || bris veteribus legi, *nec inconventia*, in uno,
a. *disconvenientia.* nostri omnes habent, *inconvenientia.*

14. p. 358. ITAQUE EADEM SUPERBIA IN PRAVITATE UTUNTUR. nihil equidem varietatis in libris manu scriptis reperi. sed tamen quidam legi volunt, *eadem superbia et pravitate*, alii, *eadem superbiae importunitate*, alii, *eadem superbia et importunitate.*

15. p. 263. TANTA ESSE PRAVITATE ANIMADVERTI. quidam libri veteres habent, *tanta importunitate* [vid. ad ep. 14. p. 358.].

Ibid. NULLO EXEMPLO NEQUE NOSTRAE PARTIS NEQUE NOSTRO PRAESENTIUM. quidam legi volunt, *neque ulla ex parte*, et interpretantur, ne ulla quidem ex parte. ego ex antiquae scripturae vestigiis repono, *neque nostrae partis.* subintellige, *periculo*, seu repete ἀπὸ κοινοῦ.

22. §. 369. COLLEGA NOSTRO ANTONIO. Petrus Victorius edidit, *collega vestro.* sed *collega nostro* probo. fuit enim collega Ciceronis Antonius in Auguratu.

25. p. 273. FUIT ENIM ILLUD QUODDAM NECESSARIUM TEMPUS SERVITUTIS. sic restituit Paullus Manutius, quum antea vulgo legeretur, *graecum tempus* [alii *caecum* habent], plane inepte. paullo post, ubi omnes libri habent *vinolentum furorem*, legendum videtur quibusdam *violentum furorem. vinolentum* tamen retinendum videtur propter ea quae sequuntur, *quem ego ructantem et nauseantem conieci in Caesaris Octaviani plagas.*

Ibid. PESTIS PATRIAE FUISSET. putarim legendum *pesti.* sic enim dicimus, *ea res fuit patriae saluti, fuit exitio, fuit calamitati, etc.*

26. p. 374. Q. TURIUS. haec epistola ordine est *vicesima sexta;* itaque corrige errata operarum, et ab hac epistola initium faciens usque ad ultimam huius libri scribe 26. 27. 28. 29. 30.

XIII, 1. . 379. CUM PATRONE EPICUREO MIHI OMNIA COMMUNIA SUNT. vocem *communia*, quae est post *omnia*, quamque P. Victorius quorundam veterum codicum auctoritatem secutus delevit, ego in uno reperi. verumtamen assentiatur Victorio licet, si quis volet, et sequatur plurium codicum auctoritatem, non repugnabo. sed audebo dicere, esse a librario omissam et esse necessariam.

9. p. 388. extr. QUAE SOCIETAS ORDINE IPSO HOMINUM GENERE PARS EST MAXIMA CIVITATIS. videtur sic potius distinguendum, *ordine, ipso hominum genere*, *etc.*

10. p. 390. SED TAMEN CAUSA COMMUNIS ORDINIS MIHI COMMENDATISSIMI FECIT AMICITIAM NOSTRAM FIRMIOREM. quum P. Victorius in optimo illo codice, quem tantopere probat, non reperisset vocem *causa*, quae est in libris vulgatis omnibus, coniecerat legendum esse, *communio ordinis*, neque tamen ausus erat, ut est religiosus *καὶ εὐλαβής*, ita edere. ne ego quidem igitur audere debui, quamvis eius coniecturam unius codicis Memmiani testimonio confirmatam reperissem.

Ibid. ET PRUDENTEM ET A CUPIDITATE OMNI REMOTISSIMUM. legendum fortasse est, *et pudentem* [vide ad III. Accusat. C. 87. §. 200.].

15. p. 393. *ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθεν.* post verbum *ἔπειθεν* debent sequi deinceps ea, quae culpa operarum posita sunt non suo loco, versu proximo, *ὡς νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα* [Ernest. l. l. n. 31. »apud Homerum hoc hemistichium est »post alterum versum, *αἰχμος ἔσσι.* itaque eo transposuere »Victorius et Graevius. sed videtur huic loco aptior.«].

17. p. 396. UT AD EAM VOLUNTATEM SI QUAM IN ILLUM ANTE HAS MEAS LITTERAS CONTULISTI QUAM MAXIMUS POST [sic correxi vulgatum *postea*] MEA COMMENDATIONE CUMULUS ACCEDAT. sic reposueram coniectura ductus, quia haec lectio mihi multo videbatur et certior et ad sententiam huius loci accommodatior, quam quae dicitur esse Faerni et Manutii, *quam maximus potest mea commendatione cumulus accedat.* nam vulgata, *quam maximus postea commendatione etc.*, ferri non poterat, et credibile est, ex *post mea* factum esse a librario *postea.* sed sunt qui ita legi posse contendunt, *quam maximus postea, mea commendatione, cumulus accedat.* quae mihi magis probatur, tametsi parum intersit. atque ita operae fecerunt, meo iniussu

[Laemariana a. 1596., quam Gothofredus curavit exemplum Lambini secutus, sic dedit, *ut ad eam voluntatem, si quam in illum ante has meas litteras contulisti, quam maximus postea commendatione* nostra *cumulus accedat*.].

29. (non 30. et correxit numeros epistolarum, inde ab 28., Lambinus in Indice Erratorum p. 566.). p. 407. ID FECI ALIORUM CONSILIO HORTATU AUCTORITATE. legendum censeo, *id fecisse, etc.*

b. 58. p. 421. QUAE AEQUA POSTULABIT UT IUBENTE TE IMPETRET. || sequor codices vulgatos. cur sequar, causa haec est. scribit Cicero ad Praetorem Urbanum. ei commendat Custidii causam, petitque ab eo, ut quae aequa postulabit eo iubente impetret. at Praetoris est *decernere* et *iubere*. licet tamen et legere, ut est in libris manu scriptis, *te lubente* [vid. Drakenborch. ad Silii 4, 747. p. 235.] seu *libente* [quod orthographia tantum differre monuit Cort. ad Sallustii Catil. 7, 4. p. 51.], id est te volente, tua voluntate. ac ne quid dissimulem, mihi hoc modo legi placet, et item in epistola proxima.

XIIII, 2. p. 436. QUEMADMODUM A VESTAE. docti quidam legi volunt, *a Vesta*, id est a lare et foco.

Vel ex hoc, quod hic peccatum est, cognoscet lector, quam sint negligentes et hebetes operarii isti, qui totum hunc librum, qui ordine decimus quartus est, decimum tertium inscripserunt, ita ut, si inscriptionem et appellationem libri decimi quarti requiras, nusquam eam reperias [vid. Ind. Erratt. p. 566.].

4. p. 439. BRUNDISIO PROFECTI SUMUS A. D. II. KAL. MAIAS. sic edidimus, Hotomani coniecturam et veritatem ipsam secuti.

Ibid. p. 440. SI RES A NOBIS ABESSET. amicus quidam meus legendum censet, *a nobis abiret* [Ernest. l. l. n. 22. »*abesset* »nihili est. recte Lambinus corrigit *abisset*, quod nobis pri»mum haec legentibus in mentem venit. nam id postulat sen»tentia.« equidem quis primus excogitaverit *abisset*, nequaquam satis compertum habeo. poterant istud quicquid est coniectantem iuvare libri, in quibus non raro *esse* et *isse*, adeoque *abesse* et *abisse* confusa reperias, quum propter soni similitudinem, tum propter significationis vicinitatem. vide quos laudavit Drakenborchius ad Livii 27. 44, 3. Tom. 8. p. 716.].

13. p. 445. SI METUENDUS IRATUS EST QUIES TAMEN AB ILLO FORTASSE NASCETUR. secutus sum codices vulgatos, quibuscum consentiunt nonnulli Memmiani. Petrus Victorius, secutus suum illum codicem antiquissimum, edidit, *quiesces tamen, etc.* cuius sui facti nullam praeterea rationem affert. ego scri-

pturam illam plane mendosam esse puto, et tres illas litteras postremas *ces* ex annotatione natas suspicor, quum aliquis ascripsisset e regione horum verborum, *si metuendus iratus est, ces.* seu *caes.*, id est *Caesar*, quod postea translatum a librario est in contextum verborum Ciceronis et adiunctum nomini *quies.* quae mea suspicio si cui forte non videbitur probabilis, videat, num dici possit, has litteras *ces* esse et transpositas et corruptas, et sic deberi scribi, *scil.* vel *sc.* tantum, ut hoc totum ita sit legendum, *quies scil.*, id est, *scilicet.* ego tamen priorem meam coniecturam veriorem existimo.

14. p. 446. SI ENIM NON SUNT VERENDUM EST UT HONESTE VOS ESSE POSSITIS. sic enim legendum, libris omnibus invitis. hoc enim significat, si aliae matronae nobiles et honoratae non sint Romae, vix Terentiam et Tulliam honeste esse posse. sic autem loquitur, *verendum est ut vos honeste esse possitis*, id est, verendum est, ne non possitis esse honeste. confirmat meam coniecturam verbum *verendum*, quod mox iteratur, quasi iam semel ante positum. *etiam illud verendum est*, inquit, *ne brevi tempore fames in urbe sit.*

XV, 1. p. 451. AB IAMBLICO PHYLARCHO ARABUM. ego legendum puto, *phararcho Arabum.* est autem *phararchus* is, qui praeest turribus iis, unde lumen sublatum significat navigantibus, ubi loci sint, et unde, si quid sit, quod scire opus sit, sublatis ignibus longo ordine et immenso spatio, dum turris turri vicinae signum dat, res in disiunctissimis locis gestae cognoscuntur.

Ibid. UT HIS PROVINCIIS SERIUS VOS QUIDEM QUAM DECUIT SED ALIQUANDO TAMEN CONSULATIS. quidam legi volunt *debuit*, impersonaliter.

3. p. 455. extr. UT QUAE COPIIS ET OPIBUS VIX TENERE POSSUMUS EA MANSUETUDINE ET CONTINENTIA NOSTRA SOCIORUM FIDELITATE TENEAMUS. Nonius Marcellus legit [4, 114. p. Mercer. 273, 31. v. *continens*], *ferre vix possumus.*

4. p. 457. TUM PRAESTANTI MAGNITUDINE ET ANIMI ET CONSILII. secutus sum codices Memmianos, reiecta et vulgata lectione, *praesenti magnitudine*, et Florentina, *praesentia magnitudine* [Ernest l. l. n. 18. »cur autem non *praesentis?* cui *et animi* »*et consilii* respondet. nam utrumque bene dicitur, idque ego »eodem iure putavi me in textum recipere posse, quo Victorius »*praesenti.*« ante Ernestum sic correxerat Iacobus Gronovius notis ad h. l. p. 855. firmabat ille correctionem suam loco gemino, l. ad Att. 18. *in re publica vero, quanquam animus est praesens.*].

Ibid. ET OMNINO IIS QUI NOVARI ALIQUID VOLEBANT. quum et in vulgatis libris et in manu scriptis legeretur, *et toto iis*, Ranconetus coniectura ductus legendum putabat, *extorta is qui, etc.* sed Victorius melius, *et omnino iis, qui, etc.* alii, *et sociis qui novari aliquid volebant.*

Ibid. p. 458. SI ITA TEMPUS FERRET. duo codices Memmiani habent, *si ita opus foret.*

Ibid. ACRITER ET DIU REPUGNANTIBUS. videtur legendum, *repugnantes.*

6. p. 463. NON UT NIMIS CONCUPISCENDUS SIT HONOS SED UT SI DEFERATUR A SENATU MINIME ASPERNANDUS ESSE VIDEATUR. sic habent tres codices Memmiani, et Huraltinus et Clericanus [haec plane pervertit Gothofredus in marg. Laemarianae, qua utor. et sunt tamen, qui ex eiusmodi rivulis tanquam a fonte Lambiniana deducant.]

13. p. 467. MIHI AD REMUNERANDUM NIHIL SUPPETAT PRAETER VOLUNTATEM. legendum censeo, *ad te remunerandum* [sunt »alii«, qui hoc reponant, in margine Laemar. a. 1596.].

p. 462. a. 14. p. 469. || UNUS SCILICET ILLE FRUCTUS QUI IN TE VIDENDO EST PERCIPI LITTERIS NON POTEST. secutus sum libros vulgatos. nam manu scripti alii habent, *unus ille fructus*, alii, *unus scilicet fructus*, alii, *unus scilicet uni fructus* [Ernest. l. l. n. 40. »*scilicet* recte servat Graevius, quod omnes libri mei habent. »sed quidam scripti ut et Gud. 1. addunt *ille*, ut et edit. Me»diol., quod non contempserim.«].

16. p. 472. QUAM TU SYLLABAM AUT LITTERAM. sic potius putavi esse legendum, quemadmodum reperi scriptum in codicibus Memmianis et Clericano, quam vel ut habent excusi, *scedulam*, vel ut Petrus Victorius edidit, *scidam*, quod Charisius interpretatur *chartam.* nam praeter horum librorum auctoritatem, quam non puto contemnendam prae aliorum auctoritate, longo, meo quidem iudicio, concinnius et elegantius est ita loqui, *haec epistola te oppressit, ante quam tu ad me syllabam, aut litteram ad me miseris*, quam sic, *ante quam tu ad me chartam aut litteram.* supra autem legendum fortasse est, *oppresserit*, ubi est *oppressit*, pro *operis sit*, quod est in libris manu scriptis [et Lambino illud *oppresserit* vindicat margo Laemar. a. 1596. sed tamen Ernestus, vir summus, l. l. n. 52. »dedi *oppresserit* pro *oppressit*, quod Graevius revocavit. nam »sic Latinitas postulat, et sic habet edit. Mediolanensis.«].

Ibid. HIS AUTEM SPECTRIS ETIAMSI OCULI POSSENT FERIRI QUOD QUUM VELIS IPSA ACCURRUNT ANIMUS QUI POSSIT EGO NON VIDEO. sic restitui, coniectura ductus. dicebat enim Epicurus, imagines seu simulacra ad arbitrium nostrum ad nos advolare, sive ea quibus cerneremus, sive quibus cogitaremus. praeterea quae sequuntur meam coniecturam confirmant, ibi, *in meane potestate sit spectrum tuum, ut, simulae mihi collibitum sit de te*

cogitare, illud accurrat, etc. postremo *accurrunt*, non *occurrunt.* sic enim Lucretius lib. 4. [vv. 782. 83.], *anne voluntatem nostram simulacra tuentur, Et simulac volumus, nobis accurrit imago?* et M. Tullius lib. 2. de Divinatione [p. 299, 37. nobis C. 67. §. 138.], *quid? ergo istae imagines ita nobis dicto audientes sunt, ut, simulatque velimus, accurrant?*

18. p. 475. MEA MOLESTA EST. sic habent omnes libri, sed assentior Paullo Manutio, qui locum corruptum ac mendosum esse putat. quod autem legendum existimat, *mea in palaestra est*, ut opponatur illi superiori membro, *tua quidem in culina est*, nondum constitui apud me, probare debeam necne. quidam amicus meus, vir doctus, legi potius putat oportere, *mea in molestia est.* cui assentior. sic autem loquitur lib. 4. Epistolarum ad P. Nigidium Figulum [p. 43. 44. ep. 13. non 12.], *id tibi affirmo, te in istis molestiis, in quibus es hoc tempore, non diutius futurum.* paullo ante hac eadem epistola videtur legendum, *si φλναρὸν aliquem habuissem* [vid. Ernest. l. l. n. 62.].

19. p. 476. NAM HABET DAMNATOS QUOS PRO ILLO NOBIS RESTITUAT. Paullus Manutius in prima editione edidit, *domi natos.*

21. p. 479. QUO TAMEN IPSO TIBI FACTURUM CONFIDO SATIS. vel sic legendum, ut edi iussi, *confido me facturum satis* [edidit Lambinus p. 189, 6. hoc ipsum, quod pro lemmate posui], vel, *quod tamen ipsum tibi confido futurum satis.*

Ibid. ABSENTEM MEMORIA COLAM. malim legi, *absentiam.*

XVI, 3. p. 481. ET C. FILIUS. legendum *et Q. Filius.* erratum est operarum [correctum in Indice Erratorum p. 566.].

12. p. 489. SED MINIS INVASERAT FUROR NON SOLUM IMPROBIS SED ETIAM IIS QUI BONI HABENTUR UT PUGNARE CUPERENT. secutus sum codicum manu scriptorum auctoritatem, qui omnes fere sic habent. atque ita edidit Petrus Victorius. vulgati autem habent, *non solum improbos, sed etiam eos qui boni habentur,* et cetera [vid. Pareum Lex. Critico p. 635, 1. Voss. de Constructione c. 43. p. 154. Ruddiman. Tom. 2. p. 144. Stallbaum. Vechner. Hellenolexia 1. 2, 25. p. 341. sq.].

14. p. 491. ITAQUE HABUI NOCTEM PLENAM TIMORIS AC MISERIUS TUIS LITTERIS NIHILO SUM FACTUS CERTIOR QUOMODO TE HABERES. sic edidit Petrus Victorius. quorum verborum negare non possum sententiam facilem esse ac planam. [*ac*] *miserius* enim tantundem fere valet quantum, *quod miserius.* sed non videtur eodicum Memmianorum scriptura esse repudianda, *plenam timoris ac miseriae. tuis litteris, etc.*

17. p. 493. QUO QUIDEM COMMITATU ἀφωμίλησα SATIS SCIS. locus est obscurus et suspectus. ego nihil varietatis in libris veteribus reperi. licet dicere, hanc esse sententiam, *ego me*

ab hoc comitatu abstraxi ac removi, neque cum eo congressus aut collocutus sum.

18. p. ead. TIBI διαφόρησιν GAUDEO PROFUISSE. ἀναφόρησιν habent nonnulli codices veteres. quam lectionem si probabimus, vocis contentionem et exercitationem intelligemus Tironi profuisse [addatur ex Omissis post Tom. 1. p. 381. b. »nonnulli libri veteres habent, *tibi ἀναφώνησιν gaudeo profuisse.*«].

Ibid. p. 494. τέρψιν εὐλυσίαν κοιλίας. τρίψιν habent iidem libri. quod probo. τρίψις autem, id est *frictio* [adde ex Omissis post Tom. 1. p. 381. »legendum τρίψιν, non τέρψιν.«].

Ibid. SALACO NEQUISSIMUS ~~LLS~~ cIɔ DABAT. sic edendum curavi, et probat Victorius. alii tamen legunt *heluco*, quod non damno. nonnulli enim libri veteres habent *helico*. Σαλάκων, inquit Suidas, ὁ προσποιούμενος πλούσιος εἶναι, πένης ὤν, ἀλαζών. id est, *Salaco is, qui simulat se divitem esse, quum pauper sit, arrogans. heluco* stupidum et hebetem et languidum significat. licet etiam legere *filico*. est autem *filico* homo nullius usus, ut docet Festus [ex Omissis post Tom. 1. p. 381.].

Ibid. p. 495. BONUS HOMO. observatum est a studiosis Ciceronis, nunquam fere ab eo dictum esse *bonus homo*, semper *bonus vir*. itaque legendum hic fortasse est, *bellus homo*.

21. p. 496. NAM QUUM OMNIA MEA CAUSA VELLES TUM ETIAM
b. || TUA. duas has voces, *mihi successa*, quae fuerant interiectae, delevi. erant enim supervacaneae, et soloecismum gignebant. ita enim Latini loquuntur, *omnia tua causa volo*, neque addunt haec, *mihi successa*.

Ibid. p. 498. MULTUM ENIM MIHI ERIPITUR OPERAE IN EXSCRIBENDIS HYPOMNEMATIS. legendum censeo *deripitur*, quod valet *detrahitur*.

24. p. 501. EMAS QUID EGERINT. sic legendum putat hunc locum Adrianus Turnebus in Adversariis, ubi libri vulgati habent, *sciemus quid egerint*.

26. p. ead. ISQUE DIU ET MULTIS LUCUBRATIONIBUS COMMENTATA ORATIONE VIDE UT PROBARE POSSIT TE NON PECCASSE. legendum fortasse est, *vereor ut probare possit, te non peccasse*.

II.

IN LIBROS EPISTOLARUM AD T. POMPONIUM ATTICUM.

Quae in his ad Atticum Epistolis emendata sunt, omnia fere Petro Victorio, Paullo Manutio, Sebastiano Corrado,

Adriano Turnebo, Leonardo Malaespinae et codicibus Memmianis accepta referenda sunt. si qua aliunde nascentur, admonebitur lector. nam in singulis locis vel a P. Victorio, vel a P. Manutio, vel a Corrado, vel ab Adriano Turnebo, vel a Malaspina, qui postremus his epistolis manum admovit, explicatis aut emendatis et restitutis immorari, et quae sunt ab iis vel erudite et ingeniose excogitata, vel ex auctoritate librorum antiquorum emendata, litterisque mandata huc transferre, esset actum agere inanemque operam sumere.

I, 1. p. 515. CATILINA SI IUDICATUM ERIT EIUS HABERI RATIONEM LICERE CERTUS ERIT COMPETITOR. sic legendum esse et ex Italis Seb. Corradus, et ex nostratibus Aemarus Ranconetus censuerunt, primum haud dubiis coniecturis ducti, deinde ab antiquae scripturae vestigiis non longe discedentes. sic autem loquitur in Bruto [p. 231, 35. nobis C. 62. §. 224.], *Servilius Glaucia ex summis et fortunae et vitae sordibus in Praetura Consul factus esset, si rationem eius haberi licere iudicatum esset* [cf. Muretum VV. LL. 9, 10. Operum Tom. 2. p. 210. sq.].

Ibid. QUAE QUUM ERIT ABSOLUTA SANE FACILE ET LIBENTER TUM EI CETERI CONCESSERINT. proponam primum scripturam veterem, deinde doctorum virorum coniecturas afferam. sic igitur habent omnes fere libri manu scripti, in his Turnesianus, *quae tum erit absoluta, sane facile eum libenter nunciteri concili acciderunt*, alii, *numititeri*, alii, *munciteri*, *etc.* hanc igitur scripturam, quae se corruptam esse clamat, sic quidam restituere conati sunt, *quae quum erit absoluta, sane facile eum ac libenter ceteri Consulem acceperint.* Corradus sic, *quae quum erit absoluta, sane facile eum libenter municipes ceteri Consulem acceperint;* Sigonius sic, *quae quum erit absoluta, sane facile eum nunc Caesari Consulem addiderim;* Manutius sic, *quae tum erit absoluta. sane facile eum libenter nunc Caesari, etc.*, ut Sigonius; Adrianus Turnebus sic, *quae tum erit absoluta sane facillime. lubenter munitori Consuli acciderim.* ut sit hic Ciceronis sensus: vellem Caesar Consul fieret; libenter enim huic viarum Curatori ac Munitori supplex in mea petitione fuerim, malimque me supplicem quam competitorem haberet. qua coniectura quid potest excogitari divinius? verumtamen mihi placet etiam haec, et quidem paullo magis, *quae quum erit absoluta, sane facile et libenter ei tum ceteri concesserint*, vel, *ceteri Consulatu cesserint.*

5. p. 520. QUID DICAS. subintelligendum *nescio*, seu potius *video* vel *scio.* itaque sine interrogationis nota excudi iussi. est autem loquendi genus comicum.

9 (10.). p. 522. EO IPSO DIE POST MERIDIEM MISSURAM EUM QUI AD TE PROFICISCERETUR. legendum, ut habet codex Turnesianus, *iturum eum qui ad te proficisceretur* [Ernest. l. l. n. 27. »*eum* delendum. nec addi solet, et hic in vicinia *eo* bis positi nimis friget.«].

Ibid. p. 523. QUOD SOROR PRAEGNANS EST. libri veteres habent, *praegnas est* [ut *infas*, *animas*, *damnas*, reliqua. vid. Voss. Etymolog. L. L. sub v. Operum Tom. 1. p. 470, 1. et cf. Pareum Lex. Crit. p. 968, 2.].

10 (11.). p. 524. MIRUM QUAM ILLIUN LOCI NON MODO USUS SED ETIAM COGITATIO DELECTET. liber manu scriptus Turnesianus, et is quem mihi commodato dedit I. Huraltus Lignotallerius et quos a Memmio accepi, omnes habent, *mire quam illius loci modo usus, sed etiam cogitatio delectat.*

p. 463. a 11 (12.). p. 525. ‖ PER MANUS SERVULAE. libri manu scripti habent, *per manus seprullae*, unde amicus quidam meus legendum coniecit, *per manus Serviliae*. quod probo.

12 (13.). p. 526. QUOTUS ENIM QUISQUE EST QUI EPISTOLAM PAULLO GRAVIOREM FERRE POSSIT NISI EAM PELLECTIONE RELEVARIT. eo libentius Malaespinae emendationem approbavi, quod ita scriptum reperi in codicibus Memmianis.

Ibid. p. 527. POSTEA REM EX S. C. AD PONTIFICES RELATAM. lectionem vulgatam, quae talis est, *ad Virgines et Pontifices relatam*, repudiavimus, et illud, *Virgines et*, delevimus, partim codices Memmianos secuti, partim historiae veritate adducti. nam Virgines de religione non iudicabant, sed Pontifices.

13 (14.). p. 529. ATQUE ID DEREPTUM DE SUMMIS OCCUPATIONIBUS. sic edendum curavi, reclamantibus quidem libris omnibus, sed tamen non admodum adversantibus. nam litteram *d* sumpsi ex priore vocula *id;* quod emendandi genus ab omnibus conceditur ac probatur. *deripere* autem *detrahere* est, quod huic loco convenit, non *eripere*.

Ibid. p. 530. IN ARISTOCRATIA. haec absunt a codice Turnesiano [probantur Tunstallo p. 39.].

Ibid. p. 531. ME TANTUM COMPERISSE OMNIA CRIMINABATUR. id est, obiiciebat mihi illud, quod ego de me praedicaram in meo Consulatu, me *comperisse*, Catilinam cum suis consilium cepisse urbis incendendae, civium trucidandorum. hoc enim saepe fuisse maledicti loco Ciceroni obiectum supra ostendimus [ad V. Epp. 5. p. Ernest. 110.].

Ibid. SED HABET SUI SIMILEM IN MAGISTRATIBUS PRAETER FUFIUM NEMINEM. quidam totum hunc locum sic legi volunt, *sed habet sui similem in magistratibus neminem. praeter Fufium, bonis utimur Tribunis Plebis.*

Ibid. p. 532. VALDE PETITURIRE. sic emendavit Adrianus Turnebus [Adversariis 9, 3.].

15 (16.). p. 533. TRIBUNI NON TAM AERATI QUAM UT APPELLANTUR AERARII. quamobrem omnium veterum codicum, et Italicorum et Memmianorum, et Turnesiani, et Huraltini, qui omnes sic habent, consensum repudiarem, nulla causa visa est. atque huius lectionis ratio explicatur erudite a Malaspina et

item a Turnebo, collega meo, viro doctissimo, quanquam paullo aliter.

Ibid. p. 536. NE AUT IGNORANDO STULTISSIMI AUT METUENDO IGNAVISSIMI IUDICAREMUR. hoc membrum [*aut metuendo ignavissimi*], quod aberat ab omnibus aliis libris manu scriptis, neque Malaspina in suis reperit, ego in Memmianis repertum hac editione repraesentandum curavi.

Ibid. SALSUM. sic legendum putat Manutius [probantibus Tunstallo p. 31. et Ernesto]. ego tamen *falsum* malo, quum praesertim sic habeant omnes libri veteres [margo Laemar. a. 1596. habet, *factum*, ex coniectura, opinor, Gothofredi, idque Lambino vindicat Clericus p. Gronov. 862.].

Ibid. p. 538. extr. SI HIC FACTUS ERIT MIMUM FUTURUM. fretus auctoritate codicum Memmianorum sic edendum curavi, deleta voce *fabulam*, ut habent nonnulli libri veteres, seu *fabam*, ut vulgati. quamvis autem *mimus* fabula sit, multo tamen honestius est *fabulae* nomen, quam *mimi*. nam *mimus* turpium et obscaenarum rerum imitationes recipit, non recipit fabula. itaque significat hoc loco Cicero, si Afranius Consul factus sit, Consulatum suum turpem futurum.

Ibid. NOSTI ENIM MARIANAS. vulgata scriptura tutior fortasse est, *marinas*, praesertim quum ita habeant omnes fere libri manu scripti, in his Turnesianus [ex Omm. post Tom. I. p. 381.].

Ibid. p. 539. ET ISTOS CONSULATUS NON FLOCCI *ἐατέον*. sic legendum censet Adrianus Turnebus [Adversariis 9, 1.], collega meus, homo singulari doctrina, cui ego assentior. non libet autem mihi nec aliorum coniecturas refellere, nec hanc commendare et confirmare. nam illae quidem cum hac lectione comparatae satis refelluntur, haec autem sua sponte ita probabilis atque adeo vera est, ut se ipsa confirmet. nam primum nulla vis infertur antiquae scripturae, *flocci FATEON*, quum ex *FATEON* facillimum sit facere *EATEON:* quemadmodum scriptor librarius facile depravare potuit *EATEON*, et ex eo facere *FATEON*. deinde sententia est apertissima, et cum instituto sermone maxime consentanea. hoc autem sentit Cicero: *quare, opinor, philosophiae nos operam dare oportet, seu nobis philosophandum est, et consulatus istos, qui ne flocci quidem sunt, omittere et aspernari debemus* [Lambinum dedisse monstrum illud *floccifacteon* auctor est Gothofredus in marg. Laemar. a. 1596. displicet illi, quod de Turnebi coniectura Lambinus recepit, *flocci ἐατέον*. intercedere ait *παρονομασίαν* quandam, qua inductus Cicero finxerit vocem inauditam *floccifacteon*, ut opponeret superiori *φιλοσοφητέον*.].

16 (17.). p. 541. OPTIMORUM SAEPE HOMINUM. sic habent omnes libri manu scripti. et tamen quidam legi volunt, *saepe virorum*, quod usitatius est. nam *bonus homo, optimus homo*

minus usitata sunt, quam *bonus vir*, *optimus vir* [vid. ad XVI. Epp. 18. p. 495.].

Ibid. MIHI ENIM PERSPECTA EST ET INTEGRITAS ET MAGNITUDO ANIMI TUI. quidam libri habent, *et ingenuitas et magnitudo animi tui.*

Ibid. p. 542. QUI OB IUDICANDUM PECUNIAM ACCEPISSENT. Malaspina testatur, in nullo suorum librorum manu scriptorum *pecuniam* inveniri, neque ego in Memmianis, neque in Huraltino, neque in Turnesiano reperi. meo quidem iudicio subintelligi potest, si absit.

17 (18.). p. 544. ABEST ENIM FRATER ἀφελέστατος ET AMANTISSIMUS MEI NON HOMO SED LITTUS ATQUE AER ET SOLITUDO MERA. assentior Leonardo Malaespinae, qui pro voce *Metellus mei* reponendum censet, et hunc locum sic explicat: abest enim fra-
b. ter moribus || simplicissimis et, ut ita dicam, candidissimis, et ab omni dissimulationis artificio alienissimis, et amantissimus mei, et qui non videtur homo, sed littus et aer etc. id est, cui ita tuto mea omnia consilia recondita, measque cogitationes occultas committere et credere possim, ut si in locis solis et maxime ab arbitris remotis meas cogitationes expromerem atque explicarem.

Ibid. p. 545. SED SPE CORRIGENDAE ET SANANDAE CIVITATIS. secutus sum codices vulgatos, nisi quod ex auctoritate veterum codicum primum negationem sustuli, deinde pro *sed et* reposui [edebatur ante Lambinum, *sed spe non corrigendae, sed sanandae civitatis*]. a Victorio tamen editam lectionem nihilominus non improbo, *sed animo corrigendae et servandae civitatis* [utrumque dedisse Lambinum, *sed spe et animo corrigendae et sanandae civitatis*, auctor est Clericus p. Gronov. 865.].

Ibid. p. 546 QUOD HABET DICIS CAUSA PROMULGATUM ILLUD IDEM DE CLODIO. sic legendum est. quid sit autem, *dicis causa*, notum est iam vel pueris [vide Pareum et quos hic laudavit Lex. Critico p. 350. sq.]. usurpavit M. Tullius et in Oratione pro Murena [p. 341, 15. id est C. 12. §. 26.], et libro 4. Accusationum [p. 169, 36. nobis C. 24. §. 53.], et item alibi.

18 (19.). p. 547. LENTULUS CLODIAE FILIUS. sic habent omnes veteres codices, quos vidi, in his Turnesianus. sed Turnebo assentior, qui legit [Adversariis 23, 8.], *Clodiani filius* [ex Omissis post Tom. 1. p. 381.].

Ibid. p. 550. NAM QUOD ME AFFUISSE SCRIBENDO VIDES. sic hunc locum restitui, scripturae veteris vestigia secutus, atque ita sine dubio legendum [vid. Pareum Lex. Crit. p. 36, 2. et sic aliis quoque locis correctum a Lambino, IX. Epp. p. 100, 39. ep. 15. *et quidem quum in mentem venit, ponor affuisse scribendo.* item XII. p. 148, 28. ep. 28 (29.). *quanquam erat nobis dictum, te existimare alicui S. C., quod contra di-*

gnitatem tuam fieret, scribendo Lamiam affuisse, qui omnino Consulibus illis nunquam affuit scribendo.].

Ibid. p. 551. *τίς πατέρ' αἰνήσει*; huius quidem lectionis rationem erudite explicat Leonardus Malaspina. sed si altera illa, *τίς ποτέ σ'αἰνήσει*; quam docti quidam substituunt, veteris alicuius auctoritate niteretur, longe eam huic anteferrem. paullo ante autem quidam legunt *aspersisse*, ubi vulgo legitur *dispersisse*.

19 (20.). p. 553. AULI FILIUS VERO ITA SE GERIT UT EIUS CONSULATUS NON CONSULATUS SIT SED MAGNI NOSTRI *ὑπώπιον*. quanquam nihil hoc magnopere ad institutum nostrum attinet, hic tamen emendabo versum Homeri *ἰλ. γ'* [v. 41. sq.], ibi, *καί κε τὸ βουλοίμην, καί κεν πολὺ κέρδιον ἦεν, Ἢ οὕτω λώβην τ' ἔμεναι καὶ ἐπόψιον ἄλλων*. legendum *ὑπώπιον ἄλλων*. quam emendationem meam ita probat Auratus, ut non dubitet, quin ita ab Homero scriptum sit [vid. Heynium Commentariis Homericis sive Observationibus in Iliadem Vol. 1. P. 1. p. 459.]. est autem *ὑπώπιον* livor in facie aut in oculis ex ictu aliquo, sugillum, vibex foedus et inhonestus. per translationem significat turpitudinem, dedecus et infamiam. hic iidem libri veteres habent, *de nostris scriptis*. paullo post, ubi omnes habent *perfectum*, legendum videtur *perscriptum* [Ernest. l. l. n. 58. »durius est *perfectum*, placetque Lambini correctio *perscriptum*.«].

II, 1. p. 556. ET QUOD SE AB HOC REFRACTARIOLO IUDICIALI DICENDI GENERE ABIUNXERIT. Memmiani codices habent, *refractoriolo*.

Ibid. AUT NE POPOSCISSES EGO ENIM ME TIBI NON OFFEREBAM. sic legendum censeo, et codicum veterum vestigia manifesta persecutus et sententiam M. Tullii iis ipsis vestigiis odoratus. *aut ne poposcisses* autem, id est, aut non debuisti poscere [Ernest. l. l. n. 6. »est paullo abruptius dictum. capio autem sic, id si non ita erit, vellem ne poposcisses.«].

Ibid. TEMPORA PEREGRINATIONIS COMMODIUS POSSE DISTRIBUERE. codex Turnesianus habet, *posse describere*. quod magis probo.

Ibid. SI PAULLO PLUS. quidam volunt legi, *si paullo longius*.

Ibid. p. 557. TRIBUS HORIS ROMA INTERAMNAM NOCTU INTROISSE ITEM ANTE NON ESSE ITEM OBVIAM NE TUM QUIDEM QUUM MAXIME DEBUIT. libri veteres non habent *ante*. itaque putabam sic esse hunc locum legendum, *at tribus horis Roma Interamnam noctu introisse. item non esse sibi obviam, ne tum quidem quum maxime debuit* [atque hoc est illud »aliorum« in margine Laemarianae, qua utor.].

Ibid. AT EGO INQUIT NOVUS PATRONUS INSTITUAM. assentior

Guidoni Lollio, cui ita legendum visum est, ut sit haec sententia, quemadmodum refert Malaspina: quando tu vetus patronus Siculis locum gladiatoribus dare non soles, ego novus Siculorum patronus instituam, id est, incipiam dare, seu morem inducam loci a patrono clientibus dandi.

Ibid. p. 559. AC MODESTE TAMEN DIXIT. si haec scriptura sincera est, haec videtur esse sententia: inhoneste quidem accusavit, sed modeste tamen dixit, id est, non valde acriter accusavit, quod facere debuit. nam qui non accusat acriter, praevaricator videri potest, et ita inhoneste accusat. est ergo iocus ex ambiguo in nomine *modeste*. neque est quod particula *tamen* quendam moveat. nam tale illud est lib. 7. Epistolarum ad Familiares ep. 31. [immo 30. p. 82, 4.], *ita Caninio Consule scito neminem prandisse: nihil tamen eo Consule mali factum est: fuit enim mirifica vigilantia*, et cetera. Malaspina autem sic legendum censet, *ac tam moleste dixit, ut Rhodi videretur*, etc. cuius coniecturam ut non damno, ita nondum statui, utrum probare debeam, praesertim quum recepta lectio et probabilis sit et concinnam sententiam contineat [cf. Adrianum Turnebum Adversariis 30, 13.].

Ibid. SED SI ITA PLACUIT LAUDEMUS NE IN DISCESSIONIBUS SOLI RELINQUAMUR. libris omnibus reclamantibus Manutio assentior in eo, quod *ne* pro *deinde* reponit. quod autem idem vel *in dissensionibus* vel *in discessionibus* vult legere licere, neque in hoc ab eo dissentio: hoc tantum testari possum, libros veteres habere *dissensionibus*. quare sic puto reponendum, et ita edi iusseram [Ernest. l. l. n. 25. »intelliguntur *dissensiones civiles*, »in quibus ait relicturos equites senatum.« atque eam scripturam Lambino vindicavit margo Laemarianae.].

Ibid. p. 560. NEQUE TE IN TOCULLIONIBUS HABEBAM. sic restituit Adrianus Turnebus [Adversariis 17, 3. et 13.]. *tocullio* autem pusillum feneratorem significat: *τόκος*, *fenus*, *τοκυλλίον*, *fenusculum*, *τοκυλλίων*, *pusillus* seu *minutus fenerator*.

2. p. ead. extr. MIHI CREDE LEGENDUS EST MIRABILIS VIR EST.
p. 464. partim Malaespinae fidem secutus, || qui, *mihi credes*, scri-
a. ptum esse in suis libris testatur, quomodo habent et nonnulli Memmiani et Turnesianus, partim coniectura ductus sic edendum curavi. quidam doctus tamen sic legendum arbitratur, *mihi Herodes cum hoc legendus est*. mavult quidam alius sic, *mihi hic, non Herodes legendus est*. sed tutius est libros veteres sequi.

3. p. 561. VIRIDARIORUM *τὰς διαφάνσεις*. omnes libri veteres partim habent *viridariorum*, partim *viridiorum*. ego *viridariorum* seu *viridiariorum* probo. nam vulgata lectio corrupta est [vid. Ernest. n. 38. et cf. Pithoeum Adverss. Subss. 2, 18.].

4. p. 563. VELIM SYRIAE CONDICIONE [sic dedit Lambinus

p. 215, 41. non, *velim vel Syriae*]. quid agas in loco tam corrupto et obscuro? libri veteres omnes habent partim *vel Sirpiae*, partim *vel Syrpiae*. unde Adrianus Turnebus *Syriae* legi posse putat in Adversariis [3, 21.], Corradus autem *Cyrnia condicione*. ego putavi aliquando legi posse *Cypria condicione*.

5. p. 565. VIDE LEVITATEM MEAM. Mureti nostri coniecturam [proditam VV. LL. 5, 11. Operum Tom. 2. p. 110. sq.] sic probo, ut, nisi quid certius afferatur, certissimam putem. nam quod ait Malaspina se eam probaturum, nisi scrupulum ei iniiciant quae sequuntur, *sed quid ego haec?* ubi ἐπανόρθωσις, inquit, nascitur: en ego ei scrupulum eximo. nam primum levitas in eo est, quod quum supra dixerit, velle se ab hominum satietate sui discedere et cum aliquo desiderio reverti, nunc dicat se Auguratu capi posse, ut in urbe maneat. hic, inquam, inest *levitas*. iccirco subiungit, *vide levitatem meam*. deinde se ad primum institutum consiliumque revocat, *sed quid ego haec?* id est, sed quid est quare Auguratum tanti faciam, ut consilium mutem? quin ego haec omnia speciosa atque inania honorum simulacra ac nomina flocci non facio, atque omni cura philosophari cupio. haec est M. Tullii sententia, quam Muretus sagacissime, quo ingenio est, odoratus est. Malaspina (quod eius pace dictum sit) minus videtur esse consecutus.

7. p. 567. QUIA ABSCIDERAM. codex Turnesianus habet, *qui absciram*, et item Huraltinus et Memmii. unde suspicor cum Malaspina hic subesse aliquid ulceris.

Ibid. p. 568. DRUSO UT OPINOR PISAURENSI AN EPULONI VATINIO RESERVATUR. nonnulli libri manu scripti ex Memmianis habent, *Pisaurensi an eptiloni*. unde quidam legi volunt, *Pisaurensi an epuloni*, quam scripturam ego postea reperi expressam in Turnesiano, eamque secutus sum. Malaspina autem legendum putat, *Isaurensis*. praeterea nonnulli legi volunt pro *an epuloni*, *aut nebuloni*. de quibus coniecturis iudicet lector. ego veterem scripturam bona fide repraesentavi.

8 (12. Ern.). p. 574. QUI MIHI PRIMUS OBVENISSET. sic habent etiam codices Memmiani, Turnesianus autem lectionem vulgatam retinet, *obviam venisset*. paullo ante eadem epistola [p. 573. extr.] idem liber habet *decesserit*, ubi vulgati habent *desederit*.

9 (8.). p. 570. CRATERA ILLUM FILICATUM. sic reposui, libris omnibus invitis. non enim dubitavi, quin hic idem erratum esset, quod in Paradoxo, *vereor ne cui*, etc., ubi vulgo legitur [p. 434, 16. nobis I. C. 2. §. 11.], *delicatas istorum pateras*, quum legendum sit, *filicatas* seu *felicatas*, etc. neque tamen hic craterem pro *poculo* accipi pertinaciter defendo, quanquam Corradus in hanc sententiam propensior est, sed pro *sinu*, qui est inter Misenum et Minervium, a vasis

similitudine sic appellato. iam quod hunc craterem *filicatum* dicit, eo venustior tralatio est. si enim craterem dumtaxat dixisset, simplex esset oratio (sic enim etiam vulgo nominabatur): nunc quum addidit *filicatum*, effecit hoc ambiguo orationem venustissimam. si quis igitur pro *sinu* illo *craterem* accipiendum esse existimabit, habebit auctores quos sequatur, neque valde refellit Corradus: sin pro *vase*, quod ille magis probat, non pugnabo. utatur suo quisque iudicio.

12 (11.). p. 572. EX PRAETEREUNTE VIATORE. sic habent codices Memmiani, et item Turnesianus et Huraltinus.

14. p. 575. AT COMPAREM BASILICAE? libri manu scripti plerique habent, *at quam partem basilicae?* nonnulli, *at quam parem basilicae tribum Aemiliam?* omnino locus suspectus est.

Ibid. ET TAMEN ILLUD PROBEM MAGNUM QUID AGGREDIEBAMUR ET MULTAE COGITATIONIS ATQUE OTII. ego assentiens Corrado totum hunc locum sic lego, *et tamen illud probem? magnum quid aggrediamur et multae cogitationis atque otii?* quomodo et in codice Turnesiano scriptum [vid. Ind. Erratorum p. 566.].

17. p. 579. ID AFFICIT ME QUADAM DELECTATIONE. sic reposui levi immutatione facta. quanquam nonnulli reponunt, *his*
b. *affi* || *cimur quadam delectatione.* quod non displicet.

Ibid. p. 580. QUAERES SCILICET *κατὰ τὸ κηδημονικόν.* legendum, ut habent quidam libri veteres, *scilicet, ut soles, κατὰ τὸ κηδημονικόν.*

18. p. 581. APUD PUDOREM PULCHELLI. non potui tot librorum veterum, et Italicorum et nostratium, Memmianorum dico, et Huraltini consensum negligere, qui omnes habent *pudorem*, pro quo vulgati *furorem.* quod ab iis substitutum puto, qui *pudorem* non viderint *εἰρωνικῶς* seu *κατὰ ἀντίφρασιν*, aut *κατὰ σαρκασμὸν* dictum.

20. p. 584. extr. NEQUE ENIM RESISTI SINE INTERNECIONE POSSE ARBITRAMUR. *internecio* vel, ut apud Festum scriptum est, *internectio* vitae privatio appellatur et interfectio, a *nece* denominato vocabulo, inquit ille. hoc ideo ascripsi, quod quidam non indoctus existimabat vel omnibus vel plerisque in locis, ubi vulgati codices atque etiam manu scripti habent *internecio* et *internecione*, legendum esse *interitio* et *interitione*, quomodo ego, codicibus omnibus auctoribus, Accusationis lib. 3. emendavi, p. 140, 48 [nobis C. 54. §. 125.]. verum non, si *interitio* eo, quem dixi, loco legendum est, idem de ceteris sentiendum. nam ut de hoc loco, quem habemus in manibus, maxime dicam, hoc liquido confirmo, quum in codicibus omnibus antiquis, tum in Turnesiano plane scriptum esse *internecione*, non *interitione* [sic dedi pro *internitione.* vid. ad III. Accusat. l. 1]. quare de huius quidem loci veritate non est dubitandum. sed unus est in Oratione pro Lege Manilia, non immerito in controversiam revocandus, propter scripturae varietatem,

quae in libris antiquis reperitur, quamvis de ea in iis, quae ad Orationem illam annotata a nobis sunt, lectorem non admonuerim. quod non mea, sed operarum culpa factum est, qui, ut multa alia, ita hoc membrum quoque per incuriam praetermiserunt, neque ego praeteritum esse prius animadverti, quam tomi secundi impressio confecta atque absoluta est. quod igitur suo loco, ut debuit, et ut voluimus, positum non est, nos hic alieno inculcabimus, ut lector sero quidem, sed aliquando tamen intelligat, quid de illo loco sentiamus. primum igitur verba illius Orationis, quae indicamus, haec sunt, ut quidem edidimus, editionem Manutianam secuti [p. 240, 26. id est c. 11. §. 30.], *testis est Gallia, per quam legionibus nostris in Hispaniam iter Gallorum internecione patefactum est.* ad hunc locum iusseram haec annotari: libri complures veteres habent partim *intesione*, partim *interemtione* seu *interemptione*, quam posteriorem scripturam prae se ferunt et retinent nonnulli vulgati. unde ego suspicabar, veram esse lectionem *interemtione*, quamvis eam reiecerit Hotomanus. neque est quod quisquam hanc vocem improbet, ut minus Latinam. qui enim minus proba analogia est nominis verbalis *interemtio* a verba *interimo*, quam horum nominum, *emtio* et *redemtio* et *ademtio*, et similium a verbis *emo*, *redimo*, *adimo* et similibus? sed quum in uno item vetere codice e bibliotheca D. Victoris scriptum reperissem *Gallorum internecione*, aut ne mentiar, *internicione*, ego *interemtione* damnavi, et *internecione*, quemadmodum edidit Manutius, retinui. si quis tamen illud *internicione* corruptum esse putabit et legendum *interitione* contendet, non repugnabo.

22. p. 587. QUAM VELLEM ROMAE MANSISSES UT MANSISSES PROFECTO SI HAEC FORE PUTASSEMUS. quum viderem neque in codicibus Memmianis esse, *quod egisses*, neque in ceteris nostratibus, audiremque neque in Italicis: ego sic edendum curavi, nempe ut verbum *mansisses* bis ponatur, hoc modo, *quam vellem Romae mansisses! ut mansisses profecto, si haec fore putassemus.*

Ibid. SED FIDEM DEDISSE SIBI ET IPSUM ET APPIUM DE ME. hunc locum miror ab eorum nemine, qui has epistolas explicarunt, esse emendatum, qui perspicue corruptus est, nusquam enim in tota lingua Latina quisquam ita locutus est, *recipere fidem*, sed *dare fidem* [sed tamen *recipere fidem* defendit Io. Fr. Gronovius ad Senecae Ep. 54.]. quemadmodum igitur librarius scriptor ex *se dedisse* facili fecit *recepisse*, ita ego hoc *recepisse* veritate fretus in suum statum restitui, quum ex *re* feci *se*, ex *cepisse*, *dedisse* [itaque Lambinus sic dare voluit, *sed fidem se dedisse sibi et ipsum et Appium de me*, operae tamen quum alibi tum hoc loco non paruerunt.].

24. p. 589. AD ILLA κελεύματα ADDE ETIAM SI QUID POTES. videbatur hic locus in vulgatis a mendo vacuus atque integer, sed quum Adrianus Turnebus animadvertisset in libris manu scriptis ita legi κέλευ, nihil praeterea, ingeniosissime sic censuit esse

legendum *ad illa κελεύματα*, id est, ad illas cohortationes acerrimas et quasi nauticas [vide illum Adversariis 30, 13.].

Ibid. p. 590. RECLAMATUM EST. videtur Malaespinae coniectura probabilis atque adeo probanda, qui putat legendum esse, *relatum est.*

Ibid. p. 592. NIHIL ME INFORTUNATIUS * * ET CATULO. sic legendum, *nihil me infortunatius, nihil fortunatius Catulo, quum splendore vitae tum mortis tempore.*

Ibid. ET SUMMAM IN NOS BENIVOLENTIAM OMNI ORATIONE SIGNI-
p. 465. FICAT. quum || et ii libri veteres, quibus Malaspina usus est,
a. et Memmiani *oratione* habeant, ubi vulgati *ratione*, tutius esse putavi, veteres sequi [vid. ad Orationem pro Ligario C. 1. §. 1.].

25. p. ead. MIHI ILLUM SATISFACERE * *. adde huic loco post haec verba ex codice manu scripto Turnesiano, *non quod faceret, sed ut faceret.* sequitur nunc, *mirabiliter enim inodoratus est.*

III, 2. p. 594. POSSE ME BRUNDISIUM REFERRE. propemodum Malaespinae assentior, qui firmissimis argumentis demonstrat, *Brundisium* hic non posse legi, et *Buthrotum* legendum.

Ibid. p. 595. THURIAE LUCANIAE. sic reponit Corradus, cui assentior. nam vulgata, *Narycae Locrides*, ferri non potest, ut multis verbis ostendit Malaspina [*Naryciis* tamen *Locris* tentabat Cluverius, Italia Antiqua p. 1302.].

7. p. 596. VITAEQUE POENITEAT. sic habet codex Turnesianus [edebatur olim, *utique.*].

8. p. 598. MOTUM IN RE PUBLICA NON TANTUM EGO VIDEO. libri manu scripti habent, *non tantum ego impendere video.*

9. p. 599. INFIRMA SUNT. libri veteres habent, *firma sunt.* quae scriptura probanda est, si sic intelligamus: sin haec mala firma et fixa sunt, etc. ego tamen vulgatam magis probo, adductus illis proximae epistolae verbis, *si spem videro, aut ibidem opperiar, aut me ad te conferam: sin, ut tu scribis, ista evanuerint, aliquid aliud videbimus.*

15. p. 604. CETERI QUOS PURGAS DEBENT MIHI PROBATI ESSE TIBI SI SUNT. sic habent libri veteres. sed ego putarim legendum, *debent mihi purgati esse, tibi si sunt.*

16. p. 607. QUOD QUUM LECTAE SUNT TUM ID QUOD ATTULERUNT AD SPEM INFIRMANT. alii aliter, Corradus sic hunc locum restituendum putat, et levissima immutatione facta, et sententia optima atque apertissima. non mihi displicet tamen haec lectio, quam codex Turnesianus confirmat, *quod quum laetae sunt, tum id quod attulerunt ad spem infirmant.*

17. p. 608. AUT VERITAS ACERBA SIT. codices Memmiani ha-

bent, *aut varietas acerba sit.* qua scriptura recepta ac probata vitabimus eas, in quas se ipse Malaspina redigit, angustias. quin etiam si legamus *varietas*, nullo modo subintelligendum est aut *putes*, aut *existimas*, quod ille putat. quis enim ita loquitur, *cave putes*, seu *noli putare ne*, etc., et non potius, *noli putare*, seu *cave putes illud fore?* omnino *varietas* mihi valde probatur, *veritas* tamen non damno. sic infra proxima epistola, *tuae autem litterae sunt variae*, etc.

19. p. 609. MIHIQUE EX AGRO TUO TANTUM ASSIGNES. hic operae omiserunt vocem *tuo* [vid. Erratorum Ind. p. 566.].

23. p. 613. E. H. L. N. R. id est, *eius hac lege nihilum rogatur.*

Ibid. p. 614. SI ENIM QUOD OBSERVANDUM ILLUD CAPUT NON PUTABANT CUR IIDEM IN ABROGANDO TAM CAUTI FUERUNT. paullum quiddam Manutianae emendationi, quae a doctis omnibus, ut audio, probatur, addidi. sic enim ille, *si enim, quod observandum illud caput non putabant, iidem postea in abrogando*, etc. ego sic, *si enim quod observandum illud non putabant, cur iidem in abrogando*, etc.

IV, 1. p. 618. NEC ETIAM PRO VETERE TUA IN ME OBSERVANTIA. sic reposui, quum offensus vulgata lectione, quam aures Latinis scriptis probatis assuefactae ferre non possunt, tum ab uno codice Memmiano admonitus atque adductus, in quo scriptum est *propterea tua. propterea* enim minus depravatum a recto *pro vetere.*

Ibid. AUT POTIUS FUROR IS PARTICEPS. sic emendavit Erricus Stephanus, et recte [quum antea legeretur, *aut totius furoris particeps.*]. paullo post liber unus manu scriptus longe optimus habet, *falsi moris.* unde suspicor legendum, *falsi timoris* [edebatur vulgo, *falsi rumoris.*].

Ibid. p. 619. COGNOVI EX LITTERIS QUINCTI FRATRIS. liber Turnesianus habet, *cognovi, quum Brundisii essem, ex litteris.* et ita legendum.

Ibid. p. 620. ALTERAM MESSINIUS QUI OMNIS DAT PECUNIAE POTESTATEM ET ADIUNXIT CLASSEM ET EXERCITUM. sic videtur legendum potius, quam *Messius*, ut recte existimat Manutius, quanquam malim *Mescinius.* sed codices Memmiani plane habent, *Messala isque*, a qua scriptura non longe abest Bessarionis liber, quo usus est Manutius.

2. p. 624. SIC ENIM NOSTRAE RATIONES POSTULABANT. codex Turnesianus habet, *nostrae rationes, utilitates meae postulabant.*

3. p. ead. TUM A ME SCIRE. codex Turnesianus habet, *tum mea a me scire.* quam scripturam probo.

Ibid. p. 625. ILLE VEHEMENS RUERE. etiam Memmiani codices habent *ruere*, quomodo et ii, quibus usus est Malaspina, et Turnesianus, non ut vulgati, *furere*.

Ibid. QUUM SACRA VIA DESCENDEREM. sic antea emendaram, coniectura ductus, quam scripturam postea Memmianorum codicum auctoritate reperi confirmatam.

Ibid. p. 626. MILONIS DOMUM EAM QUAE EST IN CARINIS. sic legendum censet Malaspina. sed quum libri omnes et manu scripti et vulgati habeant *Ceramio*, magis mihi probatur Adriani Turnebi coniectura, existimantis legendum esse *Germalo*. de quo loco Varro lib. 4. de Lingua Latina [c. 8. p. 16, 21.].

Ibid. AD EAM IMPUGNATIONEM. libri manu scripti habent, *ad eam pupugnationem*, unde legendum videtur *oppugnationem*.

Ibid. p. 627. CLODIUS QUUM HABERET FUGITIVORUM DEIECTAS COPIAS. quid si legamus *delectas* seu *dilectas copias?* namque animadverti, in libris manu scriptis saepe *i* pro *l* ab errante et insciente librario scriptum esse, ut *coniectus* pro *conlectus*, *eiicere* pro *elicere* [vid. ad Orationem pro Caelio c. 24. §. 60.], et contra [vid. IV. ad Herenn. C. 22. §. 31. et quos Drakenborchius laudavit ad Livii 2. 23, 3. Tom. 1. P. 2. p. 189. sq., in his ipsum Lambinum Commentariis Lucretianis ad 4, 1169. 6, 1262. et 1271.]. verumtamen *deiectas copias* retineo. extenuat enim et deprimit Clodii copias.

Ibid. PAUCI PANNOSI SINE LATERNA. quidam legi volunt, *sine lucerna*. libri fere omnes veteres habent, *sine laterna*. plane, opinor, mendose [vid. ad Orationem in Pisonem c. 9. §. 20. et ct. Pareum Lex. Crit. p. 660, 1. Ciceronis loco usus est Io. Fr. Gronovius ad Plauti Bacchides 3. 3, 42. Tom. 1. p. 449.].

Ibid. PUBLIUM PRAETOREM NISI ANTE OCCISUS ERIT A MILONE FORE PUTO. codex Turnesianus habet ordine converso, *Praetorem Publium, nisi ante occisus erit fore a Milone puto*. mendose autem hic operae *Tribunum* ediderunt pro *Praetorem* [vid. Erratorum Indicem p. 566. adde ex Omissis p. 565. »codex »Turnesianus habet, *reum Publium, nisi ante occisus erit, fo»re a Milone puto. si se, etc.* quae lectio quamvis suspecta sit, »tamen retinenda est potius, quam mutanda. *Praetorem Publi»um* tamen pro *reum Publium* non displicet.«].

Ibid. SI SE ULTRO IN VIA OBTULERIT OCCISUM IRI AB IPSO MILONE VIDEO. locus est corruptissimus. alii legunt, *si se inter viam obtulerit*, alii, *si se ituro Lanuvium obtulerit*, quomodo Aldus Manutius edidit, alii, *si se ultro in via*, etc. omnino quid sequi aut probari debeam in tanta varietate, non video.

4. p. 628. OFFENDES DESIGNATIONEM TYRANNIONIS MIRIFICAM LIBRORUM MEORUM. vocem *bibliothecam* ex ora libri in contextum verborum Ciceronis translatam, assensus Malaespinae, deleri iussi. per *designationem* enim librorum significatur eorum dispositio, collocatio, descriptio et distributio suo cuiusque loco.

argumento est locus ep. 8. [immo 9.], non longe a principio, *posteaquam vero Tyrannio mihi libros disposuit, mens addita videtur meis aedibus.*

5. p. 629. AIN' TU MENE EXISTIMAS AB ULLO MALLE MEA LEGI PROBARIQUE QUAM A TE? secutus sum Malaespinae coniecturam, quanquam poteram tutius codices Memmianos sequi, in quibus ita scriptum est, *an me existimas, etc.*

Ibid. p. 630. SCIO TE VOLUISSE ET ME MASTIGIAM GERMANUM FUISSE. nihil, meo quidem iudicio, divinius, quam Leonardi Malaespinae in hoc maxime loco restituendo coniectura [vid. Muretum VV. LL. 14, 9. Operum Tom. 2. p. 326. 59. »et est »qui accinat, nihil hac coniectura divinius!«]. nam primum sententia est horum verborum huic loco aptissima; deinde litteras omnes scripturae veteris, quae a vulgata non discrepat, retinet, eas tantum transmovet seu potius, quae transmotae et loco motae fuerant, suo quamque loco reponit. *mastigiam* autem *germanum*, id est verberonem, seu flagrionem verissimum; nempe qui tuis consiliis non obtemperarim [vid. Pareum Lex. Crit. p. 718, 1.].

6. p. ead. extr. NOSQUE MALO SOLATIO SED NON NULLO TAMEN CONSOLAMUR. quemadmodum Malaspina legendum esse coniecit, sic nos dilucide scriptum reperimus in codicibus Memmianis, et in eisdem *vestris*, pro *vestri*, *sed mehercule*, *etc.*

Ibid. p. 631. ERGO ERIMUS ὀπαδοὶ QUI ταγοὶ ESSE NOLUIMUS? Memmiani codices habent, *ergo erimus* ὁπλῖται. fortasse non male.

9 (8.). p. 633. NIHIL VENUSTIUS QUAM ILLA TUA PEGMATA POST QUAE SITTYBAE [sic correxi istud *sittybi*, commentum operarum] LIBROS ILLUSTRARUNT VALDE. Pantagathi, viri doctissimi et ingeniosissimi coniecturam, quam probat et Malaspina, non potui non magno opere probare (quae talis est, *post quae sittybae libros illustrarunt valde*), praesertim quum codicis Turnesiani auctoritate confirmetur, in quo ita scriptum est, *post quam sit tibae libros illustrarunt valde.* sunt autem *sittybae*, ut docet Hesychius [Tom. 2. p. 1197.], δερματίναι στολαί, μικρὰ ἱμαντάρια, id est, *membranae quaedam*, seu cortices tenues, *et parvae quaedam pelles.* malunt tamen quidam sic legi, ut ad scripturam codicis Antoniani et Memmianorum propius accedant, *postquam sittibas misisti, libros valde illustrarunt.* mendose autem hic operae pro *sittybae sittybi* impresserunt.

10 (9.). p. 635. DIEBUS VITIANDIS. non displicet mihi Manutii coniectura, ut legatur *iniiciendis*, quam ex eo facit, quod nonnulli libri an || tiqui habent, *initiandis*, quomodo habent p. 466. a.
et Memmiani. Turnesianus tamen cum vulgatis congruit.

12. p. 637. IDIBUS ENIM AUCTIONEM LARINI VIDEO. sic habet codex Turnesianus, longo omnium optimus, et item Huraltinus. ab aliis abest vox *idibus.*

Ibid. p. 638. ET PRAEMONEBO. sic emendat Malaspina, quum libri vulgati habeant, *promovebo* [vid. annotata ad Orationem pro Sextio c. 42. §. 90.]. sed placet mihi magis ea, quae in uno codice manu scripto reperitur, *et pervidebo.*

13. p. ead. EGO UT SIT RATA AFUISSE ME IN ALTERCATIONIBUS QUAS IN SENATU FACTAS AUDIO FERO NON MOLESTE. alii aliter, ego sic hunc locum esse restituendum puto, parva immutatione facta, nempe facto ex *ergo*, *ego* [quae duo passim a librariis confunduntur. vid. Drakenborch. ad Livii 37. 53, 11. Tom. 10. p. 899.], et mutata interpunctione. praeterea *afuisse* edendum curavi, ut semper alibi. sic enim hoc loco habent melioris notae codices, in his Turnesianus, neque usquam aliter, qua de re alibi plura notavimus [vid. annotata ad I. Epp. 9. p. 22.]. idem autem de *afore* sentiendum: non enim *abfore*, sed *afore* scribendum. itaque apud Horatium lib 1. sat. 4. sic reponendum est [v. 101.], *quod vitium procul afore chartis, etc.* quod quum olim in quibusdam libris manu scriptis expressum reperissem, non sum ausus lectionem vulgatam immutare, quorundam nimis religiosorum, seu potius ineptorum ac stultorum iudicium reformidans, quibus nihil placet immutari in codicibus impressis, neque intelligunt, si nihil ab ipsis aut ab eorum nostrisque patribus et maioribus, qui codices manu scriptos corruperunt, immutatum fuisset, nullam causam fuisse futuram, cur nunc illorum posteri in eis vindicandis laboraremus [haec ad priorem Horatii editionem referenda sunt, quae publici iuris facta est Lugduni a. 1561. suo tamen iudicio usus est Lambinus, et lectionem vulgatam immutavit repetita Commentariorum Horatianorum editione, quae prodiit Lutetiae Parisiorum a. 1567., anno post absolutam Ciceronis editionem. ex illis Commentariis locum, qui huc pertinet, totum transcribam. is est p. Francofurt. 50. A. »*afore.* »sic habent plerique codices manu scripti iique longe optimi, »neque dubium est, quin ita sit reponendum. nam neque *abfui*, »*abfuisti etc.*, neque *abfore*, neque *abfuturum* dicebant veteres: »sed *afui*, *afuisti*, *etc.*, et *afore* et *afuturum.* qua de re plu»ra diximus annotationibus in M. Tullium anno superiore (id »est 1566.) multo emendatiorem, quam antea, a nobis editum. »qui tamen multo emendatior exisset, si typographum diligen»tiorem nacti essemus, et si nobis locatores iique qui sumptus »suppeditarunt paullo plus spatii ac temporis ad rem tantam ac»curandam dedissent.« haec Lambinus a., ut dixi, 1567.]. eadem religione deterritus infra lib. 9. p. 310, 26. [ep. 18. (14.). p. Ernest. 811.], quum reperissem in omnibus libris manu scriptis, *illim quidem Cnaeum profectum puto*, secutus sum vulgatos, qui habent, *illinc quidem, etc.* si tamen me omnes audire volent, ita in aliquot aliis locis, in quibus sic habent codices veteres, reponent, et item *him*, *istim*, pro *hinc*, *istinc* [vid. annotata ad. VI. Epp. 21 (20.). p. 167.].

15. p. 640. NIHIL TAM RERUM. sic habent omnes libri manu scripti, etiam nostri. neque Manutius improbat, quasi *ve-*

rum hic significet simplex et artis expers. sed Malaspina non probat suspicaturque legendum *vietum*, id est molle, lentum, languidum, flaccidum [vid. Gronovium Observatt. 4, 7, p. 586. sq.].

Ibid. MAIOR FUIT QUAM ASTYANAX. vel legendum, *minor fuit quam Astyanax*, vel *maior* accipiendum εἰρωνικῶς.

Ibid. 641. ἐξοχὴ IN NULLO EST. sic habent libri veteres complures, vulgati, ἐξοχὴ *nulla est*.

16. p. 643. HUIC IOCULATORIAE DISPUTATIONI SENEM ILLUM UT NORAS INTERESSE SANE NOLUI. vox *disputationi* abest a codicibus Memmianis et Turnesiano, ut ab iis, quos habuit Malaspina. ego *disputationi* puto esse retinendum, *ioculatoriae* tollendum, ut ad oram libri primum ascriptum, deinde a librariis imperitis, eiecto vero et necessario nomine, in contextum epistolae coniectum, quum putarent alterutram vocem esse scribendam, et eam potius, quae ad oram libri esset ascripta, quam veram et necessariam. quod saepe ab illis factitatum esse animadverti. primum commovet me, quod disputatio illa non continuo est *ioculatoria*, si de arte sermonem continet; deinde *iocular*i potius quam *ioculatoriae* dixisset; postremo nonnulli libri veteres habent *iaculatoriae* [proclivi scriptorum librariorum lapsu, quem notavit Io. Frid. Gronovius in loco Livii 42. 54, 1. Tom. 12. P. 1. p. 144. sq.]. omnino *ioculatoriae* mihi non probatur.

Ibid. AURELIANI UT SCRIBIS INDICIIS [ita p. 245, 30. *indiciis*, non *iudiciis*, aut *iudicis*]. scribe *indicis*. erratum est operarum [animadversum in Indice Erratorum p. 566. Clericus p. Gronov. 894. »*Aureliani ut scribis indiciis*. sic habent Bes»sarionis et Ferri libri, quod etiam non improbatur Lambino, »qui tamen legit *indicis*.« edebatur et *iudicis*. vid. annotata ad Orationem pro Rabirio Postumo C. 5. §. 12.].

Ibid. p. 644. SED QUIDAM IUDICES IN HIS OPIMIUS VEIENT. TERENTIUM TRIBUNUM PL. APPELLARUNT. sic emendat Octavius Pantagathus, cui assentior. nam praeter eius auctoritatem movet me, quod sequitur, *Terentius intercessit*. hunc enim Terentium Tribunum Plebis fuisse intelligimus. nam *Veient.*, id est *Veientana*, videlicet tribu. paullo post Manutii quidem coniecturam probamus in eo, quod pro *rescidit*, *res ad Sen.*, id est, *res ad Senatum*, reponendum censet. verumtamen testamur, etiam in codicibus Memmianis et Turnesiano scriptum esse, *rescidit*. unde quidam putant probabilem scripturam, *res cedit*, quae reperitur integra et sine ulla varietate in codice Antoniano.

Ibid. p. 645. IN ILLIS QUIDEM TRIBUS LIBRIS QUOS TU DILAUDAS NIHIL REPERIO. libri veteres habent, *quos tu dio laudas*. unde Pithoeus legendum suspicatur, *quos tu adeo laudas*. ego *dilaudas* probo [cf. Pareum Lex. Crit. p. 359. sq.].

Ibid. p. 647. UT FORUM LAXAREMUS. mira est hoc loco veteris scripturae varietas. libri enim veteres alii habent, *ut*

odeum laxaremus, alii, *ut eo usque laxaremus*, alii, *ut eos*, alii, *ut forum laxaremus*, alii, *ut eorum laxaremus*. unde factum est *forum*, quod sequuntur fere omnes ut minimum de malis. sed ego vocem *forum* et ceteras, in quarum locum substituta est, delendas censeo. quo facto sententia plana est [tetigit hunc locum Alexander Donatus de Urbe Roma 3. p. 251.].

17. p. 648. QUIN TU HUC ADVOLAS ET INVISIS ILLIUS NOSTRAE REI PUBLICAE γεράνδρυον PETI VIDES NUMMIS ANTE COMITIA TRIBUTIM UNO LOCO DIVISIS PALAM VIDES ABSOLUTUM GABINIUM DETUR ESSE VALITURUM. sic hunc locum edendum curavi, partim P. Manutii, partim Ioannis Aurati nostri coniecturam meo iudicio verissimam, verecundam quidem certe et minime violentam secutus. *vides*, inquit M. Tullius, *magistratus peti nummis*, etc. atque haec quidem Manutii est, illa autem superior, *nostrae rei publicae* γεράνδρυον, Aurati. significat autem γεράνδρυον veterem arboris truncum, et proprie antiquam quercum. adiuvat autem Aurati coniecturam codex Turnesianus.

Ibid. p. 645 (ep. 16. pars huc translata). QUOMODO ERGO ABSOLUTUS πρόπρυμνα ACCUSATORUM INCREDIBILIS INFANTIA. locus est ad explicandum difficilis et, ut arbitror, corruptus.
b. Manutius le || git πρῶρα πρύμνα, id est, *prora, puppis*, quod valet *totum*. proinde ac si dicat M. Tullius: tota absolutionis causa sita est in accusatorum infantia, Pompeii studio et contentione, iudicum sordibus. Erricus Stephanus, quasi propius accedens ad scripturam antiquam, a qua non discrepat vulgata, legendum putat πρόπρυμνα, id est, *prorsus* seu *omnino*. itaque vocem *omnino* delendam censet, ut ex interpretatione natam. ego πρῶρα πρύμνα probo, neque tamen πρόπρυμνα damno.

Ibid. QUAEQUE VITA MAXIME EST AD NATURAM AD EAM ME REFERO ET LITTERAS ET STUDIA NOSTRA. legendum, *ad eam me refero, ad litteras et studia nostra* [vid. Erratt. p. 566. Ernest. l. l. n. 39. »malim, *ad litteras et studia nostra*. est enim interpretatio superioris.«].

Ibid. p. 646. CONCALLUIT. id est, callum contraxit et obduruit. sic enim legit Nonius in verbo *concallere* [2, 164. p. Mercer. 90, 2.].

Ibid. NON DUBITANS QUIN FORIS ESSET. secutus sum codices vulgatos, a quibus non discrepant aliquot manu scripti. quam lectionem si probabimus, dicemus idem hic significari, quod in Oratione in Pisonem [p. 528, 17. C. 6. §. 12.] *egere, foris esse Gabinium*. *foris esse* autem est, non esse solvendo et latitare, neque facere sui conveniendi, ut loquuntur hodie iuris consulti, copiam [vid. Pareum Lex. Crit. p. 496, 1.]. sin cui magis placebit Malaespinae coniectura (sic autem vult ille legi, *non dubitans, quin fortes essent*), subintelligemus *iudices*, et erit sententia ad hunc locum perquam accommodata. verumtamen nihil mutare ausim.

Ibid. ITAQUE IUDICIA CALENT. Victorius legendum putat, *indicia* [vid. ad Orationem pro Sylla c. 13. §. 39.].

18. p. 649. LEPIDUM QUO RES CADAT. sic puto hunc corruptum locum esse emendandum, sententia, opinor, non inepta. lepidum, inquit, spectaculum, videre quo res cadat!

V, 1. p. 654. POMPONIA INQUIT TU INVITA MULIERES EGO VIROS ARCIVERO. sic edendum curavi, libros veteres secutus. *arcivero* autem dictum pro *accivero*, *r* pro *c*. notant grammatici veteres, confirmant hanc lectionem vetusti codices [vid. quos laudavit Drakenborchius ad Livii 5. 8, 12. Tom. 3. P. 1. p. 70. et cf. annotata ad Brutum c. 97. §. 332.].

2. p. 655. ET TAM LONGE ET HORTENSIUS. sic legendum est vel libris omnibus invitis. aberat enim copula a libris vulgatis inter *longe* et *Hortensius* [quod quum Faernus non caperet, alterum *Hortensius* delebat.].

Ibid. POST ETIAM IUSSI VALERE QUUM ME E PANSAE VILLA NUM QUID VELLEM ROGASSET. libri manu scripti nonnulli habent, *quum ex pese sua*, unus integris litteris, *quum me exiens a villa*. quae scriptura fortasse recta et vera est [cf. Turnebum Adverss. 28, 27. et Muretum VV. LL. 14, 11. Operum Tom. 2. p. 327. sq.].

3. p. 656. EXIENS E POMPEIANO. quidam libri veteres habent *expense*, ut et supra proxima epistola (unde quidam faciunt, *ex Pansae Pompeiano*), alii quidam libri plane, *exiens e Pomp.*, quos sequimur.

4. p. 657. DE ILLO ALTERO QUEM SCRIBIS TIBI VISUM ESSE NON ALIENUM VEREOR ADDUCI UT NOSTRA POSSIT (ET TUIS *δυσδιάγνωστον* ESSET) AD *προόσνευσιν*. locus est obscurus et varietatis plenus in libris manu scriptis. nos ad scripturam antiquam proxime accessimus. ad *προόσνευσιν* autem, id est ad assensum.

Ibid. p. 658. HABES AD OMNIA ETSI PAENE PRAETERII CHARTAM TIBI DEESSE MEA CAPTIO EST SIQUIDEM EIUS INOPIA MINUS MULTA AD ME SCRIBIS. secutus sum codices omnes antiquos, et Italicos, ut testatur Malaspina, et nostrates, Turnesianum, Memmianos, Huraltinum, qui habent, *captio est*, non ut vulgati, *cautio est*. atque hanc scripturam multis argumentis defendit Malaspina. ut in pauca conferam, hanc vult esse sententiam; chartam tibi deesse mea captio est, id est meum damnum est seu mihi damnosum est [cf. Pareum Lex. Critico p. 172.].

10. p. 663. SED HAEC IPSA FERO EQUIDEM FRONTE UT PUTO ET VOLO BELLISSIME. non potui omnium librorum manu scriptorum consensum negligere, qui sic habent, non ut vulgati, *ut puto*, *et vultu bellissimis*. ego tamen malim legi, *bellissima* [Ernest.

l. l. n. 61. »restitui veterem et veram editionum lectionem, »et vultu. *frons* et *vultus* sic saepe iunguntur apud Ciceronem, »ut, *simulatio facillime sustinetur fronte atque vultu*, ad Div. 1, 9.«].

Ibid. SED QUIA *δυσευκοίμητα* SUNT. libri manu scripti aliquot habent, *δυσεκίλλητα*, unde ego libenter fecerim *δυσκήλητα*, id est, difficilia ad mulcendum, vel *δυσευίλατα*, id est, difficilia ad placandum, vel *δυσευκοίμιστα*, id est, difficilia ad sopiendum [cf. Adrianum Turnebum Adversariis 28, 27.].

Ibid. SED MULTUM ET PHILOSOPHIA *ἄνω καὶ κάτω* SIQUIDEM EST IN ARISTO APUD QUEM ERAM. sic habent omnes libri, nisi quod quidam pro Graecis habent Latina, quae tantundem valent, *sursum et deorsum*. et omnes per hanc philosophiam Academicam significari volunt, sed Malaspina pro *ἄνω καὶ κάτω* vult legi *Antiochina*, ab Antiocho, cuius frater erat Aristus.

11. p. 664. MARCELLUS FOEDUS IN COMENSI. Marcellus foe-
p. 467. dus in ci || ve Novocomensi, quem virgis cecidit, quasi non
a. civem Romanum, idque in odium Caesaris, qui Novum Comum iure Latii donaverat, quo iure qui potiebantur, quum magistratum annuum gessissent, cives Romani erant. offenderat autem in ea re etiam Pompeium, quia eius pater Strabo transpadanas colonias deduxerat. huius loci emendatio magna ex parte debetur Malaespinae et Pantagatho. nos dumtaxat pro *foede*, *foedus* reposuimus. infra autem paullo post licet etiam sic legere, *non minus stomachi Pompeio, quam nostro Caesari fecisse*. nam ex epistola 16. libri 4. apparet, Caesarem Ciceroni amicum esse. placet tamen haec lectio, quam secuti sumus, *nostro*, inquam, ut per nostrum Pompeius significetur.

Ibid. ET ALIQUID *ἐπίκωπον*. veteres libri habent, *ἐπὶ κόνδει* [sic correxi, idque Lambino vindicat Gothofredus in marg. Laemar. a. 1596., quanquam et hic editur *ἐπὶ πόνδει*.].

Ibid. p. 665. ET RELIQUOS VARONES. sic edendum curavi, Adriano Turnebo assensus, ut omittam, quod plerique libri manu scripti sic habent. per *varones* autem significantur homines stolidi, tardi et hebetes [vid. ad IX. Epp. 26. p. 271. et ad II. de Finibus C. 23 §. 77. p. Lambin. 64, 14.].

13. p. 667. EPHESUM VENIMUS A. D. XI. KALENDAS SEXT. * SEXAGESIMO ET QUINTO POST PUGNAM AD BOVILLAS. puto significari diem, quo die Clodius a Milone interfectus est, itaque numerum esse corrigendum et ita legendum, *quingentesimo quadragesimo quinto die post pugnam ad Bovillas*. sic infra loquitur in extremo epistolae primae lib 6., *post pugnam Leuctricam die septingentesimo sexagesimo quinto*. quodsi dies ab XI. Kal. Sext. ad Terminalia, seu potius ad eum diem, quo die litteras illas primas libri sexti dedit M. Tullius, numeres; reperies circiter 220. dies. at dies 545. et 220. efficiunt 765.

Ibid. VERUMTAMEN QUUM CIVIS ROMANUS VENISSEM CUM IMPERIO. paullum adiuvi Manutii coniecturam, quam neque Corradus improbat. addidi enim vocem *civis*, quae necessaria videbatur, si modo vellemus antiquae scripturae, a qua non discrepat vulgata, vestigia persequi [cf. Muretum VV. LL. 14, 11. Tom. 2. p. 328.].

Ibid. TAMEN PHILOGENEM ET SEIUM RHODIUM ET APOLLONIDENSEM XENONEM COMMENDAVI. *Apollonidensis* dictus est ab Apollonide seu Apollonida, urbe Asiae, quam commemorat saepe M. Tullius, et *Apollonidenses*, ubi tamen perpetuo legitur *Apollonidienses*, ut alibi diximus [vid. annotata ad Orationem pro Flacco C. 21. §. 51. *Apollonicensem* servat Nizolius, a Facciolato non satis castigatus, p. 69, 2.].

14. p. 668. MIHI AFFEREBANTUR. codex Turnesianus habet, *aggerebantur*.

15. p. 669. PRAECLARA OPERA CESSET. codices Memmianus et Turnesianus et nonnulli Italici habent *cesset*, ut *opera* intelligamus esse recti casus numeri singularis. quod probo. malim tamen ita legi, *a praeclara opera cessem?* sed sequor libros veteres.

Ibid. PLURA TIBI SCRIBEBAM TARDE REDDITURO SED DABAM FAMILIARI HOMINI AC DOMESTICO C. ANDRONICO PUTEOLANO. haec videtur vera huius loci lectio, quam instauravit Malaspina. *plura*, inquit, *tibi scribebam. nam tarde quidem redditurо, sed tamen homini familiari C. Andronico has litteras dabam.* codex Turnesianus tamen habet, *redditu iri* unde sic putant quidam legendum, *plura alias: sciens tibi tarde redditum iri, sed dabam, etc.* quam scripturam quum attentius considero, labo, ut veriorem priore iudicem.

16. p. 670. POSSESSIONES OMNIUM VENDITAS. video in omnibus libris manu scriptis nostris scriptum, ὠνὰς seu *onas omnium*, et item in Italicis audio. non sum ausus tamen immutare lectionem vulgatam, et suspicor *onas* esse erratum librarii, qui deceptus binarum syllabarum similitudine *posse: possessiones*, omiserit unum *posse*, et scripserit *posse ones* pro *posse possessiones*.

18. p. 672. CUNCTIS REFERTO CÔPIIS. libri veteres aliquot habent, *cunctis fere copiis*.

20. p. 674. SATURNALIBUS MANE SE MIHI PINDENISSITAE DEDIDERUNT. sic legendum, non *Pindentissae*. nam ut a *Cherroneso Cherronesites* et similibus similia, sic a *Pindenisso Pindenissita*. quod si quis huic urbi *Pindentissum* nomen fuisse contendet, *Pindentissitae* legendum eadem ratione erit.

Ibid. p. 675. PHILOMELI QUINQUE DIES ICONII DECEM F. EGIMUS. id est, *forum* egimus. ita autem legendum esse res ipsa loquitur.

21. p. 680. QUAE CERTA NON ERUNT. codex Turnesianus habet, *quae recta non erunt* [vid. annotata ad Orationem pro Quinctio C. 11. §. 38.].

Ibid. p. 682. CUM ANATOCISMI ANNIVERSARIO. lego *cum anatocismo anniversario*, quod et Corradus probat [Ernest. l. l. n. 64. »quia *anniversarium* substantive nuspiam dicitur apud »bonae Latinitatis auctores, *anatocismi anniversario* verum esse non potest.«].

Ibid. p. 683. TUM FIT S. C. UT EA SYNGRAPHA ESSET EODEM IURE QUO CETERAE NON MELIORE QUAM CETERAE SED UT EODEM. scriptor librarius in vocum similitudine lapsus, dum *ceterae* posterius accipit pro priore, voces aliquot praetermisit; deinde nonnullae item aliae perierunt. ita totus hic locus foede corru-
b. ptus fuit, quem ego partim codicum Memmianorum au || ctoritate fretus, partim Sebastiani Corradi coniecturam secutus emendavi. iam haec verba, *non meliore quam ceterae, sed ut eodem*, verba sunt Ciceronis Senatus consultum interpretantis.

Ibid. QUID OPUS EST INQUAM. malim sic legi, *quid potius est, inquam, quam ut rationes conferatis?*

VI, 1. p. 688. ALII NEQUE SOLVIT QUICQUAM NEC POTEST SOLVERE. libri veteres habent, *nec solvit cuiquam.*

Ibid. p. 689. extr. IGITUR MEO DECRETO SOLUTA RE SCAPTIO STATIM QUAM ID RECTUM SIT TU IUDICABIS. secutus sum partim Paulli Manutii coniecturam, partim veteris scripturae vestigia, partim Parisiensium et Lugdunensium quorundam exemplorum editionem, quae est talis, *igitur meo decreto solvatur aes Scaptio statim: id quam rectum sit, tu iudicabis.* hoc interest inter hanc et Manutii editionem, quod ille sic legendum putat, *igitur meo decreto solvatur Scaptio statim: quam directum sit, tu iudicabis*, nos sic, *soluta re*, et cetera. quod propius abest ab antiqua scriptura, *soluta res Scapt.*, et reperitur in libro Pantagathi. *solvatur aes* autem, quod est in vulgatis, nempe *alienum.* si cui tamen magis placebit, *solvatur Scaptio*, non pugnabo, et non longe aberit a libri Pantagathi scriptura, quae talis est, *soluta re Scaptio.* illud autem reliquum Manutianum, *quam directum sit*, non placet, neque simile est loco illi ex Agraria [p. 298, 5. nobis II. C. 17. §. 44.].

Ibid. p. 692. RHOSII CAUSAM MANDAVI. legendum, ut habet codex Turnesianus, *Rhosica vasa mandavi*, seu *Rhosiaca.* erant autem haec vasa fictilia, a Rhosiis montibus dicta.

Ibid. DE BIBULI EDICTO NIHIL MOVI. sic reperi ascriptum ad oram unius codicis Memmiani, et ita sine dubio legendum est. iam quae paullo post sequuntur, *nimis gravi praeiudicio in or-*

dinem nostrum, verba sunt ex epistola Attici, qui erat eques eoque ordine contentus fuerat.

Ibid. p. 693. SIC ILLA IAM HABENT PLENO MODIO VERBORUM HONOREM INVITATIONEM CREBRAM. sic mihi videor hunc locum, parva immutatione facta, in integrum restituisse. nempe ex *si* feci *sa*; cetera quae a vulgatis discrepant, sunt a manu scriptis. sententia autem planissima est. ita fit, inquit, ut publicani habeant haec cumulate, verborum honorem, etc. idem scilicet hic dicit, quod supra, *verbis laudo, orno*, et cetera.

Ibid. p. 695. LEPTA TUA EPISTOLA GAUDIO EXSULTAT. liber unus manu scriptus habet, *lecta tua epistola Dionysius gaudio exsultat.*

Ibid. p. 696. SED HEUS TU GENUARIOS A CAESARE PER HERODEM TALENTA ATTICA L. EXTORSISTIS? exempla Aldina habent, *Ianuarios.* ille idem liber manu scriptus habet, *iamne vos a Caesare*, et pro *Herodem, Erotem* [adde ex Omissis post Tom. 1. p. 381. sq. haec: »scripturam antiquam fideliter repraesen»tavi. Turnebus *Genuarios* putat vocem esse corruptam, et ex »ea faciundum, *Genuae vos* seu *Genua vos.* ego malim legi, »*sed heus tu, ingenuum os*, ut sic hic Ciceronis sensus: heus »tu, sit tibi aliquis pudor, habe ingenuum os! significat enim »parum pudenter hanc pecuniam Atticum et eius socios a Cae»sare extorsisse.« cf. Adrianum Turnebum Adversariis 24, 20.].

Ibid. CAESAREM IN MARATHONE AEDIFICANDO INDILIGENTIOREM FORE. hic scriptura antiqua corrupta est. sic enim habent scripti manu codices, in his Turnesianus, *Caesarem in mentor aedificando*, *etc.* Turnebus [Adversariis 24, 20.] legendum putat, *in nemore* seu *in Nemorensi aedificando.* iudicent eruditi [ex Omissis post Tom. 1. p. 382.].

2. p. 699. ET VIX AGGREDIENS COMMUNICAVI CUM DIONYSIO. legendum, ut habet liber vetus, *et vix ei credens* [ex suis libris, *et vix accredens*, Bosius restituit. antiquum verbum, de quo plura Gifanius in Collectaneis ad Lucretii 3, 870.].

Ibid. ACCESSIT ALTERA. Malaspina, editionem Victorianam secutus, probat *alterum*, ut ad *genus* referatur. ego *altera* retineo. refertur enim ad propinquius, *hac autem re.* si quis tamen *alterum* legi malet, non pugnabo.

3. p. 703. ETENIM EST LEVIS LIBIDINOSUS TAGAX. sic emendat Cuiacius noster, unde autem ducta sit vox *tagax*, in promptu est. ne significatio quidem obscura. quod si cui est, discat ex Festo, cuius haec verba sunt, *tagax furunculus, a tagendo* [sic correxi ex Omissis post Tom. 1. p. 382.] *dictus, cuius vocabuli Lucilius meminit, Et mutoni' manum proscribere posse tagacem* [cf Nonium Marcellum 4, 468. p. Mercer. 408, 14. et Lucilii Satirarum Reliquias post Censorinum p. 436. adde Gulielmium Verisimm. 2, 3. Thes. Crit. Gruter. Tom. 3. P. 2. p. 280. sq.].

Ibid. p. 705. CIBARIA PRAEFECTI? sic legendum ex optimo codice Turnesiano. quanquam hic operae excuderunt *praefecto*, neque addiderunt interrogationis notam, ut est genus hominum non solum indoctum, hebes et stolidum, verum etiam indomitum, contumax et pervicax [itaque non immerito castigatum a Lambino et in Erratorum Indice p. 566.].

Ibid. HUIUS NEBULONIS ORATIONE SI BRUTUS MOVERI POTEST LICEBIT EUM SOLUS AMES ME AEMULUM NON HABEBIS. sic habent nonnulli codices, etiam manu scripti, sed plerique *operatione*, ut vulgati fere omnes, unus, *huius nebulonis peroratione, etc.* ex qua scriptura coniicio, errasse hoc loco librarium scriptorem et quum scribere deberet, *huius nebulonis oratione si Brutus permoveri potest, etc.*, scripsisse, *huius nebulonis operatione si Brutus moveri potest.* nam quod quidam lectionem vulgatam tuentur et vocem *operatione* retinent, plane falluntur. non est enim Latina pro ea re, quam hic significari volunt. *operari* usurpant Latini pro *convivia agitare* et *sacrificare*, ut Virgilius lib. 1. Georgicorum [v. 339.], *laetis operatus in herbis.* et Horatius oda 14. lib. 3. [v. 6.], *iustis operata divis.* et Tibullus eleg. 5. lib. 2. [v. 95. p. Lachmann. 41.], *tunc operata deo pubes discumbet in herba.* Pomponius Praecone Posteriore [apud Nonium 12, 20. p Merc. 523, 10.], *ad Veneris profectus est mane vetulus, votum ut solveret; ibi nunc operatus est.* Plautus [in Fragmm.], *ut isthaec operatio crimen expiet* [cf. Lambinum Commentariis Horatianis ad l. l. p. 174. B. et Pareum Lex Critico p. 855.]. usurpant et pro *opus facere* et maxime *rusticum* et ad lanificium pertinens, et
p. 468 pro || eo, quod est *occupatum esse* seu operam in aliqua re
a. ponere. Horatius epist. 2. lib. 1. [v. 29.], *in cute curanda plus aequo operata iuventus.* sed pro *agere* seu ἐνεργεῖν nunquam, ut neque *operationem* pro *actione* quam ἐνεργείαν dicunt Graeci. atque hic locus quendam induxit, ut quum libros Aristotelis de Moribus ad Nicomachum actum agens interpretaretur, a nobis et iampridem Latinitate donatos et nuper admodum recognitos ac de integro editos, ἐνεργείας apud Aristotelem redderet *operationes.* plane inepte et barbare. nam quod iidem ex Plinio [11, 24. sect. 28. Tom. 1. p. Harduin. 604.] proferunt, *araneorum genus erudita operatione conspicuum*, nihil moror Plinium, aut si etiam, nihil me movet ille locus. vel igitur ita hic legendum est, ut paullo ante dixi, *oratione permoveri*, vel scriptura antiqua, *peroratione moveri*, retinenda, ut *perorationem* accipiamus pro extrema orationis parte, quae propria est huius nominis atque adeo sola significatio.

Ibid p. 706. HORTENSIUS FILIUS FUIT LAODICEAE CUM GLADIATORIBUS FLAGITIOSE ET TURPITER. quod ait Malaspina in nullo suorum veterum librorum reperiri *cum*, idem liquido asseverare possum de Memmianis; iidemque paullo post, ubi vulgati libri *fuerit*, illi habent *fieri*, quemadmodum Bessarionis, Maffei,

Faerni, ceteri. quam scripturam puto diligenter esse retinendam et vulgatae anteponendam, ut sit haec eius sententia: mitte ad me litteras quamprimum, etsi nihil fieri, id est, etsi nihil novi ex iis sim cogniturus, seu etsi nihil fieri videas, quod ad me perscribere queas, et mitte vel per tabellarium, id est, ne expectato, dum aliquis certus et nobis notus Roma exeat et ad me veniat, sed vel per tabellarium tuum mittito, ut quamprimum eas accipiam.

5. p. 707. *παρέδωκεν ἡμῶν γαμετῆς ὀφειλήματα ὁ Κάμιλλος.* lege ex optimo codice manu scripto, *παρέδωκεν ἡμῶν κα μν ὀφειλημάτων τῷ Καμίλλῳ* [Lambinum sic voluisse, *παρέδωκεν ἡμῶν γαμετῆ* (sic) *κᾶ. μνᾶς ὀφείλημα τῷ Καμίλλῳ*, auctor est Clericus, p. Gronov. 913, 99. plura etiam turbare video Gothofredum in margine Laemarianae a. 1596., qua utor.].

Ibid. p 708. ATTICULAE. nonnulli e libris nostris habent *articulae.* quod confirmat Malaespinae coniecturam, ut legendum sit *Atticulae*, quemadmodum edidimus, non ut vulgo, *articulate.*

6. p. 710. UT ETIAM INQUIRERET IN EUM QUEM RELIQUISSEM? non est dubium mihi quidem, quin haec sit vera et recta scriptura, quam Malaspina ex libris antiquis restituit, quibuscum et Memmiani, et Huraltinus et Turnesianus consentiunt. licet etiam legere, *anquireret* [sic I. de Legibus p. 322, 13. C. 1. §. 4. *nihil sane, nisi ne nimis diligenter anquiras in ea, quae isto modo memoriae sunt prodita.* II. de Officiis p. 380, 22. nobis C. 13. §. 44. *in hunc oculi omnium coniiciuntur atque in eum, quid agat, quemadmodum vivat, anquiritur.* et Ernestus in notis ad h. l. p 885, 44. »Pearcius »correxit *inquiritur*, quia *inquirere in aliquem* reperitur, non »*anquirere in aliquem.* sed *anquirere* idem est, quod *inquire*»*re*, nec differunt nisi pronunciatione.« sensu differre docuit Gernhardus ad I. de Off. C. 3. §. 9. p. 14. praeterea *anquirere aliquid*, id est, ut ait Pareus Lex. Crit. p. 96, 2., diligenter et circumquaque quaerere, scrutari, nihil intactum relinquere, dicitur satis recte, *anquirere in aliquem* sive *in aliquid* non item. vid. Davisium. ad I. de Legg. C. 1. §. 4. p. Moser-Creuzer. 8.].

7. p. ead. GRAECE *ἐν αἰνιγμοῖς.* codex Turnesianus non habet vocem *Graece*, quae tamen videtur necessaria.

Ibid. NISI EUM GRAVITER AEGRUM ISSI RELIQUISSEM. sic Manutius. ego *Side* hoc loco legendum puto. est enim *Sida* urbs Ciliciae maritima. est autem verisimile, Ciceronem, quum in Italiam reverteretur, Tironem reliquisse in urbe maritima. M. Tullius ad Appium Pulchrum libro 3. Epistt. [? 6. p. 27, 3. *si ad Sidam navigassem.* 12. p. 34, 47. *quum ad Sidam navi accederem.*], *si ad Sidam, maritimam partem provinciae,*

navibus accessissem. videtur tamen reponendum potius *Patris.* sic enim ep. 2. lib. 7. [ad Atticum, p. Lambin. 272, 41.], *Tironem Patris aegrum reliqui, etc.* neque est quod quisquam mihi dicat, hanc vocem nimis longe abesse ab *Eseae* aut *Teessae.* nam Malaspina testatur, in quibusdam exemplaribus antiquis nihil hoc loco scriptum esse, sed inane spatium relictum.

VII, 1. p. 716. NAM UT ILLI HOC LICERET ADIUVI ROGATUS AB IPSO RAVENNAE DE DECEM TRIBUNIS PLEB. sic hunc locum restitui, partim a codicibus manu scriptis adiutus, partim coniectura probabilissima et, paene dicam, certa ac vera ductus, quam confirmat locus simillimus ep. 13. eiusdem libri [p. 247, 15.], *cur tantopere pugnatum est, ut de eius absentis ratione habenda decem Tribuni Pleb. ferrent?*

Ibid. ITAQUE * UT STULTUS PRIMUS SUAM SENTENTIAM DICAT * MIHI VALDE PLACET DE TRIUMPHO NOS MOLIRI ALIQUID. ego hoc totum, *ut stultus primus suam sententiam dicat,* non puto esse Ciceronis.

Ibid. p. 717. SED TANTUM SUPPLICATIONEM EUM MIHI NON DECREVISSE. sic habent nonnulli libri manu scripti, quos sequor quae lectio facilior quidem est, sed recepta non reiicienda quin fortasse concinnior et venustior, *sed tamen supplicationem eum mihi non decrevisse* [cf. annotata ad II. Epp. 16. p. 48.].

Ibid. p. 718. HOC PRIMUM IN QUO ACCESSIT CURA DOLORI MEO. ad Malaespinae coniecturam addo *in,* quod sumo ex antecedente littera *m.* librarii enim illi, quum litterae geminabantur, saepe alteram omittebant [cf. annotata ad III. Accusat. C. 2. §. 4.]; idemque, si litterae non eaedem essent, sed similes, ut *in* et *m* [huius erroris exempla, ex Livianis codicibus collecta, posuit Drakenborchius ad Livii 10. 13, 3. Tom. 5. P. 2. p. 93.].

Ibid. QUEMADMODUM EXPERIAMUR. de triumpho scilicet, ut infra epistola proxima [p. Lambin. 273, 26. Ernest. 721.], *itaque omnia experiar et, ut spero, assequar.*

2. p. ead. extr. LENISSIMUS ANCHISETES. sic hunc locum Adrianus Turnebus restituit [Adversariis 20, 16.], ex obscuris veteris scripturae vestigiis sagacissime hanc veram et rectam vocem
b. odoratus. sic enim habent codices Memmiani, et || item Turnesianus et Huraltinus, *Anchesmitis,* neque multo secus ii, quos habuit Malaspina. est autem *Anchisetes* ventus ab Anchise loco sic nominatus [Palmerius in Graecia p. 245. maluit *oncesmites,* Victorius autem VV. LL. 36, 11. *onchesmites,* qui est ventus flans ab Onchesmo Epiri portu. sed frustra hoc vindicat

Lambino, quem saepe iam laudavi, Gothofredus in margine Laemarianae a. 1596.].

Ibid. p. 719. NAM ALEXIDIS ANIMUM AMABAM. Memmiani codices sic habent, *Alexidis animum, etc.* neque tamen quia posterius non habent vocem *manum*, ante *non amabam*, iccirco ego mihi Manutii coniecturam sequendam existimavi, quamvis efficiat lectionem satis concinnam, festivam et venustam. magis enim me movet veterum codicum auctoritas, quam tuetur Malaspina, unde hanc scripturam depromit, *nam Alexidis animum amabam, quod tam prope accedebat ad similitudinem tuae litterae: manum non amabam, etc.* quam sic declarat: amabam conatum et studium Alexidis in manu tua imitanda, manum non amabam, quia, etc.

Ibid. extr. EIUS TESTAMENTUM DEPORTO ROMAM CICERONUM SIGNIS OBSIGNATUM COHORTISQUE PRAETORIAE. secutus sum in hoc loco doctorum quorundam virorum coniecturam. nam quod fugit me lectorem admonere, veteres codices plane habent, *eius testamentum detortorium Ciceronum signis, etc.* quod quid sibi velit quaero. Turnebus quaedam hic excogitavit [Adversariis 20, 16.], sed ea parum mihi probantur. Corradus et quidam alii legi volunt, *decretorium* [ex Omissis post Tom. 1. p. 382. vid. VV. DD. Clericum et Gronovium filium notis ad h. l. p. 917.].

Ibid. p. 720. FECIT PALAM TE EX LIBELLA ME EX TERUNCIO. sic malo, quam ut alii, *ex teruncia.* verumtamen locus nondum est perpurgatus. nam quod ad priora illa attinet, codex Turnesianus pro *ex libella* habet *ex libertum*, quod ad reliqua, pro *ex teruncio, extaruacus*, plane mendose, quis neget? sed scripturam antiquam proponere volui, ut ex ea eliciant eruditi rectam et veram lectionem. ego *exlibertum* sinceram esse non negaverim, sed quae sequuntur me impediunt [adde ex Omissis post Tom. 1. p. 382. haec: »admonui iam in aliis notis, ita legi in codice Turnesiano, *fecit palam te exlibertum* »*extaruacus.* pro *extaruacus* alii quidam habent, *me extra* »*vacuum.* sed de hoc loco lege Turnebum Adversarr. lib. 20.« C. 16. cf. Io. Frid. Gronovium de Pec. Vet. 2, 1. p. 55.].

Ibid. BENE EVENIAT INQUIT CARNEADES. sic habent nostri veteres aliquot libri, quam scripturam probo. dicebat enim hoc modo Carneades, *bene eveniat modo*, significans, sibi quemque optare, ut bene sit, cetera parvi facere. *spurce*, inquit Cicero. est enim spurcum, omnia ad suam utilitatem referre: sed *prudentius* quam Epicurei, qui loquuntur pugnantia neque sibi constant.

Ibid. SED TAMEN PRUDENTIUS. *prudentius* legendum [non *pudentius*. vid. ad XIII. Epp. 10. p. 390.], ut habent omnes libri veteres. imprudentes autem sunt et hebetes et parum acuti Epicurei, qui quum omnia ad se referant, putent tamen

aliquid alterius causa fieri posse. quae pugnant inter se. imprudentis est scilicet, tantam repugnantiam non videre. non est igitur hoc *prudentius* referendum ad *spurce*, quod putavit Malaspina, sed ad id quod sequitur.

Ibid. COMMODUM EXPECTABAM EPISTOLAM. sic emendat Memmius, et recte [vid. Pareum Lex. Critico p. 228, 2. et p. 232, 1.].

Ibid. p. 721. DE RAUDUSCULO NUMERIANO. quidam libri habent, *de rauduscuiano* [?] *Pompeiano*.

3. p. 724. UT NUNC IN UNO CIVI SPES REI PUBLICAE POSITA SIT. haec est antiqua scriptura, *ut nunc in uno civi res ad resistendum sit*, quam et Malaspina in suis libris omnibus antiquis reperiri testatur, et ego in Memmianis extare liquido confirmo. vulgata autem, quamvis aliter sentiat Malaspina, non est Latina, quae talis est, *ut nunc in uno civi res publica ad resistendum imbecilla sit*. quid valent enim illa verba, *in uno civi?* nam si ad Caesarem referuntur, quemadmodum, qui hanc lectionem sequuntur, necessario referunt, quis ita loquitur Latinorum, *res publica est imbecilla ad resistendum in uno civi*, et non potius *uni civi?* haec igitur verba, *in uno civi*, propemodum clamant hunc locum esse depravatum. huc accedit, quod vox *imbecilla* abest ab omnibus veteribus libris. quid igitur dicendum? nam ne haec quidem antiqua, quam ego repraesentavi, quamvis eam defendat et explicet Malaspina, a mendo pura est; siquidem *res est* pro operosum est, difficile est, laboratur, Latinis auribus inauditum est, neque illum Plautus adiuvat [cf. Pareum Lex. Crit. p. 1080.]. sed piget me tot verborum. dico igitur, sic esse legendum, *ut nunc in uno civi spes rei publicae sita* seu *posita sit*. *unum civem* autem Pompeium intelligo. et ita quadrat provocabulum *qui*, quod reperitur item in omnibus libris antiquis. iam haec verba, *ad resistendum*, si quis retinere volet, per me licebit. ego quidem non iusseram deleri, quanquam me invito non sunt deleta [?].

Ibid. IIS SE SOLIS NON INVIDERE. libri scripti manu omnes habent negationem, quam tamen multi docti viri putant eradendam. omnino communis omnium sensus et opinio postulare videtur, ut deleatur.

Ibid. p. 725. QUAM OMNEM PECUNIAM. libri aliquot veteres habent, in his Turnesianus, *quam ego a Curio*, *etc.*, neque habent has duas voces, *omnem pecuniam*.

5. p. 728. INDE POMPTINUM SUMAM. codex Turnesianus habet *summam*, unde docti quidam legendum putant, *invisam*.

7. p. 729. ILLUD PUTIDIUS NON ASCRIBIS. sic restituendum hunc locum existimavi, et minus longe discedens ab antiqua scriptura *putato*, quam qui *privatius* reposuerunt, et multo commodiorem sententiam exprimens. *putidum* enim appellant Latini translate, quod est ineptum, longe arcessitum, mole-

stum, odiosum, ad assentationem aperte comparatum, nimis exquisitum, elaboratum, etc.

Ibid. p. 730. QUI ME MAGIS QUAM PRIVATUM ALIQUEM MITTAT? codex Turnesianus habet *mittit*, et paucis post, ubi vulgati habent, *quid sensurus sim*, ille, *quid facturus sim*.

8. p. 733. ‖ ILLA MEA SENTENTIA NON RELINQUENDAE URBIS MOVET HOMINEM UT PUTO. Octavii Pantagathi coniectura approbata sic edendum curavi. nihil enim, mea quidem sententia, ad hunc locum excogitari potest accommodatius. adde, quod non nimis longe ab antiqua scriptura discedit. nam quod ad negationem attinet, cuius nulla apparent in libris antiquis vestigia, quam saepe experti sumus, a librariis illis esse praetermissam! iam *ita* puto esse extremas litteras vocis *sententia* depravatas, *tia*, hinc *ita*; unde *ira*, quod est in vulgatis [quae voces ubique fere commutantur. vid. ab Drakenborchio notata ad Livii 24. 16, 1. Tom. 8. p. 678. mutatis propter similitudinem *r* et *t*. vid. eundem ad Livii 5. 55, 3. Tom. 3. P. 1. p. 460.]. p. 469 a.

13. p. 739. QUUM MIHI BARBARORUM ADVENTUS AD URBEM PROPONITUR. codices Memmiani non habent *ad urbem* [delevit cum Graevio Ernestus, quem vid. l. l. n. 23.].

Ibid. QUIPPE QUUM DE ME IPSO AC DE MEIS TE CONSIDERARE VELIM. sic restitui ex codicis Turnesiani auctoritate [edebatur olim, *quippe quum de ipso ac de me ista considerare velim*.].

Ibid. IN EO AESTUAVI DIU. nullius aut industriam insector, aut ingenium contemno. verumtamen Hugolini Martellii Florentini, viri docti, quicum diu vixi, quem amo, a quo denique me amari scio, coniecturam non probo, qui sic putat hic esse legendum, *in eo aestu haud diu*; ubi subintelligit, *fui*. ego levissima immutatione facta sic emendo, *in eo aestuavi diu*. nempe ex *aestuaut* facio *aestuavi*. plura non dico, neque Martellii coniecturam refellere, neque meam confirmare necesse habeo: se utraque ipsa per se defendat. quum hic locus quattuor iam fere mensibus ante impressus esset, Adrianus Turnebus in Adversariorum tomo secundo [21, 16] hanc eandem coniecturam hoc loco fecit ex codice Turnesiano, quem a me commodato rogarat.

14. p. 740. QUUM LEVITER LIPPIREM. libri manu scripti habent, *leventer*, unde putabam legendum, *fluenter*. quod adverbium cur reiiciamus, non video [Clericus p. 923. »in Decurtato litterae huius vocis oculos prae vetustate fugiebant.« itaque admiserunt Lucretianum vocabulum (4, 226. 6, 931.) quum alii, qui post Lambinum fuerunt, tum ipse Gruterus. vide hunc notis Tom. 3. p. 382, 50.].

Ibid. NAM ET ILLUM FURORIS ET HUNC NOSTRUM COPIARUM SUPPOENITET. in Memmiano uno codice ascriptum est ad oram libri *nostrarum* pro *nostrum*, quod est in epistolae contextu.

17 (18.). p. 745. OMNINO QUID ILLE FACERE DEBUERIT IN NOSTRA ILLA FUGA QUID DOCTO HOMINE ET AMICO DIGNUM FUERIT QUUM

PRAESERTIM ROGATUS ESSET SCIO. videtur legendum, *omitto quid, etc.*, non ut in aliis fere libris omnibus, *omnino. omitto* quidem et valde quadrat, et ascriptum est ad oram unius codicis Memmiani, et probat Malaspina. quanquam Turnesianus vulgatam lectionem retinet, et praeterea habet verbum *scio* post *rogatus esset.*

20 (21.). p. 747. VENI CAPUAM A. D. II. NON. FEBR. sic est legendum, reclamantibus libris omnibus. nam *a. d. II. Nonas* et *pridie Nonas* idem valent. at in superiore epistola dicit, se pridie Nonas Capuam venisse. animadversum autem est a doctis, ubicunque scriptum fuerata Cicerone *a. d. II.*, hunc numerum esse corruptum et vel *III.* vel *IIII.* esse factum pro *II.*, vel funditus esse deletum; quemadmodum et supra ep. 16. [p. Lambin. 282, 4. Ernest. 743.], *nos a Consulibus Capuam venire iussi sumus a. d. II. Nonas Febr.*, ubi libri omnes habent, *ad Nonas Febr.* quae lectio ferri nullo modo potest. nam si quis dicat, *ad Nonas* valere circiter Nonas, nugae, quum *circiter Nonas* veniat is, qui vel ante Nonas vel post Nonas veniat, Consules autem certo die Ciceronem venire iusserint. iam *a. d. II.* et *a. d. III. Nonas*, etc., idem valere quod die II. et die III. Nonas, veritate ipsa verius est.

22 (23.). p. 748. BONORUM ANIMOS RECREATOS ROMAE IMPROBOS QUASI PERCULSOS. legendum est fortasse, *improborum quasi perculsos*, ut repetatur *ἀπὸ κοινοῦ animos* [videtur idem Ernesto, summo viro, p. 748. n. 55. [eius correctionis »alios« auctores laudat Gothofredus in margine Laemarianae, qua utor.].

VIII, 1. p. 752. UBI TUTISSIMO ESSEM. sic edendum curavi, libris omnibus invitis, in quibus legitur *tutissime*, Charisii auctoritate adductus, qui ita legi docet lib. 2. Instit. Gramm. [p. Putsch. 173.], ubi tamen idem fortasse labitur et errat, quum alium locum ex iisdem ad Atticum Epistolis proferens ex libri decimi sexti epistola tertia [p. Lambin. 390, 4. Ernest. 1021.], *hunc tu tralatum in macrologum lege Arcano conviviis tuis*, putat *arcano* esse adverbium, quum videatur nomen proprium praedii, et legendum sit *in Arcano.* neque tamen quicquam pronuntio, quum praesertim Charisium adiuvet antiqua scriptura.

2. p. 754. HIC TU IN ME * * ILLUD DESIDERAS. hic est inane spatium etiam in libris Memmianis. itaque desertus a libris veteribus, qui duces nobis esse debent, inane etiam in nostra editione spatium relinqui iussi. equidem non damno Malaspi-
b. nae coniecturam, qui in hoc spatio scri || bi posse putat *πρέπον* aut *καλόν*. sed aliud quippiam desidero. idem de loco, qui proxime sequitur, sentio, *hic quidem quae est*, ubi mendose operae fecerunt *quo est* pro *quod est*, aut *quae est* [vid. Ind. Erratorum p. 566.]. non celabo lectorem tamen, nullum esse his duobus locis inane in codice Turnesiano.

Ibid. SED NON TAMEN POSITAM IN EO IUDICO SPEM SALUTIS REI PUBLICAE. Manutii et Malaespinae coniecturas, quae non admodum inter se discrepant, leviter inflexi atque adiuvi. hoc tantum. omnino Manutio in eo assentior, quod *positum* aut *situm* vult scribi, non intelligi. quod quidem ex voce *ito* facile reponi potest. quidam tamen sic legi malunt, *sed non ita tamen in eo iudico spem salutis repositam.* ut *reipubl.* dicamus a scriptoribus librariis esse mendose scriptum pro *repositam* seu, si quis malit, *reponendam* [falsus est Clericus, falsus etiam Gothofredus, qui dicunt Lambinum ita legere, *sed positam nunc in eo non iudico spem salutis rei publicae.*].

Ibid. QUI QUUM TRIGINTA TYRANNI ATHENIS ESSENT. vocem *Athenis*, quae deesse videbatur, Errico Stephano assensus reposui, quamvis eam nullo in codice manu scripto repererim.

Ibid. FORMIIS AD POMPEIUM SI DE PACE AGERETUR PROFECTURUS ERAM SI DE BELLO VIDERO. secutus sum libros vulgatos, quamvis mihi ex antiqua scriptura suspectos, in quibus omnibus legitur aut *praefectos* aut *profectos*, neque est *eram*, et in extremo, pro *videro*, *quid ero?* unde hanc lectionem quidam eliciunt, *ego XIII. Kalendas quum eadem lucerna hanc epistolam scripsissem, qua inflammaram tuam, Formiis ad Pompeium* (subintelligendum, *ibam*). *si de pace ageretur, praefectus* (subaudiendum, *futurus*): *sin de bello, quid ero?* quam quare improbemus, non video. et tamen cur vulgatam damnemus, nihilo plus causae reperio.

3. p. 756. ENVITE CEPI CAPUAM. lege, *invite cepi Capuam.* erratum est operarum [castigatum a Lambino ad calcem Tom. 3. p. 566.].

5. p. 759. πολλὰ μάτην κεράεσσιν ἐς ἠέρα [sic reponendum ex Erratorum Indice p. 566.] θυμαίνοντα. haec nostra restitutio ita prope accedit ad antiquam scripturam, ut nihil videatur affinius excogitari posse. sic enim est in libro antiquo, πολλὰ μάτην κεράεσσιν ἐς ἠέρα θύμνντα. ita rursus consonam sententiam efficit, ut de huius scripturae veritate non sit dubitandum. verbum θυμαίνοντα tantum restitui in integrum, quod erat corruptum. cetera sunt ex libro antiquo Turnesiano. si quis autem malet legi θυμήναντα in aoristo quam θυμαίνοντα, non pugnabo. ad hunc locum pertinent illa Virgiliana libri 3. Georgicorum [vv. 232. sqq.], *et tentat sese atque irasci in cornua discit Arboris obnixus trunco, ventosque lacessit Ictibus, et sparsa pugnam proludit arena* [praeterea *tum eum* ῥίψαι frustra vindicat Lambino Gothofredus. repraesentavit ille, quod a pluribus editum est, *tum eum isse.*].

6. p. 760. SPERO ETIAM QUONIAM ADHUC NIHIL NOBIS OBFUIT * NIHIL MUTASSE. hic est ulcus, quod sanare non potui. subiiciam antiquam scripturam, ut aliquis sollertior experiatur, ecquid possit. sic igitur habet codex Turnesianus, *quoniam adhuc ni-*

hil nobis obfuit, nihil imitasset, nec tegentia hoc quod fortiter et diligenter, tum etiam hercule; modo enim audivi, etc.

10. p. 764. QUOD IN NOMINIBUS HABERET. sic habent libri quidam manu scripti, Turnesianus tamen ut vulgati, *in nummis.*

15 (11. D.). p. 768. EX IIS MANDATIS QUAE D. LAELIO AD CONSULES DEDERAS. sic volunt omnes legi, quamvis libri et manu scripti et vulgati reclament. habent enim partim *Dellio*, partim *Decallio*, partim *Duellio*, partim *Dullio*. *Dellio* mihi non displicet. nam *Dellium* quendam commemorat Plutarchus in Antonio [p. 943. D.].

16 (12.). p. 771. QUUM IMPARATAM CAPUAM. legendum, ut habet codex Turnesianus, *imperatam* [et sic correctum in Indice Erratorum p. 566.].

Ibid. PER L. CAESAREM ET FABIUM ALLATAS. idem liber habet, *et Fabatum.*

Ibid. SED ETIAM PAULLO SALUBRIORIBUS. idem liber habet, *paullo salubribus*, quod probo. sic enim Terentius Heautontim. [1. 2, 31.], *paullo qui est homo tolerabilis* [vid. Ruhnkenium Dictatis ad h. l. p. Schopen. 150.].

17 (12. A.). p. 772. NEQUE SI VELLET EXPEDIRE POSSET. lego, *neque se si vellet expedire posset.*

Ibid. SEU PER MONTES EXPLICARE. codex vetus optimus habet, *se per montes explicare* itaque haec verba videntur esse suo loco mota et ibi esse legenda supra, post illa, *neque se expedire*, ut deinceps iam ponantur, *neque se per montes explicare posset.*

Ibid. UT HAS XIIII. COHORTES QUAS DUBIO ANIMO HABEO. legendum, *ut ad has, etc.*

18 (12. B.). p. 773. TE PROPTEREA MORATUM ESSE QUOD AUDIERIS CAESAREM FIRMO PROGRESSUM IN CASTRUM TRUENTINUM VENISSE. Victorius libro quarto Variarum Lectionum multis verbis ostendit, legendum esse *firmo progressu*, idque ex auctoritate veteris codicis. ego tamen hanc lectionem retineo atque amplector, quum eam reperiam in aliquot libris manu scriptis, et maxime in Turnesiano.

22 (14.). p. 777. MODO ESSE IN TIBURTINO LEPIDI MODO CUM LEPIDO ACCESSISSE AD URBEM. lectionem vulgatam paullum immu-
p. 470. tavi. || sic enim habent omnes libri vulgati, quos quidem vi-
a. derim, neque aliter, vel mss Italici, ut testantur Manutius et Malaspina, vel Memmiani, *modo esse in Tiburti aut Lepidi, quo quum Lepidus accessisset ad urbem, etc.* quam scripturam iccirco exposui, ne quis ingenio praestans, quod eam leviter immutarim coniectura ductus, sibi ad veriorem coniecturam iter interclusum esse conqueratur. sed ne quid dissimulem, prior pars huius restitutionis a Sebastiano Corrado excogitata est, reliqua a nobis.

23 (15.). p. 778. ET IGNORAS DOMITIUS CUM FASCIBUSNE SIT. id est, in epistola tua te scribis ignorare, ut recte explicat Corradus. quod addidi praeter institutum meum, ne quem inducat Malaspina, qui aliter accipit. in quo magnopere fallitur.

VIIII, 3 (4.). p. 786. εἰ εὐλαβητέον τὸν καταλύοντα μὴ αὐτὸς ἀρθῇ. errant qui hunc locum sic interpretantur, *an metuere debeat is qui tyrannidem dissolvit* seu *evertit, ne ipse tollatur de medio.* nam primum scribendum esset τῷ καταλύοντι, deinde ἀρθῇ est a verbo αἴρω, αἴρομαι, quod valet *attollere* et *attolli.* postremo θέσις ipsa, quam M. Tullius tractat, vincit hanc sententiam esse debere, non illam quam vulgo putant. atque hoc mihi quum multos abhinc annos venisset in mentem, idem postea Errico Stephano visum est litterisque mandatum. idem proximum hunc locum, εἰ πειρατέον ἀρήγειν τῇ πατρίδι τυραννουμένη καιρίῳ λόγῳ μᾶλλον ἢ πολέμῳ, qui antea depravatissimus erat, in antiquam suam integritatem ingeniosissime simul et felicissime restituit. non celabo lectorem tamen, quod ad laudem codicum Memmianorum pertinet, in eis plane legi pro εἰρήνῃ, τυραννουμένῃ, et idem in Turnesiano, et in eodem καιρῷ καὶ λόγῳ μᾶλλον ἢ πολέμῳ. significant autem verba hanc sententiam, *utrum conandum sit, opitulari patriae tyrannide oppressae ratione utili et salutari potius, quam armis et bello.*

4 (5.). p. 787. UT MAIORES NOSTRI FUNESTIOREM DIEM ESSE VOLUERUNT ALLIENSIS PUGNAE. hunc locum profert Nonius in *religiosi dies* [4, 394. p. Mercer. 379, 8.].

Ibid. QUI NOS HOC NON DEFENDENTE NE DICAM GRAVIUS AFFLIXERAT. sive legatur, *non defendente*, quomodo emendavit P. Victorius, sive *deserente*, quemadmodum Malaspina, nihil refert: ego tamen malim, *non defendente.* et credibilius est, omissam esse a scriptore librario negationem, quam ex *deserente* factum *defendente.* testificor interea, etiam a codicibus nostris omnibus abesse negationem.

Ibid. EX EO FORTASSE MEA CONSILIA NASCENTER ALIAEQUE LITTERAE. legi malim *alia consilia nascentur.* codex Turnesianus quidem habet, *ex eo fortasse ea consilia nascentur.*

Ibid. (6.). extr. AD CURTIUM MINUCIA TRANSIISSE. sic habet codex Turnesianus, et probat Turnebus [Adversariis 1, 21.]. Malaspina mavult, *Numicia* [vide quae notantur a VV. DD. ad Livii 2. 21, 1. *Minutia* Victorius maluit. vid. Drakenborch. ad Silii 7, 386. p. 368.].

Ibid. p. 788. QUAM UT CURIUM VIDEAT. lege, *Curtium* [correctum in Ind. Erratt. p. 566.].

Ibid. p. 789. QUID TU AUTEM POSSIS AUT QUID HOMO QUISQUAM VIX IAM DEUS EQUIDEM ILLUD MOLIOR QUOD TU MONES. codex Turnesianus habet, *vix deus. iam equidem*, etc.

Ibid. SUSCIPI A POMPEIO INTELLIGEBAM. videtur legendum, *non intelligebam.*

5 (6. A.). p. ead. extr. NEQUE LOQUI NEQUE AUDIRE MEO COMMODO POTUISSEM PROPERAREM ATQUE ESSEM IN ITINERE. ita plane scriptum reperi in codicibus Memmianis et Turnesiano et Huraltino, quomodo scriptum esse testatur in quattuor Italicis Malaspina,. quam arbitror veram esse scripturam [edebatur olim, *neque loqui neque audire me commode potuisset properantem*, etc.].

6 (7.). p. 792. ILLE CELERIPES. codex Turnesianus habet, *ille celeriter pes, quem*, etc.

Ibid. QUAE MIHI QUIDDAM QUASI ANIMI A TE INSTILLARUNT. sic Adrianus Turnebus hunc locum restituit [Adversariis 1, 21. contra Gothofredus in margine Laemarianae a. 1596. testatur, Lambinum sic dedisse, *quae mihi quiddam quasi animulae instillarunt.* equidem hoc quicquid est in medio relinquam.].

7 (8.). p. 795. haec epistola in libris veteribus a superiore non separatur. *II. Idus* autem edendum curavimus, codices Memmianos secuti, quomodo et in Italicis aliquot scriptum esse testatur Malaspina, quum vulgati habeant, *pridie Idus*, quod idem valet. fuit scilicet declaratio huius verae scripturae *II. Idus*, postea in contextum epistolae, ea eiecta, translata. supra autem hac eadem pagina v. 43., in extremo epistolae superioris, ubi libri vulgati, *quantum potes*, Turnesianus habet, *quantum potest*, quod fortasse rectum est pro *quantum pote' st* [vid. annotata ad IV. Accusat. c. 45. §. 102.].

9 (6. C.). p. 790. S. V. B. E. sic edendum curavi, certissimam Rivii coniecturam secutus, qui ex *subito* coniecit esse legendum, omnibus divisis litteris et una mutata, ceterisque detractis, quae non reperiuntur in codicibus veteribus, *S. V. B. E.*, id est, *si vales bene est* [operae sic dederunt p. 303, 22. imprudente, ut opinor, Lambino, *S. V. B. E. E. V.*, id est, *si vales bene est, ego valeo.*].

Ibid. p. 791. SUA CONCESSIT VOLUNTATE. sic prorsus legendum est. *sua* ‖ *voluntate* autem, id est sua sponte [vid. Nizolium a Facciolato castigatum p. 751, 1.]. *sua bonitate* enim ferri non potest, quamvis Malaspina probat. nam sermonis Latini ratio postulat, ut scribatur, *pro sua bonitate.* nostri quidem libri omnes habent, *voluntate.*

b.

10 (6. D.). p. 792. NOS NISI ID QUOD NOSTRO IUDICIO CAESAREM FACERE OPORTERE EXISTIMAMUS. codices Memmiani neque *nos* habent, neque *id.* verumtamen *id* quidem funditus delevimus, *nos* autem retinuimus, quia in aliis libris reperitur [ergo *id*,

quod intactum operae reliquerunt, eximendum Lambinianis p. 303, 50. sustulit certe Gothofredus.].

11 (9.). p. 796. FESTIVO ENIM SIMILI URUS DECURRO IN DECURSU ϑέσεις MEAS COMMENTARI NON DESINO. videtur locus esse corruptus, ex quo tamen sententia aliqua probabilis elici potest, neque improbat Adrianus Turnebus. omnino sic legitur in codice Turnesiano. lege Adriani Turnebi Adversariorum libros [1, 21.].

Ibid. p. 798. SCIEBAM ENIM TE DE QUOTO ANNO ET QUANTUM IN SOLO SOLERE QUAERERE. a codicibus veteribus abest *de*, et maxime a Turnesiano.

12 (10.). p. 799. SICUT ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς ALIENANT IMMUNDAE INSULSAE INDECORAE. sic necessario legendum est, non *alienantur*. *alienant* autem, scilicet immundae mulieres suos amatores, id est, avertunt ab amore [addenda ex Omissis p. 565. Tom. 3. sunt haec: »*immundae* opponuntur *mundis*. est »autem *munda femina* non ea solum, quae est culta atque or»nata, verum etiam et multo quidem magis proprie, quae quum »fucata non sit neque nimis accurate et sumptuose ornata, non »est tamen inculta, neque illota, neque sordida. et ita *mun»dum* fere describit Horatius satira 2. lib. 1. [vv. 123. sq.], »*munda hactenus, ut neque longa, Nec magis alba velit, quam »det natura, videri* [vide Lambinum Commentariis ad h. l. p. »27. F.]. ut contra *immunda* est, quae est illoto corpore et »olido, vestitu incomposito et maculoso. itaque *immundum* mi»nus est, quam ἄκοσμον, quod ex Lucretio intelligere licet, »qui libro 4., quo loco ostendit, puellarum vitia ab amantibus »extenuari et levioribus nominibus appellari, eam, quae sit »immunda et foetida, dicit ab amante coeco ἄκοσμον vocari. »*immunda*, inquit [v. 1153.], *et foetida* ἄκοσμος. quod si quis »dicat extenuationem inesse in nomine Graeco, quia Graeca »vocabula sint quodammodo Latinis molliora, quamvis idem va»leant: respondebo, vocem *foetida* satis declarare, plus esse »*immundum* quam ἄκοσμον. quin idem ex Horatio intelligere »licet, qui *nacam* illum, seu fullonem sive *Nattam*, qui oleo »sive lucernario sive ex lucernis detracto unguebatur, *immun»dum* appellat, id est, illotum, olidum et foetidum [I. Satirr. »6, 123. sq. vide ibi Commentarios Lambini p. 72. D. E. F.]. »et item ex Terentio, qui sic de meretricibus in Eunucho [5. »4, 12. sqq.], *quae dum foris sunt, nihil videtur mundius, »Nec magis compositum quicquam, nec magis elegans: Quae »cum amatore suo quum cenant, ligurriunt. Harum videre »illuviem, sordes, inopiam, Quam inhonestae solae sint domi, »atque avidae cibi, etc.* significat enim pluribus verbis id ge»nus feminas, foris esse mundas et elegantes et cultas, domi »immundas, illotas ac sordidas. at illam in Heautontimorume»no, de qua haec dicuntur [2. 3, 47. sqq.], *sine auro, tum »ornatam, ita uti quae ornantur sibi, Nulla malas re esse ex-*

»*politas muliebri* [sic certe Lambinus]: *Capillus passus, proli-*
»*xus, circum caput Reiectus neglegenter*, non dixerim *immun-*
»*dam*, quamvis esset inornata et ἄκοσμος; neque illam in Phor-
»mione [1. 2, 54. sqq.], *virgo pulchra, et quo magis diceres,*
»*Nihil adiumenti erat ad pulchritudinem: Capillus passus, nu-*
»*dus pes, ipsa horrida, etc.*«].

12 (10.). p. 800. QUEM PARENTEM ESSE DIXERUNT. putarim legendum, *quem patriae parentem, etc.*

Ibid. ALIA RES NUNC TOTA EST ALIA MENS MEA. secutus sum codices et Memmianos, et eos in quibus ita scriptum esse testatur Malaspina, et Turnesianum. sed malim sic legi, *alia rei publicae nunc causa est, alia mea.* verumtamen nihil muto. iudicent eruditi.

Ibid. NUNC SIVE PERICULO EXPERIUNDUM ERIT EXPERIAR CERTE. sic putat legendum esse Memmius, *nunc si vel cum periculo*, etc., cui assentior. vulgati enim, a quibus non discrepant multi antiqui, mendose habent, *sine periculo*, codex autem Turnesianus, *sive periculose.* unde legendum coniicio, *si vel periculose.* quod autem Manutius sic emendat, *si vel periculo*, non explet aures meas. paullo post legendum, *revolvi*, ubi est impressum *evolvi* [vid. Err. p. 566.].

Ibid. p. 801. QUEM φιλόπατριν AC πολιτικὸν HOMINIS PRUDENTIS ET AMICI TALI ADMONITU NON MOVERET AUCTORITAS? lege, *amici talis admonitu* [vid. Err. p. 566. et hi sunt »alii,« quos eius correctionis auctores laudat Gothofredus in margine Laemar. a. 1596.].

13 (11.). p. 804. QUI PRUDENTIA POTUIT ATTENDERE SERMONES MINACES. hoc tantum differunt libri manu scripti a vulgatis, quod habent *potuis* pro *potuit.* omnino locus corruptus est, neque facile sine melioribus codicibus emendari potest.

14 (11. A.). p. 805. AD REM PUBLICAM PERTINET ME ET AD UTRIUSQUE VESTRUM ET AD CIVIUM CONCORDIAM PER TE QUAM ACCOMMODATISSIMUM CONSERVARI. vocem *pacis*, quae huc vel irruerat vel irrepserat, ut inanem sustuli, natam scilicet ex praepositione *ad*, quum scriptum esset *ap* pro *ad* [commutatis ob ductuum similitudinem *d* et *p* sive potius *D* et *P*. vid. annotata ad V. Epp. 17. p. 129.]. deinde ex *pa* a malo coniectore eodemque indocto et arrogante *pacis* factum.

15 (12.). p. 806. οὐκ ἔστ' ἔτυμος ὁ λόγος UT OPINOR ILLE DE RATIBUS. principium est palinodiae illius, quam fecit Stesichorus, quum Helenae maledixisset eoque nomine oculis privatus esset. ponit autem Plato in Phaedro, his verbis [p. Stephan. 243. A. Bekker. P. 1. Vol. 1. p. 33.], *τῶν γὰρ ὀμμάτων στερηθεὶς διὰ τὴν Ἑλένης κακηγορίαν οὐκ ἠγνόησεν, ὥσπερ Ὅμηρος, ἀλλ' ἅτε μουσικὸς ὢν ἔγνω τὴν αἰτίαν καὶ ποιεῖ εὐθύς, Οὐκ ἔστ' ἔτυμος ὁ λόγος οὗτος, οὐδ' ἔβας ἐν νηῦσ' εὐσέλμοις, οὐδ' ἵκεο Πέργαμα Τροίης. καὶ ποιήσας δὴ πᾶσαν τὴν καλουμένην παλινῳ-*

δίαν παραχρῆμα ἀνέβλεψεν · id est, *nam quum oculis orbatus esset Stesichorus, propterea quod Helenae maledixerat, non ignoravit, quemadmodum Homerus, sed, utpote qui musicus esset, causam eius rei intellexit et continuo hoc carmen fecit, Non verus ille est sermo: nunquam navibus Vecta es velivolis opulentae ad Pergama Troiae. absoluta igitur tota illa, quae appellatur, palinodia sensum oculorum statim recuperavit* [cf. Ast. ad Platonis l. l. p. 273. sqq. et Lambin. Commentariis Horatianis ad Epod. 17, 42. p. 306. C. D. E.]

16 (13.). p. 807. QUOD AB EISDEM [non, *iisdem*] ILLECTI SUMUS. etiam Memmiani codices habent, *dilecti*, ut et Bessarionis et Maffei, et alii. unde Manutius coniicit legendum *eiecti*. nos ex codice Turnesiano, in quo scriptum reperimus, *quod ab eisdem lecti sumus*, coniectura ducti, *quod ab iisdem* [reponendum, *eisdem*] *illecti sumus*, reposuimus.

Ibid. p. 808. UT TU SCRIBIS ILLUDUNT AC BELLE SCRIBIS QUID NON HAEC SIGNIFICAS. hic locus duorum doctorum virorum coniectura vel restitutus est vel certe ita immutatus, ut neque longius ab antiqua scriptura discedat, et sententiam valde cum superioribus et posterioribus consentaneam contineat. eorum nomina ascripsissem, si sese voluissent nominari. ego tamen legi malim, *ludunt*. sic enim una dumtaxat littera *t* addetur antiquae scripturae, *ludum*, *ludunt*.

Ibid. NON SUNT MELIORES QUAM NOS. legendum fortasse est, *sint meliores quam nos*.

18 (14.). p. 811. HOMO NON INFANS SED QUIS ILLA NON DICAT? quum in codice Turnesiano sic scriptum reperissem, *sed quis illi non dicat*, ego sic putaveram, levi immutatione facta, corrigi mendum posse, *sed quis illa non dicat?* neque tamen sic edi volueram: et tamen sic editum est. ego autem sic edi ius || seram, ut Turnebo nostro placet [Adversariis 1, 21,], *sed qui soli non dicat*, id est, qui ita est levis et ventosus, ut non uni, sed multis et quibuslibet dicat. p. 471. a.

21 (17.) p. 814. SED QUID PRAECIPIO? sic edendum curavi, codices Memmianos secutus. quanquam alii quidam habent *praeripio*, quod non displicet [vid. ab Drakenborchio laudatos ad Livii 22., 41, 9. Tom. 7. p. 249.]. in superiore autem epistola [16. A.], ubi vulgo legitur, *triumpho et gaudeo*, legendum fortasse est, *triumpho gaudio*.

22 (18.). p. 815. IN QUA ERAT EROS CELERIS. sic legendum videtur potius, quam vel *oratio Celeris*, vel *Eros Celeri*. *Eros* autem *Celeris* ita dictum est, ut *Davus Chremetis*. hic enim subintelligitur *libertus* aut *servus* [vid. Ruhnken. Dictatis ad Terentii Andriam 2. 2, 20. p. Schopen. 44.]. fuerat enim Eros quidam L. Metelli Celeris libertus.

Ibid. p. 816. INDE EXSPECTO EQUIDEM *ἀνατέλλουσαν* ILLAM

TUAM. libri veteres habent partim ἀλλάτευκαν, partim ἀλλύτευκαν, partim ἄλλτευκαν. nos in his tenebris Adriani Turnebi coniecturam quasi δαδουχίαν secuti sumus, et ἀνατέλλουσαν edendum curavimus. per ἀνατέλλουσαν autem tempus significat, ad navigationem idoneum atque opportunum. utitur eo nomine libro 10., qui deinceps sequitur [ep. 2. p. Lambin. 314, 8. δᾶδ' αἴθουσαν, hoc est, *facem ardentem*, quae fuit coniectura Malaespinae, non Bosii, Lambinum dedisse auctor est Gothofredus in m. Laemar., quem vid. Tom. 3. p. 445.]

X, 1. p. 819. NISI FORTE ISTE NUMMARIUS EI POTEST PERSUADERE. sic habent quidam libri vulgati, et ita videtur Manutio esse legendum. sed magis placet antiqua scriptura *summarius*, ut per *summarium* intelligamus quasi ὑπομάριον, id est submarium seu parvum Marium.

4. p. 823. QUORUM IAM ACTA AETAS codex Turnesianus habet, *quorum ut iam acta aetas*, unde Pithoeus suspicatur legendum, *quorum utinam acta aetas*.

Ibid. p. 825. QUOD EXEMPLUM QUAM REM PUBLICAM. sic omnes quidem habent libri, sed tamen Malaspina suspicatur mendum esse in nomine *exemplum*, quia, inquit, *exemplum* sit alicuius viri, dicti factive inductio ad aliquid aut confirmandum aut infirmandum. atqui valde angustam exempli definitionem affert, quum sint exempla etiam publica et publicarum personarum, atque adeo populorum. non displicet tamen mihi eius coniectura, qua mavult legi, *quem exitum?* verum hac lege, si deinceps ita legatur, *quam spem?*

Ibid. p. 826. AD QUAE EGO. subintellige, *respondi*. sic autem esse legendum et sententia et veritas ipsa pervincunt.

Ibid. IURABAT AD SUMMAM QUOD NULLO NEGOTIO FACERET AMICISSIMUM MIHI CAESAREM ESSE NON DUBITO INQUAM ID ENIM SCRIPSIT AD ME DOLABELLA SCIO INQUIT AFFIRMABATQUE QUOD SCRIPSISSET CAESAREM CUPERE ME AD URBEM VENIRE ILLUM EI QUIDEM GRATIAS AGERE MAXIMAS IDQUE NON MODO PROBARE SED ETIAM GAUDERE. totus hic locus ab iisdem illis doctissimis viris, quos supra tacito nomine descripsi, mira et facilitate et felicitate, nulla fere ex parte relictis scripturae veteris et receptae vestigiis, restitutus est.

Ibid. ET QUAM IPSE METUO NE PRO ILLO SIT SUPPLICANDUM! primum *supplicandum* legitur in omnibus fere libris manu scriptis, deinde *metuo* non longe abest a vulgata scriptura *invito*. iam hoc *invito*, quod item est in omnibus libris, verbum potest esse, si hanc scripturam recipiamus, hoc modo, *quam ipse me ad hoc invito et incito*, si sit pro L. filio supplicandum! alii ita legendum censent, *quam ipse me invito? quae porro illa sint, suspicandum*. et ita explicant, *quam ipse me invito?* sub-

intellige, ad Caesarem profectus est? ut *invito* sit nomen. ego si *suspicandum* et *invito*, retinere placeat, sic legi malim, *et quam ipso me invito, si quid pro illo sit suspicandum*? ut sit hic Ciceronis sensus: quam ipso me invito suspicandum aliquid est de Quinto, si quid sit de illo suspicandum?

5. p. 827. QUOD MIHI MANDAS DE QUODAM REGENDO. Victorius legendum censet, *de Quinto regendo.* a quo dissentire difficile est, in tam probabili coniectura. sequitur deinceps *ἀρκαδίαν*, quod rectum et emendatum est, ac responsio Ciceronis est ad illud alludentis [Herodoti 1, 66.] *Ἀρκαδίαν μ' αἰτεῖς, μέγα μ' αἰτεῖς· οὔ τοι δώσω.* hanc lectionem confirmat codex Turnesianus, in quo scriptum est *ἀρκλίαν.* observatum est autem in libris veteribus saepe λ pro δ esse positum, et contra δ pro λ [cf. Turnebum Adversariis 18, 10.]. paucis post, ubi libri omnes habent, *modestior non ero*, quidam legi volunt *molestior* [litterarum *d* et *l* tralaticia variatione. vid. Drakenborch. ad Livii 4. 10, 7.].

6 (7.). p. 829. FRETO SICILIENSI CURIO. legendum, ut habent libri aliquot veteres, in his Turnesianus, *fretensi Curio* [vid. Turnebum Adversariis l. l.]. *fretensi* autem, id est Siculo [vid. Oudendorp. ad Caesaris I. de B. G. 19, 1. p. 556.].

7 (8.). p. 830. ISTUM ENIM VICTOREM MAGIS RELINQUENDUM PUTO QUAM VICTUM ET FIDENTEM MAGIS QUAM DIFFIDENTEM SUIS REBUS. quis non videt, vel libris omnibus adversantibus ac reclamantibus sic legendum esse?

Ibid. p. 831. QUOD MALUM MAIUS SEU TANTUM? si deleatur hoc totum sive *seu tantum*, sive *scilicet tantum*, || ut alii libri habent, neque quicquam desiderabitur, et sententia erit facilis et plana. *b.*
nam haec quidem verba videntur esse inculcata. ex codicis tamen Turnesiani scriptura, quae talis est, *quod malus scilicet tantum denique an quid turpius* etc., licet ita legere, *quod malum scilicet maius, aut tantum? denique quid turpius?* vel sic, *quod malum scilicet tantum? denique quid turpius?* et cetera [cf. Adr. Turnebum Adversariis 18, 9.].

Ibid. AN QUI ANNIS ABHINC NOVEM ABSENTIS SOLUS TULI SCELUS EIUSDEM CUM POMPEIO ET CUM RELIQUIS PRINCIPIBUS NON FERAM? alii aliter, ego sic hunc locum emendandum puto, Faerni approbata coniectura [vide Turnebum Adversariis l. l.].

Ibid. FATEAMUR ENIM QUOD EST NE RESPONDEAMUS QUIDEM UT POSSUMUS. haec mea coniectura est in hoc loco restituendo, adeo illa quidem certa, ut qui eam non probet, vel hebes vel malevolus sit iudicandus. est autem concessio. emendatio autem et coniectura facilis est, *respondeamus*, *condamus.* natum enim mendum est ex librariorum consuetudine, qui *respondemus* sic scribebant, *rondeamus* aut *rundamus.*

Ibid. SENSERAM ENIM QUAM IDEM ESSENT. vel ita legendum, vel hoc modo, *quam idem sentirent.*

Ibid. p. 832. NISI FORTE ME SARDANAPALI VICE IN MEO LECTULO MORI MALLE CENSUERIS. liber Turnesianus habet litteris integris, *Sardanapali vicem in suo lectulo*, et cetera [ex Indice Erratorum p. 566. *vicem* reponendum.].

Ibid. p. 833. EO VELIM TAM FACILI UTI POSSEM ET TAM BONO IN ME QUAM CURIO. sic est legendum, non, *quam Curionem* [neque, *quam Curione*, quod vulgo obtrudunt Lambino]. precatur enim, ut Antonius sese tam facilem et tam bonum in ipsum praebeat, quam in Curionem [Curium], quem patiatur quiescere et Melitae esse.

9 (8. B.). p. 834. ET PRO NOSTRA BENIVOLENTIA PETENDUM. lege, *et a te pro* [*? nostra*] *benivolentia*, etc. [videtur Lambinus sic voluisse, quicquid dicat Gothofredus, *et a te pro benivolentia nostra*.].

10 (9.). CUM ALLICIT POSTUMIA SED ET SERVIUS F. sic hunc locum emendandum esse puto. sententia autem optima et planissima est. nam Postumia Servii uxor, [et] Servius filius in iisdem locis erant, in quibus Cicero.

12 (10). p. 837. VIDE QUAM AD HAEC τυραννικῶς. codex Turnesianus habet, *quam ad haec* παρηνικῶς. unde suspicor, aliquid subesse ulceris. quid si igitur legamus παραινετικῶς? ut sit εἰρωνεία. vide, inquit, quam ad haec rescripserit suasorie, id est imperiose et tyrannice! quid, si potius παροινικῶς? id est, vinolente, petulanter, contumeliose.

Ibid. EGO VERO VEL LINTRICULO SI NAVIS NON ERIT ERIPIAM ME EX ISTORUM PARICIDIO. ex antiquae scripturae vestigiis probabilis est eorum coniectura, qui sic legi volunt, *vel lintriculo*. quamquam licet etiam *vel utriculo* reponere [vid. Turnebum Adverss. 18, 10.]. codex quidem Turnesianus sic habet, *vel lutridiculo*. omnino ego *lintriculo* legi malim. nam *utriculis* dixisset, non, *utriculo*.

13 (11.). p. 838. SED HABENT NIHIL ὕπουλον. malim sic legi, *sed tamen nihil*, etc., seu, *sed habent tamen nihil*, etc

14 (12.). p. 839. NOMINATIM DE ME SIBI IMPETRATURUM DICIT ANTONIUS. codex Turnesianus habet, *sibi imperaturum*, unde doctus quidam coniecerat legendum, *impetraturum*. ego autem vel *impetratum*, vel *imperatum* potius malim legi [vid. Erratt. Indicem p. 366.].

Ibid. p. 841. MODO ALIQUOD SIT ἦθος ἀκιμώλιον. secutus sum antiquae scripturae vestigia et Sebastiani Corradi coniecturam. ἀκιμώλιον autem valet non fucatum, verum, sincerum minimeque simulatum. Adrianus Turnebus tamen ἀδόκιμον legit. cuius scripturae rationem non video. nam ut sententia, quae postulatur, exprimatur, legendum sit potius δόκιμον. Manutius autem ἄκιμον putabat legi posse, id est, mores sanabiles.

15 (13.). p. ead. DORMIIT AD H. III. id est, *ad horam tertiam*.

Ibid. p. 842. ETSI UT OPINOR HABES *εὐίλατον νοῦν.* sic legendum putabam, coniectura facta ex quorundam librorum manu scriptorum non obscurissimis vestigiis, *εὐιτεονοῦν.* nisi quis malit legi, *εὐίλεων νοῦν*, quod propius etiam accedet ad antiquam. *εὐίλεων* autem, sive *εὐίλατον νοῦν*, id est, placabilem mentem et propitiam, quae sententia ad hunc locum videtur quadrare. sed codex Turnesianus habet litteris integris, *EKITAONON*, unde mihi persuadeo, probabilem esse lectionem vulgatam, *Scytha ὄνον.* est autem proverbium *σκύθης ὄνον*, quod in eum usurpatur, qui aliud agit, aliud simulat, natum ab eo asino, qui quum asini cadaver coram aliis reiecisset et aspernatus esset, illis degressis avidissime eo vesci coepit [deinceps reponendum ex Indice Erratorum p. 566. *o vitam miseram*, et cetera. quod est aliis initium sequentis epistolae.].

16 (14.). p. 843. ET ID IPSUM CERTO FORE. nempe ut damnati restituerentur. nonnulli libri habent, *certe fore.* quod probo.

17 (15). p. 844. SED TU ISTOS. haec vulgata lectio est, quam tuentur Manutius et Corradus, ut subintelligant *urge*, aut aliquid simile. sed Petrus Victorius ex antiquae scripturae vestigiis, *seductos*, putat legendum, || *sed dii istos*, subintelli- p. 472.
ge, *perdant.* ego in codice Turnesiano *sed dii istos* litteris a.
integris atque expressis reperi. quare sic reponendum itaque legendum.

18 (16.). p. 845. ET UT OPINOR ACERRIME OBSERVABIMUS. omnes libri manu scripti habent, *asservabimus* [vid. ad Livii 27. 19, 11. Tom. 8. p. 597.]. quod quum hic locum videatur non habere, verendum est, ne locus sit mendosus. quid, si legamus, *acerrime asseveravimus?* id est, valde seu vehementer asseveravimus, nos in Italia mansuros neque ad Pompeium profecturos.

Ibid. ME VELLE POSTRIDIE CONVENIRE. quidam libri non habent verbum *convenire.* quos si in eo probabimus, dicemus Ciceronem esse comice locutum, pro *velle eos mecum loqui.* sic Terentius, *te volo, te ipsum cupio, quis me vult?* sed codex Turnesianus habet verbum integrum. quare censeo retinendum.

Ibid. p 846. ET NON MODO MORBUM REMOVISTI. etiam Memmiani codices, non solum ii quibus usus est Malaspina, habent, *et nedum morbum.* quos tamen non sum secutus, propter insolentiam locutionis. notandus tamen locus, et testimonium tot librorum veterum non est contemnendum. Turnesianus tamen excipiendus, qui habet *novum morbum.* quod fortasse depravatum est ex *non modo*, quum ita scriptum esset, *non modo*, deinde ex hoc factum *nouo*, et hinc *novum.*

20 (18.). p. 847. FORMIAS NUNC [hoc addidi ex Indice Erratorum p. 566.] SEQUIMUR EODEM NOS FORTASSE FURIAE PERSEQUEN-

TUR. secutus sum codicem Turnesianum, cum quo multi alii antiqui consentiunt. verumtamen, ne quid dissimulem, mihi magis placet vulgata lectio, *furias nunc sequimur, eaedem nos fortasse* [? furiae] *persequentur* [sed quae praeterea Clericus habet, p. Gronov. 960, 19., ea videtur ille margini repetitionum Lambinianarum accepta referre.]. et vetueram quicquam mutari. praeterea opera hic omiserunt *nunc*.

XI, 3. p. 851. EA TAMEN ERUNT MINORA. malim legi, *erunt leviora*.

6. p. 853. RECIPIO TEMPORE ME MODO TU NUNC AD BALBUM ET OPPIUM. locus depravatissimus, qui sic legitur in omnibus fere libris antiquis, *recipio tempore me domo, te nunc ad Oppium*, et cetera. ego in his tenebris nihil video. verumtamen coniecturam meam non celabo lectorem. sic igitur putabam legi posse, *resipio de domo, tu nunc ad Oppium, etc.* id est, respiro et minus iam sollicitus sum, quod scribis omnia esse tranquilla de domo. nam supra huius libri ep. 2. [p. 325, 35.] scripsit Chrysippum sibi dixisse, *nescio quid parari de domo*. vocem *tempore* autem foris illatam puto propter vocem *domo* seu *domum*, et verbum *recipio*. sed Iosephus Scaliger Scaligeri fil. totum hunc locum sic legendum et interpretandum putat, *in turbam conieci ad oppidum accedens, ne quis impetus militum fieret, recipio tempore me. tu nunc, etc.* putat enim vocem *domo* seu *modo* esse adiectam, propter verbum *recipio*.

7. p. 856. extr. ALTERUM EST CUR TE NOLIM DISCEDERE QUOD SCRIBIS TE FLAGITARI. sic edendum curavi, libros veteres secutus, in quibus ita plane legitur. *flagitari* autem, scilicet a Tullia. lege epist. 2. huius libri.

9. p. 858. NIHIL MIHI MALI CAUSA ATTULIT. nihil muto, quamvis duo libri manu scripti, quos Malaspina commemorat, habeant *casus*. *causa* enim *Pompeiana* significatur. hoc primum. deinde sic habent codices Memmiani et nonnulli alii Italici, et omnes vulgati; Turnesianus *causas*, mendose.

10. p. 860. P. TERENTIUS MEUS NECESSARIUS OPERAS IN PORTU ET SCRIPTURA ASIAE PRO MAGISTRO DEDIT. codices Memmiani habent, *meus necessarius magnas operas in portu*, et cetera [Ernest. l. l. n. 51. »*operas dant* ministri publicanorum, in *portu* »portitores, et in eorum numero est etiam *pro magistro* qui »dicitur.«].

16. p. 866. NEQUE ENIM ULLA DE ADVENTU EIUS OPINIO EST. sic restitui, quum in omnibus libris hic locus esset corruptus, in quibus legitur partim *neque enim valde adventus*, partim *valde adventu*, et cetera. nunquam enim *valde* cum substantivo, ut appellant, nomine coniungitur. ita una littera

addita et duabus locum inter se permutare iussis ex *val* feci *ula*, deinde *l* addita *ulla*. quae emendandi ratio, nisi me fallit, verecunda est.

Ibid. p. 868. ID ENIM MIHI ERIT PRO DESPERATO. Memmiani codices habent, *pro explorato*. quam scripturae varietatem notat et Corradus, additque sibi probari. a quo non dissentio. aut certe *pro deplorato* legendum sit potius, quam *pro desperato*.

19 (25.). p. 876. QUAS EUNTES POSTEA NUNTII CONFIRMARUNT. quamobrem hanc || codicum veterum scripturam respuerem, *b.* causa nulla visa est.

Ibid. QUOD AD TE IAMPRIDEM DE TESTAMENTO SCRIPSI VELIM APUD TE QUOD POSTULAS UT POSSIM EGO ADVERSUS HUIUS MISERIAM TUA FACULTATE FRETUS CONFLICTARI. hic locus partem Corradi, partim duorum amicorum meorum, doctorum hominum, coniectura, quam nonnihil ipse adiuvi, emendatus est, ita certe immutatus, ut sententiam et planam et cum argumento harum epistolarum consentaneam contineat, neque valde longe a scriptura recepta discedat. huius autem loci haec sententia est: velim apud te igitur testamentum deponat Terentia ut scribitur planius epistola vicesima secunda [p. Lambin. 334, 32. epist. 24. p. Ernest. 874.]). *peteris eam monere, ut alicui committat, cuius extra periculum huius belli fortuna sit. equidem tibi potissimum velim, si idem illa vellet; quam quidem celo miseram, me hoc timere.*

24 (21.). p. 871. ET CUM RELIQUIS ETIAM LOCI GRAVITAS HIC MISERRIME PERFERENDA. codex Turnesianus habet, *huic miserrimae perferenda*. quod tamen non sequor, neque probo. idem enim hic dicitur, quod epistola sequente [22. p. Ernest. 872.], *vix sustineo gravitatem huius caeli*. ex quibus verbis velim etiam hic legi, *etiam caeli gravitas hic miserrime perferenda.*

XII, 3. p. 880. SED LUDIS FACTIS OLYMPO SUBSIDIO CURRAT. codex Turnesianus habet *Clypo*, alii *Calypo*, alii *Calypso*. unde quidam legi volunt *Crispus*.

5. p. 881. QUID AUTEM SI IN HANC REM ἔρανον A TE? quum me offenderet vulgata lectio, a qua non admodum discrepat antiqua, *quod autem osim hanc rem*, etc., neque doctissimi quidam viri mihi probarent huius loci explicationem: ego Corradi coniecturam, *quid autem, si in hanc rem*, etc., initio tanquam probabilem secutus eram, sed mei me facti postea poenituit, quum in codice Turnesiano scripturae veteris vestigia contentis oculis inspexi attenteque consideravi, quae talis est, *quod autem osin hanc rem*. venit enim mihi in mentem, *osin* esse dividendum, et ex una coniunctaque voce duas esse faciendas, ut sit *os in*, atque ita hunc locum legamus, *quod autem os in hanc rem*,

ἔρανον a te? id est, quae haec impudentia est Q fratris, petere abs te pecuniam in hanc rem [ex Omissis ad calcem Tomi 1. p. 382.]?

Ibid. FAC NON AD διψῶσαν κρήνην SED AD πειρήνην EUM VENISSE ET ἄμπνευμα σεμνὸν Ἀλφείου κρήνην UT SCRIBIS HAURIRE IN TANTIS SUIS PRAESERTIM ANGUSTIIS ποῖ ταῦτ' ἄρ' ἀποσκήψει; secutus sum in hoc loco Manutii coniecturam, quod non fecissem, nisi libri veteres, et maxime Turnesianus, eam confirmarent, in quibus est post vocem Ἀλφείου νετρήνην, unde pudenter licet facere κρήνην. non dubium est autem, quin significetur Arethusa aut Ortygia, quae Arethusam continet, ut ex Pindari primo carmine Νεμ., unde haec verba sumpta sunt, et eius interprete intelligere licet. sed videtur vox κρήνην esse supervacanea: ea enim detracta sententia est plana. quod Auratus noster existimat. movent me tamen codices veteres, nisi quis dicat vocem illam natam esse ex glossa. addidi autem copulam *et* post verbum *venisse*, Malaespinae assensus. Auratus mavult addi disiunctionis particulam *vel.* per hos fontes autem Pirenem et Arethusam, quorum alter est Syracusis, alter Corinthi, significat opes Corinthias et Syracusanas. paullo ante ubi omnes libri habent, *quod autem osim hanc rem*, Corradus vult legi, *quid autem si in hanc rem*, et cetera. quem secutus sum [ex Omissis ad calcem Tom. 4. p. 625. Pindari locus Nemm. 1, 1. p. Boeckh. 127.].

Ibid. p. 882. NICASIONUMQUE ἀρχέτυπα FUGIENDA. sic edendum curavi, scripturae veteris auctoritatem secutus. *Nicasiones* autem argentarios fuisse aut feneratores credibile est.

13 (12.). p. 886. ἐκγόνιμος EST. legendum αἰγόνομος, ut Turnebo videtur. αἰγόνομον autem interpretor locum asperum, sterilem, montosum, desertum et quasi a capris depastum. quod et Adriano Turnebo videtur [ex Omissis post Tom. 1. p. 382.].

14. p. 888. OMNIAQUE NITOR. nihilo magis praepositionem *ad* habent codices Memmiani, quam Italici. itaque nos eam delendam curavimus.

22 (23.). p. 895. ET TAMEN SI QUA ME RES ISTO ABDUXERIT. etiam Memmiani codices habent, *adduxerit.* ego tamen nihil muto.

24 (25.). p. 898. IN QUA SCIO ME τετυφῶσθαι. sic legendum est potius, quam τετυφλῶσθαι. τετυφῶσθαι autem significat *insanisse.* alii legunt τετυφλῶσθαι, id est, caecum fuisse.

27 (28.). p. 899. FUIT MEUM QUIDEM IAMPRIDEM REM PUBLICAM REGERE. codex Turnesianus habet, *rem publicam lugere.*

28 (29.). p. 901. SI SUNT IGITUR AUCTORES FUTURI ETIAM SI QUA IACTURA FACIENDA SIT IN REPRAESENTANDO QUOAD POSSUM AD-

DUCITO. quoad possum pervenire, id est, ad eam summam, quam possum repraesentare, adducito.

29 (30). p. 902. QUOD SCRIBIS TE FUTURUM PUTARE CUM OVIA UT CONFICIATUR ITA QUAESO QUIDEM. hunc locum aliquot vocum ordine perturbato valde obscurum et mendosum, iis vocibus in suum locum restitutis, emendavi [Lambinum scripsisse, *cum Ovia, quaeso, vide ut conficiatur*, auctor est Clericus p. 976, 7. vetus codex apud Gothofredum Tom. 3. p. 489. ita habere dicitur, *quod scribis, te ita futurum putare, cum Ovia, quaeso, conficiatur.*].

30 (31.). p. ead. SI ADDIDERIMUS ALIUD A QUO REFUGIAT QUUM AB IPSO FUERIT DESTINATUM VENDITURUM. consentiunt hic libri veteres cum vulgatis. verumtamen docti quidam sic legendum putant, *si adierimus aliud, a quo refugiat, quum ab ipso fuerit aestimatum*, et cetera.

Ibid. DE SILANIANIS SI NON ADDUCERETUR UT VENDERET SI VENALES NON HABERET TRANSIREM AD DRUSUM VEL TANTI QUANTI EGNATIUS ILLUM VELLE TIBI DIXIT. sic esse legendum sententia ipsa pervincit, non ut habent omnes libri, *si modo* [*adduceretur*]. quam saepe autem scriptores librarii peccarint in scribendo *non* pro *modo*, et *modo* pro *non*, sciunt qui libros manu scriptos assidue tractant [vid. ad Partt. Oratorias C. 33. §. 111. et cf. Drakenborch. ad Livii 4. 56, 6. et ad 9. 11, 11.].

36 (37.). p. 905. A TE HERI DUAS EPISTOLAS ACCEPI. leve est, quod mihi venit in mentem, sed tamen quicquid sit lectorem non celabo. hoc *accepi* puto esse subditicium et alienum, atque ita a Cicerone scriptum, *a te heri duas epistolas, alteram*, et cetera. sumitur autem inferne ἀπὸ κοινοῦ inde *accepique*, et cetera. quod genus loquendi veteribus est usitatum, ut nos alibi admonuimus. quanquam hanc suspicionem refellit codex Turnesianus, in quo sic legitur, *accepique ab Aegypta L. eodem die*, etc. *L.* autem valet *liberto*, et *accepi* positum pro cognovi.

Ibid. TUAE LITTERAE MIHI REDDITAE SUNT TERTIO DECIMO DIE. legendum, ut habet codex Turnesianus, *quae litterae mihi redditae sunt*, et cetera [*hae litterae* Lambino vindicat Gothofredus Tom. 3. p. 491]. quamvis autem *recipi* sit in omnibus libris vulgatis, *accipi* tamen reposui, ut habent codices Memmiani et Turnesianus.

37 (38.) p. 907. SIVE HANC ABERRATIONEM A DOLORE DELEGERIM MAXIME QUAE EST LIBERALISSIMA. sic edendum curavi libris omnibus invitis, in quibus ita legitur, *sive hanc aberrationem a dolore delegerim, quae maxime liberalissima.*

40 (41.) p. 909. || PUTO TERENTIUM ESSE DOMINUM. codex Turnesianus habet, *puto tertium esse dominum*, mendose, opinor. p. 473. a.

43 (44.). p. 912. PHILOTIMUS NEC CARTEIAE POMPEIUM TENERI.

secutus sum Manutii coniecturam. nam codex Turnesianus plane habet, ut vulgati, *nec Cartini Pompeium teneri.* ex qua scriptura Turnebus existimat legendum potius, *negat Cn. Pompeium teneri* [ex Omissis post Tom. 1. p. 382. Turnebi coniecturae nonnihil addidisse Lambinum, ut sic esset, *Philotimus negat Carteiae Cn. Pompeium teneri*, auctor est Gothofredus p. 495.].

XIII, 2. p. 918. OMNINO EUM SEXTIUS NOSTER PAROCHIIS PUBLICIS OCCUPAVIT. codex Turnesianus consentit et congruit cum libris Malaespinae. quapropter censeo hic esse reponendum, *parochus publicus.*

6. p. 920. COLUMNARIUM VIDE NE NULLUM [sic corrigendum ex Indice Erratorum p. 566.] DEBEAMUS. sic habet codex Turnesianus, cuius apud me magna est auctoritas. huius autem scripturae haec sententia est: si diligenter cogitabis, reperies, nos nullum debere columnarium. Manutius et Malaspina tamen malunt legi, *ne ullum.*

Ibid. NEC COHEREDIBUS SOLUM HERENNIANIS SED ETIAM UT SCIS (TU ENIM MECUM EGISTI) DE PUERO LUCULLO. quidam sic legi volunt, *nec cum coheredibus solum Herennianis, sed etiam, ut scis tu, mecum egit de puero Lucullo*, et cetera. codex quidem Turnesianus habet, *nec cum heredibus*, etc. omnino locus est obscurus et fortasse corruptus.

7. p. 922. MISI EQUIDEM EI NUNTIARI. legendum ut est in codice Turnesiano et aliis fere omnibus, *iussi equidem* etc. atque ita iusseram excudi [confunduntur omnino hae voces in codicibus antiquis. vid. quae annotantur ab Drakenborchio ad Livii 3. 4, 11. p. 41.].

10. p. 923. *οὐ γὰρ ὀνειδείως.* codex Turnesianus habet, *οὐ γὰρ ὄνειδος*, quod malo [Victorianum *οὐ ταῦτ' ὄνειδος* Lambino vindicat Gothofredus p. 561.].

17. p. 927. DIE VI. KALEND. EXSPECTABAM ROMA ALIQUID. sic fere Corradus. ego autem ex *de* feci *die*, quod videtur rectum: nisi quis malit legi, *a. d. VI.*, id est, ante diem sextum, quod idem valet, ut diximus. paullo post putant quidam legendum *novi* pro *non*, ut ita legatur deinceps, *exspectabam Roma aliquid novi*, deinde, *imperasses igitur aliquid tuis*, id est, debueras tuis imperare, ut aliquid ad me novi Roma scriberent. sed ego scripturam antiquam repraesentare malui.

19. p 928. ACADEMICAM OMNEM QUAESTIONEM LIBRIS QUATTUOR. nihil subintelligendum, nihilve a librariis omissum, ut Manutio videtur. neque hoc totum, *Academicam omnem quaestionem libris quattuor*, delendum, ut alienum et ex annotatione natum, nam verbum *absolvi*, quod antecedit, ad haec pertinet.

20. p. 930. CURANDUM ENIM NON EST NIHILQUE MELIUS ATQUE HOC IN OMNI VITA SUA QUEMQUE A RECTA CONSCIENTIA TRAVERSUM UNGUEM NON OPORTERE DISCEDERE. hunc locum restituto verborum ordine, qui foede fuerat perturbatus, emendavi partim Corradi sententiam, partim codices antiquos, partim Ciceronis sensum secutus. verumtamen quidam sic legi malunt, *nonnihil enim curandum nobis est, nihilque melius*, et cetera.

21. ead. p. QUARE FACIES UT ITA SIT IN LIBRO QUEMADMODUM FUIT. nempe in primo libro de Oratore ad Q. fratrem, ubi sic M. Tullius initio scripserat [p. Lambini 122, 30. nobis C. 33. §. 153.], *ut concitato navigio quum remiges sustinuerunt, retinet tamen ipsa navis motum*, et cetera. postea autem, Attici sententiam secutus, *inhibuerunt* reposuerat, quod nunc Ciceroni non probatur, iubetque ut ita sit in libro, quemadmodum fuit, nempe *sustinuerunt*. aut dicendum, in uno aliquo ex libris Academicarum Quaestionum, qui non extet, aut, ut Manutio videtur, in 2. Academm., ibi [p. Lambin. 28, 31. nobis c. 29. §. 94.], *equos sustinebo*, ut declarant ea quae sequuntur. nihilo minus tamen primo libro de Oratore legendum *sustinuerunt*, quemadmodum edendum curavi, maneoque in sententia, ut putem significari primum librum de Oratore. nam libri Academici nondum erant editi, nondumque ad Varronem neque ad quemquam pervenerant, ut intelligere licet ex iis, quae infra scripta sunt.

Ibid. p. 931. QUONIAM AUTEM FUGIT ME TIBI DICERE. sic legendum, non *quomodo* [*autem*], ut habent omnes libri vulgati, neque *quum* aut *cum*, ut manu scripti. nam *quom*, quod est in libris manu scriptis, valet *quoniam*. ita enim saepe scribebant librarii, *quom*.

Ibid. p. 932. DE ATTICA OPTIME QUOD LEVIUS ET QUOD FERT εὐκόλως. adverbium *lenius* cum copula *ac*, quae sunt in libris vulgatis, deleri iussi ut foris illata, aliena et ex declaratione adverbii εὐκόλως nata [corrige Clericana p. Gronov. 985, 94.].

22. p. 933. SED HABET εὐλογίαν. quidam legunt εὐγηρίαν, id est, tranquillam et prosperam senectutem, alii εὐκολίαν.

Ibid. A QUIS SINE TE OPPRIMI MALITIA EST. codex Turnesianus habet, *militia est*. quae scriptura quid sibi velit, divinare non possum.

23. ead. p. SUNT ENIM DETEXTI UT VIDISTI. sic emendavimus, scripturae veteris || vestigia secuti. *detexti* autem valet b.
idem, quod *absoluti* et *confecti*. tralatio sumpta est a tela [cf. Pareum Lex. Crit. p. 344, 1.].

26. p. 936. DE VIRGILII PARTE VALDE PROBO. non dubium est, quin haec epistola in libro superiore collocari debeat: quod vidit Manutius.

31. p. 941. κεπφικά. nihil puto mutandum, quanquam Corradus putat et mavult legi πέφρικα. ego si quid esset mutandum, mallem legi κέκρικα [Lambini ratio probatur Tunstallo p. 146., admisit correctionem cum Graevio Ernestus, quem vide l. l. n. 30. e vetere codice κέκριμα attulit Gothofredus p. 510., Lambino vindicans.].

Ibid. UTRUM LIBERET FACERET POSSE AUCTORE ME. alii aliter, ego sic hunc locum restituendum esse arbitror. corruptum autem esse credibile est ab indoctis, qui quum *faceret posse* sine distinctione legerent, neque viderent, *faceret* separatim esse legendum et pertinere ad verbum *suadebam*, ex *faceret facere*, ex *posse posset* fecerunt, et ita hunc locum corruperunt.

33. p. 944. SED SI PLANCUS DESTINAT TUM HABET RES DIFFICULTATEM. sic potius legendum, quam ut in vulgatis, *tum haberes*. non displicet mihi tamen ea lectio, quam affert Malaspina, *sed si Plancus destinatum habet, habet res difficultatem*. omnino in hac utravis lectione desidero *sibi*, ante *destinat* aut *destinatum* [*habet*].

Ibid. DICAEARCHI LIBRUM ACCEPI καταβάσεως EXSPECTO, velim legi, *Dicaearchi librum* περὶ ψυχῆς, et cetera.

Ibid. VIDE ETIAM QUO ANNO QUAESTOR AUT TRIBUNUS MIL. FUERIT SI NEUTRUM EODEM IN PRAEF. AN IN CONTUBER. FUERIT MODO FUERIT IN EO BELLO. sic legendum puto, et ita fere Corradus, nisi quod *in* mutat in *ne*. significant autem haec dimidiata verba *praefectis*, *contubernalibus*.

37. p. 947. SI CAESAR MORARETUR POSSE DIEM DIFFERRI. sic est legendum, et ita scriptum est in codicibus Memmianis et Huraltino et Turnesiano.

39. p. 948. ET MAXIME Φαίδρου περὶ ὁρῶν τῆς Ἑλλάδος. quum antiquae scripturae vestigia acriter intueor, non puto quicquam posse aut divinius aut verius excogitari Corradi coniectura. nisi quis forte dicat legendum potius mutato spiritu et accentu, περὶ ὅρων, id est, de terminis aut finibus [atque hoc ipsum est, quod Lambino vindicavit Gothofredus p. 513.]. hic operarii isti praepostere fecerunt, περὶ ὁρῶν τὰς [non τᾶς] Ἑλλῆδος [correxi ex Indice Erratorum p. 566.].

Ibid. p. extr. 40. Ernest. HIC AUTEM UT FUIT TUM EST. sic legendum conieci, non ut vulgo, *ut fultum est*.

Ibid. p. 949. PATER HODIE AD SAXA κρούνωμα. sic legendum censet Turnebus, non longe discedens ab antiqua scriptura. mendose autem hic operae fecerunt κρούνομα, per ο μικρόν [dederunt illi perplexius etiam κρούννομα, castigati hoc nomine ab Lambino in Ind. Erratt. p. 566. e vetere codice Lambinum dedisse *ad saxa Acronoma*, auctor est Gothofredus p. 513.].

44 (45.). p. 952. LAMIA QUIDAM A BALBO UT VIDEBATUR AUDI-

VERAT MULTOS NUMMOS DOMI ESSE NUMERATOS QUOS OPORTERET QUAM PRIMUM DIVIDI MAGNUM PONDUS ARGENTI AUCTIONEM PRAETER PRAEDIA PRIMO QUOQUE TEMPORE FIERI OPORTERE. videtur potius sic esse legendum, ordine mutato, *pondus argenti, praeter praedia*, seu *praeterea praedia: auctionem primo quoque tempore fieri oportere.* quod idem videtur Malaespinae.

45 (46.). p. ead. DE SUA CURATIONE LABORANS. vel sic legendum, vel ut nonnulli libri habent, *de sua re ac ratione laborans.* quod probo.

50 (52.). p. 957. POST H. VIII. IN BALNEUM DUM AUDIVIT DE MAMURRA VULTUM NON MUTAVIT. dii male faciant operariis istis omnium mortalium tardissimis, indoctissimis, contumacissimis, quibus quum hunc locum ex auctoritate librorum manu scriptorum emendatum tradidissem et quasi mansum in os inseruissem, pro *balneum*, quod tamen erat in vulgatis, fecerunt *balnest*, pro *de Mamurra, vultum non mutavit*, fecerunt *de Mamurcam ultum*, et cetera [vid Ind. Erratt. p. 566.].

XIIII, 4. p. 961. NUNC QUID PUTAS ME LANUVII [sic habet lemma praescriptum annotationi]. quidam legi volunt, *numquid putas*, etc. quod probo [et sic dedit Lambinus p. 367, 5. »alios« sic legere narrat Gothofredus p. 519., ipse coniicit, *nam quid putas me Lanuvii?*].

7. p. 963. LITTERAE SANE *πεπινωμέναι*. sic legendum, et ita scriptum est in codicibus Memmianis et Turnesiano. quam scripturam et Corradus notat [edebatur *πεπυκνωμέναι*, sed id ipsum Victorius auctoritate codicum manu scriptorum in *πεπιγνωμέναι* mutaverat. vid. 15. Epp. ad Atticum 16. p. 1004.].

Ibid. OMNINO EGO VOLO MENSE QUINCTILI IN GRAECIAM SI SINT OMNIA FACILIORA. hunc locum paucis vocibus emendatis et mutata interpunctione, non sine adiumento librorum manu scriptorum, restitui ac perpurgavi.

12. p. 967. VERUM ILLUC REFERO. legendum fortasse est, *verum me illuc refero.*

13. p. 969. SIN AUTEM MANSERO FORE REM EQUIDEM VIDEO IN DISCRIMINE. vel sic legendum, ut edendum curavi, vel, *fore me quidem video*, et cetera.

14 (non 13. corrigendi enim et ab hoc loco sunt epistolarum numeri, quarum 25. hoc libro comprehenduntur. est haec 13. A. Ernest.). p. 970. || QUAM OB CAUSAM [non *rem*, ut est p. 474. a.
in lemmate] VEREOR NE ABSENTIA MEA LEVIOR SIT APUD TE. sic habent omnes libri veteres, quos vidi, et, ut opinor, quos non vidi. Erricus Stephanus tamen arbitratur legendum, *non ve-*

reor ne absentia; quia scilicet negotiis et occupationibus impeditus sit, ne coram agere cum Cicerone posset, et ita excusandus. sed ego responderim, Antonium vereri, ne sua absentia minus auctoritatis habeat apud Ciceronem, quia cum Cicerone coram non agat, sed per litteras. sequitur enim, *quam ob causam vereor*, etc., id est, *quia tecum coram non ago.*

20 (17. A.). p. 977. extr. AD TE TRANSFUDERIM. quidam libri veteres habent, *transtulerim*, Turnesianus, *transferam.*

24 (21.). p. 984. QUARE TALARIA VIDEAMUS. nonnulli libri habent, *induamus* [mutatis, propter ductuum similitudinem, *ui* sive *vi* et *in*. vid. Drackenborch. ad Livii 25. 40, 2. Tom. 8. p. 218.], Turnesianus tamen, *videamus*. quem sequor.

XV, 1. p. 986. DEINDE AD SUMMAM. sic legendum, non *ad summum*. nam *ad summam* idem valet, quod *in summa*. Horatius epistola 2. lib. 1. [immo 1. 1, 106. sq.], *ad summam, sapiens uno minor est Iove, dives, Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum* [v. Commentaria Horatiana p. 205. D.].

Ibid. p. 987. ET FILIA τὸ ἐκ τοῦ αὐτοῦ. codex Turnesianus habet, *et filia tua*, τὸ ἐκ τούτου.

Ibid. QUIN ETIAM PAULLO POST CUMIS EAM VIDI. sic Corradus, nisi quod *clarius Cumis eam vidi* legit. nam libri veteres hic corrupti sunt [videndum, unde sua duxerit Gothofredus p. 534.].

4. p. 991. RIDES AT EGO DOLEO. Turnesianus codex sic habet, *rides abscondoleo*. de qua scriptura iudicet lector.

Ibid. SAUFEIUM DE RE CELEMUS. sic conieci legendum, litteris paullum immutatis, nempe ex *pe te de re* facto. Corradus sic, *pete ut celemus*, alii, *de te celemus*, alii, *petis ut celemus*. quod postremum mihi magis placeret [Lipsio AA. LL. 4, 19. placuit, *per te celemus*. quem vid. Operum Tom. 1. p. Vesal. 415.].

8. p. 995. UT QUID ACCIDISSET. legendum, *ut quicque* seu *ut quicquid*, id est, ut quicque. *quicquid* pro *quicque* dixisse veteres ostendimus in Commentariis Lucretianis [vide ad V. Epp. 1.]. omnino in codice Turnesiano legitur, *ut quicq.*

Ibid. SED CAVENDUM TAMEN UT ILLE »QUAE PLURES VIDENT.« videntur haec verba ex antiquo aliquo poeta sumpta. codex Turnesianus tamen habet, *quae plures videndae*, *sed aliquid*, et cetera.

9. p. 996. HANC LEGATARIAM PROVINCIAM. libri veteres habent, *legatoriam provinciam*, unde viri quidam docti putant legendum *relegatoriam*. quibus assentior.

Ibid. NOLO ENIM LACEDAEMONEM LONGINQUAM LANUVIUM EXISTIMARIS. codex Turnesianus habet, *existimavit.* mendose, opinor.

11. p. 999. NEC FACILE ADDI POTEST AD HOC GENUS LEGATIONIS UT QUUM VELIS INTROIRE EXIRE LICEAT. sic legendum videtur. nam libri manu scripti non habent *idque*, quod est in vulgatis, neque dubium est, quin alienum sit. *adeo* autem corruptum est, et legendum vel *ad hoc* vel *ad id.*

12. p. 1000. *τὰν δ' αἰτίαν τῶν Βρούτων τις εἶχεν.* id est, *hanc culpam Brutorum aliquis sustinebat.* legendum enim est sine interrogatione. supra autem, v. 2. huius paginae [p. Lambin. 382, 2. nobis ep. 11. p. 998.], codex Turnesianus habet, *in contumeliam*, ubi alii, *in contumelia* [Ernest. l. l. n. 73. »*accepisse in contumelia* verum est, ut recte iudi»cavit Gronovius, idque recepi.«].

13. p. ead. QUOD AD TE »ANTEA« ATQUE ADEO »PRIUS« SCRIPSI (SIC ENIM ME MAVIS DICERE) TU VERO AD SCRIBENDUM FECISTI ME ALACRIOREM. ego hunc locum magna ex parte Corradi coniecturam secutus, vocabulorum ordine, qui inversus erat, restituto, sic edendum curavi, ut nihil de meo addiderim. non displicet tamen Achillis Statii opinio, existimantis esse legendum *primus*, ubi est *prius*; neque dissentio ab iis, qui *alacriorem* pro *acriorem* reponunt. satis mihi fuit vocabula in eum ordinem redigere, ut ex iis commoda et probabilis sententia exprimi possit.

Ibid. p. 1001. GALLO CANINIO. quum libri nostri manu scripti habeant *Gallo aninio*, visa est mihi probabilis Corradi coniectura, existimantis legendum esse, *Gallo Caninio.* quanquam idem addit alteram, *Gallonio.* fuit autem *Gallonius* praeco, cuius nobilitata est profusio et luxuria [vide Lambini Commentaria Horatiana ad II. Satirr. 2, 47. p. 109. A.].

15. p. 1003. APUD ME ITEM PUTO DEPOSITUM. post vocem *depositum* videntur deesse notae, quae significabant, quantum esset depositum [»recte.« Ernest. l. l. n. 7.].

17. p. 1005. QUOD SCRIBIS TIBI DEESSE ~~LLS~~ C. codex Turnesianus habet, *quod scribis tibi desere.* quae scriptura clamat se esse corruptam.

20. p. 1007. VEL QUOD NICIAE NUNTIEM. mendose operae fecerunt, || *Niceae* [vid. Ind. Erratorum p. 566.]. *b.*

Ibid. p. 1009. SITNE AUTEM EXCITATA NECNE. codices Memmiani habent, *sitne autem explicata* [»mihi a glossatoribus esse »videtur quicquid hic est. satis erat, *sit autem necne.*« Ernest. l. l. n. 36.].

23 (24.). p. 1011. EO DIE BRUTUM H. II. PROFECTUM. secutus sum Corradi coniecturam, quam probat Malaspina, utpote cum antiqua scriptura valde consentaneam. sic enim habent codices manu scripti, *Brutum hns.* iam *H. II.*, id est, *hora secunda.*

25 (26.). p. 1012. M. AELIUM CURA LIBERA EI SINE PAUCOS SPECUS IN EXTREMO FUNDO ET EOS QUIDEM SUBTERRANEOS SERVITUTIS APUD TALNAE QUID HABITUROS. locus est corruptus. sic autem legitur in codice Turnesiano, *cura liberavis. me paucos specus*, etc. unde sic legendum puto, *cura liberabis. is me paucos specus*, et cetera. subintellige verbum *rogat*, aut simile.

Ibid. p. 1013. OCTAVAM PARTEM TULLIANARUM AEDIUM AD STRENAE MEMINERIS CUI. locus corruptus est, et insanabilis sine ope codicum manu scriptorum. Memmiani codices partim sic habent, *Tulli liminarum medium*, partim, *Tuli luminarum medium ad Streniae.* aliorum codicum antiquorum, quos ego non vidi, varietatem notat Malaspina. codex Turnesianus, ut quidam ex Memmianis, *tuli luminarum medium*, etc. Corradus legi posse putat, *Octavam partem tolli luminarium aedium ad Strenae memineris*, et cetera [vid. Gothofred. p. 547. et Clericum p. Gronovianae ed. 1009. sed frustra in his corrigendis et explicandis laborari Ernestus pronunciavit.].

XVI, 1. p. 1017. QUICQUAMNE TURPIUS QUAM BRUTO IUL. sic legendum. est autem haec sententia: potestne quicquam turpius esse Bruto, quam eius ludos ita esse proscriptos a Nonis Iuliis a. d. III. Idus? hic ibidem *θέωμεν* edendum curavimus, pro eo quod erat in vulgatis codicibus *ἐλθωμεν*, codicem Turnesianum secuti [adde ex Omissis post Tom. 1. p. 382. »licet etiam ex antiquae scripturae vestigiis legere *ἐῶμεν*, quod »valet *sinamus.*« cf. Turneb. Adversarr. 23, 29.].

Ibid. p. 1018. OVIUS ENIM RECENSET MULTA QUAE VELLEM. codex Turnesianus habet, *obvius enim recesis multa*, et cetera. unde legendum puto, *Ovius enim recens. is multa, quae vellem* [vid. Turnebum Adversariis 23, 29.]. paullo ante, post vocem *optime* scribe interpunctum [ex Omissis post Tom. 1. p. 382. altero hoc loco ita positum Lambinus voluit (id quod paucos animadvertisse puto), *de CCX optime. Ciceronis rationes explicentur.*].

2. p. 1020. SED QUONIAM FURCILLA EXTRUDIMUR BRUNDISIUM COGITO. quum et ii libri manu scripti, quos non vidi, haberent *furo illa* aut *furore illo*, et ii quos vidi, ego ex hac antiqua scriptura quamvis depravata conieceram legendum *furcilla;* meam coniecturam comprobavit postea codex Turnesianus, in quo *furcilla* scriptum est planissime, et sine ulla varietate aut litura. neque vero est quod quisquam dubitet, quin sit haec vera et recta lectio. proverbii autem locum obtinet *expellere furca*, aut *furcilla*, quo et Horatius usus est epistola ad Fuscum Aristium [I. Epp. 10, 24.], *naturam expellas furca, tamen usque recurret*, etc. et Catullus [105, 1. sq. p. Lach-

mann. 75.], *mentula conatur Pimpleum scandere montem: Musae furcillis praecipitem eiiciunt.* et Aristophanes *Εἰρήνῃ* [v. 638.], *τήνδε μὲν δικροῖς εἰώθουν τὴν θεὸν κεκράγμασι*, id est, *hanc deam clamoribus tanquam furcillis praecipitem eiiciebant* [cff. Lambini Comm. Horatiana p. 247. A. Fr. E. Th. Schmid. P. 1. p. 232. et Obbar. p. 44. sqq.]

3. p. 1021. IN ARCANO. sic habent omnes libri vulgati, quibuscum consentiunt aliquot manu scripti. sed codex Turnesianus et nonnulli alii non habent praepositionem *in*, ut fortasse non sit nimis absurdum, quod a Charisio scriptum est, *arcano* hic positum esse pro *arcane* [cf. annotata ad IV. Accus. C. 8. §. 18. et ad Orationem in Vatinium C. 1. §. 3.]. ego tamen sequor vulgatos. *Arcanum* fundum autem fratris accipe.

4. p. 1024. ETÉSIIS UTEMUR. sic edendum curavimus, codicem Turnesianum secuti, quomodo iam ante legendum coniecerat Sebastianus Corradus [vulgo acceptum Victorio referebant, *et tectis utemur.*].

6. p. 1026. AC INDE CORCYRAM. scribendum, *atque inde Corcyram* [vid. Fr. Aug. Wolf. Anall. Litt. Vol. 1. p. 288.].

Ibid. QUID FUGIENTEM PERICULUMNE? etiam hic locus ope codicis Turnesiani praeclare restitutus. omnino hic codex et antiquissimus et longe optimus est, eiusque fide et veritate freti locos complures in his epistolis restituimus. quem quum Adriano Turnebo ostendissem et commodato dedissem, is libros Adversariorum componens et concinnans saepe, hoc libro inspecto et consulto, in easdem atque ego coniecturas incidit [vid. hunc Adversariis 23, 29.].

7. p. 1028. NAM SI A PHAEDRO NOSTRO EXPEDITA EXCUSATIO ESSET NUNC QUID RESPONDEMUS? in hoc loco restituendo distinctionem dumtaxat immutavi, nihil praeterea [sic enim ille: *nam si a Phaedro nostro* (scilicet, »*tale quid fieret, qui est Epicureus*«), *expedita excusatio esset: nunc quid respondemus?*].

8. p. 1030. NUNC TUUM CONSILIUM EXQUIRO ROMAMNE VENIO AN HIC MANEO AN ARPINUM *ἀσφάλειαν* HABET IS LOCUS CUPIO ROMAM NE DESIDEREMUR SI QUID ACTUM VIDEBITUR. codex Turnesianus habet, *ἀσφάλειαν habet is locus fugam Romam.* unde videtur sic esse legendum, *ἀσφάλειαν habet is locus fugae* [ita, ut haec interposita reliquis videantur]. *an Romam, ne desideremur, si quid actum videbitur.*

11. p. 1031. EX QUO ANTE IPSA POSUISTI. lego, *ex quo anthe ipsa posuisti. anthe* autem, id est flores, *ἄνθη.* et vero ut ita legendum iudicem, movet me primum codicis Turnesiani auctoritas, et omnium aliorum consensus, deinde quae sequuntur, *quae mihi florentiora* || *sunt visa,* et cetera [Lambini cor- p. 475.
rectionem tuetur margo Laemar. a. 1596.]. a.

Ibid. AB ATTIA AEGRE ME TENUI. malim legi, *a Fadia.* co-

dex Turnesianus habet, *Aste egrae*, unde quidam legunt *a Septia aegre*, alii, *ast aegre me tenui.*

Ibid. p. 1033. EGO ME UT SCRIPSERAM IN POMPEIANUM NON ABDIDI. sic omnes quidem habent libri et vulgati et manu scripti. sed tollenda mihi videtur negatio, et ita legendum, *ego me, ut scripseram, in Pompeianum abdidi* [Ernest. l. l. n. 89. »male. nam sequentia habent clare impedimenta, quare id fa»cere non potuerit, quum voluisset.«].

Ibid. p. 1034. MEIS VERBIS SUAVIUM DES VALE. codex Turnesianus habet, *meis verbis suavium des volo.* quod probo. nam ut etiam hoc loco dicam, quod puto alibi a me dictum esse, in plerisque epistolis non habent ascriptum *vale* libri veteres, et credibile est, ab iis esse adiectum, qui non putarent, integram esse epistolam sine hoc verbo [ex Omissis post Tom. 4. p. 625.].

13. p. 1035. LONGULUM SANE ITER ET VIA INEPTA. codex Turnesianus facit, ut hunc locum mendosum putem. in eo enim legitur, *et via matta.* quod quid sibi velit, quaero. nonnulli *madida*, alii *molesta*, alii *mala* reponunt.

15 (non 14. nam et hoc libro, qui continet epistolas 22., corrigendi sunt deinceps usque ad finem libri epistolarum numeri). p. 1038. *μηδε σωθείην εἴποτε τοιοῦτο.* legendum, ut habet codex Turnesianus, *μηδὲ σωθείην ὑπό γε τοιούτου*, id est, *ne servari quidem velim a tali.*

Ibid. SED UT SCRIBIS CERTISSIMUM ESSE VIDEO DISCRIMEN CASCAE NOSTRI TRIBUNATUM sic habent libri veteres fere omnes, et in primis Turnesianus. ego tamen aliquid in hac scriptura desidero et velim legi, *certissimum venisse video in discrimen*, etc.

Ibid. p. 1039. PUDENTISSIME HOC CICERO PETIERAT UT FIDE SUA. hic quoque locus planissime ita scriptus est in codice Turnesiano, pro quo Memmianus habet non nimis longe ab hac scriptura, *ut vide sua* [barbara pronuntiatione *f* et *v* mutatis, cuius erroris exempla posuerunt quum alii ad alia scriptorum veterum loca a se perpurgata, tum Drakenborchius ad Livii 21. 2, 4. Tom. 6. P. 2. p. 14. adde Muretum VV. LL. 19, 6. Operum Tom. 2. p. 482.].

III.

IN LIBROS EPISTOLARUM AD Q. FRATREM.

I, 1. §. 4. p. 1050. A QUIBUS RUDIS QUUM ESSES VIDETUR POTUISSE TUA LIBERALITAS DECIPI. quidam libri manu scripti habent, *tua libertas.* quos non sequor.

Ibid. §. 5. p. 1051. QUAMOBREM QUI POTES REPERIRE EX EO GENERE HOMINUM QUI PECUNIAE CUPIDITATE ADDUCTI CARENT IIS REBUS OMNIBUS A QUIBUS NOS DIVULSI ESSE NON POSSUMUS QUEMQUAM QUI TE ALIENUM HOMINEM AMET EX ANIMO AC NON SUI COMMODI CAUSA SIMULET? hunc locum sic restitui, partim coniectura ductus, partim vestigia scripturae veteris secutus.

Ibid. §. 7. p. 1053. HIS REBUS NUPER CN. OCTAVIUS IUCUNDISSIMUS FUIT. legendum, *C. Octavius.* fuit autem hic Augusti pater [Ernest. n. 34. »correxi *C.* nam hoc praenomen illius »Octavii fuit, ut alii demonstravere, et sic habet editio Ienson., »quam nescio quomodo hic omnes deseruere.«].

Ibid. p. 1054. UBI NULLUM AUXILIUM EST NULLA CONQUESTIO NULLUS SENATUS NULLA CONTIO. Manutio magis placet, ut ita legatur, *nulla quaestio*, id est, nullum iudicium adversus magistratum [vid. annotata ad Brutum C. 38. §. 142.].

2. §. 1. p. 1064. MATERIAM OMNEM SERMONUM EORUM QUI DE TE DETRAHERE VELINT STATIUM DEDISSE. velim legi, *materiam omnem sermonum iis, qui,* etc. [hi sunt »alii« apud Gothofredum p. Laemar. 573. E.].

Ibid. §. 5 p. 1069. CONFIDO ANIMO UT IN HAC RE PUBLICA NE CASUM QUIDEM ULLUM PERTIMESCAM. assentior Manutio, qui legendum censet, *in hac re,* etc.

3. p. 1071. SUAVITATE FRATREM AETATE PROPE AEQUALEM. sic esse legendum veritas et ratio probant. si quis tamen assentiens Manutio et Leonardo Malaespinae malet ita legi, deleta voce *fratrem, suavitate prope aequalem,* non pugnabo.

Ibid. IMAGINEM MEAM. legendum fortasse est, *imaginem tuam,* quod videtur et Manutio [Ernest. n. 4. »res ipsa sic iu»bet. in blanditiis est, liberos parentibus simillimos dicere.«].

4. p. 1074. QUAM IMPRUDENTIAE MISERIAEQUE ASSIGNES. Paulli Manutii fidem testimoniumque secutus, qui in libro illo Bessarionis sic esse scriptum testatur, hoc modo edendum curavi [edebatur, *misericordiaeque.*].

Ibid. ITA MIHI NIHIL MISERO PRAETER FIDEM AMICORUM CAUTUM MEUM CONSILIUM FUIT [sic correxi ex Ind. Erratt. p. 566]. vel subintelligendum verbum *obfuit,* seu *defuit,* seu quod aliud simile, ut Manutio videtur, vel ita legendum, *ita mihi nihil*

misero praeter fidem amicorum non cautum: cautum meum consilium fuit. sed ego Manutio assentior potius, quanquam Malaspina verbum *defuit* in extremo ponit, ut utrique membro respondeat. quod operae me imprudente secutae sunt. nam *fuit* iusseram imprimi, ut habent omnes libri.

II, 1. p. 1077. DIEM DICENDO EXIMERE COEPIT. secutus sum editionem Manutianam. Victorius tamen legit ex antiquis codicibus, *diem dicendi eximere coepit.*

3. p. 1080. QUI UT PERORAVIT (NAM IN EO SANE FORTIS FUIT NON EST DETERRITUS DIXIT OMNIA ATQUE INTERDUM ETIAM SILENTIO CUM AUCTORITATE SEMPER) SED UT PERORAVIT SURREXIT CLODIUS. secutus sum P. Danesii Vaurensis antistitis coniecturam, non tamen omni ex parte. nam verbum *egerat* delendum curavi, ut supervacaneum et alienum. quin, ut dicam quod sentio, hoc totum, *cum auctoritate peregerat*, seu ut nos edidimus, *cum auctoritate semper*, suppositum esse arbitror.

Ibid. VERSUS ETIAM OBSCAENISSIMI IN CLODIUM ET CLODIAM DICERENTUR. legendum puto, *coniicerentur* [Gothofredus p. 582. »alii« *coniicerentur*.].

.b Ibid. p. 1081. || SED IDEM NERIUS INDEX EDIDIT AD ALLEGATOS CN. LENTULUM VACCIAM ET C. CORNELIUM. legendum, *ad alligatos*, et ita edi iusseram. *ad alligatos* autem sic interpretor, praeter alligatos seu cum alligatis. iam *alligati* Latine sunt, quos Graeci *ἐνόχους* appellant, quasi affines culpae, seu quos vulgus obnoxios nominat [vid. annotata ad Orationem pro Cluentio C. 13. §. 39. p. Lambin. 259, 9.]. putavi tamen aliquando hic legendum, *edidit alligatos*, et cetera.

4. p. 1083. CETERUM CONFECTUM ERAT LATIARI ERAT EXITURUS. videlicet *Crassipes*. vel lege, *Latiari Lucceius erat exiturus*. nam Lucceius iter in Sardiniam habebat, ut infra dicitur eadem epistola, et notat P. Manutius. vel lege, *Latiari eram exiturus*. *Latiare* autem Latinarum sacrum sollemne significat, ut ex Macrobio refert idem Manutius [vid. Io. Frid. Gronovium Observatt. 4, 25. p. 806. sqq. Macrobii locus est Saturnaliorum 1, 16. p. Lips. 288.].

8 (9.). p. 1087. DE NOSTRA URANIA. ita certam Leonardi Malaespinae coniecturam hic esse puto, ut non dubitem, quin sit haec vera et germana et sincera lectio [et Ernestus, summus vir, putat veram esse.].

9 (10.). p. 1088. AN TE ATEIUS. legendum fortasse est, *an te Statius?* subintelligendumque, *interpellat?* libertus Q. fratri carissimus.

Ibid. OPPOSUISTI SEMEL *ἀναντίλεκτον* CAUSAM CICERONIS NOSTRI VALETUDINEM. sic legit P. Victorius libro 6. Variarum Le-

ctionum [c. 6.]. *ἀναντίλεκτον* autem, id est, *cui contra dici non potest.* sed P. Manutius testatur in codice Bessarionis scriptum esse *ἀντείσακτον*, id est, *oppositam et obiectam voluntati meae.* quod si verum est, ut videtur (locuples enim testis est), *ἀντείσακτον* reponendum censeo; quemadmodum paullo ante *insulsa verecundia*, ubi vulgo legitur *invisa.*

Ibid. p. 1089. NUNQUAM ENIM DICAM *ἔα πάσας.* non addidit quod sequebatur, *μελεδῶνας*, id est, *omitte curas omnes.*

Ibid. NAM ILLORUM PRAEDIORUM SCITO MIHI VICINUM MARIUM LUMEN ESSE. Petrus Victorius vocem *lumen* delet [VV. LL. 6, 7.], Manutius retinet, et ita hunc locum declarat: scito Marium vicinum esse mihi seu villae meae, luminis loco, seu aeque gratum atque opportunum, ac lumen. nam quae lumine carent loca, minus iucunda sunt.

10 (11.). p. 1090. VIRUM TE PUTABO. id est, fortem et patientem et malis invictum, si potueris ferre, id est, patienter legere seu audire tam indoctum poema. *hominem non putabo*, id est, putabo te omnis humanitatis expertem, ferum, immanem seu sensus expertem.

12 (13.). p. 1093. CALLISTHENES QUIDEM VULGARE ET NOTUM NEGOTIUM QUEMADMODUM GRAECI ALIQUOT LOCUTI SUNT. sic legendum censet Muretus Variarum Lectionum lib. 2. cap. 5., ibidemque verbum *redeo* versu superiore delendum putat [Operum Tom. 2. p. 36. sq.].

14 (15.). p. 1095. DATAS LAUDE NONIS. approbata Caroli Sigonii coniectura sic edendum curavi. est autem *Laus* oppidi nomen.

Ibid. QUAM SI DE MULTA NOCTE EVIGILASSENT. sic emendavit Erricus Stephanus, et recte. quanquam *vigilassent* ferri potest.

Ibid. p. 1096. ID EST UTRUM VOLES UT DIXERIM AD EXPEDIENDUM SI CAUSA SIT AN COMMORERE. id est, utrum advoles ad me. locus est aliquanto obscurior et fortasse mendosus. sed potest tamen sententia aliqua ex eo elici.

Ibid. p. 1097. IDIBUS QUINCT. FENUS FUIT 33. EX 3. COITIONE MEMMII QUAM CUM DOMITIO HABUIT. id est, duobus trientibus ex triente. credibilius autem est, hanc notam esse trientis 3. quam 2., ut recte coniicit Manutius.

III, 1. §. 1. p. 1100. TOTUM IN EO EST QUOD MIHI ERIT CURAE TECTORIUM UT CONCINNUM SIT. P. Manutius legit, *tectorium ut continuum sit*, et ita declarat: ne rimas agat, ne vitium faciat. ego *concinnum* malo.

Ibid. p. 1101. NUNC HOC VEL HIEME TESTUDINIS VEL AESTATE VALDE BONI AESTIVI LOCUM OBTINEBIT. huius loci restitutio debe-

tur Paullo Manutio maxima ex parte. nam nos quoque aliquid attulimus, non quod quicquam addiderimus, sed quod eas voces, quas delebat Manutius, retinuerimus, et quod voces *hieme* et *aestate* aliis locis posuerimus, quod denique *aestate*, non *in aestate* ediderimus, existimantes ex his duobus, *hieme*, *aestate*, factum esse *honestate*, nominibus loco suo motis. unum mutavimus, nempe pro *aestivum locum* a e s t i v i l o c u m edendum curavimus. paullo post, quod *subiectum cubiculis* excudi iussimus, in hoc eum prorsus secuti sumus. licet tamen *cubiculo* legere, quemadmodum Malaspine testatur in codice Faerni scriptum esse.

Ibid. §. 2. ET SILVA VINDICATA. sic emendat Adrianus Turnebus [Adversarr. 24, 39]. *vindicata* autem, id est purgata et rebus alienis et supervacaneis liberata.

Ibid. §. 4. p. 1104. ALTERUM EST DE CALVENTII MARII ORATIONE. legendum fortasse est, *de Calveni Matii oratione*.

Ibid. §. 5. p. 1106. SCILICET QUO ERANT SUAVIORES. sic edendum curavi. nam *sed* adversantis particula ad hunc locum non quadrabat, *scilicet* mire quadrat. et *sed* seu *set* [vid. annotata ad Orationem pro Sylla C. 19. §. 54] pro *scilicet* a librariis illis saepe scriptum esse videmus [vid. ad Orationem pro Flacco C. 33. §. 81. p. 367, 16.].

Ibid. §. 7. 1107. NIHIL TE RECORDARI DE TE. aut sic legen-
p. 476. dum est, aut hoc totum *de te* delendum. *de* || *te* autem, id
a. est de tuo facto, qui mihi eius litteras ostendisti, et de tua oratione, quam mecum de illo habuisti. omnino ego malim deleri.

2. p. 1108. SUBITOQUE BONUS IMPERATOR NOCTU URBEM HOSTIUM PLANE INVASISSET. Petrus Victorius Variarum Lectionum lib. 5. [c. 23.] legendum censet, *in urbem noctu plane*, etc. ego sequor libros omnes et vulgatos et manu scriptos [Victorium refellit Robertus Titius Controversiarum 6, 18.].

Ibid. QUO IPSUM OPORTEBAT HOSTIUM NUMERUM ET MILITUM RENUNTIARE. Manutius testatur codices Bessarionis habere, *hostiarum numerum*.

3. p. 1110. SED TUA PAENE AD TECTUM IAM PERDUCTA RES EST RUSTICA ARCANI ET LATERII. sic restitui antiqua veteris scripturae vestigia secutus.

4. p. 1112. DIREMPTIS TABELLIS. sic Sigonius. alii, *diribitis*.

8. p. 1117. QUID ENIM ERAT QUOD DISCESSU NOSTRO EMENDUM PUTAREMUS? quidam legunt, freti auctoritate librorum veterum, ut aiunt, *merendum putaremus?* quam lectionem ut non reiicio, ita hanc receptam non improbo. licet etiam legere, *emerendum*.

Ibid. p. 1118. CRASSUM LICINIANUM. legendum, ut habent omnes libri, *Crassum Iunianum*. erratum est operarum [correctum in Indice Erratorum p. 566.]. et tamen aliqua mea ne-

gligentia est. nam quum e vocis regione *Iunianum* ascripsissem Manutii coniecturam *Licinianum*, illi quod erat scriptum ad oram libri secuti sunt, quod erat in textura orationis reiecerunt: ego autem debueram delere, ante quam excuderent. hic igitur admoneo lectorem, legendum *Iunianum*, neque viri illius doctissimi coniecturam quantumvis probabilem, quae mihi paene fraudi fuit, esse sequendam. quum autem possim scripturam receptam multis argumentis confirmare, tum duorum nummorum argenteorum, quorum utriusque inspiciendi mihi a Clemente Tevenino facta copia est, auctoritate possum. unius igitur horum nummorum in antica parte erat incusum Termini caput cum hac inscriptione, *Q. Metellus Pius - Scip. Imp.*, in postica sella curulis et supra eam cornu copiae et bilanx transversim locata; inscriptio, *Crass. Iu. Leg. propr.* [alterius] pars antica continebat tropaeum inter lituum et urnam, cum hac inscriptione, *Qu. Metell. Pius - Scip. Imp.*, postica prae se ferebat effigiem Cybeles turritae inter spicam et caduceum locatae. inscriptio erat, *Crassus Iun. Leg. propr.* quare nihil censeo mutandum [ex Omissis ad calcem Tom. 3. p. 565. sq.].

9. p. 1120. * * QUID SI CAEMENTUM BONUM NON HABEAM. assentior Manutio et aliis viris doctissimis, qui putant, hic esse lacunam et nonnulla deesse.

IIII.

IN EPISTOLAS AD. M. BRUTUM.

In his epistolis emendandis Petrum Victorium, Paullum Manutium, Leonardum Malamspinam in primis secuti sumus; consuluimus etiam codices Memmianos, et ceteros.

3 (4.). p. 1127. NUNC CICERO NUNC AGENDUM EST NE FRUSTRA OPPRESSUM ESSE ANTONIUM GAVISI SIMUS. lego, *nunc, Cicero, nunc hoc agendum est*, etc.

Ibid. ALIA OMNIA SIC ABUNDE ADSUNT [itaque illud *abunde* frustra exemptum Lambiniauis a Gothofredo p. Laemar. 606.] UT CUM QUOLIBET ANTIQUORUM COMPARARI POSSINT. secutus sum P. Manutii coniecturam in eo, quod has duas voces, *quae virtutes*, delevi. sunt enim sine dubio alienae et ex annotatione natae [Ernest. n. 19. »mss. Pariss. *tuae virtutes* coniungunt cum »sequentibus, ut et in aliis reperit Manutius.«].

7 (8.). p. 1132. OCTAVUM PRINCIPEM DUXIT. id est, octavam Centuriam militum aetatis secundae, qui *Principes* dicebantur. lege ad hunc locum Paullum Manutium.

8 (9.). p. 1133. ET EST VERENDUM IN TAM GRAVI VULNERE NE ID IPSUM CARERE OMNI SENSU DOLORIS SIT MISERIUS QUAM DOLERE. sic est sine dubio legendum, non ut est in libris omnibus, *et est dolendum.* sic enim loquuntur Latini, *verendum est ne*, etc., non, *dolendum est ne*, etc.

9 (10.). p. 1135. MIHI QUIDEM VITAE QUANTULUM RELIQUAE EST? vel sic legendum, non ut in libris vulgatis, *reliqui est*, vel, *quantulum reliquum est.*

10 (11.). p. 1136. ET DIGNITATEM SI CONTIGERIT NOSTRIS CONSILIIS EXITUS QUEM OPTAMUS PERFRUCTURUS LO. sic iam pridem emendaram in meo codice. quam coniecturam multo nunc magis amplector, quum idem Paullo Manutio placere video. admonui autem in Commentariis Lucretianis, veteres coniungere solitos verbum *perfuor* cum accusandi casu. Lucretius lib. 3. [v. 969.], *omnia perfructus vitai praemia marces* [cf. Voss. de Construct. c. 22. p. 87. sqq.].

12 (13.). p. 1138. NIHIL EGO NON POSSUM IN SORORIS MEAE LIBEROS FACERE QUO POSSIT EXPLERI VOLUNTAS MEA AUT OFFICIUM. sic est legendum. negatio enim aberat ab omnibus libris ante verbum *possum.*

b. 14 (15.). p. 1140. || ET LAUDEM MAXIMAM SEQUEBATUR. Erricus Stephanus legendum censet, *assequebatur* seu *consequebatur.* quod non improbo. sed tamen lectionem receptam non muto.

Ibid. NISI FORTE UTRUMQUE TU. sic legendum libris omnibus invitis. sic enim loquuntur Latini, *si forte*, *nisi forte*, nunquam *nisi fortasse.*

Ibid. p. 1142. SED NESCIO QUOMODO FACILIUS IN TIMORE BENIGNI QUAM IN VICTORIA GRATI REPERIMUR. omnino *reperiuntur* legendum puto, ut est scriptum in libris antiquis. nam subintelligendum *homines*, quod est usitatissimum scriptoribus omnibus, et Graecis et Latinis.

16 (17.). p. 1150. PUDEAT ME CONCUPISCERE FORTUNAM CUIUS NOMEN SUSCEPERIT AN CONSULARIS AN CICERO? secutus sum utriusque scripturae, et vulgatae et veteris, vestigia, nihil de meo addidi, nisi quod *pudeat*, quod est in vulgatis, retinui, quum illi habeant *pudet.* in eo praeterea a manu scriptis discessi, quod *an Cicero* edendum curavi, pro *an Ciceronis est?* non displicet mihi tamen amici cuiusdam mei coniectura sic reponentis, *cuius nomen susceperit et Consularis et Cicero?* aliquanto post, pagina proxima [p. 441, 1. Ernest. p. 1151.], Leonardum Malamspinam secutus sic edendum curavi, *ego certe, quin cum ipsa re bellum geram, hoc est cum regno et imperiis extraordinariis, et dominatione et potentia, quae supra leges se esse velit, nulla erit tam bona condicio serviendi, qua deterrear, quamvis sit vir bonus, ut scribis, Antonius: quod ego nunquam existimavi.*

17 (18.). p. 1153. OBSURDESCUNT ENIM MAGIS QUOTIDIE BONI VIRI AD VOCEM TRIBUTI. sic reposui, libris omnibus reclamantibus. neque vero dubium est, quin ita sit legendum, et vulgata lectio *obdurescunt* reiicienda [Ernest. n. 74. »Manutius malebat »*obsurdescunt*. non male, sed et illud bene habet.«].

V.

IN EPISTOLAS AD BRUTUM NON ITA PRIDEM REPERTAS.

Nos has epistolas ut a Germanis editae sunt, ita lectori fere reddidimus, nisi quod secundam a tertia separavimus, quum haec sit Bruti, illa Ciceronis. sed admonendus est lector, earum ordinem esse perturbatum, et eo ordine legendas, in quem eas redegit homo doctissimus, Carolus Sigonius. prima igitur est, *quum haec scribebam*, etc., ut hic, et Ciceronis est. sesunda, *Planci animum*, etc., ut hic, et Ciceronis est. est autem lacera ab extremo: desinit enim sic, *monstrum in re publica st, sed quo* * *. tertia est ea, cuius initium est, *litteras tuas valde*, etc., estque Bruti. quae hic est quinta et connectenda cum ea, quae hic est tertia, ibi, *nos amisisse, quum sic*, etc., (nam operae mendose huc coniecerunt has duas voces, *sed quo*, quae sunt ex epistola secunda), hoc modo, *hoc magis doleo, Asiam nos amisisse, quam sic vexari*, etc. quarta est, *Datis mane, a. d. III. Id. Apr. Scaptio litteris*, etc., quae hic item quarta est et Ciceronis; cuius extrema verba, *mihi crede non erit*, connectenda sunt cum extremis eius, quae hic quinta est, *at in Asiam censeo persequendum; nihil mihi videris hoc tempore melius acturus.* deinceps subsequi debet ea, quae hic sexta est, *quod egere te duabus*, etc. quinta est ea, quae hic septima est, Ciceronis, *quae litterae tuo nomine*, et cetera.

Ita quattuor sunt epistolae Ciceronis, tres integrae, una lacera, et una Bruti integra [praeterea leguntur p. 442, 2. haec: »has Ciceronis epistolas *quattuor* integras et unam fine »carentem, et duas Bruti, quarum altera integra est, altera »principio caret, ut a Germanis accepimus, ita tibi, lector, »reddimus, aliquanto tamen emendatiores. quamvis enim in »nullo veteri exemplari invenerimus, tamen nec Germanis, qui »se eas in vetusto codice reperisse testati sunt, fidem derogare, »nec nostrum alterutram in partem iudicium interponere volui»mus. si quis tamen sententiam nostram exquirat, videntur no»bis Ciceronis esse.« illud *quattuor* pro *quinque* dandum fuit ex Indice rratorum p. 566.].

VI.

IN EPISTOLAM AD OCTAVIUM QUAE INCERTI AUCTORIS EST.

P. 1162. TAM FACIUNT DOLOREM QUAM QUAE SUNT SALUTARIA. legendum potius, *non faciunt dolorem, quamvis sint salutaria.*

P. 1163. ET ABSENTIUM SENSUS SIGNIFICATIO. lege, *et futurorum sensus*, etc.

Ibid. NON PRAETERMITTAM QUIN QUONIAM CORAM ID FACERE PROHIBEOR ABSENS PROSIM SIQUIDEM MEA SALUS AUT UTILIS REI PUBLICAE EST AUT CONIUNCTA CERTE PUBLICAE SALUTI. lege, *absens pro me expostulem; atque ita dico pro me, siquidem*, et cetera.

Ibid. DONABAT CIVITATE EX COMMENTARIO. lege, *donabat civitates et nationes immunitate ex commentario.*

Ibid. PROHIBEBAT DICTATOREM CREARI LEGIBUS S. C. IPSE REPUGNABAT IN SENATU. lege, *prohibebat dictatorem creari; ipse regnabat in senatu,* vel ut habent quidam libri, *in Consulatu.*

Ibid. PROVINCIAS UNUS OMNES CONCUPIEBAT. lege, *provincias omnes unus concupierat.*

Ibid. UT TUNC QUIDEM OPTIMUS. lege, *ut nunc quoque optamus.*

Ibid. SUBITO PROPE IAM AFFECTAM AC PROSTRATAM. lege, *subito prope iam afflictam ac prostratam.*

P. 1164. AUT IMMEMOR BENEFICII SUI SCELERATE CIRCUMSCRIBIS SENATUM? ferri quidem haec lectio potest, ut *sui* referatur ad senatum, sed melius legi videatur, *beneficii tui.* quidam etiam hoc modo legi volunt, *cur aut ingratum crudeliter, aut immemorem beneficii sui scelerate circumscribis senatum?*

P. 1165. QUI PEOXIMUS IN ILLAM AETERNAM DOMUM DISCESSERIT. lege, *qui proxime.*

Ibid. NULLA DIGNITAS MAIORUM CONCILIASSET OPEM POTENTIUM. lege, *conciliasset eam potentiam,*

DIONYSII LAMBINI
TULLIANARUM EMENDATIONUM
PARS QUARTA
SIVE
IN LIBROS QUI SUNT DE PHILOSOPHIA ANNOTATIO.

I.

IN LIBROS ACADEMICORUM AD M. TERENTIUM VARRONEM QUI SUPERSUNT.

I, pr. MIGRATIONEM ET EMPTIONEM FELICITER EVENIRE VOLO. legendum, *tibi feliciter evenire volo.* Tom. 4. p. 484. a.

C. 2. §. 4. NON HAESITANS. vulgati libri habent, *non multum haesitans.* nos vocem *multum*, non repertam in libris manu scriptis, delendam curavimus.

§. 5. AMAFANII. quidam libri manu scripti habent, *Amafinii.*

Ibid. VERBIS QUANQUAM NOVIS COGIMUR UTI. si deleatur vox *quanquam*, longe planior sit, ut mihi quidem videtur, sententia. malim tamen in locum *quanquam* substitui *aliquando* [loco persanando undequaque medicinam VV. DD. congesserunt. Ernesto, Tom. 4. p. 5., in mentem venit *quoque*, quod in ordinem recepit Goerenzius. vide hunc Philosophh. Tom. 2. P. 1. p. 9.].

§. 6. QUUM CAUSAS RERUM EFFICIENTIUM SUSTULERIS. lege, *quum causas rerum efficientes sustuleris* [ex Omissis ad calcem Tom. 1. p. 382, 2. Ernest. p. 6. »vulgatum si verum est, sen»sus est, *causas, quae sunt in rebus efficientibus.*« cf. Topicc. C. 14. §. 58.].

Ibid. NOSTRA TU PHYSICA NOSTI QUAE CONTINUANTUR EX EFFECTIONE ET EX MATERIA EA QUAM FINGIT ET FORMAT EFFECTIO (ADHIBENDA ENIM EA MATERIAE EST) HAEC IPSA DE VITA ET MORIBUS DE EXPETENDIS FUGIENDISQUE REBUS. locus est admodum corruptus, ad quem tamen emendandum aliquantum nos libri veteres adiuverunt, in quorum nonnullis scriptum est *materia* pro *geometria*. omnino vox *geometria* nihil hic loci habet: cetera, quae perverso ordine erant collocata, eadem opera et in suum locum restituta et perpurgata sunt [sic enim deinceps Lambinus p. 4, 30. *illi simpliciter pecudis et hominis idem bonum esse censent. apud nostros autem non ignoras, quae sit et quanta subtilitas: quam quibusnam queam enuntiare verbis? aut quem illa ad intelligendum poterit adducere? sive enim Zenonem sequare*, et cetera.].

§. 7. ET AD VITAE CONSTANTIAM QUANTAM POSSUM. libri vulgati habent, *et ad vitae consuetudinem et constantiam.* nos libros veteres secuti vocem *consuetudinem* delevimus.

§. 8. ID EST AD GRAECOS IRE IUBEO. possit aliquis suspicari, haec verba esse ex declaratione superiorum verborum nata et in contextum Ciceronis translata. ego quidem ita esse arbitror.

C. 3. §. 10. SED EAM MIHI NUNC SATISNE PROBAS? sic hunc locum emendavit Turnebus, in libris vulgatis corruptum, in quibus legitur, *sed da mihi nunc*, etc.

C. 4. §. 14. AQUA ABSUMPTAM IAM DIU. sic habent libri veteres et probant docti quidam, ut sit tralatio ab aedificiis eluvione et vi aquarum ablatis. quanquam vulgata non est reiicienda, *a qua absum iam diu* [hoc ipsum, ignoratum repetitionibus Lambinianis, nunc dedit Orellius, quem vid. p. 65.].

§. 16. AB APOLLINE OMNIUM SAPIENTISSIMUM ESSE DICTUM. fortasse legendum, *esse iudicatum.*

C. 5. §. 21. CETERA AUTEM PERTINERE AD ID PUTANT AUT AUGENDUM AUT TUENDUM UT DIVITIAS UT OPES UT GLORIAM UT GRATIAM. sic reposui ex codice Memmiano. sententia autem plana est. cetera, inquit, pertinent ad id bonum aut amplificandum atque augen-
b. dum, aut tuendum ac retinendum. *agendum*, quod || est in vulgatis, ferri non potest [vid. ad II. de Oratore c. 77. §. 312. et cf. ab Drakenborchio notata ad Livii 3. 3, 3.].

C. 6. §. 24. NIHIL EST ENIM QUOD NON ALICUBI ESSE COGATUR. hoc totum mihi videtur alienum, non Ciceronis.

C. 7. §. 27. EX QUA OMNIA EXPRESSA ATQUE EFFICTA SINT. sic censet legendum Adrianus Turnebus, et recte, quum vulgati libri habeant, *effecta.*

Ibid. EOQUE ETIAM INTERIRE. nempe ea, quae genita sunt. itaque velim sic legi, *eoque etiam omnia interire.*

C. 8. §. 32. NISI IN ANIMI NOTIONIBUS ATQUE RATIONIBUS. sic habet unus codex vetus, alii, *motionibus.* quod non reiicit

Adrianus Turnebus et interpretatur, *agitationibus.* nam in cogitando, inquit, Platoni animus movetur. ego tamen magis probo *notionibus*, quemadmodum edendum curavi, neque ille improbat.

Ibid. ET QUASI RERUM NOTIS UTEBANTUR AD PROBANDUM. liber manu scriptus habet, *et quasi rerum notis ducibus utebantur.* quod tamen non probo.

C. 9. § 33. ET ITA MODERATUS UT PRAE SE PROBITATEM QUANDAM ET INGENUITATEM FERAT. liber unus manu scriptus habet, *et ita moratus.* unde quidam legendum putant, *et vita ita moratus, ut prae se*, etc.

C. 10. §. 37. extr. OFFICIA AUTEM SERVATA PRAETERMISSAQUE MEDIA PUTABAT UT DIXI. malim legi, *media ponebat* [sunt »alii« qui ita corrigant, apud Gothofredum Tom. 4. p. 12.].

§. 38. IN ANGUSTUMQUE DEDUCERENT. lego, *adducerent* [Gothofredus p. 12. »fortasse *adducerent.* ita loquutus Cicero in »Partitionibus et pro Quinctio.« locus in Partitionibus C. 30. §. 104. pro Quinctio C. 5. §. 19. vid. Nizolium a Facciolato castigatum p. 21, 1. v. *adductus.*].

§. 39. OPINIONESQUE IUDICIO SUSCIPI. scribe, *opinionisque iudicio.* erratum est operarum [correctum in Indice Erratorum p 626., neque tamen animadversum ab Gothofredo p. 12.].

C. 11. §. 42. E QUIBUS NON PRINCIPIA SOLUM SED LATIORES QUAEDAM AD RATIONEM INVENIENDAM VIAE REPERIUNTUR. legendum fortasse est, *viae aperiuntur* [sic Gothofredus p. 13. in marg. Laemar.]. verumtamen nihil mutare ausim sine librorum veterum auctoritate.

C. 12. §. 43. extr. ET QUA DE CAUSA DISCIDIUM FACTUM SIT. sic est legendum, et ita scriptum est in uno antiquo codice. *discidium* autem a *discindo* natum, significatque divulsionem et distractionem. de quo nos alibi [ad III. de Oratore C. 17. §. 63., ad Orationes pro Caelio C. 13. §. 31. et pro Ligario C. 6. §. 19.].

§. 45. NEQUE ASSENSIONE APPROBARE. sic legendum, non ut est in libris vulgatis, *assertione* [mutatis *n* et *r*, quem errorem notavimus ad III. Accusat. C. 54. §. 125.], item infra non longe, *assensionem*, non *assertionem.*

II. C. 1. §. 2. || SED INCREDIBILIS QUAEDAM INGENII MAGNITUDO NON DESIDERAVIT INDOCILEM USUS DISCIPLINAM. si recta scriptura est, *disciplinam usus indocilem* interpretor disciplinam usus, quae doceri non potest, quaeque nullis praeceptionibus tradi potest, *μάθησιν ἀδίδακτον.* in quibusdam libris vulgatis p. 485. a.

impressum est, *indocilem militiae disciplinam* [insere Orellianis p. 7. habet et margo Laemarianae a. 1596.].

C. 3. §. 7. NISI UT IN UTRAMQUE PARTEM DICENDO ELICIANT ET TANQUAM EXPRIMANT QUOD AUT VERUM SIT AUT AD ID QUAM PROXIME ACCEDAT. sic habent libri veteres, neque est in eis *et audiendo*, quod est in vulgatis.

§. 9. SED UT POTUERINT POTUERUNT OMNIBUS REBUS AUDITIS COGNITIS ETIAM RELIQUORUM SENTENTIIS. hunc locum multos abhinc annos sic emendandum esse iudicavi, maneoque in sententia. nihil enim neque ad Ciceronis sensum accommodatius, neque scripturae receptae affinius ac similius excogitari potest [sed vid. Muretum VV. LL. 7, 18. Operum Tom. 2. p. 161. sq. quae deinceps sequuntur, a Lambino item correcta e libris, *nunc autem iudicaverunt, re semel audita, atque ad unius se auctoritatem contulerunt*, ea sic dedit leviter immutata Gothofredus in margine Laemar. a. 1596., de Lambini, ut aiunt, sententia posteriore, *iudicaverunt autem re semel audita, atque ad unius se auctoritatem contulerunt.* atque haec, probata Madvigio V. D. Emendatt. P. 1. p. 128. sqq., in ordinem recepit Orellius, quem vid. p. 10.].

C. 4. §. 10. extr. SI VERA NON FUERINT [lemma praefixum annotationi sic habet, *si non fuerint vera.* atque hoc idem tenuit Gothofredus in marg. Laemar. p. 20.]. sic restitui, codices manu scriptos secutus, in quibus partim ita scriptum est, partim *si non fuerit veritas* [Gothofred. l. l. »alii« *si non fieret veritas.*].

§. 12. QUIN CONTRA SUUM DOCTOREM LIBRUM ETIAM EDIDIT QUI SOSUS INSCRIBITUR. sic habent libri veteres, atque ita legendum. nam *quin* non pertinet ad verbum *tenuit*, quod proxime antecedit, sed per se stat, et ad ea quae sequuntur refertur, hoc modo, *quin etiam contra suum doctorem*, etc.

C. 5. §. 13. REPETUNT IAM A P. VALERIO. quum in libris veteribus scriptum reperissem *Valerio*, ego *a P. Valerio* reposui, quae scriptura perspicue recta est [»alii« in marg. Laemar. p. 21. *repetunt a P. Valerio.* idque in ordinem receperunt Davisius, alii.].

C. 6. §. 17. NEC ENIM [hoc abest Orell. p. 13, 14.] VERUM ESSE DISPUTARE CUM IIS QUI NIHIL PROBARENT. sic est legendum, non ut quidam emendare se putantes corruperunt, *nec vero esse ullam rationem*, et cetera. *verum* autem id est iustum, aequum, ut apud Horatium epistola ad Maecenatem 2. lib. 1. [Epp. 7, 98.], *metiri se quemque suo modulo ac pede, verum est.* et item apud M. Tullium pro Quinctio [p. 9, 16. nobis c. 15. §. 48.], *continuone verum fuit a Praetore postulare, ut tibi ex edicto postulare liceret* [vid. annotata ad Orationem pro Domo C. 8. §. 21. et cf. Schmid. ad Horatii locum l. l. Tom. 1. p. 204.]? ne quis autem me putet pro meo iure atque im-

perio sic edendum curasse, ita plane scriptum reperi in duobus libris manu scriptis, nisi quod in eis est, ordine verborum mutato, *nec verum enim.* duarum autem illarum vocum, *ullam rationem*, nulla extant in libris veteribus, quibus usi sumus, vestigia, neque vero cuiquam dubium esse debet, quin ab iis fuerint adiectae, qui *vero* pro *verum* legerint [cf. annotata ad Orationem pro Caecina. C. 5. §. 15.].

§. 18. ID ENIM VOLUMUS ESSE *κατάληπτον.* sic emendavit Adrianus Turnebus [Adversariis 7, 1.].

Ibid. EFFICTUMQUE EX EO QUOD ESSET QUALE ESSE NON POSSET EX EO QUOD NON ESSET. hic locus restitutus est ex ipso Cicerone infra pagina vicesima quinta [p. 25, 28. nobis C. 24. §. 77.], ibi, *quale igitur visum? tum illum ita definivisse, ex eo quod esset, sicut esset, impressum et signatum et effictum.* sequitur paullo post, *hic Zenonem vidisse acute, nullum esse visum quod percipi posset, si id tale esset ab eo quod est, ut eiusmodi ab eo quod non est, posset esse.* ut igitur hunc locum aliquanto obscuriorem declaremus, hoc dicebat Philo: si Zeno recte definivit visum, quod percipi possit (sic autem definivit: visum quod percipi possit, est, quod impressum ac signatum est ex eo, quod est, quale esse non potest ex eo, quod non est), verum est nihil comprehendi nihilque percipi posse. at Zeno visum definivit non recte: aliquid igitur comprehendi potest. *effictum* autem edendum curavimus, Manutianam editionem secuti, quamvis in omnibus libris *effectum* scriptum invenerimus.

C. 9. §. 27. extr. NON POTEST IGITUR DUBITARI QUIN DECRETUM NULLUM FALSUM POSSIT ESSE SAPIENTIQUE SATIS NON SIT NON ESSE FALSUM SED ETIAM STABILE FIXUM RATUM ESSE DEBEAT QUOD MOVERE NULLA RATIO QUEAT. negationis particulam, quae aberat ab omnibus libris vulgatis, restitui ex codice Memmiano. sic enim legitur in omnibus vulgatis, *satis sit*, ubi quis non videt negationem deesse [neglectae a scriptoribus librariis particulae exemplum posuit Goerenzius V. D. plane geminum, Oratore C. 9. §. 32., ibi, *nec vero si historiam non scripsisset, nomen eius extaret, quum praesertim fuisset honestus* (immo, *honoratus*) *et nobilis.* ubi quod ille dixit negationem a Schuetzio ante *extare* bono utique consilio adiectam esse, ab Ernesto ante *nomen* positam: locum ita correctiorem dederat Lambinus, ne monito quidem lectore, sed re ipsa, ut videtur, correctionem flagitante, quamvis aliter sentiat Orellius, quem vid. p. 456, 2.]?

C. 10. §. 30. NAM QUID EUM FACTURUM PUTEM DE ABDITIS REBUS ET OBSCURIS QUI LUCEM ERIPERE CONETUR. sic omnes quidem habent libri, sed Passeratius legendum putat, *qui lucem* [in?] *rebus clarissimis eripere conetur?*

Ibid. QUEMADMODUM PRIMA VISA EOS PELLERENT. legendum fortasse est, *primo visa*, etc. [ut *primo* referatur ad *deinde*, quod mox sequitur, inquit Gothofredus p. 26.].

Ibid. extr. ALIQUA SIC RECONDIT * *. Manutius putat legen-

dum, *aliqua sibi recondit*, alii delent particulam *sic*. ego quum videam eam reperiri in omnibus libris, suspicor aliquid potius desiderari, verbi gratia, tale quiddam, *ut horum usum in alia tempora reservet* [Gothofredus p. Laemar. 26., quae videntur deesse, hoc modo supplevit, *aliqua sic recondit*, *ut eo*, *quum opus sit*, *depromat*. sunt praeterea qui haec ipsa, quae modo posui, leviter immutata cum sequentibus componant, *aliqua sic recondit*, *ut ea*, *quum opus sit*, *depromat*, *e quibus memoria oritur*.].

C. 11. §. 33. QUAE ISTA REGULA EST SI NOTIONEM VERI ET FALSI PROPTEREA QUOD EA NON POSSUNT INTERNOSCI NULLAM HABEMUS. in libris vulgatis ita legitur, *quae ista regula est veri et falsi*, et cetera. ego hoc totum, *veri et falsi*, tanquam a librario errante temere bis positum, semel hic non suo loco iterumque suo loco, funditus delevi. namque haec regula, quam dicit, non intelligitur *regula veri et falsi*, sed regula, qua certum ab incerto, cognitum ab incognito distinguitur, id est, *regula cognitionis*. supra paullo ante [C. 10. §. 32. extr.] operarii isti, mastigiae plane et flagriones, mendose ediderunt *nos moveri*, pro *vos moveri*, et mox *differendo*, pro *disserendo* [correctum in Erratorum Indice p. 626.].

Ibid. extr. QUAMOBREM SIVE TU PROBABILEM VISIONEM ET QUAE NON IMPEDIATUR SIVE IMPROBABILEM ET QUAE IMPEDIATUR UT CARNEADES VOLEBAT SIVE ALIUD QUID PROFERES QUOD SEQUARE AD VISUM ILLUD DE QUO AGIMUS TIBI ERIT REVERTENDUM. hunc locum antea mutilum ac lacerum beneficio codicum manu scriptorum sane
b. quam || feliciter restitui.

C. 14. §. 44. QUUMQUE IPSA NATURA ACCURATAE ORATIONIS HOC PROFITEATUR SE ALIQUID PATEFACTURAM QUOD NON APPAREAT ET QUO ID FACILIUS ASSEQUATUR ADHIBITURAM ET SENSUS ET EA QUAE PERSPICUA SINT QUALIS EST ISTORUM ORATIO QUI OMNIA NON TAM ESSE QUAM VIDERI VOLUNT. docti quidam legi volunt, *accuratae rationis* [vid. ad II. Epp. Att. 24.], et paullo post, *qualis est istorum ratio*, etc. ego nihil muto, tametsi non damnem eorum coniecturam.

C. 15. §. 48. NONNE INQUIUNT VERISIMILE SIT SIC ETIAM MENTEM MOVERI NON MODO UT INTERNOSCAT VERA VISA ILLA SINT ANNE FALSA SED UT IN HIS NIHIL INTERSIT OMNINO? quidam legi malunt, *nihil ut inter haec*, etc.

Ibid. NIHIL UT ESSET QUI DISTINGUERETUR TREMOR ILLE ET PALLOR NEQUE UT QUICQUAM INTERESSET INTER INTESTINUM ET OBLATUM. quidam libri vulgati sic habent, *nihil esset qui distingueretur*, etc., quae lectio videtur plane mendosa, alii sic ut hic editum est, minus corrupte. nam ne haec quidem lectio mendo vacat. videtur enim sic potius legendum, *nihil esset qui*, seu *quo distingueretur tremor ille et pallor*, *neque quicquam interesset*, et cetera.

Ibid. CUR NON UT PLANE NIHIL INTERSIT. legendum fortasse

est, *cur non inter quae plane*, etc. vel sic, *cur non eiusmodi. ut plane nihil intersit?*

C. 16. §. 51. extr. NAM VIDEBAR SOMNIARE ME ET EGO ESSE MORTUUM. legendum, *nam videbar somniare medego esse*, etc., vel, *somniare, egomed esse mortuum* [atque hae sunt »aliorum« coniecturae sive emendationes in margine Laemar. Tom. 3. p. 31.].

C. 17. §. 52. AT ENIM DUM VIDENTUR EADEM EST IN SOMNIIS [non *in somnis*, ut est apud Gothofr. p. 31.] SPECIES HORUM ET EORUM QUAE VIGILANTES VIDEMUS. omissum fuerat a scriptore *horum* cum copula *et*, ut ex ipsa sententia intelligere licet. quidam legi volunt, *in somnis* [corrige Orelliana p. 25, 11.].

§. 54. extr. NEC SIT IN DUOBUS AUT PLURIBUS NULLA RE DIFFERENS NULLA COMMUNITAS. sic esse legendum, sententia ipsa clamat. vult enim Cicero, hos Academicos falsum contendere ac postulare. nam haec falsa sunt: hoc primum, non esse suo quidque in genere tale, quale est. contrarium enim verum, suo quidque in genere tale esse, quale est. alterum deinde falsum, in duobus aut pluribus nulla re differentem non esse aliquam communitatem [sed v. Madvigium p. 154.]. paullo post legendum est, ut edidimus, *at tibi sint et ova ovorum*, etc. est enim concessio.

C. 19. §. 62. IURATUSQUE DIXERIS EA TE COMPERISSE. lege, *eas te comperisse* [Orell. p. 29, 10. »*eas*, *illas* L. susp. non rece»pta.« de priore non est quod dubites, alteram Gothofredo p. 33. acceptam refer.].

C. 21. §. 67. CARNEADES NONNUNQUAM ET SECUNDUM ILLUD DABAT ASSENTIRI ALIQUANDO. nempe hoc, *at aliquando assentietur.*

§. 68. ASSENTIRI QUICQUAM AUT FALSUM AUT INCOGNITUM. vel legendum, *assentiri cuiquam aut falso aut incognito*, vel *assentiri* accipiendum est παθητικῶς.

Ibid. ITA ENIM FINITIMA SUNT FALSA VERIS EAQUE QUAE PERCIPI NON POSSUNT IIS QUAE POSSUNT. fuerant hoc loco omissae a scriptore quattuor voces propter verbum *possunt* bis positum. a verbo enim *percipi* contulerat se ad secundam *possunt.*

Ibid. SIN AUTEM OMNINO NIHIL ESSE QUOD PERCIPI POSSIT A ME SUMPSERO. nam si nihil percipi potest, non potest sapiens assentiri rei incognitae, quin uno tempore opinetur. at sapiens non opinatur. ergo sapiens assensus omnes cohibere debet.

C. 22. §. 70. QUOD ERANT QUI ILLUM GLORIAE CAUSA FACERE DICERENT. scriptor librarius pro *facere dicerent* scripserat *facerent*, duobus verbis in unum contractis [Goerenzium V. D. Lambiniana pervertentem castigavit Madvigius Emendatt. p. 162 sq.]

§. 71. QUUM QUAEREREET DIONYSIUS ILLE HERACLEOTES. *quum quaereret*, nempe *Antiochus.* itaque post verbum *quaereret* debet nota distinctionis poni, quam omiserunt operae [castigati illi ab Lambino in Ind. Erratorum p. 626.].

C. 23. §. 73. ESSE SENSUS QUIDEM DICIT OBSCUROS SED ET TENEBRICOSOS. sic iusseram excudi, si operae mihi obtemperare voluissent, *esse sensus quidem dicit, sed obscuros et tenebricosos* [*ac tenebricosos* correctum in Indice Erratorum p. 626. sed vide Madvig. Emendatt. p. 164. sqq.]

C. 24. §. 75. SED ETIAM IMITARI QUEMQUAM NONNISI CLARUM NISI NOBILEM. malim sic legi, *sed etiam imitari nonnisi nobilem quemquam* [voluitne, *nonnisi clarum, nisi nobilem quemquam*? sic certe »alios« voluisse auctor est Gothofredus in margine Laemarianae p. 36. idem de Lambini coniectura hanc attulit scripturam, *sed imitari non quemquam nisi clarum, nisi nobilem.*] ?

§. 76. QUID CYRENAEI VIDENTUR MINIME CONTEMPTI PHILOSOPHI. quidam sic legi volunt, *videntur mihi quidem non contempti philosophi*, alii sic, *videntur ne tibi contempti philosophi?* quod magis placet.

§. 77. QUID ERGO ESSET ID VISUM CREDO. sic quidam putant legendum, *visum verum, credo. quale igitur visum verum? tum illum*, et cetera [margo Laemarianae p. 57. Lambino vindicat, *quid ergo id esset? visum credo.* idque in ordinem recepit Orellius, quem vid. p. 34.].

§. 78. LICEBAT ENIM NIHIL PERCIPERE. nempe, si nullum visum verum esset.

Ibid. ET TAMEN OPINARI. id est assentiri incognito et falso.

C. 25. §. 81. DICIT ME ACRIUS VIDERE QUAM ULLOS PISCES FORTASSE. legendum fortasse est, *dicet me*, et cetera [vid. Orell. p. 35., huius correctionis ignarum. adde et Gothofredum p. 38.]. praeterea docti quidam legi volunt, *acutius videre.*

C. 26. §. 82. UBI IGITUR ILLUD EST »SEMEL.« pertinet hic locus ad illum, qui est superiore pagina, versu 47. [C. 25. §. 79. fin.], *eo enim rem demittit Epicurus, si unus sensus semel in vita mentitus sit, nulli unquam esse credendum.*

Ibid. QUI NE NUNC QUIDEM [sic lemma praescriptum annotationi, itaque Orell. p. 36, 4. »om. *qui* L. 1566. recte, puto.«]. vel repetendum *ἀπὸ κοινοῦ putat*, vel ascribendum. doctus quidam neutrum probat, sed vult deleri relativum *qui.*

§. 84. extr. TAMEN NON EA NOTA IUDICABIS QUAM DICIS ESSE OPORTERE UT NON POSSIT ESSE EIUSDEMMODI FALSA. sic legendum est, non ut est in libris vulgatis, *qua dicis oportere* [corrige Orell. p. 36, 16.].

C. 32. §. 103. ACADEMICIS PLACERE ESSE RERUM EIUSMODI DISSIMILITUDINES. Passeratius legendum putat, *eiusmodi similitudines* [vid. Goerenzium p. 187. sq.]

C. 33. §. 105. QUIA NOBISMET IPSIS MODO CAERULEUM VIDEBATUR MANE RAVUM. sic Nonius legit [2, 730. p. Mercer. 164, 13. qui sic dedit, *quia nobismet ipsis tum caeruleum tum ravum vi-*

detur, quodque nunc a sole collucet.], mane ravum, ubi vulgati omnes et manu scripti habent, *mane flavum* [vid. Burmann. ad Anthol. Lat. Tom. 2. p. 510. de *ravo* autem cf. Lambinum Comm. Horatianis ad. III. Carmm. 27, 3. p. 200. D.].

C. 34. §. 108. HERCULI QUENDAM LABOREM EXANTLATUM A CARNEADE. *Herculi* positum pro *Herculis*, qua de re alibi [vide annotata ad IIII. Accusat. C. 6. §. 12.]. profert autem hunc locum Nonius in verbo *exantlare* [2, 304. p. Mercer. 107, 25.], ubi legit *exanclatum* per *c*, quasi a verbo *anculare*, quod quidam dicunt apud veteres valuisse *haurire*. atqui existimo *anculare* significasse apud veteres *ministrare*, non *haurire*, et ita Festus in voce *ancillae*. idem perspicue *antlare* docet ortum esse a Graeco verbo *ἀντλεῖν*. nec me movet, quod apud eum scriptum est *anclare* in libris vulgatis. nonnulli enim veteres habent ‖ *antlare*. omnino *exhaurire laborem* Latini di- p. 486.
cunt, praesertim poetae. ergo et *exantlare* probandum est. a.
exanclare autem etiam probo, ab *anculando*, quod est *ministrare*; ut *exanclare laborem* idem valeat, quod *perferre* et *tolerare* [cf. Nonius Marcellus 4, 162. p. Mercer. 292, 2. vid. Pareum Lex. Crit. p. 434. sq. et M. Antonium Muretum VV. LL. 13, 17. Operum Tom. 2. p. 313. ibique Faesium Tom. 2. p. 341. et quae ab Ochsnero annotantur ad Eclogg. Oliveti p. 278. et 469. v.].

C. 35. §. 113. ITAQUE INCOGNITO NIMIRUM ASSENTIAR ID EST OPINABOR. hunc locum in omnibus libris depravatum, sententiam Ciceronis odoratus, parva immutatione correxi. sic enim vulgo legitur, *incognitione assentiar*. sic paullo post, eadem pagina [p. 32, 21. nobis C. 36. §. 114.], *tu quum me incognito assentiri vetes, idque turpissimum esse dicas et plenissimum temeritatis*, etc. et pagina tricessima sexta [p. 36, 22. id est. C. 43. §. 133.], *contineo igitur me, ne incognito assentiar.*

C. 36. §. 116. VELUT ILLUD ANTE ESTNE QUISQUAM [erravit igitur Gothofredus p. 46., *a te* Lambino vindicans.]. libri veteres habent *velut illud a te, estne* etc.

§. 117. QUAM POTISSIMUM SENTENTIAM MELIUS ELIGET AUT DISCIPLINAM. sic habent libri veteres, omnino melius quam vulgati. sed mihi tamen ii quoque suspecti sunt [contra Lambinum sic dedisse, *quam potissimum sententiam, aut quam disciplinam melius eliget?* auctor est Gothofr. p. 47.].

C. 37. §. 118. CUI SEX RELIQUOS CONCESSISSE PRIMAS FERUNT. sic emendavit Paullus Manutius, cui assentior [edebatur, quod et in Laemariana repraesentare Gothofredus maluit, *cui sex reliquos consensisse primos ferunt*. sed cf. Laert. 1. §. 28. Tom. 1. p. Meibom. 28. sqq. eundem in hoc verbo errorem Lambinus sublaturus erat IIII. Herenn. C. 9. §. 13. p. 34, 13. itaque hoc nomine librarios castigavit Drakenborchius ad Livii 9. 7, 7.].

C. 38. §. 119. QUOD NULLA FUERIT NOVO CONSILIO INITO TAM PRAECLARI OPERIS INCOEPTIO. sic legendum, non, ut est in libris vulgatis, *initio*.

C. 39. §. 122. NEC EO TAMEN AIUNT EMPIRICIS NOTIORA ESSE ILLA. lege, *nec eo tamen aiunt empirici notiora esse.*

§. 123. E CONTRARIA PARTE TERRAE. videntur haec aliena, non Ciceronis.

Ibid. NYCETAS SYRACUSIUS [corrigendum ex Indice Erratorum Lambini p. 626. *Nicetas*]. ex Diogene Laertio [8. §. 85. Tom. 1. p. Meibom. 543.] legendum, *Hicetas* [sic correxi istud *Nicetas*, commentum operarum] *Syracusius*, ut Turnebus animadvertit [Adverss. 16, 18. vide et Muretum VV. LL. 11, 14. Operum Tom. 2. p. 264. sq.].

Ibid. EGONE NE BIS QUIDEM TANTUM. verba sunt Epicuri, quorum haec sententia est: ego solem maiorem quidem esse posse, quam videatur, puto, sed non multo; ne bis maiorem quidem, id est, ne altero quidem tanto maiorem esse arbitror. tantum abest, ut amplius duodeviginti partibus maiorem quam terram putem, ut mathematici confirmant. sic fere supra, pagina vicesima sexta [p. 26, 22. nobis C. 26. §. 82.], *Epicurus autem posse putat etiam minorem esse eum, quam videatur, sed non multo. ne maiorem quidem multo putat esse: vel tantum esse, quantus videatur* [*ut oculi aut nihil aut non multum mentiantur.*]. mendosi autem sunt hoc loco libri omnes, qui habent *egone vobis quidem*, etc.

§. 124. AN UT XENOCRATI. repete *ἀπὸ κοινοῦ placet.* mendose hic operae *Xenocratis* ediderunt pro *Xenocrati*, mendose item habent libri vulgati *Xenocratis* [? Xenocrates.].

C. 40. §. 125. UT ET QUODCUNQUE MOVEATUR CORPUS ET [haec particula eximenda Lambinianis. vid. Indicem Erratorum p. 626.] ALIUD CEDAT [non, *et cedat*, ut habet Orell. p. 51, 10.] ET QUA QUIDQUE CESSERIT ALIUD ILLICO SUBSEQUATUR. legendum fortasse est, *ut et quacunque quodque moveatur corpus, ea aliud cedat, et qua quodque cesserit, aliud illico subsequatur?* vel, *qua quicquam moveatur corporum*, etc. mendose autem hic operae ediderunt, *moveatur corpus et aliud cedat*, etc. delenda enim *et* copulatio est.

C. 41. §. 126. VOS VERO HUIUS MAGNITUDINEM QUASI DECEMPEDA PERMENSI REFERTIS HUIC MENSURAE VESTRAE ME QUASI MALI SITIS ARCHITECTI NEGO EGO CREDERE DUBIUM EST UTER NOSTRUM SIT LEVITER UT DICAM VERECUNDIOR. Manutii coniecturam, quae mihi ita certa videtur, ut pro vera scriptura, corruptis exemplaribus, habenda sit, sequi non dubitavi; praesertim quum, hic nihil fere praeter ordinem ab eo immutetur ego tamen putarim haec verba, *quasi malis architectis*, quae sunt in omnibus libris non esse Ciceronis, sed aliunde in contextum orationis illata, aut sic legendum, *quasi mali sitis architecti.* praeterea ex voce

ergo facio *ego*, ut a voce *dubium* proficiscatur principium novae orationis [sed vide Madvigium Emendatt. p. 188. sqq.].

§. 127. ERIGIMUR ELATIORES FIERI VIDEMUR. melius fortasse *altiores fieri videmur*, ut habet codex unus vetus.

C. 42. §. 130. QUAE ἀπάθεια NOMINATUR. sic scriptum est in uno codice Memmiano, et ita legendum. nisi quis putet legi debere potius, *quae πάθη nominantur*. omnino alterutro modo legendum est.

C. 43. §. 132. extr. HIC IGITUR NEUTRI ASSENTIENS SI NUNQUAM UTER SIT SAPIENS APPAREBIT NONNE UTROQUE EST PRUDENTIOR. multa hic erant a scriptore librario properante atque aliud agente praetermissa, quae ego ex sensu Ciceronis et sententia huius loci restitui, non sine ope codicum manu scriptorum.

C. 45. §. 138. VOS AUTEM MIHI VEREMINI. legendum videtur, *vos autem mihi vereri videmini*, et cetera [margo Laemar. p. 52. *vos autem sic mihi vereri videmini, ne labar ad opinionem*, etc.].

[§. 139. CALLIPHONTEM. Lambinianae operae dederunt *Calliphotem*, id est, *Calliphontem*, a *Calliphon*, *ntis*. ipse Lambinus a *Callipho*, p. 35, 46. nobis c. 42. §. 131., *Calliphonem* maluit, idque reposuit in Ind. Erratorum p. 626. vid. Ruddiman. Instt. Gramm. Lat. 1, 2. Vol. 1. p. 61. et cf. ab Heusingero notata ad III. de Off. C. 33. §. 119. p. 808.].

C. 48. §. 148. extr. HABEO INQUAM SENTENTIAM TUAM NEQUE EAM ADMODUM ASPERNOR. totum hunc locum mirum in modum ex perturbatione ordinis verborum depravatum et corruptum, verbis in suum locum ordinemque restitutis, emendavi.

II.

IN LIBROS DE FINIBUS BONORUM ET MALORUM AD M. BRUTUM.

I. C. 1. §. 3. AUT ALIQUID FERRE DENIQUE. quidam libri non habent *denique*.

C. 3. §. 9. χαῖρε TITE HINC MUCI IAM ALBUCIUS HINC INIMICUS. hic versus in omnibus libris vulgatis corruptus est. ego eum, antiquae scripturae vestigia secutus, emendavi; quemadmodum et secundum, in quo *Ponti* et *Tritanni* sunt generandi casus pro *Pontii*, *Tritannii*, a recto *Pontius*, *Tritannius*.

C. 6. §. 19. ET ADHAESIONES ATOMORUM INTER SE. nonnulli libri habent *adhaesitationes*. ego nihil muto.

Ibid. QUO NIHIL TURPIUS PHYSICO. haec verba, quae reperiuntur deinceps in omnibus libris vulgatis et quibusdam etiam manu scriptis, *quam fieri sine causa quicquam dicere,* ego funditus delevi, ut aliena et supervacanea, et in libris melioribus non comparentia.

§. 21. QUAE SEQUITUR SUNT TOTA DEMOCRITI. quidam legi volunt, *quae sequuntur*, ego *quae sequitur* malo. et ita reperi
b. scriptum in libro manu || scripto. opponitur autem illi membro, *quae mutat.* nam *quae sequitur* interpretor, quae probat.

C. 7. §. 22. NIHIL [non *nil*, ut reliqui omnes habent] GENEROSUM SAPIT ATQUE MAGNIFICUM. * * docti quidam post haec aliquid deesse putant. ego in libris manu scriptis nullam reperi lacunam [totum hunc locum reprobare dicunt Lambinum, neque apparere in libris manu scriptis. vid. Gothofred. p. 62. Ernestus, quum abesse videret ab editionibus primis, uncis inclusit. vid. Goerenzium Philosophh. Tom. 3. p. 28.].

C. 8 §. 26. QUID ENIM EI RELIQUISTI NISI TE QUOQUO [non ut est apud Gothofred. p. 63., *quoque*] ID MODO LOQUERETUR INTELLIGERE QUID DICERET. sic legendum, non ut vulgo, *quoque ut id modo.*

Ibid. extr. ADDIDISTI AD EXTREMUM ETIAM INDOCTUM FUISSE. ante haec verba libri vulgati habent haec, *etenim quasi detractis de homine sensibus*, quae ex alio et suo loco, qui est hac eadem pagina, versu quadragesimo nono [p. 43, 49. id est C. 9. §. 30. extr.], huc in alienum immigrarunt, ea funditus sustuli, quum praesertim in manu scriptis sola vox *detractis*, eaque in nonnullis cum litura compareat.

C. 9. §. 31. SED ANIMO ETIAM AC RATIONE INTELLIGI POSSE ET VOLUPTATEM IPSAM PER SE ESSE EXPETENDAM ET DOLOREM IPSUM PER SE FUGIENDUM. ego hic a Camerario dissentio, qui putat, hoc totum, *et voluptatem* [ipsam] *per se esse expetendam et dolorem* [ipsum] *per se esse* [sic Lambinus, hoc quidem loco] *fugiendum*, subditicium esse.

C. 10. §. 33. AUT OFFICIIS DEBITIS AUT RERUM NECESSITATIBUS. hoc totum alienum et ab aliquo indocto inculcatum esse puto.

C. 12. §. 41. QUID EST QUOD HUIC POSSIT QUOD MELIUS SIT ACCIDERE? lego *accedere*, ex antiquis codicibus, Memmianis, Cuiaciano et Huraltino [vid. Orell. p. 89, 4. nec raro confunduntur a scriptoribus librariis *accidere* et *accedere.* vid. ad Orationem pro Quinctio C. 1. §. 3. et quae annotantur ab Drakenborchio ad Livii 21. 10, 12.].

Ibid. extr. NEC PRAETEREA EST RES ULLA QUAE AUT SUA SEDE NATURAM SOLLICITARE POSSIT AUT FRANGERE. libri manu scripti habent, *possit aut tangere.* quos in hoc non sequor, in eo sequor, quod habent, *sua sede sollicitare*, id est commovere, depellere [vid. Pareum Lex. Crit. p. 1165, 1.].

C. 13. §. 43. ET OMNIUM FALSARUM OPINIONUM TEMERITATE DEREPTA. *derepta* (sic enim habent omnes codices manu scripti), id est dempta, detracta [vid. annotata ad IV. Accusat. c. 50. §. 112. p. Lambin. 180, 32].

C. 19. §. 63. EA SCIENTIA FORTASSE [hoc ignorat margo Laemar., id est, Gothofr. p. 31.] ET VERBORUM VIS ET NATURA ORATIONIS ET CONSEQUENTIUM REPUGNANTIUMVE RATIO POTEST PERSPICI IN PHYSICIS AUTEM [hoc abest et a Laemar. l. l. et ab Orell. p. 95, 18.] QUOD PLURIMUM PROSUNT PLURIMAM [*quam plurimam* Laemar. l. l.] OPERAM POSUIT OMNIUM ENIM RERUM NATURA COGNITA LEVAMUR SUPERSTITIONE LIBERAMUR MORTIS METU NON CONTUREAMUR IGNORATIONE RERUM. nihil hic praeter ordinem verborum, qui confusus et perturbatus erat, restitui. in ceteris, in quibus a libris vulgatis discessi, manu scriptos secutus sum.

§. 94. extr. ET MODERATIO NATURA CUPIDITATUM GENERIBUSQUE EARUM EXPLICATIS. sic omnes quidem libri habent. sed tamen quidam legi volunt, *et moderatio cupiditatum, natura generibusque earum explicatis* [nec Lambini haec correctio est, quanquam illum sic correxisse ait Goerenzius l. l. p. 92., nec de ipsius Goerenzii suspicione haec, qualiacunque sunt, quisquam reposuit. volebat hic, opinor, codicum vestigia secutus, deleta voce *natura*, quam libri non satis firmare videbantur, *moderatio cupiditatum, generibus earum explicatis*.].

C. 20. §. 68. EADEM INQUIT SCIENTIA CONFIRMAVIT ANIMUM. libri veteres fere omnes habent, *eadem, inquit, sententia*, etc.

II. C. 1. §. 3. extr. UT QUIBUSDAM IN FORMULIS [non, *in quibusdam formulis*] »QUA DE RE AGATUR.« sic est legendum, et ita statim loquitur, *conveniat, quid sit id, de quo agatur*. nisi quis ita malit, *ea de re agitur*. quod si quis neget, fretus antiqua scriptura forte [fortasse] corrupta, eum ego sexcentis e Pandectis iuris civilis locis, et ex ipso Cicerone non paucis obruam, ut omittam, quod doctissimi nostrae aetatis iurisconsulti mihi assentiuntur [sed vid. Orellium V. D., qui laudavit Gaium nuper repertum, Commentariis 4, 131. p. edit. pr. 314.].

C. 2. §. 6. ET IN EO NUTARE. quidam legi volunt, *et in eo natare*. a quibus dissentio.

C. 3. §. 10. VOLUPTAS VARIA ETIAM DICI SOLET QUUM PERCIPITUR EX MULTIS DISSIMILIBUS REBUS DISSIMILITER EFFICIENTIBUS VOLUPTATES. libri aliquot veteres habent, *dissimiles efficientibus voluptates*.

C. 4. §. 12. extr. SIC VOS DE PELASGIS OMNIBUS COLLIGITIS BONOS ILLOS QUIDEM VIROS SED CERTE NON PERERUDITOS. Turnebus [Adversarr. 4, 8] legendum censet vel *de plagis*, vel *de pagis*.

ego *de Pelasgis* malo. propius enim accedit ad veterem scripturam *Pelagis*. atque ita Victorius [ex Omissis post Tom. 1. p. 382, 2. vid. Victorium VV. LL. 1, 10.].

§. 14. QUAMQUAM HAEC INTER NOS NUPERA NOTITIA ADMODUM EST. quum in libris manu scriptis partim reperissem scriptum *nuper notitia*, ut vulgo legitur, partim *nupera notitia*, ut et in nonnullis exemplaribus Terentianis, partim *inter nos notitia*, sine voce *nuper* aut *nupera*: ego *nupera notitia* edendum curavi, quemadmodum et nonnullis viris doctis legi placere cognovi. *nuperum* autem pro recenti a veteribus usurpatum esse testatur et Festus, idque confirmat auctoritate Plauti Captivis [3. 5, 60. Tom. 1. p. Gronov. 221.], *recens captum hominem nuperum, novicium*. si quis tamen malit legi nuper, non admodum laborabo.

Ibid. extr. QUI UTROQUE CAREAT. legendum fortasse est, *qui utrisque careat* [sunt »alii« qui ita legendum censeant, apud Gothofredum p. 79.].

C. 5. §. 16. SIN AUTEM VOLUPTATEM DICIT AD ILLUD ADIUNGENDAM EAM [*illam* habet Gothofredus p. 79.] QUAE IN MOTU SIT. hunc locum partim veterum codicum auctoritatem secutus, partim coniectura ductus perpurgavi.

C. 8. §. 23. ADSINT ETIAM FORMOSI PUERI QUI MINISTRENT RESPONDEAT HIS VESTIS ARGENTUM AES CORINTHIUM AUT DELIACUM AEDIFICIUM [hoc abest a Gothofred. p. 81.] LOCUS IPSE. sic emendat Muretus ex antiquis codicibus, lib. Variarum Lectionum 6. cap. 20. [Operum Tom. 2. p. 140.]. sed Adrianus Turnebus [Adversarr. 28, 34.] pro voce illa corrupta, quae etiam in libris quibusdam manu scriptis reperitur, *odrilicium*, legendum censet *odor, inlicium*, ut *inlicium* cohaereat cum voce *aedificium* seu potius *locus ipse*, hoc modo, *vestis, argentum, aes, odor, inlicium locus ipse*. vult enim esse verbum ex Lucilio.

§. 24. GUMIAS EX ORDINE. sic legendum. *gumiae* autem, id est comedones, lurcones [vid. Pareum Lex. Critico p. 527, 1.]. paullo post lego, *o Publi gurges Galloni: es homo miser*, et cetera [p. contextus 55, 33. sic editur, *o Publi, o gurges, Galloni es homo miser, inquit*. alia habet Gothofredus in marg. Laemar. p. 82. ceterum de *Gallonio* vid. Lambinum Comm. Horatt. ad. II. Satirr. 2, 47. p. 109. A.].

C. 9. §. 26. PRIMUM DIVISIT INELEGANTER. sic quidem habent libri nostri. sed quidam legi volunt *vitiose*, nonnulli *negligenter*.

C. 10. §. 29. HOC VERO NON VIDERE MAXIMO EST ARGUMENTO NULLAM ESSE VOLUPTATEM ILLAM [mutato verborum ordine Gothofr. p. 83., *voluptatem illam esse nullam*] QUA SUBLATA NEGET SE INTELLIGERE OMNINO QUID SIT BONUM. sic restitui coniectura ductus, et tamen antiquae scripturae vestigia persecutus. *nullam* au-

tem interpretor inanem. quod si quis malit legi *inanem*, non pugnabo.

C. 11. §. 35. UNA SIMPLEX CUIUS ZENO AUCTOR POSITA IN DECORE TOTA ID EST IN HONESTATE. vel subintelligendum *sententia*, vel legendum, *unus simplex, cuius Zeno auctor, positus in decore totus* [inserendum Orell. p. 111, 17.].

C. 12. §. 36. QUID IUDICAT SENSUS DULCE AMARUM LENE ASPERUM. sic restituit hunc locum Petrus Faber Tolosanus, Consiliarius Regius in Ambulatorio Consilio, quod Magnum appellant: quam emendationem postea || veterum codicum auctori- p. 487.
tas confirmavit [cf. Goerenz. p. 178.]. a.

C. 13. §. 42. extr. DEINDE SINGULAS POTIUS QUAM OMNIA QUAE PRIMA NATURA APPROBAVISSET [non *approbasset*, ut habet margo Laemar. p. 86.]. hoc totum, quod reperitur in libris vulgatis et nonnullis manu scriptis, *ea cum voluptate coniungerent*, (non comparet autem in uno longe optimo), funditus delevi, ut supervacaneum et alienum.

C. 14. §. 46. HIS INITIIS INDUCTI. fortasse *imbuti* legendum. quamquam nihil muto [vid. Goerenz. p. 193.].

C. 20. §. 66. TESTATA CIVES. alii legunt, *testata crimen*. et ita scriptum est in quibusdam libris manu scriptis.

C. 22. §. 71. NON METUET AUTEM SIVE CELARE POTERIT SIVE OPIBUS MAGNIS QUICQUID FECERIT OBTINERE. sic hunc locum ex antiquo codice emendavit Ioannes Scala, quam scripturam testificor me quoque in antiquis codicibus reperisse. in verbo *obtinere* autem repetendum *ἀπὸ κοινοῦ poterit*.

§. 72. ET HERCULE MODO VIR OPTIMUS NOSTRIQUE AMANTISSIMUS. quidam legi volunt, *et hercule mihi vir optimus*, etc.

C. 23. §. 76. extr. OMNIA PERICULA PRO RE PUBLICA. lege, *omnia pericula adire pro re publica* [insere Orellianis p. 124. ad »alios« auctores retulit Gothofred. p. 93.].

§. 77. HAEC QUUM LOQUERIS NOS VARONES STUPEMUS. Rivius legendum putabat, *nos bardi*, quum se in veteribus libris *nos barones* scriptum reperisse testaretur. ad extremum tamen *Varrones* probabat. ego Turnebi [Adversarr. 9, 2.] sententiam secutus *varones* edendum curavi. *varones* autem, id est tardi, pingues, hebetes [vid. annotata ad 5. Epp. ad Atticum 11. p. 665.].

C. 24. §. 79. QUID ENIM DE AMICITIA STATUERIS VIDES. haec verba, *utilitatis causa expetenda*, quae deinceps post *statueris* leguntur in libris vulgatis et nonnullis manu scriptis, deleri iussi ut aliena et ex annotatione nata.

Ibid NUMQUID EST NISI QUOD TURPE EST? sic legendum est, libris omnibus invitis, sententia ipsa flagitante. *numquid est odio dignum*, inquit, *nisi quod turpe est* [ponam integrum locum p. Lambin. 64, 34. *primum cur ista res digna odio est?*

nunquid est, nisi quod turpe est? si, ne si incommodo quidem afficiare, non relinques amicum: tamen, ne sine fructu alligatus sis, ut moriatur, optabis.]?

C. 26. §. 82. PRIMO UTILITATIS CAUSA AMICUM EXPETI. aut legendum est hic *voluptatis*, aut paullo post, *spe utilitatis* [et sic margo Laemar. p. 95. »fortasse *voluptatis causa*« et deinceps »fortasse *utilitatis*.«].

§. 84. NUM IGITUR UTILIOREM TIBI HUNC TRIARIUM PUTAS ESSE POSSE QUAM TUA SINT PUTEOLIS GRANARIA? Muretus lib. 7. cap. 20. Variarum Lectionum [Operum Tom. 2. p. 163. sqq.] ex codicis veteris auctoritate corrigit *granaria*, ubi vulgati habent *gramina*.

C. 28. §. 92. VERUM ESTO. quum ab omnibus libris manu scriptis absit vox *modo*, non dubito, quin aliunde huc invecta sit, et ita factum *isto modo*, ab aliquo semidocto. at quanto rectius et facilius erat ex *isto*, quod erat corruptum, facere *esto?* sic igitur emendamus, *verum esto: consequatur*, etc., deleta voce *modo*, quae, ut dixi, in libris veteribus non reperitur. est autem concessio. sic saepe Horatius, ut in epist. 1. lib. 1. [vv. 80. sq], *multis occulto crescit res fenore. verum Esto, alios aliis rebus studiisque teneri.*

§. 93. DEINDE DOLOREM QUEM MAXIMUM? sic hunc locum corrigo in libris vulgatis corruptum, in quibus legitur, *tam maximum.*

C. 30. §. 97. UT PRIMUM DESPEXIT. libri veteres [id est, *alii* apud Gothofred. p. 98.] habent, *ut primum dispexit* [proclivi scriptorum librariorum errore. vid. Drakenborch. ad Livii 7. 23, 6.].

C. 31. §. 99. VENEUNTQUE SCRIPTA EIUS PROBITATE IPSIUS AC MORIBUS. quidam legi volunt *vincunturque* [placet hoc »aliis« apud Gothofred. p. 98.].

C. 32. §. 105. VIDE NE MANLIANA SINT ISTA VESTRA AUT MAIORA ETIAM SI IMPERES QUOD FACERE NON POSSIM. sic habent omnes, quos quidem viderim, libri veteres. sed quidam legi volunt, *vide ne Manliana sint iussa vestra*, alii, *ne Manliana sint ista castra.*

C. 35. §. 118. PERPETUISNE MALIS VOLUPTATIBUS PERFRUENS. sic legendum, non ut habent libri vulgati, *perfluens.*

III. C. 1. §. 1. AUT PLURIS ESSE CONTENDAT DULCEDINEM CORPORIS TITILLANTEM EX EAVE NATAM LAETITIAM QUAM GRAVITATEM ANIMI ATQUE CONSTANTIAM. sic emendavi ex auctoritate librorum manu scriptorum.

§. 2. extr. REPELLUNT. fortasse legendum, *refellunt* [margo Laemar. p. 105. »fortasse *refellunt*.« id est, *repellunt*. vid. Burmann. ad Ovidii I. Metamm. 759. Tom. 2. p. 89. et Drakenborch. ad Livii 39. 28, 11.]. quamquam haec lectio ferri potest.

C. 2. §. 5. PLURIMA NOVARUNT. sic legendum, ut edendum curavi. quod quidem primum non longe abest a lectione vulgata, deinde reperitur integrum in codice Memmiano et Cuiaciano [edebatur ante Lambinum, quod necessario fuit corrigendum et, ut corrigatur, libri non desunt auctores, *nominaverunt*.].

Ibid. DE REBUS NON PERVULGATIS. codex Cuiacianus habet, *non pervagatis*.

§. 6. QUI TUM IN PHILOSOPHIA TUM IN OPTIMO GENERE PHILOSOPHIAE TANTUM PROCESSERIS. lego, *qui quum in omni philosophia*, etc.

§. 7. extr. QUASI HELUO LIBRORUM. codex Cuiacianus habet, *heluaris libri*, plane mendose, quis neget? sed quid si dicamus, hinc videri legendum, *heluari libros?*

§. 8. QUOD QUUM ACCIDISSET UT ALTER ALTERUM NEC OPINATO VIDEREMUS SURREXIT STATIM. videtur hoc quibusdam mendosum, aut certe inusitate dictum. mihi vero non videtur. nam *quod* hic positum pro *sed* seu *autem*, ut in *quod si* [sed vid. Bremium notis ad h. l. p. 285.]. sic apud Lucretium lib. 1. [v. 222], *quod nunc aeterno quia constant semine quaeque*. ubi libri vulgati habent, *at nunc*, etc.

§. 9. extr. SED RESIDEAMUS INQUIT SI PLACET. libri manu scripti habent, *sed residamus* [vid. Goerenz. p. 320.], et paullo post [C. 3. §. 10.] *Aristotelios*, pro quo vulgati habent *Aristotelicos* [Lambino *Aristotelios* vindicat margo Laemar. p. 105. estque illud praeferendum utique vulgato. vid. Bremium ad Ciceronis de Fato C. 5. §. 10. p. 23. sq.].

C. 3. §. 11. QUAE REM ULLAM VIRTUTIS EXPERTEM AUT IN BONIS AUT IN MALIS NUMERENT. sic omnes quidem habent libri, sed omnino legendum, *quae rem ullam aut virtutis expertem in bonis, aut turpitudinis*, seu, *aut vitii*, *in malis numerant* [? sic certe corrigendum fuit commentum istud operarum *numerans*], et cetera [itaque Lambinus sic daturus olim fuerat, ut reponeret: *ceteras philosophorum disciplinas omnino aliam magis*, *aliam minus*, *sed tamen omnes*, *quae rem ullam aut virtutis expertem in bonis aut vitii in malis numerent*, *eas non modo nihil adiuvare arbitror*, *neque afferre quo meliores simus*, *sed ipsam depravare naturam*. et sic habet Gothofredus in margine Laemar. p. 106. cf. ab Orellio ad h. l. annotata p. 142, 4. et Madvig. Ep. Crit. p. 67.].

C. 4. §. 15. NAM QUUM IN GRAECO SERMONE HAEC IPSA QUONDAM RERUM NOMINA NOVARUM NOVA VIDEBANTUR QUAE NUNC CONSUETUDO DIUTURNA TRIVIT QUID CENSES IN LATINO FORE? secutus sum

in hoc loco restituendo P. Manutii coniecturam, quae ita certa est, ut, si scripti codices omnes eam refellerent, nihilo minus probanda videretur. nunc quum eam nonnulli codices adiu-
b. vent, nemini dubium esse debet, quin sic haec ve || ra scriptura.

C. 6. §. 21. ATQUE ITA COGNITIONE ET RATIONE COLLEGIT. lege, *cogitatione et ratione collegit*, ut habent libri veteres [sed vide, quae disputantur a Bremio ad h. l. p. 300. sq.].

C. 7. §. 24. extr. SOLA ENIM SAPIENTIA IN SE TOTA CONVERSA EST. sic habent omnes libri, et manu scripti et vulgati, a quibus discedendum esse non puto. quidam tamen legi volunt, *tota versa est* [et habet margo Laemar. p. 109.].

C. 10. §. 33. ID AUTEM SEQUENS ILLUD QUOD PRODESSET. post vocem *sequens* tolle distinctionis notam [vid. Ind. Erratt. p. 626.]. *sequens illud* autem, id est id quod sequitur bonum.

C. 13. §. 42. AN VERO CERTIUS QUICQUAM POTEST ESSE QUAM RATIONE [non *ratio*, Orell. p. 152, 7.] EORUM QUI DOLOREM IN MALIS PONUNT NON POSSE SAPIENTEM BEATUM ESSE QUUM EQULEO TORQUEATUR? sic legendum est, vel libris omnibus invitis. sic autem loquitur eadem pagina, versu ultimo [C. 14. §. 48.], *itaque consentaneum est his, quae dicta sunt, ratione illorum, qui illum bonorum finem, quod appellamus extremum, quod ultimum, crescere putant posse, iisdem placere, esse alium alio etiam sapientiorem, itemque alium magis alio vel peccare vel recte facere* [et repetitiones Lambinianae et Laemariana, qua utor, sic habent, *quam illorum ratione.* vid. Orell. p. 152, 7.].

C. 15. §. 49. QUIA COGNITIONES COMPREHENSIONESQUE RERUM E QUIBUS EFFICIUNTUR ARTES APPETITIONES MOVENT. sic restitui libris omnibus reclamantibus, qui habent *cogitationes comprehensionesque*, plane mendose. sed paullo post iis ducibus atque auctoribus, deleta coniunctione *et*, *appetitiones movent* excudendum curavi.

C. 20. §. 67 EOS AUTEM COMMUNITATIS ET SOCIETATIS SUAE UT BESTIIS HOMINES UTI AD UTILITATEM SUAM POSSINT SINE INIURIA. legendum videtur, *homines autem communitatis et societatis suae, ut bestiis uti ad utilitatem*, etc. quanquam nihil muto [vid. Bremium p. 350.].

Ibid. QUI MIGRARET INIUSTUM FORE. *qui migraret*, nempe id ius civile. *migraret* hoc loco id est transiliret, *παραβαίη*. sic Offic. 1. [p. 354, 44. nobis C. 10. §. 31.], *quaeque pertinent ad veritatem et ad fidem, ea migrare interdum et non servare sit iustum.* sic utitur eodem verbo lib. 1. de Divinatione [p. Lambin. 256, 14. nobis C. 5. §. 8. cf. Nizolium a Facciolato castigatum p. 454, 1. et Pareum Mantissa Lexici Critici p. 172, 1.].

C. 21. §. 69. extr. SED EMOLUMENTA ET DETRIMENTA COMMUNIA ESSE DICUNTUR. hoc totum, *emolumenta et detrimenta*, delendum censeo. repetenda enim et subintelligenda ex supe-

rioribus *commoda et incommoda* [vid. Bremium p. 353. cum Lambino Davisius, quod iam antea dicta essent, pro insiticiis habebat.].

C. 22. §. 73. QUI IUBENT TEMPORI PARERE. sic omnes habent libri veteres, neque video quamobrem quicquam sit mutandum. expressit enim, quod Graeci dicunt *καιρῷ πείθεσθαι* seu *πειθαρχεῖν*, id est, *tempori parere.* P. Victorius tamen putat legendum, *parcere*, quod iidem Graeci dicunt, *χρόνου φείδεσθαι.*

IIII. C. 1. §. 1. NON MELIOR QUAM ILLAE SUNT. videtur legendum, *non paullo melior* [sic »alii« apud Gothofredum p. 121.], etc.

§. 2. extr. ETSI ILLUD ERAT AEQUIUS SUUM CUIQUE CONCEDERE. sic restitui, libri unius veteris vestigia secutus, in quo ita scriptum est, *etsi illud erat aequius aequum cuique*, etc.

C. 3. §. 6. QUOD ERAT HOMINUM NON DE SPINIS VELLENTIUM NEC OSSA NUDANTIUM UT STOICI. sic restitui ex obscuris antiquae scripturae vestigiis. malim tamen legi, *non spinas vellentium.* nec mihi displicet aliorum coniectura, qui sic restituunt, *de fortitudine, more hominum non spinas vellentium* [sed vid. ab Orellio notata p. 164, 1.].

C. 8. §. 19. UT SE ET SALVUM IN SUO GENERE INCOLUMEQUE VELLET. lege, *ut se salvum*, et cetera [habet margo Laemar. p. 125., inter Lambiniana repositum. similiter correxit Lambinus V. de Finibus p. 100., 9. nobis C. 6. §. 15. extr. *cognitis autem rerum finibus quum intelligitur quid sit et bonorum extremum et malorum, inventa vitae via est conformatioque omnium officiorum.* sed et hoc loco Cicero per *et — que* orationem iunxit, scribendumque, *et inventa vitae via est conformatioque omnium officiorum.*].

C. 12. §. 30. QUIA MOMENTUM ALIQUOD HABEAT AD VITAM IUCUNDAM HAEC [hoc abest a lemmate. vid. Goerenz. p. 457.] ACCESSIO. sic legendus est hic locus, quamvis libri vulgati reclament et nonnulli manu scripti, ex quibus alii sic habent, ut edidimus, alii hoc modo, *habeat ad iucundum accessio* [idque ita posuisse Lambinum testatur Gothofredus in marg. Laemar. p. 125.]. quae scriptura ascripta erat ad oram codicis Leoquerni, viri humanissimi, collegae mei.

§. 31. HOC SIMILE TANDEM EST NON RISU POTIUS QUAM ORATIONE EIICIENDUM. quidam legi volunt, *reiiciendum.*

C. 13. §. 32. QUID DE QUO NULLA DISSENSIO EST. sic erat emendatus hic locus in libro Leoquerni, et ita reperi scriptum in aliquot libris manu scriptis.

§. 33. UT SIMILE SIT OMNIUM NATURARUM ILLUD ULTIMUM DE QUO QUAERITUR. sic restitui, a simili loco, qui est supra hac eadem pagina, admonitus [C. 13. §. 32. init.], *nemo enim est, qui aliter dixerit, quin omnium naturarum simile esset id, ad quod omnia referuntur, quod est ultimum rerum appetendarum.*

C. 15. §. 40. AT ENIM NATURA DICITIS VIRTUTEM NON POSSE CONSTITUI [non, ut est in lemmate, *constitui non posse*]. sic habet codex Memmianus, quem secutus sum. quanquam Manutius legit, *at enim veram dicitis virtutem*, eoque modo scriptum esse ait in Maffei libro.

§. 42. UT A PRINCIPIIS PERMANARET AD FINES. vel sic legendum, vel *perveniret ad fines* [veterem scripturam, *permaneret*, primum correctam a Manutio, tenuit Laemariana a. 1596., invito Gothofredo.].

C. 18. §. 50. extr. ILLUD VERO MINIME CONSECTARIUM SED IN PRIMIS HEBES ILLORUM GLORIATIONE DIGNAM ESSE BEATAM VITAM QUIA NON POSSIT SINE HONESTATE CONTINGERE UT IURE QUISQUAM GLORIETUR. sic restituit hunc locum Muretus [VV. LL. 4, 13. Operum Tom. 2. p. 89. sqq.], duabus his vocibus, *scilicet nominum*, quae ex aliqua annotatione natae erant, deletis et distinctione mutata [Nonius Marcellus 2, 175. p. Mercer. 91, 18. »*coniecturarium*, efficax, perfectum. M. Tullius de Finibus »Bonorum et Malorum lib. 4. *illud vero minime coniecturarium, sed in primis hebes illorum.*« vid. Gesnerum in Thes. L. L. Vol. 1. p. 1154, 93.].

C. 20. §. 58. NUM IGITUR DUBIUM EST QUIN SI IN RE IPSA NIHIL PECCATUR A SUPERIORIBUS VERBIS ILLI COMMODIUS UTANTUR? legendum videtur, *commodioribus*. *commodioribus* autem, id est, aptioribus et accommodatioribus.

C. 22. §. 60. extr. QUIBUSCUM RE CONCINEBAT. sic restitui hunc locum ex Nonio [1, 201. voce *concinnare*. ibi Mercerus 43, 26. sic dedit: »M. Tullius de Finibus Bonorum et Malorum lib. 5. *cum iis, cum quibus re concinebatur, verbis discrepare?*« cf. a Mercero annotata ad h. l. p. 657.].

Ibid. §. 61. ADMIRATI SUMUS. malim legi, *demirati sumus*.

C. 24. §. 65. ET CATULI AEQUE CAECI PRIUSQUAM DESPEXERUNT. legendum censeo, *dispexerunt* [ex Indice Erratorum p. 626. reponendum p. contextus verborum Ciceronis 95, 3., *priusquam dispexerint*.].

§. 67. EARUM ETIAM CONTRARIORUM. vel sic legendum, vel si vulgatam lectionem retineamus, *contrariarum*, desideratur aliquid post vocem *contrariorum*; fortasse *inertiarum*. ego *contrariorum* probo. sic enim statim loquitur, ibi, *virtutum contraria*.

C. 25. §. 68. extr. ILLAE FALLACILOQUAE UT AIT ATTIUS [sic dedit Lambinus p. 95, 33., *Statius* habet lemma praescriptum

annotationi.]. sic restitui ex codice Memmiano [vid. Nonium 2, 346. p. Mercer. 113, 15.].

C. 26. §. 72. extr. || CUM ARISTOTELE ET ILLIS RE CONSENTIRE VERBIS DISCREPARE. codex Memmianus habet, *consistere.* unde suspicor legendum, *concinere*, ut supra, pagina nonagesima quarta [p. 94, 9. nobis C. 22. §. 60. extr.], *quibuscum re concinebat, verbis discrepabat.* p. 488. a.

C. 27. §. 74. extr. NON EGO TECUM IAM ITA LOQUAR UT IISDEM HIS DE REBUS QUUM L. MURENAM TE ACCUSANTE DEFENDEREM. quidam legi volunt, *ita iocabor.* et paullo post [§. 75.], ubi est *contenta numeris*, liber unus manu scriptus habet, *contenta nervis.* ego malim deleri. nam videtur hoc *numeris* esse supervacaneum.

Ibid. §. 76. CUIUS GENERIS ONUS NAVIS VEHAT. lectionem hanc receptam probo, tametsi *cuiuscuius* habeat unus liber manu scriptus. *cuiuscuius* autem, id est, cuiuscumque, a recto *quisquis.* usus est eodem casu Lucretius, ut est in nostris editionibus [cf. Pareum Lex. Crit. p. 297. sqq.].

C. 28. §. 78. HOC UNO MAXIME MIHI PREMI VIDENTUR TUI STOICI. vocem *vitio*, quae huc irruerat, ut alienam, delendam curavi.

V. C. 1. §. 3. SPECIES QUAEDAM COMMOVIT. videtur legendum *commonuit*, vel supra, *mihi quidem altiorem memoriam Oedipodis* etc. *commovit*, etc.

C. 2. §. 4. UT ID ETIAM COGNOMEN VIDEATUR HABITURUS. sic habent libri veteres, vulgati autem mendose *cognomine.* velim praeterea legi, *qui id etiam*, pro *ut id etiam.*

C. 8. §. 23. post med. IN QUIBUS NIHIL AUT HONESTUM AUT TURPE SIT. si codices manu scripti hanc lectionem non confirmarent, tanta tamen vis veritatis est, ut ea probari deberet. nunc quum eam codices illi adiuvent atque adeo prae se ferant, nihil est quod de huius lectionis veritate dubitemus, et lectionem vulgatam, *in quibus nihil, quod non aut honestum aut turpe sit*, non reiiciamus.

C. 9. §. 24. post med. ET QUATENUS QUICQUID SE ATTINGAT. vel *quicquid* positum pro *quidque*, quod non est inusitatum bonis scriptoribus, vel legendum *quidque* [vide annotata ad XV. Epp. ad Atticum 8.].

C. 11. §. 32. extr. CONFIGEBAT TARDUS CELERES STANS VOLATILES. sic apud Attium Philocteta, *configo tardus celeres stans volatiles, Pro veste pinnis membra textis contegens.* haec ex

Iosepho Scaligero, iuvene doctissimo et plane patris simillimo [vid. Hermannum, ab Orellio laudatum, de Philocteta p. 10.].

C. 13. §. 38. post med. ANIMUM ILLI PECUDI DATUM PRO SALE NE PUTRESCERET. legendum censeo, *ne putisceret*, ut legit Nonius Marcellus in voce *putidum* [2, 707. p. Mercer. 161, 19.].

C. 14. §. 40. extr. SIC ET EXTREMUM OMNIUM APPETENDORUM DUCTUM A PRIMA COMMENDATIONE NATURAE MULTIS GRADIBUS ASCENDIT UT AD SUMMUM PERVENIRET. sic legendum censeo, vel omnibus libris reclamantibus. sic enim loquitur infra, pagina proxima [p. 106, 3. nobis C. 17. §. 46. princ.], *et adhuc quidem ita nobis progressa ratio est, ut ea duceretur omnis a prima commendatione naturae* [edebatur partim *communitate*, quod et Gothofredus in ordinem recepit, partim *communione*.].

C. 16. §. 44. QUAE REBUS IPSIS PERFRUATUR. docti quidam legi volunt, *perficiatur*.

C. 19. §. 54. extr. FACILE NOS EO [non *ea*] CARERE PATEREMUR. sic legendum esse coniecimus partim ex antiqua scriptura, partim ex ipsa sententia.

C. 20. §. 55. post med. QUUM VERO PAULLUM PROCESSERINT. quidam addunt *aetate*, ut sit, *paullum aetate processerint*, etc.

Ibid. extr. ENDYMIONIS SOMNUM NOBIS VELIMUS DARI. libri vulgati fere omnes habent *nolimus dari*, sed codices veteres Memmiani et Huraltinus, *velimus dari*. utrocunque modo legamus, eadem sententia manet. hoc tantum interest, quod si *nolimus* legamus, geminata negatio magis negat, hoc modo, *nolimus nobis Endymionis somnum dari, ne si iucundissimis quidem*, et cetera.

§. 57. PARATISSIMIS VESCI VOLUPTATIBUS. hunc locum profert Nonius in verbo *vesci* [4, 492. p. Mercer. 416, 9.], idque interpretatur *uti*.

C. 24. §. 70. extr. TIBERINA DECURSIO. sic Manutius emendavit ex antiquo codice, quomodo nos quoque scriptum in quattuor reperimus.

C. 25. §. 75. IN VESTRIS AURIBUS COMMENTATUS. quidam legi volunt, *commoratus*.

C. 26. §. 78. QUA DE RE AGATUR. sic legendum, vel libris omnibus invitis, idque possum sexcentis aliis locis ostendere [vid. annotata ad I. de Inventione Rhetorica C. 19. §. 27.].

C. 27. §. 81. IAM ILLA EXTERNA PARCE TU QUIDEM SED QUUM HAEC CORPORIS BONA SINT EORUM CONFICIENTIA CERTE IN BONIS NUMERABIS AMICOS LIBEROS PROPINQUOS DIVITIAS HONORES OPES. hunc locum duabus vocibus in ordinem restitutis emendavi, quo facto iam sententia planissima est. *iam illa externa*, inquit, *parce tu quidem* dicis bona, *sed* tamen *quum haec corporis*, id est, quae ad corpus [sic corrigendum istud *corporis*] pertinent, *bona*

appelles, *eorum* profecto *conficientia*, nempe externa, quae sunt fortunae, in bonis numerabis.

Ibid. CONTRA HAEC ATTENDE ME NIHIL DICERE SI ISTA MALA SUNT IN QUAE POTEST INCIDERE SAPIENS SAPIENTEM ESSE NON ESSE AD BEATE VIVENDUM SATIS. nihil hic discrepant libri veteres a vulgatis, locus tamen mihi suspectus est. non enim exprimitur ea, quae postulatur, sententia. nam hoc videtur dici debere: *contra haec attende, an nihil videar dicere, si ista*, et cetera. id est, contra haec Peripatetica attende, utrum hoc argumentum infirmum sit atque imbecillum necne, *si ista mala sunt*, et cetera. quare sic legendum censeo, *contra haec attende, videarne nihil dicere.*

C. 28. §. 84. med. IN CRUCE QUI ANGITUR BEATUS ESSE NON POTEST. codex Huraltinus habet, *in cruce qui agitur.* unde legendum censeo, *in crucem qui agitur.*

C. 29. §. 87. post. med. QUI VERE FALSONE QUAEREREMUS DICITUR OCULIS SE PRIVASSE. verbum, *quaereremus*, quod in omnibus libris reperitur, alienum et supervacaneum puto. hoc primum. || deinde *falsove* legendum arbitror, ut sit haec sententia: *qui sive vere sive falso dicitur oculis se privasse*, et cetera. quidam autem sic legunt, *qui vere falsove quereremur.* paullo post legendum, *quam minimum*, ubi libri omnes vulgati habent, *quam minime.* b.

§. 88. med. QUAE QUUM ZENO DIDICISSET A NOSTRIS UT IN ACTIONIBUS PRAESCRIBI SOLET DE RE EADEM DIXIT ALIO MODO. videtur sic esse legendum, *ut in actionibus fieri solet, de re eadem scripsit alio modo.*

§. 89. post med. QUANTI QUIDQUE SIT ALITER DOCTI ET INDOCTI. sic emendavi codices manu scriptos secutus. cuius scripturae facilis et aperta sententia est. *quanti*, inquit, *quidque sit, aliter docti et indocti* definiunt seu aestimant.

C. 31. §. 93. QUIS HOC DICIT STOICI SCILICET? sic restitui, coniectura ductus. mendum videlicet a librariis scriptoribus commissum, qui pro *Stoici scilicet* fecerunt *Stoiciscilicet.* deinde ex hac vitiosa scriptura natum est, *Stoicis licet* [Gothofred. p. 163. »fortasse, *quis hoc dicit? Stoici soli? minime.*«].

§. 94. QUASI VERO HOC DIDICISSET A ZENONE NON DOLERE QUUM DOLERET. sic habent libri duo manu scripti, ubi vulgati habent, *quis vero hoc didicisset*, et cetera.

III.

IN TUSCULANARUM QUAESTIONUM LIBROS.

I. C. 4. §. 7. IN QUAM EXERCITATIONEM ITA NOS STUDIOSE DEDIMUS. sic legendum. nam vocem *operam* ab aliquo indocto fuisse adiectam, vincunt omnes fere quos vidi libri veteres, in quibus eius nulla comparent vestigia.

C. 9. §. 19. EMPEDOCLES ANIMUM ESSE CENSET CORDI SUFFUSUM SANGUINEM. immo dicebat Empedocles, cordi suffusum sanguinem esse animi sedem.

C. 12. § 27. extr. IN CETERIS EOS HUMI RETINERET UT PERMANERENT TAMEN. sic est legendum, itaque scriptum reperi in tribus codicibus manu scriptis.

§. 28. TYNDARIDAE FRATRES QUI NON MODO ADIUTORES IN PROELIIS VICTORIAE POPULI ROMANI SED ETIAM NUNTII FUISSE PERHIBENTUR. videtur ita legendum potius, *non modo adiutores in proeliis populi Romani, sed etiam victoriae nuntii fuisse perhibentur* [idque »e vetere codice« protulit Gothofredus p. 171.].

C. 14. §. 31. VIR MAGNUS LEGES INSTITUTA REM PUBLICAM NON SERET? sic legendum, non ut in libris vulgatis, *conseret. non seret* enim habent omnes libri veteres, quos vidi. praeterea aliquot libri eiusdem notae, *instituta, remp.*, ubi vulgati habent, *instituta reip.* quod probo.

C. 16. §. 37. extr. UNDE ANIMAE EXCITANTUR OBSCURA UMBRA APERTO OSTIO ALTI ACHERUNTIS FALSO SANGUINE IMAGINES MORTUORUM. Adrianus Turnebus legendum putat, *salso sanguine*, quemadmodum apud Ennium, *neque miserae lavere lacrimae salsum sanguinem* [vid. ab Orellio annotata ad h. l. p. 237, 1.].

§. 38. ITAQUE CREDO EQUIDEM ETIAM ALIOS TOT SAECULIS DE ANIMIS SED QUOD LITTERIS EXTET PHERECYDES SYRUS PRIMUS DIXIT ANIMOS HOMINUM ESSE SEMPITERNOS. verbum *disputasse*, quod erat in vulgatis, non reperitur in libris veteribus. et profecto si quis altius perspiciat attentiusque consideret, videbit redundare. repetitur enim *ἀπὸ κοινοῦ dixisse* [Lambinum post repetitas curas sic dare voluisse, *itaque credo equidem etiam alios tot saeculis*, omissis reliquis, auctor est Gothofredus p. 173., idque ille acceptum refert repetitionibus Lambinianis, quas dudum laudamus. *Syrium* Pherecydem dixit Plinius 7, 51. sect. 52. Tom. 1. p. Harduin. 407, 6. cf. Strabon. 10. (non 12., ut est apud Stephanum p. 626. E) p. 487. Tom. 4. p. Siebenkees. 331. sq.].

C. 17. §. 40. extr. SIVE IPSA NATURA SUPERIORA APPETENTES SIVE QUOD A GRAVIORIBUS LEVIORA NATURA REPELLANTUR. sic habent

aliquot veteres codices, melius, opinor, quam vulgati, *superiora appetente*. vel lege, *ipsae* [et sic »alii« apud Gothofr. p. 173.].

Ibid. fin. IN SUBLIME FERRI. licet etiam legere, *sublime ferri*, ut habent omnes libri vulgati et nonnulli manu scripti.

C. 20. §. 46. NEQUE ENIM EST ULLUS SENSUS IN CORPORE [lemma sic habet, *neque enim sensus ullus est*]. hoc refellit Lucretius lib. 3. [vv. 360. sqq.], *dicere porro oculos nullam rem cernere posse, Sed per eos animum ut foribus spectare reclusis, Desipere est, contra quum sensus dicat eorum. Sensus enim trahit atque acies detrudit ad ipsas, Fulgida praesertim quum cernere saepe nequimus, Lumina luminibus quia nobis praepedientur. Quod foribus non fit: neque enim qua cernimus ipsi, Ostia suscipiunt ullum reclusa laborem*, et cetera.

C. 22. §. 52. extr. HOC EST SE IPSUM POSSE COGNOSCERE. videntur haec non esse Ciceronis.

C. 23. §. 54. post med. QUUM PAREAT IGITUR AETERNUM ID ESSE QUOD SE IPSUM MOVEAT. sic legendum libris omnibus repugnantibus. nam primum sic legitur apud Platonem in codicibus manu scriptis [Phaedro p. 245. E. Bekker. P. 1. Vol. 1. p. 39, 5.], ἀθανάτου δὴ πεφαμένου τοῦ ὑφ' ἑαυτοῦ κινουμένου· id est, *quum appareat*, seu *apparuerit*, *id esse immortale*, *quod a se ipso movetur*. deinde *pateat* pro *appareat* nemo, qui bene Latine loquatur, unquam dixit, et qui ita loquuntur, barbare loquuntur. itaque reponendum est hoc loco *pareat*, id est appareat, quo verbo utebantur veteres tum multis aliis in rebus, tum in actionibus et iudiciis, ut, *si paret Titum mihi debere centum*, et cetera [vide annotata ad Orationem pro Q. Roscio Comoedo C. 4. §. 11. p. huius editionis 128. *parere* et *patere* confusa vidimus ad I. Accus. C. 31. §. 78. p. 137. sed *pateat* satis firmant codices quos equidem inspexi ad unum omnes, quum Tusculanarum, tum Somnii Scipionis, etiam Gud. 153. Macrobii, cuius usus nullus fuit in Appendice Editionis Bonnensis Ciceronis Librorum de Re Publica, a. 1823. inchoata.]. mendose autem hic operarii haec separaverunt a verbis Platonis, quum illa pertineant et continuentur usque ad illa, *licet concurrant*, et cetera.

C. 24. §. 56. NAM SANGUINEM BILEM PITUITAM OSSA NERVOS VENAS OMNEM DENIQUE MEMBRORUM ET TOTIUS CORPORIS FIGURAM VIDEOR POSSE DICERE UNDE CONCRETA ET QUO MODO FACTA SINT. videtur legendum, *nam sanguis, bilis, pituita, ossa, nervi, venae, omnis denique*, et cetera. nisi quis dicat, eum Graecorum more locutum esse [insere Orellianis p. 244. et vid. annotata ad Orationem pro Rege Deiotaro C. 10. §. 29.].

Ibid. PER ANIMUM IPSUM. in libris veteribus non est *per*. sic enim habent, *animum ipsum*, et cetera. unde coniicere possit aliquis, esse legendum, *animo ipso*, et cetera [et sic

»alii« apud Gothofredum p. 177., etiam hoc loco plura turbantem.].

§. 59. QUANTA NUPER CARNEADES. lege, *quanta nuper Charmadas* [ex Omissis post Tom. 1. p. 382. et Gothofredus p. 177. »Lambinus, *Carmadas*. et ita vetus codex.« itaque addendum Orellianis p. 245, 4.].

C. 25. §. 60. OBSECRO TE TERRANE TIBI AUT HOC NEBULOSO ET CALIGINOSO CAELO AUT SATA AUT CONCRETA VIDETUR TANTA VIS MEMORIAE? quidam legi volunt, *terrenane tibi*, et cetera. ego nihil mauto.

C. 26. §. 64. extr. EADEMQUE AB ANIMO TANQUAM AB OCULIS CALIGINEM DISPULIT. legendum potius *depulit*, ut habent nonnulli libri veteres [ex Omissis post Tom. 1. p. 382. et ita Gothofredus p. 178. »quidam alii *depulit*, et ita Lambinus. alii *ex»pulit.*« cf. annotata ab Drakenborchio ad Livii 4. 49, 2.].

C. 29. §. 71. QUASI DISCESSUS ET SECRETIO AC DIREMPTUS EA-
p. 489. RUM PARTIUM. sic || edendum curavi ex auctoritate librorum
a. manu scriptorum. paullo post, eodem versu [p. 126, 50.], pro *iunctione* legendum fortasse est *vinctione* [vid. annotata ad Oratorem C. 13. §. 40. p. 83.].

C. 30 §. 73. QUOD IIS SAEPE USU VENIT QUI ACRIBUS OCULIS DEFICIENTEM SOLEM INTUERENTUR. sic edendum curavi libris omnibus invitis, duces secutus Lucretium, Virgilium, ipsum Ciceronem. Lucretius lib. 3. [v. 290.], *quum ferviscit et ex oculis micat acribus ardor.* Virgilius lib. 12. [Aeneid. 12, 102., ubi vid. Servium Commentariis, Tom. 4. p. Burmann. 14.], *scintillae absistunt, oculis micat acribus ardor.* M. Tullius pro Plancio [p. 451, 48. nobis C. 27. §. 66.], *populum Romanum aures hebetiores, oculos acriores et acutiores habere* [locum suppeditavit Nizolius, a Facciolato castigatus, p. 500, 1.].

Ibid. extr. ITAQUE DUBITANS CIRCUMSPECTANS HAESITANS MULTA ADVERSA REVERENS TANQUAM RATIS [ex Indice Erratorum p. 626. reponendum, *in rate.*] IN MARI IMMENSO NOSTRA VEHITUR RATIO. legendum, *tanquam in rate in mari*, et cetera. hoc primum, quemadmodum habent libri veteres, et docet Adrianus Turnebus libro 10. Adversariorum, et ita iusseram excudi. *reverens* autem edendum curavi, tum quod ita repereram scriptum in uno libro vetere, tum quod existimaram *reverens* hic idem fere valere, quod *metuens*. sed nunc *revertens* magis probo, ut habent alii libri, quam lectionem idem Turnebus tuetur et explicat erudite. iam *ratio* legendum, ut et edendum curavi, non *oratio*. significat enim, nostrae mentis aciem et *rationem* in hoc mundo vehi, tanquam qui in rate vehitur, in mari immenso. de *oratione* non loquitur [cf. C. Frid. Heinrichium Observationibus in Auctores Veteres, P. 1. p. 110., quem sequor.].

C. 31. §. 75. SECERNERE AUTEM A CORPORE ANIMUM NEQUIC-

QUAM ALIUD EST QUAM EMORI DISCERE. sic habent omnes libri vulgati et plerique manu scripti. Manutius asseverat, in codicibus Maffei scriptum reperiri, *nihil quicquam*, Turnebus *nequicquam* retinet, et interpretatur *non quicquam*. ego *nec quicquam* reponendam censeo, et ita reperi scriptum in codice Memmiano et Huraltino. *nec quicquam* autem valet *non quicquam*. nam *nec* pro *non* usurpabant veteres, ut *furtum nec-manifestum*, *nec-opinato*, *nec-escit*, *nec-recte*, pro *non manifestum*, *non opinato*, *non erit*, *non recte*. vide Festum [et cf. Pareum Lex. Crit. p. 777. sq.]. quod si quis dicet, etiam *ne* posuisse veteres pro *non*, [vid. annotata ad III. Accusat. C. 14. §. 37. p. Lambin. 124, 48.], respondebo, illud esse obscurum et controversum, aut certe minus usitatum, hoc perspicuum esse et inter omnes constare, et usitatissimum esse. quare *nec quicquam* probo, *ne quicquam* non item. quanquam neque improbo, neque damno.

§. 76. ET SIVE RETARDABIS. codex Memmianus et Huraltinus habent *retractabis*. quod probo, et ita reponendum censeo [vid. Wopkens. Lectionibus Tullianis 1., 9. p. repet. edit. 74. »lego »*et sive retardabis sive properabis*, quod oppositum suade»re videtur.« C. Frid. Heinrich. Observatt. C. 6. p. 111.].

§. 77. ACERRIME AUTEM DELICIAE MEAE DICAEARCHUS CONTRA HANC IMMORTALITATEM DISSERUIT. hic non fuit relinquendum spatium [post illud *contemnit*, quod verbum a quodam vetere codice abesse testatur Gothofred. p. 181.], sed potius haec fuerunt cum superioribus continuanda. sunt enim Ciceronis, non eius, qui posuit de quo audire vellet.

C. 33. §. 80. NAM SIMILITUDO MAGIS APPARET IN BESTIIS. codex Huraltinus habet, *iam similitudo*, et cetera [vid. annotata ad V. Accusat. C. 19. §. 48.].

C. 35. §. 86. NIMIRUM ETIAM PUTEOLANI VULGO EX OPPIDIS PUBLICE GRATULABANTUR. lege, *publice ei gratulabantur*.

C. 39. §. 93. IIDEM SI PUER PARVUS OCCIDIT AEQUO ANIMO FERENDUM PUTANT. quidam addita negatione legunt, *aequo animo ferendum non putant*, vel, *iniquo animo ferendum putant*.

§. 94. NAM REOR NON ULLIS SI VITA LONGIOR DARETUR POSSET ESSE IUCUNDIOR. vel sic legendum, vel ut habet codex Huraltinus, *nam reor nullis*, et cetera. hoc autem significat Cicero: cur eorum, qui exacta aetate moriuntur, fortuna laudatur? nullis enim posset esse vita iucundior, si longior vita daretur, quam illis, quippe quum essent prudentissimi, prudentia autem nihil dulcius.

C. 40. §. 96. VENENUM UT SITIENS OBDUXISSET. sic esse legendum iampridem admonuit Petrus Victorius, idque ex auctoritate librorum veterum, quibuscum omnes nostri consentiunt et conspirant. *obduxisset* autem, id est exsorbuisset, ebibisset. Horatius oda 3. libri 3. [vv. 33. sqq.], *illum ego lucidas Inire*

sedes, ducere nectaris Sucos et ascribi quietis Ordinibus patiar deorum [cf. Commentt. Horatt. ad II. Carmm. 14, 27. p. 120. A. et vid. Pareum Lex. Crit. p. 818, 1.].

C. 42. §. 100. MORTIS SI EST MISERA FINIS ESSE NULLUS POTEST. sic habet unus codex antiquus, et ita sine dubio legendum.

C. 44. §. 107. TENENDUM EST IGITUR NIHIL CURANDUM ESSE POST MORTEM QUUM MULTI INIMICOS ETIAM MORTUOS POENIUNTUR. sic habent libri veteres, et ita legendum. *poeniuntur* autem, id est *puniunt*, seu *puniuntur* ἐνεργητικῶς [vid. Voss. de Analogia 3, 5. p. 21., de passivis active acceptis, et cf. Nonium 7, 27. p. Mercer. 471, 26. et 7, 97. p. 479, 29.].

Ibid. IPSE SUMMIS SAXIS FIXUS ASPERIS. scribe, *ipse*, minore prima littera [utpote eximendum Ennianis, quae deinceps commutatis aliquantum verbis ponuntur. sed vid. Bentlei. Emendd. p. 30. sq]. in Oratione in Pisonem, ubi sic iidem versus proferuntur [p. Lambin. 533, 43. nobis C. 19. §. 43. extr.], pro *ipse saxis summis*, etc., legitur *uspiam saxis*. quorum utrum rectius sit, iudicent eruditi.

C. 47 §. 114. QUI QUUM APPOLLINI. scribe, *Apollini*, uno *p.* erratum est operarum [non animadversum in Indice Erratorum Lambini p. 626.].

C. 49. §. 118. extr. QUOD QUUM EXANTLAVISSET OMNES LABORES. profert hunc locum Nonius [2, 304. p. Mercer. 107, 27.], sed legit *exanclavisset*. ego *exantlavisset* probo hoc loco, quomodo habent aliquot libri manu scripti, *exanclavisset* tamen non damno. est enim verbum ab *anculando*, quod valet *ministrare* et *ministeria laboriosa subire*. ex quo *ancilla* dicta est. quocirca *exanclare labores*, pro *subire labores*, videtur etiam pulchre et eleganter dictum [vid. quae disputantur ad II. Acadd. C. 34. §. 108.].

II. C. 2. §. 5. extr. ET REFELLERE SINE PERTINACIA ET REFEL-
b. LI SINE IRACUNDIA PARATI SUMUS. hanc lectionem || tuetur Adrianus Turnebus Adversariorum lib. 2. capite 8. Manutius sic mutat, *et refelli sine pertinacia et refellere sine iracundia*, et cetera [et sic Boethius Commentariorum in Topica Ciceronis V. p. Basil. 839. neque ullam equidem in codicibus Boethianis scripturae varietatem deprehendi. itaque miror Davisium, p. Rath. 144. haec annotantem: »quum vero receptam lectionem »tueantur *Boetius* omnesque Tullii codices, causa profecto gra»vis subesse debet, cur haec ab eo (Manutio) tentata sit vocum »transpositio.«]. ego nihil muto, praesertim quum et sententia sit probabilis et sumpta sit ex Gorgia Platonis [p. Stephan.

458. A.]. P. 2. Vol. 1. p. Bekker. 26, 4.], ut observatum est ab aliis viris doctissimis. locum ascribere piguit, ad alia properantem.

C. 3. §. 8. ID COMMENDARI OMNIUM ERUDITORUM LECTIONI DECERE. lege, *debere*, ut habent codices veteres [vid. Wopkens. Lectt. Tullianis 1, 9. p. 51. repet. edit. 71. sq.].

C. 4. §. 12. UT CUM EORUM VITA MIRABILITER PUGNET ORATIO. videtur sic potius legendum, *ut eorum cum vita mirabiliter pugnet oratio* [itaque corrigenda, quae Gothofredus posuit p. 194.]. verumtamen nihil ausim mutare sine librorum veterum testimonio.

C. 5. §. 13. ETSI IN SEGETEM SUNT DETERIOREM DATAE FRUGES. videtur legendum, *etsi segetem sunt in deteriorem datae Fruges* [»atque ita non claudicat versus« Gothofred. p. 195. Laemar. a. 1596. vid. Bentleium Emendd. p. Rath. 33. sq.].

Ibid. UT AGER QUAMVIS FERTILIS SINE CULTURA FRUCTUOSUS ESSE NON POTEST SIC SINE DOCTRINA ANIMUS. legendum arbitror libris omnibus invitis, *sic nec sine doctrina animi*, et cetera [adde Retractata post Tom. 1. p. 382. temere Gothofredus p. 195. »Lambin. *sicut nec sine doctrina.*« ac deinceps uno tenore quae Lambini sunt, *sic* (non *si*) *nec sine doctrina*, idem »aliis« iure an iniuria attribuit.].

C. 7. §. 18. SIT FORTIS IN PERFERENDO. sic legendum puto, et ita scriptum est in codice Huraltino, longe melius, quam *si fortis*. malim tamen legi, *esse fortem in perferendo satis est*, si quis vetus codex adiuvet. nunc quum omnes codices antiqui habeant partim, ut vulgati, partim *sit fortis*, et cetera, ut edidimus, hac scriptura acquiescendum existimo [Gothofredus p. Laemar. 196. »Lambin. *esse fortem in perferendo*, et ita ve»tus codex, alii, *sit fortis in perferendo officio*« itaque Davisius p. Rath. 154. »quum nonnulli codices, *si forte*, alii *se* »*forte* repraesentarent, Lambinus rescribendum coniecit, *esse fortem*, nec aliter edidit.«].

C. 8. §. 20. QUAE CORPORE EXANTLAVI ATQUE ANIMO PERTULI. sic habent aliquot nostri libri veteres, alii *exanclata*, vulgati partim *exantlato*, partim *exanclato*. plane mendose. videtur enim legendum vel *exantlavi*, ut editum est, quod valet *exhausi*, vel *exanclavi*, id est, subii, toleravi, vel *exantlata*, id est, exhausta. quod autem quidam vulgatam lectionem *exantlato* tuentur, ut *exantlatum corpus* intelligatur exhaustum, non admodum placet. iam *exanclato* ferri non potest.

Ibid. IAM DECOLOREM SANGUINEM OMNEM EXSORBUIT. profert hunc locum Charisius lib. 2. in voce *decolorem* [p. Putsch. 178. cf. Diomedes 1. p. 363.].

C. 9. §. 22. extr. QUUM IPSUM HERCULEM TAM INTOLERANTER DOLERE VIDEAMUS. profert etiam hunc locum idem Charisius eodem libro [p. 196.], in voce *toleranter*. ex quo licet intelli-

gere, *tolerabiliter* et *intolerabiliter dolere* seu ferre dolorem, morbos, etc., quod alibi in vulgatis libris reperitur], mendosum esse, ut alias admonui.

§. 23. UNDE IGNEM MORTALIBUS [reponendum *mortalibu'* ex Indice Erratorum Lambini p. 626. operae sic dederunt, *mortalibus*, apposita, quae aliena ab hoc loco est, maiore distinctione.] DIVISSE CLUET DOCTU' PROMETHEUS CLEPSISSE DOLO POENASQUE IOVI FATO EXPENDISSE SUPREMO. sic videtur legendum. sunt enim versus Anapaestici cum coronide, ut recte animadversum est a Iosepho Scaligero, Iulii Caesaris Scaligeri filio, iuvene doctissimo [vid. Orell. p. 275, 14.]. male autem hic operae interpunctum posuerunt post *mortalibus* [mortalibu'], et distinctionis notam post *Prometheus*.

C. 11. §. 26. SED IS QUASI DICTATA NULLO DILECTU NULLA ELEGANTIA. sic habent aliquot libri manu scripti pro eo, quod est in vulgatis, *delectu*. quod magis probo, a verbo *dilego* [vid. annotata ad 11. Epp. 3. p. Lambin. 125, 29.].

C. 13. §. 30. OPTARE HOC QUIDEM EST NON DOCERE. Petrus Faber Tolosanus, quem supra commemoravi, vir doctissimus, nuper supplicum libellorum in Regia magister factus, putat hoc loco legendum, *captare hoc quidem est*, et cetera. neque obstant eius coniecturae similia loquendi genera, unum in Lucullo [p. Lambin. 33, 46. nobis II. Acadd. C. 38. §. 121], *somnia censet haec esse Democriti, non docentis, sed optantis;* alterum libro de Fato [p. 309, 12. C. 20. §. 46. extr.], *optare hoc quidem est, non disputare.* illa enim dicuntur in Democritum et Epicurum, qui quasi provincias atomis dabant, haec in Zenonem, qui conclusiunculis spinosis et argutis captabat. itaque dixit supra non longe [p. 140, 49. nobis C. 12. §. 29.], *quid me decipis, Zeno?*

§. 31. QUID ERGO EA PATIETURNE TE QUICQUAM FACERE NIHIL PROFICIENTEM ET LABORANTEM? legendum fortasse est, *et frustra laborantem.* quin plane vocem *frustra*, aut aliam aliquam parem et idem valentem deesse existimo [cf. Bentleium Emendd. p. 37. ingeniose, ut omnia, Fr. Aug. Wolfius, litterarum antiquarum in Germania nostra stator egregius, *et laborantem tamen?* quam vocem ille putabat ab extrema, ut fit, vocis praecedentis syllaba interceptam].

C. 16. §. 37. QUAE QUIDEM ITA GERUNTUR APTE UT SI USUS FORET ABIECTIS ONERIBUS EXPEDITIS ARMIS UT MEMBRIS PUGNARE POSSINT. legendum fortasse est, *si usus ferat* [et sic »alii« apud Gothofredum p. Laemar. 200.]. nihil tamen mutandum arbitror [cf. Bentleium Emendd. p. 40].

Ibid. QUID ILLE CURSUS CLAMOR QUANTI LABORIS EST? libri veteres habent, *cursus concursus, clamor*, et cetera [et Lambinum hoc dedisse auctor est Gothofredus l. l.].

C. 17. §. 39. QUIESCE IGITUR ET VULNUS ALLIGA. Adrianus

Turnebus Adversariorum lib. 4. cap. 18. legit deinceps hoc modo, *etiamsi Eurypilus posset, non posset Aesopus.* idque ex uno codice manu scripto, atque huius scripturae sententiam explicat. nos in aliquot codicibus Memmianis et Huraltino hanc vulgatam reperimus, *etiamsi Eurypilus non posset, posset Aesopus.* priorem tamen illam magis probamus [erravit Lambinus, hoc nomine castigatus ab Iac. Spondano, Observationibus in Adriani Turnebi Adversaria. ponam locum integrum ex Adversariis, qui huc pertinet, p. 120. edit. 1580. »*quiesce igitur* »*et vulnus alliga: etiamsi Eurypilus non posset, posset Aeso-*»*pus*, in calamo scriptis voluminibus reperio, nec contemno »hoc sensu: etsi Eurypilum virum fortem puderet Patroclo di-»cere, *quiesce desineque interrogare me, quo loco res Graeco-*»*rum sit, vulnusque meum alliga*, non tamen Aesopum tragoe-»dum id puderet proloqui. igitur Eurypilus effari et narrare in-»cipit laborem, et inclinationem aciei Graecorum in dolore.«].

§. 41. SI IIS SATISFACTUM NON SIT SE VELLE DECUMBERE. sic restituit Adrianus Turnebus [Adverss. 4, 18, ubi tamen sic legitur, *si satis his factum non sit, se velle decumbere.* cf. Io. Frid. Gronovium Observatt. 2, 2. p. Lips. 176. sq. et C. Beier. Fragmm. Orationum Ciceronis p. 46.], ex auctoritate codicis manu scripti. ego autem olim, antequam veteres codices ad manus meas pervenissent, conieceram legendum, *ni satisfactum iis sit*, et cetera. quod idem valet.

C. 19. §. 44. ITERADUM EADEM ISTA MIHI. verba sunt M. Tullii, ex quodam poeta tamen mutuata, quasi Epicurum interrogantis, quae saepe item alibi [v. c. XIIII. Epp. ad Atticum 16. p. Lambin. 371, 42.] a M. Tullio usurpantur. itaque non debet interesse spatium, quasi verba sint eius qui quaestionem posuit. et paullo post, *summum, quo nihil*, et cetera, Epicuri responsio est.

C. 24. §. 56. E QUIBUS EIICI VOCEM ET FUNDI VIDEMUS. sic habent duo libri manu scripti, quos sequor. ita enim loquuntur Latini, *eiicere* et *mittere* et *fundere vocem*, quod Graeci dicunt *ἀφιέναι φωνήν*, itaque legendum esse apud Lucretium et M. Tullium in Oratione pro M. Caelio [p. Lambin. 503, 33. nobis C. 24. §. 60., ubi vide quae annotantur] ostendimus. in vulgatis mendose legitur, || *elici*, quod minus probo. p. 490. a.

C. 27. §. 67. SIC URGENTIBUS ASPERIS ET ODIOSIS DOLORIBUS SI TANTI SINT UT FERENDI NON SINT QUO SIT FUGIENDUM VIDES. sic legendum, non ut in libris vulgatis, *si tanti non sint, ut ferendi sint.* negatio scilicet loco suo mota fuerat, et in alienum translata.

Ibid. SED TIBI HOC VIDEO NON POSSE DEBERI. legendum videtur, *et tibi hoc video* [ex Omissis post Tom. 1. p. 382. vid. Turnebum Adversariis 4, 18.].

III. C. 2. §. 3. extr. EA VIRTUTI RESONAT TANQUAM IMAGO VOCI. sic legendum, libris omnibus invitis, neque me movet Adriani Turnebi auctoritas, aliter sentientis. quid enim absurdius dici potest, quam, *gloria virtuti resonat tanquam imago gloriae* [hoc ipsum quicquid est, *imago gloriae*, tuetur codex Rehdigeranus, quo usus sum, tenuit Vincentius Bellovacens's Spec. Doctr. 6, 67. edit. pr.]?

C. 8. §. 17. OMNES ENIM INTER SE NEXAE ET CONIUGATAE SUNT. Nonius [1, 223. p. Mercer 47, 10.] legit, *et iugatae sunt*. et ita reponendum censeo, libris omnibus invitis.

§. 18. QUOD NECQUICQUAM EST IN TALI HOMINE. sic legendum censeo. *necquicquam* autem, id est, *non quicquam*, *nec* pro *non*, ut supra diximus [ad I. Tusc. C. 31. §. 75. p. Lambin. 127, 31.]. vel lege *nequicquam*, ut *ne* pro *non* item intelligatur.

C. 13. §. 27. NAM QUUM OMNIS PERTURBATIO MISERA EST TUM CARNIFICINA EST AEGRITUDO. *miseria est* habent omnes libri vulgati, et bona pars manu scriptorum. et ita malim legi, et sic edi iusseram.

§. 28. extr. PRAETEREA AD TROIAM QUUM MISI AD DEFENDENDAM GRAECIAM. videtur legendum, *praeterea tum ad Troiam quum misi*, et cetera. in proximo versu autem pro *scibam* libri veteres habent *sciebam*, et ita legendum, ut versus ratio constet. ne hoc quidem dissimulabo, in libris veteribus scriptum esse, *ob defendendam Graeciam*, ubi vulgati habent, *ad defendendam Graeciam* [Gothofredus p. Laemar. 114. »omnes »veteres codices, *ob defendendam Graeciam*, et ita Lambinus.«].

C. 15. §. 33. extr. SED QUAE DICANT VIDEAMUS QUOMODO NEGLIGAMUS. vitiosam interpunctionem correxi [sic enim interpungebant, inepte prorsus et incommode: *sed quae dicant* (Epicurei), *videamus quomodo negligamus*]. hoc tantum, quo facto hic locus planus factus est. dicebat paullo ante, se Epicuri sententiam suo more persecutum esse, quam Epicurei suo exprimunt. *sed quae dicant*, inquit, *videamus; quomodo dicant, ne laboremus*.

C. 16. §. 35. init. NAM REVOCATIO ILLA QUAM AFFERT QUUM A CONTUENDIS NOS MALIS AVOCAT NULLA EST. legendum videtur *avocatio*, ut pagina superiore [p. 153, 35. nobis C. 15. §. 33.], *avocatione a cogitanda molestia*, et cetera [Gothofredus p. 216. omisso Lambini nomine, »fortasse, *avocatio illa*.«].

C. 17. §. 38. init. HOC DICIT ET HOC ILLE ἀκρόχολος ME AUDIENTE ATHENIS SENEX ZENO ACUTISSIMUS CONTENDERE ET MAGNA VOCE DICERE SOLEBAT. sic malo legi, quam ut alii volunt, *acriculus*. quanquam hoc non damno. verumtamen magis placet alterum, et magis convenit Epicureorum ingenio, quos saepe M. Tullius ait esse iracundos [ex Omissis post Tom. 1. p. 382. vid. Gothofred. p. 217].

Ibid. extr. HABES FORMAM EPICURI VITAE BEATAE VERBIS ZENONIS EXPRESSAM NIHIL UT POSSIT NEGARI. legendum fortasse est, *habes formulam.*

C. 18. §. 41. NEC VERO ITA DICI POTEST MENTIS LAETITIAM SOLAM ESSE IN BONIS. haec non fuerunt separanda a superioribus. sunt enim etiam verba Epicuri, usque ad illa, *atque haec*, et cetera [correctum in Erratis p. 626.].

§. 42. NISI EAM VIM QUA EFFICIANTUR [non *afficiantur*, ut est in lemmate] EAE VOLUPTATES QUAS SUPRA DIXI. sic restitui ex Nonio, qui ita legit in verbo *ebullire* [1, 100. p. Mercer. 26, 25., ubi nunc sic legitur: »*qui si virtutis* (virtutes) *ebullire volent* »*et sapientias*, *nihil aliud dicent*, *nisi eam vim*, *qua fiant ve-* »*strae vuluptates*, *quas supra dixi.*« cf. Bentleium Emendationibus p. Rath. 55.].

C. 19. §. 46. ALIQUID VIDEAMUS ET CIBI. sic restitui ex Prisciano lib. 2. [immo III. C. 5. §. 30. p. Putsch. 612. Krehl. Tom. 1. p. 127.].

C. 21. §. 50. extr. RATUM HABITURUM QUOD EGERINT. sic emendandum censeo, etiam libris omnibus invitis. ita enim loquuntur Latini, *ratum habere*, non *actum habere.*

C. 22. §. 52. QUOD PROVISUM ANTE NON SIT ID FERIRE VEHEMENTIUS. sic emendavit olim Rivius, cui assentior. confirmat hanc lectionem similis locus aliquot post versibus, ibi [p. 157, 26. nobis C. 23. §. 55. extr.], *feriunt enim fortasse gravius.*

C. 23. §. 55. extr. NON ID EFFICIUNT UT EA QUAE ACCIDANT MAIORA SINT VIDENTUR QUIA RECENTIA SUNT NON QUIA REPENTINA. sic hunc locum emendavi, partim coniectura ductus, partim librorum manu scriptorum auctoritatem sequutus, in quibus non sunt haec, quae reperiuntur in quibusdam vulgatis, *maiora videntur*, post illa *recentia sunt.*

C. 26. §. 63. extr. CAELO ATQUE TERRAE MEDEAE MISERIAS. lege, *Medeai*, ut emendat Turnebus lib. Adversariorum 19. [cap. 5. Orell. p. 315, 3. »de Turnebi sententia Fabricius, D. Lall. »W. 2.« atque eodem nomine castigaverim Gothofredum p. Laemar. 222. vid. Planck. p. 80. sq.].

C. 31. §. 76. UT FERE NOS OMNIA IN CONSOLATIONEM UNAM CONIECIMUS. legendum fortasse est, *in Consolationem nostram.* quanquam in his verbis, *omnia*, *unam*, videtur non inconcinna antithesis. itaque nihil mutare ausim [insere Orellianis p. 319, 15. ad »alios«, ut fere solet, retulit Gothofredus p. 225.].

Ibid. ERAT ENIM IN TUMORE ANIMUS ET OMNIS IN EO TENEBATUR CURATIO. legendum puto, *vertebatur curatio.*

Ibid. ORATIONEM MEDERI IRACUNDIAE. sic hunc versum restituimus [cf. Stephanum Castigationibus p. 38.]. is autem, qui proxime sequitur, sic legendus, *siquidem qui tempestivam*, et cetera. nam operae male hic *siquidem*, divulsum a reliquo

versu, separatim posuerunt. videtur tamen legendum, *admovet* [et sic »alii« apud Gothofredum p. 225.].

C. 34. §. 81. OPUS ENIM QUAERUNT QUANQUAM PLANE DISPUTATIONIS SUNT NON DELECTATIONIS. quum vulgata lectio, *plane disputationis sunt, delectationis*, me saepe offendisset, et quidam non indoctus in libro suo impresso, quem commodato mihi dederat, ascripsisset, *non delectationis:* putaveram hunc locum sic esse emendandum. sed fefellit me opinio. nam emendandus, ut et coniecit Turnebus, *quanquam plenae disputationes sunt delectationis*, et cetera.

IIII. C. 2. §. 3. extr. ET CANTUS TUM FUISSE DESCRIPTOS VOCUM SONIS ET CARMINA. Turnebus legit, *rescriptos* [Adversarr. 3, 23.], ut respondeat Graecae voci *ἀναγεγραμμένον* [ex Omissis post Tom. 1. p. 382. Lambini ratio placuit item Io Frid. Gronovio ad illa Livii 7. 2, 10., *inde ad manum cantari histrionibus coeptum*, Tom. 4. P. 1. p. 35.].

C. 6. §. 13. extr. PRAESENTIS AUTEM MALI SAPIENTIS AFFECTIO NULLA EST. atqui nonne patientia seu tolerantia est? paullo ante quidam legi volunt, *a ratione aversa cautio* [Gothofredus p. Laemar. 230. »Lambinus, *a ratione aversa cautio.*«].

C. 7. §. 16. extr. VOLUPTATI MALEVOLENTIA LAETANS ALIENO MALO DELECTATIO IACTATIO ET SIMILIA. Nonius [voce *lactare*, 1, 47. p. Mercer. 16, 24] legit, *malevolentia lactans.* sed errat
b. Nonius. de || scribitur enim ea, quam Graeci *ἐπιχαιρεκακίαν* appellant [vid. Muretum VV. LL. 4, 13., Operum Tom. 2. p. 89].

C. 9. § 21. DISTINGUUNT ETIAM ILLUD UT DESIDERIUM SIT EARUM RERUM [sic distincta oratione, ut sit, *distinguunt etiam illud, ut desiderium sit*, non ut est apud Orellium p. 329, 8. *distinguunt etiam, illud ut desiderium sit*] QUAE DICUNTUR DE QUODAM AUT QUIBUSDAM QUAE *κατηγορήματα* DIALECTICI APPELLANT. nonnulli libri veteres habent *distinguitur etiam illud*, et cetera. ego nihil muto [vid. Gothofred. p. 232.].

C. 11. §. 25. UT HOMINUM UNIVERSI GENERIS QUOD ACCEPIMUS DE TIMONE QUI *μισάνθρωπος* APPELLATUR. sic esse legendum pervincunt et codex vetus et ratio. subintelligitur enim et repetitur *ἀπὸ κοινοῦ odium.* quemadmodum autem supra dixit *odium mulierum*, sic debet hic dici *odium universi generis hominum* [vid Bentleium Emendationibus p. Rath. 63. sq.].

C. 12. §. 28. QUIA PROCLIVES AD EAS PERTURBATIONES NON QUIA SEMPER FERUNTUR. verbum *sunt*, quod est in libris vulgatis, nullis in veteribus reperitur.

C. 13. §. 30. post med. ET UT CORPORIS EST TEMPERATIO QUUM EA CONGRUUNT INTER SE E QUIBUS CONSTAMUS SIC ANIMI SANITAS DI-

CITUR QUUM EIUS IUDICIA OPINIONESQUE CONCORDANT. etiam hic conspirat et congruit ratio cum auctoritate veterum librorum, in quibus ita legitur, ut edendum curavimus. nisi quod deest adverbium similitudinis *ut*, quod a librario omissum putamus propter copulae *et* similitudinem.

Ibid. EST AUTEM QUAEDAM ANIMI SANITAS QUAE IN INSIPIENTEM ETIAM CADAT QUUM CURATIONE MEDICORUM PERTURBATIO MENTIS AUFERTUR. Turnebus [Adversariis 7, 17.] legendum censet reclamantibus libris omnibus, *est autem quaedam animi insanitas, quae in sapientem etiam cadat* quae coniectura valde mihi probabilis videtur, atque adeo plane certa [ex Omissis post Tom. 1. p. 382.].

C. 14. §. 32. extr. MORBIS ENIM MANENTIBUS VITIA SUBLATA ESSE POSSUNT QUIA HI NON TAM CELERITER SANANTUR, QUAM ILLA TOLLUNTUR. sic legendum, non ut est in libris vulgatis, *vitia sublata esse non possunt*. quodsi codices veteres hanc emendationem non confirmarent, sola ratio tamen satis confirmare deberet [Lambini coniecturam ratam facit codex Eliens. 2., quo usus est Davisius, quem vid. p. 323. Gothofredus p. Laemar. 234. »fortasse, *morbis enim manentibus vitia sublata esse possunt, »quia*, et cetera. vel sic, *vitiis enim non manentibus morbi »sublati esse non possunt, quia non tam*, et cetera.«].

§. 33. E SCRUPULOSIS COTIBUS. legendum fortasse est, *scruposis*. Lucretius libro 4. [v. 526.], *haud quaquam ratio scruposa relicta est* [vid. Lambinum Commentariis Lucretianis p. 481.].

C. 17. §. 40. NATA ESSET AEGRITUDO NOVA * SED EA MODICA. locus hic non videtur emendatus. quid, si sic legamus? *nata esset aegritudo nova: nec ea modica: magna tamen*, et cetera. quid, si sic? *nata esset aegritudo nova: quod si esset illa modica, magna tamen*, etc. quid, si sic? *nata esset aegritudo nova: quae ut esset modica, magna tamen*, et cetera [sunt haec »aliorum« in margine Laemarianae a. 1596. praeterea Gothofredus p. 236. »fortasse, *nec ea modica: aut etiamsi mo»dica, magna tamen*, et cetera.«].

C. 18. §. 42. extr. QUOD QUUM IPSUM PER SE ODIOSUM EST TUM EO MOLESTIUS QUIA SUNT IN LUBRICO INCITATAQUE SEMEL IN PROCLIVE LABUNTUR SUSTINERIQUE NULLO MODO POSSUNT. malim legi, *proclive labuntur*, detracta praepositione *in* [et sic Gothofredus in margine Laemarianae a. 1596.], quemadmodum apud Lucretium lib. 2., *et procursus item proclive volubilis extat*. sic enim scriptum est in codicibus manu scriptis notae melioris, ut admonui in Commentariis Lucretianis [v. 454. p. 206.].

C. 19. §. 43. extr. EAMQUE QUAM LENITATEM NOS DICIMUS VITIOSO LENTITUDINIS NOMINE APPELLANT. sic legendum, neque dissentiunt ab hac lectione libri vulgati. Nonium igitur non sequemur, qui legit *lenitudinis* [2, 503. v. *lentitudine*. nam hoc

ipsum Mercerus maluit p. 134, 5. *lentitudinis*, inquam, non *lenitudinis*. vid. Davisium p. 333. sq.].

C. 21. §. 48. QUAM GLADIUM IN STOMACHO SURA AC PULMONIBU' SISTO. Turnebo assentior, qui *lura* legendum putat, ut *lura* hic os ventriculi significet [vid. illum Adversariis 7, 18. et cf. Pareum Lex. Crit. p. 698, 2.].

C. 24. §. 53. LEGI SUMMAE IN PERPETIENDIS REBUS OBTEMPERANS. legendum fortasse, *in perpetiendis laboribus*. et ita infra, *perferendorum laborum*, ubi est, *perferendarum rerum* [quorum alterum Lambino, alterum sibi vindicat Gothofredus p. 238. sq.].

C. 27. §. 58. extr. ITAQUE BENE ADHIBITA RATIO CERNIT QUID OPTIMUM SIT. Turnebus [Adversariis 7, 8.] legendum censet, *bene habita*.

C. 28. §. 61. UT ETIAMSI NEC MALA SINT ILLA QUAE METUM AEGRITUDINEMVE NEC BONA QUAE CUPIDITATEM LAETITIAMVE MOVEANT TAMEN SIT VITIOSA IPSA COMMOTIO. legendum, *ut etiamsi et mala sint illa, quae metum aegritudinemve, et bona, quae*, et cetera [vid. Davisium p. 351. sq. et cf. quae ab Wopkensio disputantur Lectionibus Tullianis 1, 18. p. 99. repet. edit. 137. sq.].

Ibid. CONSTANTEM ENIM VOLUMUS QUENDAM SEDATUM GRAVEM HUMANA OMNIA PREMENTEM ILLUM ESSE QUEM MAGNANIMUM ET FORTEM VIRUM DICIMUS. quidam legendum putant, *omnia spernentem*. ego nihil mutandum censeo. significat enim, virum fortem et magnanimum omnia se ipso inferiora atque humiliora ducere oportere [cf. ab Davisio ad h. l. notata p. 352. sq. et Wopkensium LL. Tullianis 1, 18. p. 100. repet. edit. 138. sqq.].

C. 34. §. 73. VENEREM UNAM EXCLUDIT UT INIQUAM. Adrianus Turnebus ex codice antiquo legit, *ut nequam* [Adversariis 7, 18.].

C. 36. §. 77. extr. QUID EST ENIM QUO NON PROGREDIATUR IRA EODEM QUO FUROR. hunc locum sic emendavi, duabus vocibus in suum locum restitutis. ita enim legitur in libris vulgatis, *quid est enim, quo non progrediatur eodem ira, quo furor?*

C. 37. §. 81. POTEST VIDERI ALIUS ALIO NATURA AD ALIQUEM MORBUM PROCLIVIOR. hic pro *ut*, quod erat depravatum, feci *alio* [sic dedit Lambinus p. 176, 40. *ergo ut optima quisque valetudine affectus potest videri alius alio natura ad aliquem morbum proclivior: sic animus alius ad alia vitia propensior. qui autem non natura, sed culpa vitiosi esse dicuntur, eorum vitia constant ex falsis opinionibus rerum bonarum ac malarum, ut sit alius ad alios motus perturbationesque proclivior.* in his nonnulla turbavit Gothofredus p. 246. editionis Laemarianae, certe libris suis negligentius est usus. quod extremum est, veteres codices quosdam ille affirmat sic reprae-

sentare, *ut sit alius ad alia vitia et motus perturbationesque proclivior.*].

C. 38. §. 82. extr. QUI SE AEGRITUDINI DEDIDERUNT. legendum, ut habent libri veteres, *dederunt* [vid. Drakenborch. ad Livii 39. 50, 9. Tom. 11. p. 537].

V. C. 1. §. 3. ET CORPORUM DOLORIBUS CONGRUENTES. in verbo *congruentes* mendum subesse suspicor. significat enim Cicero, naturam nobis dedisse animos et ex corporum doloribus dolorem contrahentes ac perferentes, et ex suis, etc. quasi dixisset *συναλγοῦντας* et *συμπάσχοντας* et una cum corporibus dolentes et sensum corporis participantes. at vox *congruentes* non videtur hanc sententiam notionemque exprimere. fortasse melius expressisset, si scriptum esset, *corporum doloribus coaegrentes*, seu *coaegrescentes*, vel *congravescentes*, vel *confungentes* [*compungentes?* sic certe Gothofredus p. Laemar. 247. *confugientes* dedit Santandreana a. 1580. p. 4650.]. omnino aliud verbum hic desidero. cum his autem Ciceronianis congruunt illa Lucretiana libro 3. [vv. 836. sqq], *praeter enim quam quod morbis cum* [ita hoc quidem loco Lambinus quem vid. Commentariis Lucretianis p. 377] *corporis aegrit, Advenit id quod eam de rebus saepe futuris Macerat, inque metu male habet curisque fatigat* [cf. Wopkensium Lectionibus Tullianis 1, 19. p. 104. repet. edit. 143. sq.].

§. 4. SED IN HOC ME IPSE CASTIGO. Nonius in verbo *castigo* legit, *sed hoc in me ipse castigo.* in quo non sum eum secutus. quod autem idem paullo post *mollitia* legit, non, ut habent omnes libri, *mollitie*, in eo sum eum secutus [Nonii locus 4, 50. p. Mercer. 251, 23].

C. 2. §. 5. STUDIUMQUE NOS COMPULISSET. sic habent libri ma || nu scripti, et sic legendum, non, ut est in vulgatis, p. 491. a.
contulisset [vid. annotata ad Orationem pro Sylla C. 14. §. 40. et ad Orationem de Provinciis Consularibus C. 13. §. 33.].

C. 3. §. 9. med. ITEM NOS QUASI IN MERCATUS QUANDAM CELEBRITATEM EX URBE ALIQUA. sic legit Nonius [5, 40. p. Mercer. 431, 20. v. *merx*], cuius auctoritatem secutus sic edendum curavi [absunt haec a Burleio de Vitis et Moribus Philosophh. et Poett. fol. 18. edit. princ.].

C. 4. §. 10. QUOVE RECEDERENT. quidam legendum putant, *reciderent* [reciderant? sic Gothofredus in margine Laemarianae p. 248., repetitiones Lambinianas, veluti Santandreanam a. 1580. secutus.].

C. 5. §. 14. NISI IMAGINIBUS POTIUS UTI QUAM REBUS IPSIS PLACET. sic legendum, non ut in libris vulgatis, *si imaginibus.*

C. 8. §. 22. ET CUM ARISTO NUPER. sic legendum censet Leonardus Malaspina in Emendationibus in librum sextum Epistolarum ad Atticum. cui assentior. fuit enim Aristus Antiochi frater. itaque paullo ante eadem ratione legendum arbitror [§. 21.], *sed Brutus tuus auctore Aristo et Antiocho*, et cetera [probatur »aliis« apud Gothofredum p. Laemar. 251].

C. 9. §. 27. extr. SUMMUM BONUM FIRMA CORPORIS AFFECTIONE EXPLORATAQUE SPE CONTINERI. legendum fortasse, *exploratagque eius spe*, et cetera.

C. 10. §. 29. post med. DENIQUE IN HIS TOT ET TANTIS AD QUAE ETIAM PLURA POSSUNT ACCEDERE POTEST ESSE SAPIENS. sic emendavi, certissima coniectura ductus. nam vulgata lectio, a qua non discrepat antiqua, *atque etiam quae plura possunt accedere*, vitiosa est.

C. 22. §. 63. AD HORAM MORTI DESTINATAM. sic habent nonnulli libri veteres, alii *mortis*, et item vulgati.

C. 25. §. 72. QUUM PRUDENTIA UTILITATEM CIVIUM CERNAT. verbum *contineri*, quod foris huc irruerat [sic enim edebatur, *quum contineri prudentia utilitatem civium cernat*], delendum curavi. nam primum non reperitur in uno codice manu scripto; deinde sententia ipsa respuit. hoc enim sentit Cicero, sapientem etiam in rei publicae administratione utilitatem virtutis declaraturum: prudentia enim fretus cernet utilitatem civium, iustitia instructus nihil in suam domum ex publica utilitate derivabit, et cetera.

C. 27. §. 78. extr. QUAM IBIM AUT ASPIDEM. legendum fortasse est, *quam ibim aut apim*. erat autem *apis* bos Aegyptiorum deus. quanquam nihil mutandum censeo: nam etiam *aspidem* colebant Aegyptii.

C. 29. §. 83. med. QUOD QUIDEM CARNEADEM DISPUTARE SOLITUM ACCEPIMUS. videtur legendum, *hoc quidem*, et cetera, et paullo post, *nos autem illud cum pace agemus* [sic e vetere codice Gothofredus in margine Laemarianae a. 1596. sed vide ab Davisio notata p. 445. sq.].

C. 32. §. 90. AN SCYTHES ANACHARSIS POTUIT PRO NIHILO PECUNIAM DUCERE NOSTRATES PHILOSOPHI FACERE [hoc addidi ex Indice Lambini Erratorum p. 626.] NON POTERUNT? sic legendum est, *facere non poterunt*, inquam, et ita habent omnes fere libri veteres, quos vidi, itaque edi iusseram. non nego tamen, deleto verbo *facere* lectionem eam, quam mavult Manutius, ferri posse. hoc dico, alteram esse et antiquiorem et meliorem.

Ibid. MUNERA AUTEM ISTA QUIBUS DELICIARIS. vel sic legendum [cf. Gesnerum Thes. L. L. Vol. 2. 67, 71.], vel [hoc abest ab editione Santandreana a. 1580.] *quibus es delicatus*, vel *quibus es deliciatus*. sic enim Graece scriptum est [vid. ab Davisio disputata p. Rath. 452.], *δῶρα δέ, οἷς ἐντρυφᾶτε*, id est,

munera autem, quibus deliciamini seu *deliciati estis.* et paullo ante legendum, *pulmentum fames*, non *pulpamentum.* Horatius satira 2. libri 2. [v. 20], *tu pulmentaria quaere Sudando.* et epistola ad Lollium 2. libri 1. [18, 48.], *cenes pariter pulmenta laboribus empta* [vid. Commentaria Horatiana ad h. l. p. 284. B. et quae annotantur a Fr. E. Theod. Schmidio Part. 1. p. 392].

C. 33. §. 93. NEQUE NECESSITATEM MODO. videtur legendum, *neque non necessitatem modo,* et cetera.

C. 34. §. 98. extr. UT QUICQUID OBIECTUM EST. *ut quicquid,* ad est, *ut quicque.* quemadmodum alibi docuimus [vid. vel ad V. de Finibus C. 9. §. 24.].

§. 99. TUM SUAVITATE PRAESTANTIA. videtur legendum, *suavitate praestanti.*

C. 35. §. 102. IN SIGNIS CREDO TABULIS LUDIS. quidam legi volunt, *tabulis pictis*, deleta voce *ludis.*

C. 37. §. 107. extr. AT ENIM NON ERIT SINE IGNOMINIA IGNOMINA AFFICERE POTERIT SAPIENTEM? docti quidam legi volunt, *attingere poterit sapientem* [cf. Orell. p. 384, 8.]?

C. 39. §. 115. TOTO SE ANIMO DEDIDISSENT. libri tres veteres, in his Huraltinus, habent *dedissent.* quod magis probo [vid. ad IIII. C. 38. §. 82.].

Ibid. ET QUAE VELLET ATTINGERET. quidam legi volunt, *et quae vellet aspiceret* [Orell. p. 387, 9. »*adspicere* nescio qui »apud Lambinum.« ita certe Santandreana a. 1580. p. 4655.].

IIII.

IN LIBROS TRES QUI SUNT DE NATURA DEORUM AD M. BRUTUM.

I. C. 1. §. 1. QUAE ET AD AGNITIONEM ANIMI PULCHERRIMA EST. quidam libri veteres habent *ad cognitionem*, et cetera. utraque lectio probabilis est [ex Omissis ad calcem Tom. 1. 382. vid. Turnebum Adversariis 14, 14.].

Ibid. QUID EST ENIM TEMERITATE FOEDIUS? vel hoc modo legendum, quomodo coniecit et Manutius, vel *turpius,* quantumvis licet reclament codices quos vidi omnes. neque haec scriptura [*fortius,* quod est in antiquis] ferri ullo modo potest, quicquid comminiscantur et proferant studiosi antiquitatis homines, ipseque adeo Turnebus [Adversariis 14, 14.]. nam, ut

idem alibi fatetur, omni antiquitatis situ, carie et putrore potentior est ratio et veritas.

§. 2. QUOD VERO MAXIME REM CAUSAMQUE CONTINET. vulgatam lectionem, quia ferri non potest, reieci, Manutiique coniecturam, praesertim a codicibus antiquis adiutam et confirmatam, aliqua ex parte approbavi. nempe, quatenus tulit veterum librorum auctoritas.

C. 3. §. 5. extr. QUI INIMICE INSECTANTUR REPELLENDI. legendum est fortasse, *refellendi* [vid. Drakenborch ad Livii 39. 28, 11. Tom. 11. p. 433.]. verumtamen nihil mutandum censeo, sine librorum veterum auctoritate. nam *repellendi* apte respondet illi *insectantur*.

C. 8. §. 19. UNDE VERO ORTAE ILLAE [correxi equidem istud *ille*] QUINQUE FORMAE EX QUIBUS RELIQUAE FORMANTUR. hic locus quibusdam non videtur a mendo esse vacuus [reponendum ex Indice Erratorum p. 626. *unde vero illae quinque formae, ex quibus reliquae formantur, apte cadentes ad animum efficiendum pariendosque sensus?*].

§. 20. OMNEM TOTIUS ORBIS DESIGNATIONEM ATQUE APPARATUM. quidam legi volunt, *omnem totius operis designationem*.

C. 10. §. 23. extr. QUI VERO MUNDUM IPSUM ANIMANTEM SAPIENTEMQUE ESSE DIXERUNT NULLO MODO NON [sed vid. Indicem Erratorum ab Lambino confectum p. 626] VIDERUNT ANIMI NATURAM IN QUAM FIGURAM CADERE POSSET. mendose hic operae inculcarunt negationis particulam *non* ante verbum *viderunt*, errantes
b. ex coniectura quadam || mea ad oram libri ascripta, quae talis fuit, *et nullo modo viderunt animi naturam, non intelligentes, in quam figuram*, et cetera. nam participium *intelligentes*, sine negationis particula *non*, ferri non potest. malim tamen sic legi, *non viderunt, animi naturam nullo modo in eam figuram cadere posse*. ut deleatur verbum *intelligentes*, quod est in omnibus libris.

§. 25. SI DII POSSUNT ESSE SINE SENSU ET MENTE CUR MENTEM AQUAE ADIUNXIT CUR AQUAM MENTI SI IPSA MENS CONSTARE POTEST VACANS CORPORE? hunc locum partim coniectura ductus, partim antiquae scripturae vestigia secutus, emendavi.

C. 15. §. 38. QUAESO QUID ABSURDIUS QUAM AUT RES SORDIDAS ATQUE DEFORMES DEORUM HONORE AFFICERE AUT HOMINES IAM MORTE DELETOS REPONERE IN DEOS QUORUM OMNIS CULTUS ESSET IN LUCTU? sic est plane legendum, non, ut est in libris vulgatis, *quo quid absurdius*, et cetera [sed vid. Wopkensium Lectionibus Tullianis 2, 2. p. repet. edit. Hand. 172. sq.].

C. 19. §. 49. med. EPICURUS AUTEM QUI RES OCCULTAS ET PENITUS ABDITAS NON MODO VIDERAT ANIMO SED ETIAM SIC TRACTAT UT MANU DUCAT DOCET PRIMUM EAM ESSE VIM ET NATURAM DEORUM UT NON SENSU SED MENTE CERNATUR. sic restituit hunc locum Adrianus Turnebus, vir omni doctrinae genere praestantissimus.

quanquam haec editio nonnihil ab eius coniectura discrepat· ille enim verbum *docet* omittit, nos ex *doceat* fecimus *docet*· quod item Ioanni Passeratio venit in mentem.

Ibid. ET AD NOS AFFLUAT. sic emendavi ex simili loco, qui est infra eodem libro, pagina ducentesima quarta, versu decimo nono [immo p. 212, 9. nobis h. l. C. 41. §. 114. extr.], ibi, *quumque ex ipso imagines semper ad nos affluant.*

C. 22. §. 61. EPICURUS VERO TUUS (NAM CUM ILLO MALO DISSERERE QUAM TECUM) QUID DICIT QUOD NON MODO PHILOSOPHIA DIGNUM ESSET SED ETIAM MEDIOCRI PRUDENTIA? vel legendum, *quid dixit*, vel paullo post, *dignum sit* [neutra mutatione opus esse, docuit Wopkensius Lectionibus Tullianis 2, 2. p. Hand. 175. sq. adde quae ab Heindorfio ad h. l. notantur p. 60.].

C. 23. §. 65. HINC QUODCUNQUE IN SOLUM VENIT UT DICITUR EFFINGIS ATQUE EEFICIS. quidam legendum putant, *quicquid in solem venit*, et cetera [cf. Nonium 2, 427. p. Mercer. 124, 17., *in solum* sive potius *insolum* perperam interpretantem *insolitum.* adde eundem 10. p. 500, 9. Paullum Manutium Commentariis ad VIIII. Epp. 26. laudavit Davisius p Creuzer. 103.].

Ibid. QUAE PRIMUM NULLAE SUNT NIHIL EST ENIM [lemma praescriptum annotationi sic habet, ordine inverso, *nihil enim est.* in quo Manutium secutus est Lambinus. neutrum placuit Gothofredo. sic enim ille, *nihil enim, quod vacet corpore.*] QUOD VACET CORPORE CORPORIBUS AUTEM OMNIS OBSIDETUR LOCUS. hic locus non est integer. praetermissa enim sunt nonnulla a scriptore librario, quae sic restitui: *quae primum nullae sunt (nihil est enim minimum); deinde non est inane: nihil enim est, quod vacet corpore*, et cetera [locus animadversus in Indice Erratorum p. 626. ibi tamen sic legitur, ab Lambino repositum, *deinde nullum est inane, quod vacet corpore.* et sic Gothofredus in margine Laemarianae editionis, qua utor, p. 284.].

C. 33. §. 93. SED TAMEN - TANTUM EPICURI HORTUS HABUIT LICENTIAE. secutus sum Petri Victorii sententiam, quae nihil discrepat ab antiqua scriptura. docet enim ille libro Variarum Lectionum 24. cap. 18, esse hic ἀποσιώπησιν bonis scriptoribus ustitatam [vid. Heindorfium p. 92, totum hoc de reticentia commentum cum Boherio reiicientem.].

Ibid. TOTIS VOLUMINIBUS CONCIDERIT. quidam legi malunt, *consciderit*, a verbo *conscindo* [vid. Heindorfium p. 93.].

C. 38. §. 106 DE M. OCTAVIO DEFERENTEM SITELLAM. quidam *cistellam* legi volunt, ut in libro primo ad Herennium [p Lambin. 5, 43. nobis C. 12. §. 21.], aut illic quoque *sitellam.* quod malo.

C. 41. §. 115. extr. QUUM DII NON MODO HOMINIBUS NON CONSULANT SED OMNINO NIHIL CURENT. sic emendavit hunc locum

Manutius, qui antea ita legebatur, *homines non colant* [recte dici homines *a diis coli*, exemplis docuit Davisius p. Moser-Creuzer. 187].

C. 43. §. 120. NUTARE VIDETUR IN NATURA DEORUM. mendose hic operae *natare* impresserunt [castigati illi hoc nomine a Lambino Erratorum Indice p. 626.], quum *nutare*, ut est in libris omnibus, excudi iussissem, tantummodo quorundam coniecturam ascripsissem *natare*. *natare* autem *videtur*, si cui forte placeat, id est, non satis sibi constare, neque certus et firmus esse videtur, translatione ducta a natantibus, qui quum in elemento molli et cedente moveantur, stabiles esse non possunt. sic Horatius satira septima libri secundi [v. 7. sq.], *pars multa natat modo recta capessens, Interdum vitiis obnoxia.* ubi errant, qui *natat* interpretantur ἐπιπολάζει, id est, frequens est, apparet. quo fit, ut probabilis sit illorum coniectura [vide tamen quae de hoc Ciceronis loco disputavit Lambinus Commentariis Horatianis p. 182. C. Francofurt. editionis.].

C. 44. §. 122. VOS AUTEM QUID MALI DATIS QUUM IN IMBECILLITATE GRATIFICATIONEM ET BENEVOLENTIAM PONITIS? sic restitui parva mutatione facta. nam ex *imbecillitatem*, quod erat corruptum, feci *in imbecillitate*. quod perspicue verum et rectum est. quod si cui dubium est, argumento erit huius libri versiculus ultimus, qui ita habet [p. 213, 31. §. 124. extr.], *quoniam, ut dicitis, omnis in imbecillitate est et gratia et caritas.*

II. C. 2. §. 4. ASPICE HOC SUBLIME CANDENS. sic debuerunt haec edi, *aspice hoc Sublime candens*, *quem invocant omnes*, et cetera. nam *aspice hoc* pertinet ad versum superiorem, estque eius pars postrema. *sublime candens*, et cetera, autem versus est integer senarius [vid. Davisium p. Moser. 209. sq.].

§. 6. extr. SAEPE FAUNORUM VOCES EXAUDITAE SAEPE VISAE FORMAE DEORUM QUEMVIS AUT NON HEBETEM AUT IMPIUM DEOS PRAESENTES ESSE CONFITERI COEGERUNT. sic habent omnes libri, quos quidem viderim. quorum verborum haec mihi sententia esse videtur: nemo est, modo non sit hebes, qui quum deorum praesentiam in tot rebus cognoverit, non cogatur fateri deos esse, aut si neget, quum sit non hebes, non sit impius. haec videtur esse horum verborum sententia. sed quidam malunt sic legi, *quemvis aut non hebetem, aut non impium*, et cetera. eadem sententia. alii sic, *quemvis non hebetem aut impium*, et cetera. etiam eadem sententia.

C. 3. §. 9. * NULLI VIRI VOCANTUR. de hoc loco consule Adversaria Adriani Turnebi [23, 12.].

§. 10. AT VERO APUD MAIORES TANTA RELIGIONIS VIS FUIT UT QUIDAM IMPERATORES ETIAM SE IPSOS DIIS IMMORTALIBUS CAPITE VELATO VERBIS CONCEPTIS PRO RE PUBLICA DEVOVERINT. sic legendum, non, ut est in libris vulgatis, *verbis certis.*

C. 10. §. 26. extr. IPSE VERO AER QUI NATURA EST MAXIME HUMIDUS MINIME EST EXPERS CALORIS. sic legendum est, vel libris omnibus invitis, non ut habent, *frigidus.* aer enim calidus est natura, sed humidior quam calidior. quod minus apparet, minusque sentitur, propter calorem. at contra aqua humorem suum maxime habet in promptu, maximeque declarat, propterea quod frigida est. quomodo vero potest esse maxime frigidus, si non est expers caloris, atque adeo, si est multo calore ad || p. 492. mistus, et si est aquarum quasi vapor, quum vapor omnis sit *a.* calidus et interdum prae calore usurpetur?

C. 12. §. 34. QUI TUM REMITTERENTUR TUM CONTENDERENTUR. sic legendum, non *continerentur.* nam *contendere* et *remittere* sunt contraria, ut *funis remissus*, *funis contentus*, *animi remissio*, *animi contentio.*

C. 20. §. 53. INFIMA EST QUINQUE ERRANTIUM TERRAEQUE PROXIMA STELLA VENERIS QUAE φωσφόρος GRAECE LUCIFER LATINE DICITUR QUUM ANTEGREDITUR SOLEM QUUM SUBSEQUITUR AUTEM HESPEROS. videtur sic legendum, *quum subsequitur autem*, *Graece Hesperos* [Ἕσπερος], *Latine Vesper* [vid. Heindorf. p. 168. et cf. eundem in Addendis p. XIII.].

C. 25. §. 65. ASPICE HOC SUBLIME CANDENS. scribe, ut supra admonuimus esse scribendum [ad p. 214, 14. nobis C. 2. §. 4.], *aspice hoc Sublime candens*, *quem invocant omnes Iovem.*

C. 26. §. 66. DATUM EST IGITUR NEPTUNO ALTERUM IOVIS UT VOLUNT FRATRI MARITIMUM OMNE REGNUM. quidam legi volunt, *alteri*, et cetera [Orell. p. 60, 15. »*alteri* codices aliqui, ut volebat Lambinus.« in Retractatis, opinor. non *alteri*, sed *altero*, antiquiorem dativi formam tuetur cod. Gudianus 2. fol., a me denuo diligenter exploratus. vid. Voss. de Analogia 4, 6. p. 177.].

C. 27. §. 68. extr. ITAQUE UT APUD GRAECOS DIANAM EANDEMQUE LUCIFERAM SIC APUD NOSTROS IUNONEM LUCINAM IN PARIENDO INVOCANT QUAE EADEM DIANA ANNIVAGA DICITUR. sic restituit Adrianus Iunius [Animadversionibus 4, 20. p. 147.] ex Probo [ad Virgilii Eclog. 6, 31. p. 74.]. idem legit paullo ante *apud nos*, ubi vulgo *apud nostros* [quod est apud Probum Lionis p. 354. tueturque codex Gud. 2.]. paullo post, ubi vulgo legitur, *sed quod in septem numeratur tanquam vagantibus*, ille vult legi, *in septem vagatur* [sic correxi illud *vagantur*] *tanquam venantibus.*

C. 32. §. 81. SED QUID SIT IPSA NATURA EXPLICANDUM EST ANTE BREVITER QUO FACILIUS ID QUOD DOCERE VOLUMUS INTELLIGI POSSIT. quidam libri veteres habent *volimus*, unde suspicari quis

possit, scriptum esse a Cicerone *velimus.* quanquam *volimus* non est reiiciendum, quum veteres dixisse *volim* pro *velim* constet [vid. Vossium de Analogia 3, 37. p. 130.]. hac re tantum me suboffendit, quod scaenam olet.

C. 36. §. 91. HAC ANIMABILI SPIRABILIQUE NATURA CUI NOMEN EST AER. idem Iunius ex Probo [ad Virgilii Ecl. 6, 31. p. 74.] legit *animali* [vid. Heindorf. p. 204.]. contra Servius apud Virgilium ad illum locum lib. 3. Aeneidos [v. 600. Tom. 2. p. Burmann. 439.], *hoc caeli spirabile lumen*, legit *spirabili* [immo *spiratabili*, ut est apud Moserum p. 352. et habet Servius Burmanni, quem vide l. l.]. sic enim ille: *spirabile, id est, vitale quo spiramus. et est sermo Ciceronis: quanquam ille spiritabile dixerit in libris de Deorum Natura.*

C. 39. §. 99. NEC STIRPIUM ASPERITATE VASTARI. Nonius legit *vastescere* [2, 891. p. Mercer. 185, 10. cf. quae ad eum locum a Mercero annotantur p. 700.], et ita censeo reponendum.

§. 100. IPSUM AUTEM MARE SIC TERRAM APPETENS LITTORIBUS CLAUDIT UT UNA EX DUABUS NATURIS CONFLATA VIDEATUR. videtur legendum, *clauditur.*

C. 46. §. 118. ET RURSUM TRAHUNT INDIDEM. sic legendum. *indidem* autem, id est, ex eodem loco seu ex iisdem locis [et ita repraesentare veterem codicem, auctor est Gothofredus in margine Laemarianae p. 319. vid. Moserum p. 401.].

C. 50. §. 126. VOMITIONE CANES PURGANTUR ALVO SE IBES AEGYPTIAE CURANT. sic restitui, scripturae veteris vestigia secutus. nam vulgata lectio, *vomitione canes purgare, alvos ibes Aegyptiae curant*, mendosa est [sed quod dicunt Lambinum audacter de suo dedisse, *vomitione et deiectione purgare, ex eo quod vomitione canes, alvo se ibes Aegyptiae curant,* id ad alteram editionem pertinere videtur, quae post mortem Lambini publici iuris facta est Parisiis a. 1573., 10. voluminibus formae minoris.].

C. 54. §. 136. extr. IN RELIQUUM CORPUS DIDANTUR. sic legendum. *didantur* autem, id est, diffundantur, distribuantur. Lucretius libro 4. [vv. 624. sq.], *inde quod exprimimus, per caulas omne palati Diditur*, et cetera [Lucretii et poetarum, non Ciceronis esse verbum, monuit Heindorfius p. 250.].

C. 56. §. 141. princ. QUUM SONUM RECIPERE DEBEANT. alii libri habent, *percipere.* docti quidam legi volunt, *excipere,* ego *accipere*, ut pagina ducentesima tricesima sexta, versu duodecimo [immo p. 236, 22. nobis h. l. C. 57. §. 144.].

Ibid. QUI NATURA IN SUBLIME FERTUR. quidam libri non habent *in.* fortasse recte [vid Pareum Lexico Critico p. 1211, 1. et cf. Lambinum Commentariis Lucretianis ad 5, 573. p. 641.].

C. 57. §. 144. UT SI QUA MINIMA BESTIOLA CONARETUR IRRUM-

PERE IN SORDIBUS AURIUM TANQUAM IN VISCO INHAERESCERET. quidam legendum putant *irrepere*, idque annotatum est ad oram codicis Memmiani, non tamen, ut ex antiquo aliquo exemplari profectum, sed quasi a coniectura natum [Heindorf. p. 259. »quod »in omnibus extat libris, *irrumpere*, adeo tamen ineptum est »de *minima bestiola*, ut non dubitarim ex Claudii Puteani con»iectura reponere *irrepere*.«].

C. 59. §. 149. extr. NARES CORNIBUS IIS QUI AD NERVOS RESONANT [hoc reponendum ex Indice Erratorum p. 626.] IN CANTIBUS. videtur legendum, *quae resonant*, et cetera [idque nuper ex codice Glogaviensi Heindorfius reposuit, iisdem motus rationibus, quae Lambinum moverant.].

C. 60. §. 151. extr. ARBORUM AUTEM CONSECTIONE. quidam legi volunt, *confectione* [et sic Veneta Philosophorum Ciceronis editio a. 1496. 18. m. Septembr. »per Symonem Papiensem »dictum Beuilaqua.« sed, vide quae annotantur ad Oratorem C. 49. §. 165.].

C. 62. §. 155. EORUM ENIM CURSUS DEMETATI MATURITATES TEMPORUM ET VARIETATES MUTATIONESQUE COGNOVIMUS. sic legendum, non *demetiti*. nam a verbo *demetior* fit *demensus sum*, *demetatus* autem a *demetando* [non hoc, sed *dimetati* repraesentatum ab Lambino, auctores sunt qui praefuerunt editioni Parisinae a. 1573., eiqui Lambini nomen falso praescripserunt.].

C. 64. §. 160. SUS VERO QUID HABET PRAETER ESCAM CUI QUIDEM NE PUTRESCERET ANIMAM IPSAM PRO SALE DATAM DICIT ESSE CHRYSIPPUS. legendum libris omnibus invitis, ut est apud Nonium, in voce *putidum* [2, 707. p. Mercer. 161, 19., ubi laudantur illa Ciceronis V. de Finibus C. 13. §. 38. extr. p. Lambin. 104, 27. *ut non inscite illud dictum videatur in sue, animum illi pecudi datum pro sale, ne putresceret.*], *ne putisceret*, et ita edi iusseram. huic loco similis est ille supra libro 5. de Finibus [quem modo posui, Lambini, inquam, verbis], *animam illi pecudi datam pro sale, ne putisceret.* sic enim illic quoque legendum est, non *putresceret*, ut habent libri vulgati [vid. annotata ad eum locum.].

III. C. 1. §. 3. NEQUE ENIM MIHI PAR RATIO CUM LUCILIO EST AC TECUM FUIT. quidam legendum putant, *par certatio est.* quod ego valde probarem, si qua essent huius scripturae in libris veteribus vestigia [Ernest. p. 575, 1. »sed non est necesse.«].

C. 3. §. 7. MIHI QUIDEM EX ANIMO EXURI NON POTEST ESSE DEOS. sic habent omnes fere libri, et vulgati et manu scripti.

quae lectio si nobis probabitur, tralatio erit ab iis notis, quae ferro inuruntur. quaedam exempla tamen vulgata habent *exiri*, unde nuper quidam fecerunt *exire* [habet editio Philosophorum Ciceronis Veneta a. 1496., quam laudavi ad. II. C. 60. §. 151.]. alii legi volunt *excuti*, ego nihil muto.

C. 4. §. 10. extr. ASPICE HOC SUBLIME CANDENS. scribe *aspice hoc*, littera *a* minore, *sublime s* maiore, propter eam causam, quam supra dixi [ad p. 214, 14. nobis II. C. 2. §. 4.].

C. 9. §. 23. post med. NIHIL IGITUR AFFERT PATER ISTE STOICORUM QUARE MUNDUM RATIONE UTI PUTEMUS NE CUR ANIMANTEM QUIDEM ESSE. sic Lucretius Epicurum *patrem* appellat libro 3. princ. [vv. 9. 10.], *tu pater et rerum inventor, tu patria nobis Suppeditas praecepta*, et cetera.

C. 18. §. 46. QUOMODO AUTEM POTES SI LATONAM DEAM PUTES HECATEN NON PUTARE CUIUS MATERTERA ASTERIA EST MATER LATONA? sic restitui, genealogiae historiam secutus. Latona enim et Asteria sorores fuisse traduntur, Hecate autem Latonae filia [sed vid. quae ab Davisio notantur ad h. l. p. Moser. 567.].

C. 19. §. 50. ITEMQUE * LEONATICUM EST DELUBRUM ATHENIS QUOD LEOCORION NOMINATUR. hunc locum stellula seu ἀστερίσκῳ
b. notari iussi. neque id temere. quid enim sibi || vult hoc *Leonaticum?* nam *Leocorion* quid sit, sciunt omnes mediocriter eruditi: nempe delubrum seu templum Lei filiabus, quae sua morte pestem civitatis Atheniensis sedarunt, dedicatum [de *Lei filiabus* et *Leocorio* laudavit Davisius interpretes ad Aeliani V. H. 12, 28. et Schol. Thucyd. 1. p. 15. laudatis adde, quae notantur ad h. l. a Creuzero, p. Moser. 578.]. *Leonaticum* autem fere omnes corruptum esse putant; ex quibus alii censebant legendum *Leonticum* aut *Leontium* potius, a Leo, puellarum illarum patre [cf. Canterum NN. LL. 5, 18. Thes. Crit. Gruteri Vol. 3. p. 631.], quemadmodum a Timoleonte *Timoleontium* dictum est. sed errant. nam a *Timoleonte* recte *Timoleontium* fingi potest, a *Leo* (*Λέως* enim dicebatur ille, non *Λέων*) *Leontium* nullo modo. alii, *Leo natis est delubrum*, et cetera. alii putabant *Leonaticum* esse retinendum, et *Leonaticum* dictum a *Lei natis* seu *natabus*, id est, filiabus, ut Graeci *Λεωκορεῖον* nominarunt *παρὰ τὰς τοῦ Λέω κόρας*. sed hoc ne ii quidem, quibus hoc venit in mentem, magnopere probant. ego putabam sic legendum, *Leo Attico est delubrum Athenis*, et cetera. sed non placet. delubrum enim erat filiarum Lei, non ipsius Lei. putabam etiam sic, *Leo dicatum est delubrum*, et cetera. sed eadem ratione hoc quoque reiicio. venit tandem mihi in mentem, sic omnino esse legendum, *itemque Leo natarum est delubrum Athenis*, et cetera. quae coniectura ita mihi placet, ut nihil putem excogitari posse melius.

C. 20. §. 51. CUR AUTEM ARQUI SPECIES NON IN DEORUM NUMERO REPONATUR? omnes fere libri, et vulgati et manu scripti,

habent, *cur autem arcus species non in deorum*, et cetera. nisi quod in uno scriptum erat *arqui*, quod probo. nam veteres grammatici [Priscianus 6. p. Putsch. 712. C. 14. §. 74. Tom. 1. p. Krehl. 269. cf. Voss. de Analogia 2, 20. p. 343.] docent, *arquum*, in generandi casu *arqui*, dici irim, *arcum*, in patrio casu *arcus*, suspensum fornicem. sic Lucretius libro 6. [v. 525.], *tum color in nigris exsistit nubibus arqui.* sed Charisius sic legit hunc locum libro primo, capite de Analogia [p. 93.], *cur autem arcus septies non in deorum*, et cetera. quod puto esse erratum librarii.

C. 22. §. 56. IS QUI SUB TERRIS HABET. sic habent libri manu scripti. *habet* autem, id est habitat [qua potestate usurpati verbi exempla suppeditabit Paulus Manutius Commentariis ad Ciceronis VII. Epp. 6. cf. Pareum Lex. Crit. p. 530, 1.].

C. 23. §. 60. TERTIUS QUIDEM EST ANTEROS MARTE ET VENERE TERTIA. deleo *quidem*, quod inane et supervacaneum est [vid. Heindorf. p. 343.].

C. 25. §. 63. ET ORBONAE AD [hoc inserui quum propter ea, quae sequuntur, tum ex Indice Erratorum p. 626., adhuc fere neglecto] AEDEM LARUM. sic edendum curavi, codices manu scriptos secutus, quomodo iam ante a Manutio fuerat hic locus restitutus [additae fuerant a Manutio hae duae voces, *Orbonae ad*, quas primum apparere in editione Bononiensi a. 1494. auctor est Davisius, quem vid. p. Moser. 632. absunt a Veneta a. 1496., qua utor.]. mendose autem hic operae omiserunt praepositionem *ad*.

C. 30. §. 74. SESSUM IT PRAETOR. sic erat emendatus hic locus in codice Memmiano. et recte [probam lectionem, *sessum it Praetor*, habet codex quoque Gudianus fol. 2.].

C. 31. §. 77. extr. TACERE PRAESTARET PHILOSOPHIS QUAM IIS QUI SE AUDISSENT NOCERE. malim legi, *philosophos* [omissa sunt haec in repetitionibus Lambinianis, etiam Santandreana a. 1580., qua utor.].

C. 39. §. 93. SED QUOMODO IIDEM DICITIS NON OMNIA DEOS PERSEQUI QUI IIDEM VULTIS A DIIS IMMORTALIBUS HOMINIBUS DISPERTIRI AC DIVIDI SOMNIA? mendose hic operae fecerunt, *qui idem vultis*, et cetera, pro *qui iidem vultis*, et cetera [ne sic quidem satis castigati illi in Indice Erratorum p. 626.]. hoc primum. alioqui legendum ita videtur, ut in nonnullis vulgatis, *persequi iidem vultis*, deleto *qui*. ne hoc quidem modo male legeretur, *sed quomodo iidem dicitis, non omnia deos persequi, qui vultis a diis immortalibus*, et cetera, deleto *iidem*.

V.

IN LIBROS DE DIVINATIONE.

I. C. 1. §. 1. QUAQUE PROXIME AD DEORUM VIM NATURA MORTALIS POSSIT ACCEDERE. sic restituit hunc locum Adrianus Turnebus Adversariorum lib. 5. cap. 20. [edebatur olim, *quaeque proxima ad deorum vim natura mortali possit accedere.* illud *quaeque* in *quippe* mutatum vidi in codicibus Rehdigerano Vratislaviensi et Gudiano fol. 2.].

§. 3. IN AEOLIAM. sic emendavit Adrianus Turnebus [haec corruperunt repetitiones Lambinianae, certe Santandreana a. 1580., qua utor.].

C. 5. §. 8. extr. NE COMMUNIA IURA MIGRARE VIDEATUR. sic habet codex manu scriptus, et ita legendum. sic loquitur Officiorum 1. [p. 354, 44. nobis C. 10. §. 31.], *quaeque pertinent ad veritatem et ad fidem, ea migrare interdum et non servare sit iustum.* et 3. de Finibus [p. 82, 11. id est C. 20. §. 67.], *quoniamque ea natura esset hominis, ut ei cum genere humano quasi civile ius intercederet: qui id conservaret, eum iustum, qui migraret, iniustum fore.*

C. 9. §. 15. SED INEST MIRE ET RANUNCULIS QUAEDAM NATURA SIGNIFICANS ALIQUID PER SE IPSA SATIS CERTA COGNITIONI AUTEM HOMINUM OBSCURIOR. Turnebus legendum censet, *sed inest re vis et ranunculis*, et cetera [ex Omissis post Tom. 1. p. 382.].

C. 10. §. 16. princ. QUAE NOMEN EX INVENTA RE REPERIT REM IPSAM INVENTOR EX SOMNIO. sic restitui, certissima coniectura ductus. nam nullo modo lectio vulgata, *ex inventore*, ferri poterat, ut rectissime iudicat Petrus Victorius [Variarum Lectionum 5, 3. cf. Canterum NN. LL. 1, 14. Thes. Crit. Gruter. Tom. 3. p. 529. sq.], et immerito reprehenditur hic a quibusdam. nunc et sententia aperta est et verba sententiae congruunt, neque discrepant ab iis, quae ceteri scriptores de aristolochia tradiderunt. hoc enim dicit Cicero, aristolochiam *nomen*, quod ad partus sit utilissima atque optima, *rem ipsam*, id est herbam, inventorem reperisse ex somnio, et eius vim et usum.

C. 11. §. 18. LUCE SERENANTI VITAI LUMINA LIQUIT. sic legendum, non ut habent libri vulgati et nonnulli manu scripti, *vitalia*. et ita etiam edendum curavi apud Lucretium libro 5. [vv. 224. sq.], *indigus omni Vitaï auxilio*, et cetera. ubi libri vulgati et plerique scripti habent *vitali*.

C. 12. §. 19. TUM SPECIES EX AERE VETUS GENEROSAQUE NATTAE CONCIDIT ELAPSAEQUE VETUSTO NUMINE LEGES. Turnebus legit, ut habent libri vulgati et nonnulli veteres, *generataque Nat-*

tae, et cetera. a quo dissentio, neque eius interpretationem probo. nam speciem esse *Nattae* effictam et simulatam, non veram, satis apparet ex eo, quod ex aere esse dicta est. at *generosa* dicitur, quia Nattae erant *nobiles*. M. Tullius de Divinatione libro 2. [p. Lambin. 285, 17. nobis C. 21. §. 47.], *Pinarii Nattae nobilis: a nobilitate igitur periculum* [ex Omissis post Tom. 1. p. 382.].

C. 16. §. 28 extr. NAM UT NUNC EXTIS (QUANQUAM ID IPSUM ALIQUANTO MINUS QUAM OLIM) SIC TUM AVIBUS MAGNAE RES IMPERTIRI SOLEBANT. sic omnes quidem libri habent, sed legendum censeo *impetriri*. *impetriri* autem, antiquum verbum, quo veteres utebantur in auspiciis, valet *impetrari* [vid. Pareum Lexico Critico p. 587. sq.].

§. 29. SOLVERE IMPERAT SECUNDO RUMORE AVERSAQUE AVI. legendum puto, *adversaque avi* [et sic est in codice Gudiano fol. 2.].

Ibid. NON SATIS SCIENTER VIRUM BONUM ET CIVEM EGREGIUM CENSOR P. ATIUM NOTAVIT. quidam legi volunt, *M. Attium notavit*, et paullo post, *obnuntiatio Attii*, et cetera. quibus assentior [ex Omissis post Tom. 1. p. 382. interciderunt, ut alia nonnulla, in repetitionibus Lambinianis, Santandreana, inquam, a. 1580. sed vid. Gothofredum in margine Laemarianae p. 357.].

C. 18. §. 35. UTAR IGITUR NEC ABDUCAR [non *adducar*, ut habet Orell. p. 139, 17.] UT REAR AUT IN EXTIS TOTAM ETRURIAM DELIRARE AUT EANDEM GENTEM IN FULGURIBUS ERRARE. lego, *nec adducar, ut rear* [sed alterum defendit Pareus Lex. Critico p. 6.].

C. 25. §. 53. AB ALEXANDRO AUTEM TYRANNO CRUDELI DOMINATU PREMEBATUR. liber unus manu scriptus habet, *tenebatur* [et sic codex Gudianus fol. 2. Hottinger. p. 70. »ita legunt co»dices atque edidit Lambinus, quum antea legeretur *preme»batur*.«].

C. 28. §. 59. AD LUCEM DENIQUE ARCTE || ET GRAVITER DORMITARE COEPISSE. videtur legendum, *dormire*. verumtamen nihil mutandum censeo [vid. Orell. p. 147, 8.]. p. 493. a.

C. 30. §. 63. extr. QUI SECUS QUAM DECUIT VIXERUNT. quidam legi volunt, *quam debuit*, subintellecto *vivi*.

C. 31. §. 66. SED QUID OCULIS RAPERE VISA ES DEREPENTE ARDENTIBUS? lege, *rabere*, ut vidit esse legendum Fruterius [ex Omissis Tom. 1. p. 382. adde quae temere inserta leguntur p. 490, 6. »approbata Fruterii Brugensis, iuvenis doctissimi, »coniectura *rabere* legendum censeo. *rabere* autem, inquit No»nius [1, 180. p. Mercer. 40, 1.], a *rabie*.« vide Muretum VV. LL. 9, 19. Operum Tom. 2. p. 221., et Ennii Medeam cur. Planck. p. 114. idem verbum Muretus Senecae restituit in Scholiis Operum Tom. 3. p. 42.].

Ibid. UBI PAULLO ANTE SAPIENS ILLA VIRGINALI' MODESTIA [sic corrigendum istud *virginal'*] ? sic restituit hunc versum Ioannes Auratus. idem paullo post *peperisti* reponendum censet pro vulgato *reperisti*. in ceteris Adriani Turnebi [Adversariis 5, 22.] sententiam sum secutus. mendose autem hic operae impresserunt *virginal' modestia* [non satis castigati illi in Indice Erratorum p. 626.].

Ibid. ME OBESSE ILLOS PRODESSE. lege, *med obesse, illos prodesse* [ex Omissis post Tom. 1. p. 382., ubi haec particula cum aliis adhuc delituit. vid. Orell. p. 150, 10. at vero etiam Santandreana a. 1580. p. 5093. »iam *medobesse* dictum pro »*me obesse*.«].

§. 67. EXITIUM EXAMEN RAPIT. lege, *exitiûm examen rapit* [ex Omissis Tom. 1. p. 382.].

C. 36. §. 80. AUT BACCHI SACRIS COMMOTA. legendum putat Auratus, *aut Bacchi sacris Commota*, quum vulgo legatur, *ut Bacchi sacris Imbuta*, et cetera. cuius coniecturam equidem probo, sed nihil mutari volueram.

C. 43. §. 96. extr. SOMNIANDI CAUSA EXCUBABANT. nonnulli libri habent, *incubabant*, quod malo. et ita Manutius.

§. 98. extr. QUOTIES SENATUS DECEMVIROS AD LIBROS IRE IUSSIT QUANTIS IN REBUS QUAMQUE SAEPE RESPONSIS HARUSPICUM PARUIT ? haec iterata (nam et hic, et paullo ante, versu 27. [§. 97. princ. post illa, *ad nostra iam redeo*, ubi tamen absunt, culpa fortasse librariorum, extrema illa, *quantis in rebus*, et cetera.] posita sunt) mihi mendi suspicionem commovent.

C. 48. §. 107. URBEM ROMAM REMURAMNE VOCARENT. sic legendum est, non ut vulgo, *Romam Remamne vocaret*. mendose autem hic operae iterarunt *ne*, et excuderunt *Romamne Remuramne vocarent*. delendum enim *ne* affixum nomini *Romam*, quod de suo addiderunt [castigati illi hoc nomine ab Lambino p. 626.].

§. 108. QUA MOX EMITTAT PICTIS EX FAUCIBU' CURRUS. lege, *quam mox emittat* [ex Omissis Tom. 1. p. 382. nec aliter volebat Turnebus Adversariis 5, 22. profecit ex Lambino Gothofredus, p. Laemar. 373.].

C. 49. §. 111. UT AQUARUM ELUVIONES. sic legendum censet Turnebus Adversariorum libro quinto [c. 22.]. et recte [deinceps codex Gudianus 2. tuetur Lambiniana, *ut deflagrationem futuram aliquando caeli atque terrarum*.].

II. C. 2. §. 5. VEHEMENTIUS IN DIES INCITATUR. Nonius legit, *citatur*, in verbo *citare* [4, 93. p. Mercer. 265, 28. quae ibi leguntur, *quorum studium legendi, non scribendi studium*

vehementius in dies citant, ea sic corrigenda esse vidit Mercerus p. 720., ut legatur, *quorum studio legendi meum scribendi studium vehementius in dies citatur.* insere Orellianis p. 172.].

C. 7. §. 18. princ. QUI THESAURUM INVENTUM IRI AUT HEREDITATEM VENTURAM DICUNT QUID SEQUUNTUR? sic legendum esse ratio pervincit, libris omnibus reclamantibus [vid. Orell. p. 173, 21.].

§. 19. extr. ANILE SANE ET PLENUM SUPERSTITIONIS FATI NOMEN IPSUM. quidam legendum putant, *anilis sane plenum superstitionis*, et cetera.

C. 14. §. 33. med. UT ENIM IAM SIT ALIQUA IN NATURA RERUM COGNATIO QUAM ESSE CONCEDO. libri veteres habent, *contagio*, ego tamen nihil muto. nam paullo ante *cognationis* nomine usus est in eandem sententiam, ibi, *cum rerum autem natura quam cognationem habent?* et infra non longe semel atque iterum eadem pagina [id est p. Lambin. 283, 15., nobis hoc ipso capite, §. 34.], *qua ex cognationis* [reponendum, *cognatione*] *naturae et quasi concentu atque consensu*, et cetera. ubi mendose operae fecerunt *cogitatione* [vid. Indicem Erratorum p. 626.]. nisi quis dicat, ubique *contagionis* nomen esse reponendum. sic enim loquitur libro de Fato [p. 302, 32. id est C. 3. §. 5.], *ut in reliquis eiusmodi naturae contagio valet.* et infra ibidem [v. 48. nobis C. 4. §. 7.], *cui primum quidem de ipsa rerum contagione respondeamus.*

C. 15. §. 35. UT IS QUI IMPETRIRE VELIT [hoc dedi ex Indice Erratorum Lambini p. 626.]. sic legendum non *impertire*, ut est in libris vulgatis, neque *impetrare*, ut operae hic mendose fecerunt. est autem *impetrire* antiquum verbum, quod significat *impetrare*, ut supra diximus [ad p. 260, 20. nobis I. de Divinatione C. 16. §. 28. extr.]. Festus, *impetritum*, *impetratum.*

C. 23. §. 51. CUR SE CONTRA NATURAM IN TERRAM ABDIDERIT. videtur legendum, *abdiderat* [Hottinger. p. 224. »nihil temere »mutandum. nam lectio vulgata melius significat rem parum »verisimilem.«].

C. 28. §. 60 extr. CUMQUE TERROREM. sic legendum esse et duo libri veteres et ratio pervincunt, non, ut vulgo, *errorem.*

§. 62. QUOD ANGUIS DOMI VECTEM CIRCUM NEXUS FUISSET. sic habet unus manu scriptus, malim tamen, *vecti circumnexus esset.* nisi quis dicat, esse ἀναστροφήν et pro, *circum vectem nexus fuisset*, *vectem circum nexus fuisset* positum.

C. 32. §. 69. * ITA AQUA ALBANA. videtur hic aliquid deesse, si diligenter attendas.

C. 39. §. 82. AT HOMERICUS AIAX. immo Ulysses, ut iam

animadverterunt aliquot viri docti. sunt enim Ulyssis verba *Il. ἰῶτα* [9, 236.].

C. 43. §. 90. extr. PROCLUS ET EURISTHENES. [Eurysthenes]. lege, *Procles et Eurysthenes* [ex Omissis Tom. 1. p. 382. particula ignorata quum aliis, tum Orellio V. D.].

C. 51. §. 105. extr. NEGANT ENIM ID ESSE ALIENUM MAIESTATIS DEORUM SCILICET. inter haec verba et superiora, *quam scire*, deest quiddam tale, *sequitur, deos ea nobis praesignificare: negant* [addit Santandreana, *iidem*]. deinde legendum, *aiunt enim*, et cetera. debet igitur hic notari stellula, et ita iusseram [itaque castigavit Lambinus librarium p. 626. Indicis Erratorum.].

Ibid. CASAS OMNIUM INTROSPICERE. sic legendum censet Manutius. nam libri alii omnes habent, *causas*.

§. 106. post med. NEC SI NON DANT VIAS NULLA EST DIVINATIO. sic legendum, non ut vulgo, *nec si dant vias*, et cetera. hoc enim ait Cicero, posse deos non dare vias ad scientiam significationis, et tamen esse divinationem, ut ostendat, Stoicos ea sumere, quibus concessis nihilo magis efficiant quod velint.

C. 54. §. 111. extr. Q. ENNIUS FECIT. sic restituit hunc locum Auratus. male autem hic operae fecerunt *Qu.* pro *Q.* [non castigati illi in Indice Erratorum p. 626.].

§. 112. princ. ATQUE IN SIBYLLINIS EX PRIMO VERSU CUIUSQUE SENTENTIAE PRIMIS LITTERIS ILLIUS SENTENTIAE CARMEN OMNE PRAETEXITUR. idem Auratus sic haec legenda putat, *ex primis versuum cuiusque sententiae litteris*, et cetera [cf. Orell. p. 205, 2.].

C. 56. §. 116. extr. TAMEN HANC AMPHIBOLIAM VERSUS INTELLIGERE POTUISSET. vel sic legendum, vel *amphilogiam*. nam *amphibologia* neque Graecum est, neque Latinum [vide annotata ad II. Herenn. C. 11. §. 16. p. 8.].

C. 59. §. 121. QUIS EST ENIM QUI TOTUM DIEM IACULANS NON ALIQUANDO COLLIMET? malim legi, *collineet*, ut libro 3. de Finibus pagina septuagesima quarta, versu quadragesimo octavo [nobis C. 6. §. 22.], *ut enim si cui sit propositum collimare hastam aliquo, aut sagittam*, et cetera. nam illic quoque vellem legi, *collineare* [vid. quae notantur ab Orellio p. 208, 5.].

C. 69. §. 142. ETENIM EX DIVISIONE HOC SECUNDUM EST QUAE EST CONTINUATIO CONIUNCTIOQUE NATURAE QUAM UT DIXI VOCANT *συμπάθειαν* EIUSMODI UT THESAURUS EX OVO INTELLIGI DEBEAT? vel
b. legenda sunt haec hoc or ‖ dine, *quae autem est continuatio coniunctioque naturae, quam, ut dixi, συμπάθειαν vocant* (*etenim ex divisione hoc secundum est*) *eiusmodi*, et cetera; vel aliquid deest.

Ibid. NONNULLAE ETIAM SUNT VALETUDINIS SIGNIFICATIONES UT HOC IPSUM PLENI ENECTINE SIMUS EX QUODAM GENERE SOMNIORUM INTELLIGI POSSE DICUNT. huius lectionis non obscura sententia est,

nempe significari valetudinem certis ex somniis, ut hoc ipsum, pleni an fame exhausti simus, medici dicunt intelligi ex quodam genere somniorum. sed, ne mentiar, vulgatam huic antepono: *nonnullae etiam valetudinis significationes, ut hoc ipsum, pleni enectine* [sic correxi istud *enecte*, quod vix ferendum videbatur] *fame simus, ex quodam genenere somniorum intelligi posse dicunt.* atque ita excudi iusseram, sed operae alteram secuti sunt, meo iniussu. tantum ascripseram e regione huius loci hanc scripturae dissimilitudinem, quam in uno libro vetere repereram plane expressam, nisi quod in eo erat, ut in vulgatis, *dicuntur.* hinc operariis istis errati causa praebita est [atque deinceps haec posita sunt a Lambino: «legendum puto, »*pleni enectine fame simus.* sic enim supra, pagina ducen»tesima octogesima nona, versu quadragesimo primo.« immo v. 42. nobis II. C. 35. §. 73. ibi, *nunc vero inclusa in cavea et fame enecta, si in offam pultis invadit*, et cetera.].

C. 70. §. 145. MULTISQUE EX ALIIS FUTURA PRAESENTIUNT. videtur legendum, *multisque ex aliis, quibus futura praesentiunt*, ut sit, *signa quaedam habent*, et cetera, *quibus*, et cetera.

C. 72. §. 149. EIICIENDAE SUNT. malim legi, *elidendae sunt*, ut Manutius censet [adde Orellianis p. 316, 13. nam illud *eliciendi* Lambinus dubitanter admodum posuit curis, opinor, secundis. vid. annotata ad Orationem pro Caelio C. 24. §. 60.].

VI.

IN LIBRUM DE FATO.

C. 4. §. 8. UT IGITUR AD QUASDAM RES NATURA LOCI PERTINET. post haec verba in libris omnibus sequitur deinceps, *et operatur aliquid.* quod ego funditus sustuli, ut alienum et ex declaratione superiorum natum [sed *aliquid* bene opponitur sequenti *nihil*, inquit Bremius, et habet praeterea quo se tueatur codicem Gudianum fol. 2., item Rehdigeranum Vratislaviensem cum editione Philosophorum Ciceronis Veneta a. 1496., quibus usus sum.].

C. 5. §. 9. QUI AUTEM EX EO COLLIGI PUTAT. alii legunt, *cogi*, ut est in omnibus libris vulgatis [et codices Gudianum et Rehdigeranum consentire vidi in hoc Dialecticorum verbo *cogi*, de quo dixi ad I. de Inventione C. 34. §. 59.]

C. 6. §. 11. PERCEPTA APPELLO QUAE DICUNTUR GRAECE θεωρήματα. sic ubique legendum, *percepta*, non *praecepta* [al-

terum non immerito defendit codex Gudianus. vid. Bremium et quos laudavit ille p. 26. sq.

C. 7. §. 13. AT SI ISTA COMPROBABIS DIVINA PRAEDICTA ET QUAE FALSA IN FUTURIS DICENTUR [sic certe codices Gudianus et Rehdiger.]. hic locus, ut in vulgatis legitur, non videtur integer. sententia enim non concluditur, neque finitur, nascens ab illo principio, *at si ista comprobabis*, et cetera. nisi dicamus esse hyperbatum, quod pertineat ad haec quae sequuntur, *sed tamen si naturalis est*, et cetera [cf. Bremium p. 30. sq. et Orell. p. 223, 26.].

Ibid. EA IN IIS HABEBIS UT FIERI NON POSSINT. alii libri habent, *habemus* [codd. Gud. 2. et Rehdigeranus, alter *in hiis*, alter cum edit. Veneta a. 1496., *in his habemus*], quod minus probo. hoc enim videtur Cicero sentire: si comprobabis haec divina praedicta seu oracula, eaque vera et necessaria putabis, incides in angustias, quas reformidas. nam tu qui fatum quidem ponis, sed necessitatem tollis, cogeris fateri et ea quae sunt falsa in futuro fieri non posse, et quod verum est in futuro necessario eventurum. quae est Diodori sententia. Diodorus enim haec dicebat, si falsa est haec enuntiatio in futuro, *cras cenabit Epicurus*, non potest fieri, ut cras cenet Epicurus; et si vera haec enuntiatio est in futuro, *cras cenabit Epicurus*, necessario cras cenaturus est Epicurus. quod utrumque negabat Chrysippus.

Ibid. extr. KARTHAGINE POTITURUM. libri veteres habent, *Karthaginem potiturum*. et ita legendum [codicis quoque Gudiani auctoritate. nec aliter editio Veneta a. 1496. vid. quos laudavit Orellius p. 223; 26. et cf. Voss. de Constructione c. 22. p. 87. sq].

C. 9. §. 17. med. SED IN FACTIS IMMUTABILEM APPARERE. legendum, *immutabilitatem apparere*. erratum est operarum [castigatum ab Lambino in Erratorum Indice p. 626. itaque paruit Santandreana a. 1580].

§. 18. extr. QUUM DUO INDIVIDUA PER INANITATEM FERANTUR. legendum videtur, *per inanitatem* [? *per inane*. sic Lambinus maluit p. 494. a. in Retractatis] *deorsum ferantur*, et cetera [praeterea Lambinus olim sic editurus erat, *quum duo individua corpora per inanitatem deorsum ferantur*. horum alterum, non utrumque (ut est apud Bremium p. 39.), exemplis refutavit Wopkensius Lectionibus Tullianis 3, 12. p. Hand. 400. sq.].

C. 10. §. 21. extr. OMNIA FATO FIERI NON POSSINT. desiderabatur negatio, quam ego flagitante ratione restitui [sed postea mutavit sententiam Lambinus. vid. Orell. p. 227, 5.].

§. 22. QUUM DECLINAT ATOMUS INTERVALLO MINIMO. legendum fortasse est, *quo declinat atomus*.

C. 12. §. 26. fin. QUAE CAUSAS HABEANT CUR FIANT [sic cor-

rigendum fuit istud *fiunt* ex Erratorum Ind. p. 626., quem indicem et ab optimo Orellio fere neglectum vidi.]. haec aberant a libris vulgatis.

§. 27. AN ALITER HAEC ENUNTIATIO VERA ESSE NON POTEST »CAPIET NUMANTIAM SCIPIO« NISI EX AETERNITATE CAUSA CAUSAM SERENS HOC ERIT EFFECTURA? veteres quidam libri habent, *nisi ex aeternitate causarum series causam* [itane? codex enim Gud. 2., opinor, sic repraesentat, *nisi ex aeternitate causarum series haec erat effectura.*], et cetera. sed hoc puto ex annotatione esse natum.

C. 14. §. 32. HAEC ARCTIUS ASTRINGI RATIO NON POTEST. in quibusdam libris sic legitur, *hoc arctius astringi ratione non potest.*

C. 15. §. 35. fin. NON UT EAE RES CAUSAM AFFERRENT AMORIS. videntur ante haec quaedam desiderari [vide quae notantur ad h. l. a Bremio p. 63.].

C. 17. §. 39. MEDIUM FERIRE VOLUISSE. sic restituit hunc locum P. Victorius, quum antea legeretur, *medium se ferre*, et cetera. est autem *medium ferire* mediam quandam sequi sententiam. lege Victorium lib. 1. capite 18. Variarum Lectionum [adde Pareum Lex. Crit. p. 726. sq.].

C. 19. §. 44. SI ILLI QUI NEGANT ASSENSIONES FATO FIERI FATEANTUR TAMEN EAS NON SINE VISO ANTECEDENTE FIERI ALIA RATIO EST. prorsus legendum censeo, *eas sine viso antecedente*, et cetera, deleta negationis particula [quae abest a codice Rehdigerano et ab edit. Veneta a. 1496.]. paullo post autem operarii isti contra praescriptum meum excuderunt, *neque eam causam ad assentiendum*, et cetera, quum iussissem deleri *neque* [vid. Erratorum Indicem p. 626.].

Ibid. ITEMQUE ILLI QUI AB HOC DISSENTIUNT. legendum arbitror, *neque illi, qui ab hoc dissentiunt.*

Ibid. SI OMNIA FATO FIERENT EIUSMODI UT NIHIL FIERET NISI PRAEGRESSIONE CAUSAE. legendum videtur, *si omnia ita fierent*, et cetera. verumtamen nihil ausim mutare.

§. 45. fin. AB HIS FATUM ABESSE * *. quis non videt hic deesse alterum membrum, nempe tale quiddam, *alteri, sive hae sive illae causae antecesserint, a rebus fatum abesse.*

VII.

p. 494. a. || IN FRAGMENTA LIBRORUM DE RE PUBLICA.

I. p. Ernest. 1071. OMNIS CIVITAS QUAE EST CONSTITUTIO POPULI RES PUBLICA. legendum fortasse est, *omnis civitas, constituta a populo*, et cetera.

Ibid. ANCI MARCII PATER QUOQUE IGNORATUR. Andreas Patricius sic emendat, *Anci pater etiam ignoratur, nisi quod is rex Ancus Marcius*, et cetera, aliquanto longius a scriptura recepta.

Ibid. p. 1072. QUAE TERRERENT OMNIA. sic restitui, quum libri alii haberent, *tenerent*, alii, *terrent*.

II. p. 1073. ESSE AUTEM ANGORES ESSE MISERIAS AFFLICTAS ATQUE ABIECTAS TIMIDITATE ET IGNAVIA. malim sic legi, *esse autem angore et miseria afflictas atque abiectas*, et cetera.

Ibid. UT AURIGA INDOCTUS E CURRU TRAHITUR OPERITUR ELIDITUR LANIATUR. lego, *e curru trahitur, deripitur*, et cetera, et ita sine dubio legendum.

Ibid. REGALI OPTIMO ET POPULARI CONFUSA MODICE. legendum puto, *regali, optimati et populari*.

III. p. 1075. QUI SI VITA EIUS IN PERICULUM VENIET UT EUM ALIQUANDO NECESSE SIT AUT OCCUPARE AUT MORI QUID FACIET? sic legendum, neque quicquam mutandum. *occupare* autem hoc loco, id est *προλαβεῖν* aut *φθάνειν*, antevertere, anticipare, praeoccupare: hoc est, ut eum necesse sit aut occidere insidiatorem, seu grassatorem, seu quem alium vim inferentem, aut ab illo interfici. inepte enim quidam interpretantur tabulam aut equum, quo vehatur, vi capere.

Ibid. p. 1076. ET DIGNISSIMUS OMNI FORMA IUDICETUR. lege, *omni fortuna*. erratum est operarum [castigatum in Indice Erratorum p. 626.].

Ibid. EST QUIDEM VERO LEX RECTA RATIO. sic videtur legendum, non ut vulgo, *est quidem vera lex*. mendose autem operae

excuderunt, *etsi quidem*, et cetera [omissum in Indice Erratorum p. 626.].

Ibid. * PYRRHI RIDETUR LARGITAS A COS. AUT SAMNITIUM COPIAE CURIO DEFUERUNT. videtur sic potius legendum, *Pyrrhi videlicet largitas Consulibus, aut Samnitium copiae Curio defuerunt.*

Ibid. p. 1077. SI FAS ENDO PLAGAS CAELESTUM ASCENDERE CUIQUAM EST. huius primi versus restitutio debetur Petro Pithoeo, iuris consulto eruditissimo et politissimo. nam quum ita legeretur vulgo, *si fas caedendo* [*caelestia scandere cuiquam est*, apud Senecam autem hoc modo, *si fas est plagas caelestum*, et cetera, is sagaciter odoratus est, legendum esse, *si fas endo plagas*, et cetera. *endo* autem valet *in* [vid. annotata ad III. de Oratore C. 43. §. 171.]. hos versus spectasse videtur Cicero, quum illa scriberet, quae sunt libro sexto de Re Publica, sub persona Scipionis minoris [p. 319, 28. nobis C. 8. §. 19. p. Ernest. 1090.], *ego vero, inquam, o Africane, si quidem bene meritis de patria quasi limen ad caeli aditum patet, quanquam a pueritia vestigiis ingressus et patris et tuis decori vestio non defui, nunc tamen tanto praemio proposito enitar multo vigilantius.*

IIII. p. 1081. CAVENT TEMETO OMNES MULIERES. legendum, ut est apud Nonium [1, 7. p. Mercer. 5, 14], *carent temeto.* erratum est operarum [non satis castigatum in Indice Erratorum p. 626]. quanquam *cavent* ferri potest [ex Omissis post Tom. 1. p. 382. abest ab Santandreana a. 1580.].

VI. p. 1084. QUAM DIIS IMMORTALIBUS GRATA SUNT SAMIA ATQUE UT HIC SCRIBIT CAPEDINES. ex veteris scripturae vestigiis, quae observavi in Nonio [4, 441. p. Mercer. 398, 26. v. *samium*] manu scripto, qui est apud Ioannem Turnesium, typographum clarissimum non ita pridem mortuum, quum essem Lugduni, conieci sic esse legendum, *quam simpinia Pontificum diis immortalibus grata sint Samiaeque, ut is scribis, capedines.* ita autem scriptum est in illo vetere codice, *quam si impenia Pontificum diis immortalibus grata sint, Samniaque*, et cetera.

Ibid. QUAE CIVITATIS STATUM PERVERTUNT. apud Nonium [4, 63. p. Mercer. 256, 22.] legitur, *permovent*, quod miror a Sigonio esse mutatum. *permovent* enim valet valde commovent et concutiunt.

Somnium C. 1. §. 1. extr. p. 1085. ME ET FESSUM DE VIA.

et Langius fatetur in suis libris non reperiri vocem *fessum*, neque nos reperimus in nostris. quare delenda est [cf. quae notavi ad b. l. in Appendice editionis Bonnensis Ciceronis librorum de Re Publica p. 5.].

C. 2. §. 3. p. 1086. DELIGERE ITERUM ABSENS CONSUL [ita et editio Somnii [Daventriensis a. 1489· vid. Append. p. 4.]. libri veteres habent *dilegere*, quod rectum est. ex quo *dilectus*, ut *dilectus militum*. Festus [vide vel ad XI. Epp. 3. p. Ernest. 319.].

§. 4. ET PARUM REBUS. sic habent libri veteres, non ut
b. vulgati, *pacem rebus*. *parum rebus* autem praecisa locu ‖ tio est, quae sic integra sit, *parum rebus temporis tribuite*.

C. 4. §. 9. p. 1088. HOMINUM GENERI PROSPERUS ET SALUTARIS ILLE FULGOR. sic habent omnes libri veteres, atque ita legendum. sic enim loquebantur veteres. immo vero usitatius est *prosperus*, quam *prosper*, quemadmodum *exterus*, *superus*, *inferus* et similia, quam *exter*, *super*, *infer*, et cetera [vid. Voss. de Analogia 2, 5. p. 258. et 2, 25. p. 365.].

§. 10. MENS MUNDI ET TEMPERATIO. lege, *mens mundi et temperator*.

C. 5. §. 11. QUI INTERVALLIS CONIUNCTUS IMPARIBUS. doctus quidam idemque amicus meus legendum putat, *disiunctus*, non *coniunctus*. quia, inquit, intervalla disiungunt. sed ego contendo, nihil esse mutandum. nam symphonia seu concentus constat, fit unus, *coniunctus est* ex intervallis imparibus, verbi gratia ex διατεσσάρων, διαπέντε, διὰ πασῶν. quemadmodum *cinnus* constat ex multis dissimillimis rebus, et color aliquis componi potest ex multis distantibus ac diversis coloribus.

C. 6. §. 14. p. 1089. QUAM CELEBRITATEM SERMORIS HOMINUM AUT QUAM EXPETENDAM GLORIAM CONSEQUI POTES? nihil muto, neque quicquam immutatum est in codice Memmiano cum tribus codicibus antiquis comparato, quamvis Langius ediderit, *quam expetendo*. ego *quam* cum accentu lego, pro *quam valde* seu *quantopere*. hoc tantum.

C. 7. §. 17. p. 1090. HOMINES ENIM IOCULARITER ANNUM. sic legendum putat Adrianus Turnebus, libris quidem omnibus reclamantibus, et recentioribus et antiquis, quorum hi quidem habent *loquelariter* [vid. Statium Observationibus C. 11. Thes. Crit. Gruter. Tom. 2 p. 883. sq.], illi *populariter*; sed et pudentius et propius antiquae scripturae, quam qui reposuerunt, *populariter*. nam *loquelariter*, factum ex *locularitер*, *locularitер* ex *iocularitер*, quum *l* scriptum esset pro *i*. quod saepe peccabatur a librariis illis [vide quae notantur ad IIII. Epp. ad Atticum 3. p. 627.].

C. 9. §. 21. p. 1091. QUUM PAREAT IGITUR AETERNUM ID ESSE QUOD A SE IPSO MOVEATUR. quum *pareat*, id est, quum appa-

reat [vide quae notavi ad I. Tusculanarum C. 23. §. 54.]. mendose autem hic *pateat* habent libri vulgati *).

---

*) Subieci lectionis diversitatem, ante hos ipsos decem annos, quum essem Vratislaviae Silesiorum, e codice Gud. 153. diligenter enotatam. de hoc libro vid. Fr. A. Ebertum in Bibliothecae Guelferbytanae Codd. Grr. et Latt. Class. (Zur Handschriftenkunde, zweites Bändchen. Leipzig, 1827.) p. 109. No. 552. continet ille post *Somnium* Macrobii Commentarios, saeculo 13. satis accurate descriptos.

Pag. Ernest. 1085.

C. 1. §. 1. M? Manilio consuli) *anitio mantio consule.*
tribunus ut scitis Militum) *tribunus militum ut scitis.*
complexus me senex) *senex me complexus.*
aliquantoque post suspexit in caelum) *aliquandoque p' suspexit ad celum.*
inquit tibi) *tibi inquit.*
in meo regno) *regno.* et *meo* adscriptum illud quidem a librario, sed ita ut incertum sit, quam sedem ei vocabulo assignaverit.
nomine ipso) *nomine ipse.*
ita nunquam) *itaque nunquam.*
ille me) *ipse me.*
regio apparatu) *apparatu regio.*
non facta solum) *non solum facta.*
arctior) *artior.*

§. 2. fit enim fere) *fit n. sepe.*
pariant aliquid in somno) inter versus positum *pariant*, quod fuerat omissum. vid. Appendicem Editionis Bonnensis Ciceronis Librorum de Re Publica p. 5.
se ostendit) *ostendit se.*

p. Ernest. 1086.

quem ut agnovi equidem cohorrui) *quem ubi agnovi equidem inhorrui.*

C. 2. §. 2. cognomen) *agnomen* maluit corrector libri.

§. 3. iterum consul) *consul iterum.*
curru Capitolium invectus) *curru invectus per Capitolium.*
perturbatam consiliis) *consiliis perturbatam.*
ancipitem video) *video ancipitem.*
constituas oportet) *oportet constituas.*

§. 4. leniter arridens Scipio, quaeso, inquit) *leviter arridens Scipio et queso inquit.*
et parum rebus) *et pace rerum.*

C. 3. §. 4. ad tutandum rempublicam) *ad tutandam rem publicam.* vid. Appendicem p. 7.
conservarint) *conservaverint.*
in caelo ac definitum locum) *in celo definitum locum.*

§. 5. metu mortis) *mortis metu.*
arbitraremur) *arbitramur.* scriptor usus est compendio, adeoque incertum reliquit, utrum veram lectionem ipse corruperit, an vero corruptam ab aliis in suum librum transtulerit.

p. Ernest. 1087.

qui ex corporum vinculis tamquam e carcere) *qui corporum e vinculis tanquam de carcere.* sed illud *e* adiectum a correctore.
aspicias) *respicies.*
equidem vim lacrimarum) *vim equidem lacrimarum.*
complexus) *amplexatus.*

§. 6. nisi deus is) *nisi n. cum deus ille.* vid. Appendicem p. 9.
corporis custodiis) abest *corporis.*
non potest) *non poterit.*
sunt hac lege generati) *hac lege sunt nati.*

§. 7. a quo ille est vobis dalus) *a quo ille nobis datus est.*
assignatum a deo defugisse videamini) *assignatum deo de testari fuisse videamini.* inter versus apposita varians lectio, *defugisse.*
cum sit magna) a correctore adiectum, *sit.* vid. Appendicem p. 10.
illum incolunt locum quem vides) *incolunt illum locum quem tu vides.*

§. 8. eae stellae) *he stelle.*
et eae) *et he.*

VIII.

IN LIBROS DE LEGIBUS.

I. C. 1. §. 4. MULTA QUAERUNTUR IN MARIO FICTANE AN VERA SINT ET A NONNULLIS QUOD ET IN RECENTI MEMORIA ET IN ARPINATI HOMINE SED VERITAS A TE POSTULATUR. sic legendum potius, quam

---

iam ipsa terra ita mihi parva visa est, ut me imperii nostri, quo quasi punctum eius attingimus, poeniteret) *iam vero ipsa terra ita parva mihi visa est uti me imperii nostri quo quasi punctum attingimus illius poeniteret.*

C. 4. §. 9. est caelestis) *celestis est.*

p. Ernest. 1088.

infixi sunt) *sunt infixi.*
cui subiecti sunt septem) afuit *sunt*, sed a correctore adiectum, fortasse loco non suo. vid. Append. p. 11.
ex quibus) *e quibus.*
nominant) *norant.*
prosperus) *prosper.*

§. 10. princeps et moderator) *princeps moderator.*
Veneris alter) *alter Veneris.*
iam nihil est) *iam nil est.*
praeter animos generi hominum munere deorum datos) *praeter animos munere deorum hominum generi datos.*
aeterna omnia) *omnia aeterna.*
suo nutu) *nutu suo.*

C. 5. §. 11. pro rata parte ratione) *pro rata partium ratione.*
qui acuta cum gravibus) *et acuta cum gravibus.*
concentus efficit) *efficit concentus.*
nec enim) *neque enim.*

§. 12 ima sede) *una sede.*
Mercurii et Veneris) haec absunt. accessit tamen glossa interlinearis, *s. Veneris et Mercurii.*
rerum omnium fere modus est) *omnium rerum fere nodus est.*
aperuere) *aperuerunt.*
in vita humana) haec, omissa per imprudentiam, adscripsit reliquis corrector, incertus, opinor, quo loco recte ponerentur.

§. 13. oppletae) *complete.*
praecipitat) *praecipitatus.* vid. Append. p. 13. fraudem fecit apex non suo loco appictus.

p. Ernest. 1089.

§. 14. haec ego admirans) *haec ergo* (g) *admirans.* vid quae notantur ad IIII. Epp. ad Atticum 13.

C. 6. §. 14. sentio inquit) *inquit sentio.*
quam celebritatem sermonis hominum aut quam expetendam gloriam consequi potes) *quam celebritatem hominum sermonis aut quam expetendam consequi gloriam potes?*
manare) *manere.*
partim aversos) *absunt haec.*

§. 15. adversa vobis urgent vestigia) *aversa nobis urgentes vestigia.* ita certe maluit corrector.
vos parte contingat) *vos parte nos contingat.*
angusta) *angustata.*
quem Oceanum) *quod Oceanum.* cf. Append. p. 9. sq.

§. 16. ex his ipsis) abest *his.*
obeuntis) *abeuntis.*
vestra gloria se) *vestra se gloria.*
de vobis) *de nobis.*

C. 7. §. 16. non modo aeternam) *non modo non aeternam.* vid. Append. p. 14.

vel severitas, quamvis in quibusdam libris manu scriptis reperiatur. nam refellit hanc scripturam id quod respondet Marcus, *faciunt imperite, qui in isto periculo non ut a poeta, sed ut a teste veritatem exigunt.* verumtamen ne quid dissimulem, puto hic aliquid deesse. movet mihi huius rei suspicionem vetus scriptura *vel severitas*, quam puto natam ex *sed veritas*, ut quiddam tale ab Attico dictum esse credibile sit: *et a nonnullis, quod et in recenti memoria et in Arpinati homine hoc omne confictum esse existimetur.* ac poetis quidem quidvis confingere licere fatentur, *sed veritas a te postulatur* [Lambinum olim daturum fuisse, *quod in Arpinati homine*, vel *quod et in Arpinate homine vel re veritas a te postulatur*, testes sunt parum, opinor, locupletes qui praefuerunt repetitionibus Lambinianis, in his Gothofredus, quem vid. p. Laemar. 423.].

Ibid. QUI IN ISTO PERICULO. sic omnes libri veteres habent, *in isto periculo*, inquam, non *in isto opusculo.* et ita legendum. *periculum* autem hoc loco significat id quod fit ab artifice tantum experiendi et periclitandi ingenii gratia, seu quod primo ab artifice excogitatur et efficitur, ut postea expoliatur et accuratius absolvatur. extat titulus septimus Codicis Iustiniani De Sententiis Ex Periculo Recitandis [immo Cod. 7, 44. ubi vid. interpretes], ubi vulgo legitur *ex breviculo.* plane

---

p. Ernest. 1090.

§. 17. ab iis) *ab his.* et sic deinceps.
fuerunt) *fuere.*
cum praesertim) *praesertim cum.*
populariter) apponitur varians scriptura, *loquelariter.*
reditu) *reditu.*
ita quandoque) abest *ita.*
huius quidem anni) *eius quidem anni.*

§. 18. in quo omnia sunt) *in quo sunt omnia.*
hominum gloria) *gloria hominum.*
dederis) *dedideris.*
rerum tuarum) *tuarum rerum.*
iis) *his.*

C. 8. §. 19. o Africane) *o* omittitur, invito correctore.
demonstrari) *monstrari.*
deum te igitur) *deum igitur te.*
siquidem deus est qui viget qui sentit) *siquidem est deus qui sentit qui viget.*
princeps deus) abest *deus.*
et ut mundum) *ut ille mundum.*

§. 20. motum affert) *affert motum.*
agitatur aliunde) *aliunde agitatur.*
quando) *qm* (quoniam).
quod sese movet) *quod se movet.*
ne moveri quidem) *nec moveri quidem.*
nec enim id esset principium) *nec n. esset id principium.*
ne occidit quidem) *nec occidet quidem.*
et consistat) *nec consistat.*

C. 9. §. 21. inanimum) *inanimatum.*
quod autem animal est) *quod autem est animal.*
nam haec est natura propria animi atque vis) *nam haec est et propria natura animi.* reliqua absunt.
neque nata est certe) *neque nata certe.*
in optimis rebus) *optimis in rebus.*
iam tum) haec absunt. locus rasus.

§. 22 dediderunt) *dederunt.*
circum terram) *circa terram.*
hunc in locum) *in hunc locum.*

mendose [vid. Cuiacium Observatt. 5, 25., et Hotomanum Observatt. 3, 20.].

C. 2. §. 5. TENEO QUAM OPTABAM OCCASIONEM NEQUE OMITTAM. in codice Memmiano ascriptum erat ad oram libri, *legendum fortasse est*, *neque amittam.*

§. 6. QUIBUS NIHIL POTEST ESSE IUCUNDIUS. ferri quidem haec lectio potest, nec eam improbat Adrianus Turnebus et eam reperi in libris veteribus expressam. sed tamen malim legi, *nudius.*

§. 7. IN ORATIONIBUS AUTEM MULTUS ET INEPTUS AD SUMMAM IMPUDENTIAM. libri manu scripti habent, *imprudentiam* [cf. quae annotantur ad III. Accusat. C. 87. §. 200. et vid. Madvigium Emendationibus Part. 1. p. 1. sq.].

C. 3. §. 10. LEGATIONEM ALIQUAM NIMIRUM ORATIO ISTA POSTULAT AUT EIUSMODI QUAMPIAM CESSIONEM LIBERAM ATQUE OTIOSAM. sic habent omnes libri manu scripti. unde quidam legendum arbitrantur *secessionem*, alii reposuerunt *cessationem* [vid. Madvig. Emendd. 1. p. 89.]. quod reieci. *cessionem* non improbat Turnebus [*cretionem,* quae fuit Iacobi Cuiacii coniectura, Obserservationum prodita 9, 29., curis secundis maluit Lambinus. sed vid. quos Davisius laudavit ad h. l. p. Creuzer. 27.].

C. 4. §. 11. NUMEROS ET CANTUS REMISSIORES. sic videtur legendum ex vestigiis veteris scripturae, quanquam amicus quidam meus mavult legi, *numeros et cantus remiserat,* et cetera. quam lectionem, quum ab antiqua ne ipsa quidam valde longe absit, non reiicio, sed omnibus hanc antepono, *numeros in cantu reciderat* [vid. Orell. p. 500, 10. et qui ibi laudantur. adde Moserum p. 539. coniecturae auctor Lambinus, quam suam fecit Gothofredus p. Laemar. 424.].

§. 14. QUANQUAM EST POPULO NECESSARIUM. alii aliter, ego sic hunc locum emendandum esse censeo [est a coniectura Canteri NN. LL. 5, 10. Thes. Crit. Gruter. Tom. 3. p. 624. sq., sive potius Turnebi, monente Mosero p. 35.]. hoc autem sentit M. Tullius: quanquam ius civile, in quo iuris consulti versantur, populo sit necessarium, esse tamen eorum munus exiguum.

Ibid. EATENUS EXERCUERUNT QUOAD POPULO PRAESTARE VOLUERUNT. libri veteres habent, *quoad populum praestare voluerunt.* quam scripturam magis probat Turnebus [vid. quae annotantur a Mosero p. 35. sq.], ego hanc vulgatam reiiciendam non puto.

Ibid. ILLUD AUTEM INCOGNITUM MINUS EST IN USU MINUSQUE NECESSARIUM. sic legendum puto, non longe discedens a vulgata lectione. sententia autem est haec: ius illud incognitum, nempe ius civitatis seu ius publicum, minus est in usu, id est, minus exercetur a iuris consultis [vid. quae disputantur a Madvigio Emendationibus p. 3. sqq.].

C. 5. §. 16. NULLO IN GENERE DISPUTATIONIS SIC PATEFIERI

QUID SIT HOMINI NATURA TRIBUTUM. sic restituit hunc locum Adrianus Turnebus, idque ex antiquae || scripturae vestigiis. et p. 495. a.
quidem praeclare, ut pleraque omnia. nam ne necesse habeam lectorem toties admonere, illum et illum hic ab hoc eruditissimo viro esse emendatum (quod fieret infinitum), semel confirmo, bonam partem emendationum, quae sunt in his libris, ei acceptam esse referendam.

§. 17. med. SED NORIS ISTA. locus suspectus. omnino mihi corruptus videtur, et sic restituendus, *sed non quaerimus ista.*

C. 8. §. 24. DISPUTARI SOLENT ISTA ET NIMIRUM UT DISPUTANTUR ITA SUNT [non, *et nimirum ita sunt, ut disputantur*, ut est apud Gothofredum p. Laemar. 427. praeiverunt Gothofredo repetitiones istae, quas dudum laudo, repetitionibus quae Lambini nomen habent ipse Lambinus, qui sic dederat in lemmate annotationi praescripto, veteres editiones secutus.]. sic habet codex Memmianus, nisi quod deest vox *ista*, et copulatio *et.*

C. 9. §. 26. IPSUM AUTEM HOMINEM EADEM NATURA NON SOLUM CELERITATE MENTIS ORNAVIT SED ETIAM SENSUS TANQUAM SATELLITES ATTRIBUIT AC NUNTIOS ET RERUM PLURIMARUM OBSCURAS NEC SATIS APERTAS INTELLIGENTIAS INCHOAVIT QUASI FUNDAMENTA QUAEDAM SCIENTIAE FIGURAMQUE CORPORIS HABILEM ET APTAM INGENIO HUMANO DEDIT. vocem *apertas*, quae a librariis omissa fuerat, restitui. nam sine dubio vel haec vox vel similis aliqua deest, quum libri veteres habeant, *obscuras nec satis intelligi*, ubi vulgati habent, *apertas necessarias.* iam ubi omnes libri habent *enudavit*, ego Aurati, acerrimo ingenio summaque doctrina praediti, coniectura probata *inchoavit* reposui [cf. Canterum NN. LL. 1, 4. Thes. Crit. Gruter. Tom. 3. p. 517. probatur et Madvigio Emendatt. p. 10. vid. interpretes ad h. l. p. Moser. 67. sqq. et Orellium p. 506, 3.].

§. 27. QUOD PRINCIPIUM RELIQUARUM RERUM ESSE VOLUIT. putavi aliquando legendum, *quem principem.* verumtamen nihil ausim mutare.

C. 10. §. 28. extr. ID IAM PATEBIT SI HOMINUM INTER IPSOS SOCIETATEM CONIUNCTIONEMQUE PERSPEXERIS. legendum fortasse, *parebit*, id est apparebit [vid. annotata ad Orationem pro Roscio Comoedo C. 4. §. 11.]. vel *patebit* interpretemur *apertum erit*, *patefiet.* quod tutius est [cf. Pareum Lexico Critico p. 893, 2.].

§. 30. extr. QUAEQUE IN ANIMIS IMPRIMUNTUR DE QUIBUS ANTE DIXI INCHOATAE INTELLIGENTIAE. ex hoc intelligere licet, in Topicis, pagina ducentesima septuagesima octava, versu tricesimo, ubi legitur, *et impressa intelligentiae*, et cetera, potius legendum, *et impressa intelligentia*, et cetera [vide quae notantur ad eum locum C. 5. §. 27.].

C. 12. §. 33. ATQUE HOC IN OMNI HAC DISPUTATIONE SIC IN-

TELLIGI VOLO QUOD DICO NATURAM ESSE. desiderari hic aliquid puto, et sic legendum, *naturam esse rectam*, et cetera [praetermissa haec sunt quum a Mosero, quem vid. p. 82. sq., tum ab Orellio p. 508, 10. atque hic Lambinum auctor est in margine edit. a. 1584. sic dedisse, *volo, ius id, quod dico, natura esse.* sed haec absunt a vero. Santandreana certe a. 1580. item a Lambino, ut aiunt, sic habet: »*atque hoc in omni hac* »*disputatione sic intelligi volo, ius id quod dico naturam* »*esse.* alii, *ius id quod dico natura esse.*« inde sua fecit Gothofredus p. Haemar. 429.].

§. 34. UNDE [additur in lemmate, *enim*] ILLA PYTHAGOREA VOX * τὰ τῶν φίλων κοινὰ ET φιλίαν ἰσότητα. in libris veteribus et nonnullis exemplis vulgatis post haec verba [*illa Pythagorea* sive *Pythagorica* (nam utrumque habent libri) *vox*] scriptum est quasi in inani, *de amicitia locus.* ex quo verisimile est, haec Graeca, quae hic leguntur, ab aliquo non indocto esse illata ad lacunam explendam [Graeca sic repraesentavit editio Veneta a. 1496., τὰ φίλων κοινὰ καὶ φιλίαν ἰσότιτα (sic). vid. interpretes apud Moser. p. 85. sqq.].

C. 15. §. 42. extr. UTILITATE ILLA CONVELLITUR. videtur aliquid desiderari et ita legendum, *utilitate illa sublata convellitur.*

C. 16. §. 44. QUOD SI TANTA POTENTIA EST STULTORUM SENTENTIIS ATQUE IUSSIS UT EORUM SUFFRAGIIS RERUM NATURA VERTATUR CUR NON SANCIUNT UT QUAE MALA PERNICIOSAQUE SUNT HABEANTUR PRO BONIS AC SALUTARIBUS? sic omnes quidem habent libri, sed his invitis has tres voces, *sententiis atque iussis*, delendas esse puto. vel sic legendum, *quodsi tanta potestas est stultorum, ut eorum sententiis, iussis atque suffragiis rerum natura vertatur*, et cetera. omnino locus non est sincerus.

C. 17. §. 46. NOS INGENIA IUVENUM NON RATIONE SED NATURA IUDICAMUS CUR NON ITEM AB INGENITA NATURA VIRTUTES ET VITIA QUAE EXISTUNT AB INGENIIS IUDICABIMUS? hunc locum partim scripturae veteris vestigia secutus, partim vocibus aliquot, quae suo loco motae fuerant, in ordinem redactis in integrum restitui. quo facto ita facilem et planum reddidi, ut sine interprete ac doctore intelligatur. unum praeterea desidero, ut pro *ratione* legatur *opinione* [locus nondum persanatus. vid. interpretes apud Moserum p. 112. sqq. et Orellium p. 513, 3.].

C. 21. §. 55. extr. SED NOS TRES ARBITRI FINES REGEMUS. lege, ut censuit Ranconetus, *sed e* [non *ex*, ut habet Orell. p. 517, 6. e margine edit. a. 1584. erroris fons Santandreana a. 1580, quae sic dedit p. 4948., incuria librarii, *sed ex* || *II. tres ar* || *bitri.* debebat esse, *sed e* || *XII. tres*, et reliqua] *XII. tres arbitri*, et cetera [ex Omissis post Tom. 1. p. 382. de toto hoc loco vid. Moseri Excurs. 1. p. 480. sqq. et Dirksen. p. 477., ab Orellio laudatum.].

C. 22. §. 57. NAM QUAE A ME ADHUC DICTA SUNT E MEDIA PHILOSOPHIA DUCTA SUNT. omissa fuerant haec [*e media*, et quae sequuntur] a scriptore aliquo librario, dum a *dicta sunt*, similitudine deceptus, transit ad *ducta sunt*. cetera quae hic deinceps sequuntur [vid. Orell. p. 517, 19.] ab aliquo, opinor, litterarum studioso excogitata et ad oram unius codicis veteris ascripta sunt, deinde a scriptore quasi Ciceronis verba in contextum orationis translata. quae tamen delere non sum ausus.

II. C. 2. §. 5. SED NECESSE EST CARITATE EAM PRAESTARE IN QUA REI PUBLICAE NOMEN ET UNIVERSAE CIVITATIS EST PRO QUA MORI ET CUI NOS TOTOS DEDERE ET IN QUA NOSTRA OMNIA PONERE ET QUASI CONSCERARE DEBEMUS. vel sic legendum, vel ita ut emendatum est in codice Memmiano, *quae populi Romani universi civitas est* [vid. post Moserum p. 166. sq. Madvigium Emendationibus p. 60. sq.].

C. 3. §. 6. QUUM PRO BALBO TECUM SIMUL DICERET. Manutii fidem secutus sic edendum curavi, qui se ita scriptum reperisse in Maffaei libro testatur. nam libri alii veteres habent partim *pro Ampio*, partim *pro Avidio*. unde Turnebus noster coniecturam facit, legendum *pro Gabinio* [p. Moser. 607.]. alii *pro Ambio* malunt legi.

Ibid. RAPIDEQUE DILAPSUS. legendum fortasse est, *delapsus*.

§. 7. THYAMIS EPIROTES. sic restituit hunc locum Adrianus Turnebus Adversariorum libro 11. capite 16.

Ibid. ATTICI NOSTRI AMALTHEO. Turnebus legendum putat, *Aemathio*, ut per *Aemathium* fundum seu praedium intelligamus in Epiro, seu in Macedoniae finibus [ex Omissis post Tom. 1. p. 382. abestque a Lambinianis repetitionibus, etiam Santandreana a. 1580.].

C. 5. §. 13. QUAE NON MAGIS LEGIS NOMEN ATTINGUNT QUAM SI LATORES ALIQUAS * CONCESSU SUO SANXERINT. locus suspectus. de quo mihi *hiscendi est nulla potestas*, ut loquitur Lucretius [IIII, 65. et 102.], nisi dicamus ita videri legendum, *quam si leges aliquas perniciosas concessu suo sanxerint*, vel sic, *quam si latas aliquas perniciosas concessu suo sanxerint* [sed vid. Lipsium LL. AA. 2, 2. Tom. 1. p. 337. et cf. Moser. p. 185.].

C. 6. §. 14. IGITUR TU TUCIAS ET APULEIAS LEGES NULLAS PUTAS? secutus sum lectionem vulgatam, a qua nihil discrepat antiqua, non quod probem, sed quod nihil certi videam, in quo acquiescam. malim tamen legi, *tu igitur Sulpicias et Apuleias*, et cetera.

C. 8. §. 21. extr. IRRITA INFECTAQUE SUNTO. libri veteres [et editio Philosophorum Ciceronis Veneta a. 1496.] habent *in-*

festaque sunto. quod probat Turnebus, et interpretatur *non festa, infausta, dira.*

C. 9. §. 21. IUDICES DUO SUNTO. sic emendatum erat in codice Memmiano. sic et Turnebus legendum censet [vid. quae notantur a Mosero p. 215. sq.].

Ibid. AD ETRUSCOS ET HARUSPICES. sic habent omnes libri vulgati et nonnulli manu scripti, atque hanc lectionem tuetur
b. Adrianus Turnebus. alii ‖ malunt legi, *ad Etruscos haruspices*, in his Muretus [Commentariis in tertiam Catilinariam C. 8. §. 19. Operum Tom. 2. p. 628.].

§. 22. POENA VIOLATI IURIS ESTO. in codice Memmiano scriptum est extra orationis contextum, ἴσως *poena violatae religionis esto.* quam coniecturam ita probo, ut rectam et veram scripturam esse putem. nisi quis dicat, videri potius legendum, *poena violati iuris iurandi esto.*

C. 10. §. 24. extr. ANIMI LABES NEC DIUTURNITATE EVANESCERE NEC AMNIBUS ULLIS ELUI POTEST. iis assentior, qui *amnibus* legendum putant. omnino videtur haec esse vera lectio. nam hoc membrum, *nec amnibus ullis elui potest*, respondet illi, *vel aspersioni aquae*, alterum autem illud, *nec diuturnitate evanescere*, illi posteriori, *vel numero dierum tollitur.*

§ 26. NAM A PATRIBUS ACCEPTOS DEOS ITA PLACET COLI SI HUIC LEGI PARUERUNT IPSI. secutus sum eam scripturam, quae mihi visa est probabilissima. nam in quibusdam libris ita scriptum est, *et ignotas caerimonias non a sacerdotibus, non a patribus acceptas. deos ita placet coli*, et cetera.

Ibid. PATRUM DELUBRA ESSE IN URBIBUS CENSEO. legendum videtur, *deorum delubra.*

C. 11 §. 28. med. VIRTUTES ENIM NON VITIA CONSECRARE DECET ARAQUE VETUS STAT IN PALATIO FEBRIS ET ALTERA ESQUILIIS MALAE FORTUNAE QUAE OMNIA EIUSMODI DETESTANDA ET REPUDIANDA SUNT. libri vulgati sic habent, *malae Fortunae detestataeque, omnia eiusmodi repudianda sunt*, veteres sic, *malae Fortunae, detestatque omnia eiusmodi*, et cetera. unde Adrianus Turnebus in Commentariis ad hunc locum [p. Moser. 642.] legendum putat, *malae Fortunae, detestataque omnia eiusmodi repudianda sunt*, Muretus [VV. LL. 10, 18. Operum Tom. 2. p. 246.] sic, *quae detestata omnia eiusmodi repudianda sunt.* alii delendum censent, ut alienum, hoc *detestataque* seu *detestataeque*, ut post vocem *Fortunae* sequatur deinceps, *quae omnia eiusmodi*, et cetera. idem Turnebus libro Adversariorum 14. [cap 6.], sententia mutata, sic legi mavult, *quae omnia eiusmodi detestanda atque repudianda sunt.* atque hoc modo edidimus. quod si cui minus placebit, sequatur codices vulgatos, nam quod melius afferam nihil habeo. verumtamen ut dicam etiam ipse quod sentio, putaverim vel hoc *detestataeque* sive *detestataque* esse delendum, quum praesertim quidam testentur

abesse a codicibus manu scriptis, vel sic legendum, *malae Fortunae, quae eiusmodi et detestata omnia repudiandā sunt.*

C. 12. §. 29. QUIA COMPOSITIO ANNI CONFERRE DEBET ET AD PERFECTIONEM OPERUM RUSTICORUM ET AD REMISSIONEM ANIMORUM. hic locus, non magna immutatione facta, partim ex coniectura partim ex vestigiis antiquae [scripturae] restitutus est [inserenda haec sunt Orellianis p. 533, 8. cf. Moser. p. 247, qui quod dicit, Lambinum dedisse, *et ad remissionem animorum*, id acceptum referendum repetitionibus Lambinianis, id est, nullius pretii libris. vide vel Santandreanam p. 4964.].

Ibid extr. ET SENTIANT MULIERES IN NATURA FEMINARUM OMNIUM DEUM CASTITATEM PATI. quidam sic legi volunt, *a naturā feminarum omnium castitatem peti.*

§. 31. UT TITIAM DECRETO COLLEGII. sic legendum existimat Adrianus Turnebus, cui assentior. quod si quis malit *Sulpiciam* legi, neque ego reiicio, neque ille improbat.

C. 14. §. 36. QUID AUTEM MIHI DISPLICEAT IN NOCTURNIS POETAE INDICANT COMICI. in omnibus libris vulgatis et nonnullis manu scriptis vocem *poetae* antecedit vox *innocentes*, quam ego sustuli, non repertam in aliis manu scriptis. et vero videtur nata ex illo, *in nocturnis*, quod est ante. verumtamen si quis retinendam esse contendit, non pugnabo [ex Omissis post Tom. 1. p. 383.].

C. 17. §. 42. IUDICIA SENATUS ITALIAE GENTIUM DENIQUE OMNIUM CONSERVATAE PATRIAE CONSECUTI SUMUS. docti quidam sic legendum putant, *iudicio Senatus, Italiae, gentium denique omnium, conservatae patriae testimonium consecuti sumus* [atque hoc ipsum nescio qui coniecisse narrantur in margine repetitionum Lambinianarum, etiam Santandreanae a. 1580.].

§. 43. post med. VIDIMUS EOS QUI NISI ODISSENT PATRIAM NUNQUAM INIMICI NOBIS FUISSENT ARDENTES TUM CUPIDITATUM AESTU TUM CONSCIENTIA QUICQUID AGERENT MODO TIMENTES VICISSIM CONTEMNENTES RELIGIONES IUDICIA PERRUPTA AB IISDEM ET CORRUPTA HOMINUM NON DEORUM. sic legendum censet Adrianus Turnebus. nam neque lectio vulgata, *ardentes tum cupiditate, tum metu* [editio Ven. a. 1496., *tum cupiditatum, tum metu*], *tum conscientia*, et cetera, neque antiqua, *ardentes tum cupiditatum metu, tum conscientia*, et cetera, ferri possunt.

§. 44. REPRIMAM IAM ME ET NON INSEQUAR LONGIUS EOQUE MINUS QUO PLUS POENARUM HABUI QUAM PETIVI TANTUM PONAM BREVI [vid. annotata ad I. Epp. 9. p. 20.] DUPLICEM POENAM ESSE DIVINAM ET HUMANAM QUOD CONSTARET ET EX VEXANDIS VIVORUM ANIMIS ET EX FAMA MORTUORUM UT EORUM EXITIUM ET IUDICIO VIVORUM ET GAUDIO COMPROBETUR. sic legendum censeo. nam et vulgati libri, qui habent partim, *poenam erui*, partim, *poenam merui*, et manu scripti, in quibus est scriptum, *ponam erui*, corrupti sunt. ego autem *ponam*, quod est in manu scriptis, retineo,

ex *erui* facio *brevi*, una littera addita et duabus alio ordine locatis. non dissimulabo tamen, docto cuidam videri sic legi posse, *tantum poenam Erebi duplicem ponam, divinam et humanam.* a quo dissentio. quod autem alii quidam *erui* retinent, et interpretantur *elici, colligi*, nullo modo probo [conferenda hoc utroque loco ea sunt, quae notantur a VV. DD. p. Moser. 291. sqq. equidem Venetae editionis a. 1496. lectionem integram apponam, ut vel hoc uno exemplo intelligatur, quanto cum damno isti libri adhuc neglecti iaceant et contemnantur. ea vero sic habet, *reprimam iam et non insequar longius, eoque minus quod plus poenarum habeo, quam petivi: tantum poenam Erebi duplicem poenam esse divinam: quod constaret ex vexandis nivorum* (sic) *animis: et ea fama mortuorum, ut eorum exitium*, et reliqua.].

C. 18. §. 45. med. DIVINISSIMA AUTEM DONA FORMAE AB UNO PICTORE UNO ABSOLUTAE DIE. quidam libri manu scripti habent, *divinibus dignissima.* unde putat Turnebus legendum vel, *numinibus dignissima*, vel, *divis dignissima.* ego vulgatam lectionem magis probo, *divinissima*, quum praesertim nulla vox Latina reperiri queat, quae Graecae magis respondeat θειότατα [ex Omissis post Tom. 1. p. 383. θειότατα δὲ δῶρα Platonis sunt XII. de Legg. p. 956. A. P. 3. Vol. 3. p. Bekker. 308, 6. sed et Veneta a. 1496. cum reliquis hunc locum sic repraesentare maluit, *dignissima autem dona habes et formae ab uno pictore uno absoluta die.*].

Ibid. FERROQUE SUBIGENDAM. sic legendum, non ut est in libris omnibus, *subiiciendam.*

§. 46. VERO ET APERTISSIMA SUNT ISTIS DE REBUS RESPONSA ET SCRIPTA MULTA. sic erat emendatum in codice Memmiano, et recte.

Ibid. EX QUO DUCATUR QUAEQUE PARS IURIS. sic restituit hunc locum Ranconetus.

Ibid. UT NON DIFFICILE SIT QUI PAULLUM MODO INGENIO POSSIT MOVERI. sic restituit Adrianus Turnebus ex antiquae scripturae vestigiis.

C. 19. §. 48. HOC POSITO HAEC IURA PONTIFICUM AUCTORITATES CONSECUTAE SUNT. sic emendatum est in codice Memmiano [neque tamen, id quod falso proditum est a Davisio, Lambinus omisit *sacra* in his, *et ut in lege posui, perpetua sint sacra.* deceperunt Davisium repetitiones Lambinianae, e quibus Santandreana a. 1580. sic habet, p. 4971. sq., *perpetua sint. hoc posito*, et reliqua. Santandreanam secutus est Gothofredus p. 447.].

C. 20. §. 50. ATQUE ETIAM ADDUNT HOC SCAEVULAE [sic] QUOD EST PARTITIONIS CAPUT SI IN TESTAMENTO UT C. DEDUCANTUR SCRIPTUM NON SIT IPSIQUE C. MINUS CEPERINT QUAM OMNIBUS HEREDIBUS RELINQUATUR SACRIS NE ALLIGENTUR. secutus sum emendationem

ascriptam ad marginem libri Memmiani, a qua non multum discrepat quorundam coniectura, quam refert Adrianus Turnebus, *si deducta C. in testamento scripta non sint* [erravit igitur Ernestus, summus vir, p. 788, 48. cf. Moser. p. 313.].

§. 51. HIS PROPOSITIS QUAESTIUNCULAE MULTAE NASCUNTUR QUAS QUI INTELLIGAT NON SI AD CAPUT REFERAT PER SE IPSE PERSPICIAT. sic habent libri veteres et nonnulli vulgati et recentes. in aliis ita impressum est, *quas qui non intelligat, si ad caput referat, per se ipse perspiciat.* quae lectio probabilior videtur.

C. 21. §. 54. init. SITQUE EADEM SACRIS NON ALLIGATA [.] VENIO AD MANIUM IURA QUAE MAIORES NOSTRI ET SAPIENTISSIME INSTITUERUNT ET RELIGIOSISSIME COLUERUNT FEBRUARIO AUTEM MENSE QUI TUM [non, *tunc*, ut est apud Orellium p. 543, 14.] EXTREMUS ANNI MENSIS ERAT MORTUIS PARENTARI VOLUERUNT QUOD TAMEN D. BRUTUS DECEMBRI FACERE SOLEBAT CUIUS EGO REI CAUSAM QUUM MECUM QUAERERREM BRUTUM REPERIEBAM IN HAC RE ICCIRCO A MORE MAIORUM DISCESSISSE (NAM SISENNAM VIDEO CAUSAM CUR ILLE VETUS INSTITUTUM NON SERVARET IGNORARE DOCTUM HOMINEM SANE CUIUS FUIT ATTIUS PERFAMILIARIS) SED MENSEM CREDO EXTREMUM ANNI UT VETERES FEBRUARIUM SIC HIC DECEMBREM SEQUEBATUR. hic locus ex uno codice perantiquo et Plutarcho restitutus est. Plutarchi verba sunt haec Ῥωμαικοῖς [Tom. 2. p. 272. C.]: *διὰ τί, τῶν ἄλλων Ῥωμαίων ἐν τῷ Φεβρουαρίῳ μηνὶ ποιουμένων χοὰς καὶ ἐναγισμοὺς τοῖς τεθνηκόσι, Δέκιμος Βροῦτος, ὡς Κικέρων ἱστόρηκεν, ἐν τῷ Δεκεμβρίῳ τοῦτ' ἔπραττεν, κ. τ. λ. πότερον ὥσπερ ἡμέρας ληγούσης καὶ μηνὸς φθίνοντος* || *εἰώθασιν ἐναγίζειν οἱ πολλοὶ, λόγον ἔχει καὶ τοῦ ἐνιαυτοῦ καταστρέφοντος ἐν τῷ τελευταίῳ μηνὶ τιμᾶν τοὺς τεθνηκότας; ἔστι δὲ τῶν μηνῶν τελευταῖος ὁ Δεκέμβριος·* id est, *quum alii Romani Februario mense inferias mittant et parentent mortuis, D. Brutus, ut Cicero scriptum reliquit, Decembri mense hoc agebat,* et cetera, *an quemadmodum vesperi et mensis ultimis diebus solent plerique sacrificare, ita et ratione consentaneum est, anno vertente, extremo anni mense mortuos colere? est autem December mensis postremus.* p. 490. a.

C. 22. §. 55. TOTAQUE HUIUS IURIS COMPOSITIO PONTIFICALIS MAGNAM RELIGIONEM CAEREMONIAMQUE DECLARAT. legendum putat Memmius, *ideoque huius*, et cetera, coniectura facta ex antiquo codice, in quo scriptum est, *toque huius.*

Ibid. QUOD GENUS SACRIFICII LARI VERVECIBUS FIAT. secutus sum antiquae scripturae vestigia, quae partim talis est, *sacrificare verbecibus*, partim huiusmodi, *sacrificare verberibus.* neque tamen longe admodum a vulgatis libris discessi, qui sic habent, *quod genus sacrificii lari verberibus fiat.* credibile est autem, ex *vervecibus* factum esse *verbecibus*, *b* pro *v*, errore librariis usitato [vide quae notantur ad Orationem pro Balbo C. 22. §. 51. et cf. Creuzer. in Addendis ad Turnebiana p. Moser. 674.], deinde ex *verbecibus*, *verberibus*. Turnebus autem sic

legendum putat, *quod genus sacrificii arae verberibus fiat.* scribit tamen, aliam olim se fecisse coniecturam et hoc modo legendum censuisse, *quod genus sacrificii farre et verbenis*, et cetera [et editio Veneta a. 1496. *lare vervecibus* repraesentat, alterum codicibus optimis auctoribus, antiquam ex sermone vulgari a Cicerone receptam casus tertii formam, de qua monuit C. Leop. Schneiderus Doctrina Formarum Latini Sermonis P. 1. p. 203., alterum tralaticio quidem errore, sed et propter ignorantiam vetusti sermonis vera scriptura in peius mutata. sic enim in Actis Fratrum Arvalium, a Marinio editis, II. p. 272., laudante Creuzero, summo viro, habet inscriptio, *Laribus Verbeces Duos Matri Larum Oves Duas.*].

Ibid. QUEMADMODUM OS RESECTUM TERRA OBTEGATUR. omnes libri vulgati quibuscum consentiunt manu scripti, habent, *os reiectum terrae obtegatur.* emendatum est tamen in codice Memmiano, *reiectu terrae.* quidam doctus legendum putat, *os reiectum terra obtegatur*, nonnulli, *os exceptum terra obtegatur.* Turnebus lectionem vulgatam retinet, et *reiectum terrae* interpretatur *reiectum in terram.* ego ex Festo, *resectum terra obtegatur*, legendum conieci, quod item quibusdam doctis in mentem venisse video. sic autem Festus [p. 236.], *membrum abscindi mortuo dicebatur, quum digitus eius decidebatur: ad quod servatum iusta fierent reliquo corpore combusto.*

§. 56. NON PROCUL A FONTIS ARA. sic emendandum censeo, antiquae scripturae vestigiis insistens. in hoc ab ea discedo, quod pro *quod* repono *non.* saepe autem videmus in libris manu scriptis librarios pro *non* scripsisse *quod.*

Ibid. GENTEMQUE CORNELIAM USQUE AD MEMORIAM NOSTRAM HAC SEPULTURA SCIMUS ESSE USAM. quum in libris veteribus reperiam, *scimus esse unam*, ego *unam* corruptum esse puto, et *usam* restituendam. nam vulgatam lectionem, *humatam*, non probo, quanquam, ne quid dissimulem, in eo exemplo, quod edidit Adrianus Turnebus, *usam* impressum est [et editio Veneta a. 1496. *usam* repraesentavit, non *unam*, neque istud quicquid est interpretamenti, *humatam.*].

§. 57. NEC TAMEN EORUM ANTE SEPULCRUM EST QUAM IUSTA FACTA ET CORPUS CESSUM EST. vel sic legendum est, quomodo et Turnebo videtur, vel, *et corpus ustum est.* quod minus probo [addantur ex Omissis post Tom. 1. p. 283 a. haec: »Turnebus legendum putat Adversariorum libro 14. capite 6., *quam corpus eius est*, et subintelligit *sepulcri*, ut sit, *quam corpus eius sepulcri factum est.* quod aliquanto duriusculum est. quid, si legamus, *quam corpus tectum est?*«].

Ibid. COMMUNITER IN OMNIBUS SEPULTIS PONITUR. sic legit Turnebus, cui assentior. in codice autem Memmiano emendatum est, *in omnibus sepulcris.* quod minus probo.

Ibid. NAM PRIUSQUAM IN OS INIECTA GLEBA EST. quidam libri veteres habent, *in eos iniecta gleba est.*

Ibid. INIECTA GLEBA TUM IS ET HUMATUS EST ET TUMULUS VOCATUR. sic scriptum est in codice Memmiano. nonnulli vulgati habent, *et sepulcrum vocatur*, quidam veteres, *et gleba vocatur.*

Ibid. ITAQUE IN EO QUI IN NAVI NECATUS DEINDE IN MARE PROIECTUS ESSET DECREVIT P. MUCIUS FAMILIAM PURAM QUOD OS SUPRA TERRAM NON EXTARET CITRA PORCAM HEREDI ESSE CONTRA CENSET HABENDAS TRIDUUM FERIAS ET PORCA FEMINA PIACULUM DANDUM SI IN MARI MORTUUS ESSET EADEM PRAETER PIACULUM ET FERIAS. quidam legunt, *Cotta censet*, et cetera [cf. quae notantur ab Orellio p. 545, 7. sq.].

C. 23. §. 58. CREDO VEL PROPTER IGNIS PERICULUM. Turnebus legit, *credo videlicet propter*, et cetera [ex Omissis post Tom. 1. p. 383. et habet de Lambini correctione margo Santandreanae a. 1580.].

§. 59. EXTENUATO IGITUR SUMPTU TRIBUS RICINIIS ET CLAVIS PURPUREIS. haec visa mihi est et antiquissima et optima scriptura [cf. interpretes ad h. l. p. Moser. 343. sq.].

Ibid. MULIERES GENAS NE CARPUNTO. Servius in 12. libro Aeneidos [ad v. 606. Tom. 4. p. Burmann. 70.] sic legit, *ne carpunto*, non ut est in vulgatis, *ne radunto* [sed vide, post Lipsium in Epistt. Quaestt. 1, 7., Operum Tom. 1. p. Vesal. 462., quae ab Davisio notantur p. Moser. 345.].

C. 24. §. 60. NEC LONGAE CORONAE. quidam legi volunt, *nec laneae* [vid. Madvig. Emendatt. p. 80. sq.].

Ibid. CREDOQUE QUOD ERAT FACTITATUM UT MURRHATAM INIICERENT LECTIQUE PLURES STERNERENTUR. sic restitui ex codice Memmiano. cautum autem fuisse lege Duodecim Tabularum, ne *murrhata potio* mortuo iniiciatur, etiam Festus prodidit [vid. Madvigium l. l.].

Ibid. NEVE AURUM ADDITO. quum sint haec verba Duodecim Tabularum, scribendum puto, *nive aurum arduito. ni* enim antiquum pro *ne*, *duere*, pro *dare*, et *ar* pro *ad.* quod notavimus in Commentariis Horatianis [ad I. Epp. 5, 6. p. 223. F.] et Lucretianis [ad 2, 733. p. 238. vid. quae notantur ab Io. Matth. Gesnero Thes. L. L. Vol. 3. p. 434, 80. adde Forcellinum Lex. Totius Latinit. p. 244. v. *ar* et p. 225. v. *arduo*.]. paullo post reclamantibus libris omnibus, rationis et veritatis voce audita, legendum censeo, *si quoi* [auro] *dentes vincti escunt*, ubi omnes libri habent *essent.* et ita edi iusseram [atque adeo habet margo repetitionum, quas dudum laudo. habet ipse Lambinus in Omissis post Tom. 1. p. 383. ibi, »legendum, »*arduito* pro *addito*, et paullo post *escunt* pro *erunt*]. *escunt* autem, id est *erunt.* notavimus in secunda editione Lu-

cretii [ad 1, 613. p. 91. vid. Voss. de Analogia 3, 36. p. 127. sq.].

Ibid. QUAM HUMANE EXCIPIT ALTERO CAPITE SI CUI AURO DENTES VINCTI ESSENT [vide quae supra notantur]. hunc locum miris modis in aliis libris depravatum, adiutus a codicis Memmiani emendationibus, felicissime restitui, ut eis intelligere licebit, qui hanc editionem hoc loco cum aliis comparabunt [cf. Creuzer. Antiqq. Romm. p. edit. repetitae 463.].

Ibid. ET SIMUL ILLUD VIDETOTE ALIUD HABITUM ESSE SEPELIRE ALIUD URERE. sic emendavi coniectura ductus, ita tamen, ut ab antiquae et vulgatae scripturae vestigiis non longe discederem.

§. 61. INCENDIUM VIDETUR ARCERE. sic emendatum est in codice Memmiano [omiserunt repetitiones Lambinianae.].

Ibid extr. RELIQUA SUNT IN MORE FUNUS UT INDICATUR SI QUI LUDORUM. sic videtur legendum potius, quam *si quid*. quamvis non putem hunc locum vacare mendo.

C. 25. §. 63. extr. SEQUEBANTUR EPULAE QUAS INIBANT PARENTES CORONATI APUD QUAS DE MORTUI LAUDE QUUM ALIQUID VERI ERAT PRAEDICATUM (NAM MENTIRI NEFAS HABEBATUR) IUSTA CONFECTA ERANT. hunc locum perpurgavi a codice Memmiano adiutus, in quo erat repositum *conferta* pro *coniecta*, et *ad* deletum. nam lectio vulgata, *at iusta coniecta erant*, vitiosa est [vide ad Orationem pro Flacco C. 36. §. 91.].

b. III. C. 1. §. 2. || QUOD QUUM DICO LEGEM A ME DICI INTELLIGI VOLO. sic restitui, emendationem codicis Memmiani secutus, in quo duae voces, *nihil aliud*, deletae sunt.

C. 3. §. 6. QUUM MAGISTRATUS IUDICASSIT INROGASSITVE PER POPULUM MULTAE POENAE CERTATIO ESTO. quidam legi volunt, *multamve inrogassit*, et cetera, alii, *inrogassitve multam*, et cetera.

Ibid. MINORES MAGISTRATUS PARTITI IURIS PLURES IN PROELIA SUNTO. sic habent vulgati quidam libri, et item manu scripti. quod tamen non placet. alii legunt, *in pluria* [vid. Voss. de Analogia 2, 13. p. 310. et Gronov. ad Gellii 5, 21. p. 342. sq.], quod valde probo, alii, *in plera*, quod etiam magis probo. *plera* autem, id est *pleraque* [vid. Vossium de Analogia 1, 42. p. 193. sq.].

§. 9. DISCORDIAEVE CIVIUM ESCUNT UNUS NE AMPLIUS SEX MENSES. sic legendum esse pervincunt libri veteres. *escunt* autem, id est erunt [vide quae notantur ad II. C. 24. §. 60. p. Lam-

bin. 341, 43. deinde *discordiaeque* habet Santandreana p. 5119., Lambini exemplo, qui sic dederat in lemmate.].

C. 4. §. 11. SENATORI QUI NEC ADERIT NEC LOCO NEC MODO DIXERIT AUT CAUSA AUT CULPA ESTO. sic emendavit hunc locum Paullus Manutius. plane divinitus [sed vid. Moser. p. 394. sq.].

Ibid. VIS IN POPULO ABESTO. sic omnes quidem habent libri, sed unus manu scriptus habet, *adesto*, et haec scripturae dissimilitudo notata est in codice Memmiano. quam tamen reieci. paullo post legendum, *si quid turbassitur*, et cetera, quomodo excudendum curavi, non ut est in libris vulgatis, *est quid turbassitur*.

Ibid. CENSORES FIDEM LEGIS CUSTODIUNTO. sic est emendatum in codice Memmiano. et recte [Orell. p. 556, 9. »*Censoris b.* »Iu. L. in m. 1584. Gebh.« in Santandreana haec leguntur p. 4984. »Lamb., *Censoris fide leges custodiuntor. privati ad.* fortas»se, *Censorum fide leges custodiuntor.*« hoc est vera cum falsis confundere. verum est, nonnulla retractata fuisse a Lambino; dedisse illum *Censoris*, quamvis repertum in libris veteribus, falsum est].

C. 6. §. 14. AD HANC FAMILIAM MAGIS ISTA MANARUNT A PLATONE PRINCIPE. sic docti quidam legi malunt, quam ut est in libris vulgatis, *ab hac familia magis ista manarunt, Platone principe.* quibuscum facit ratio.

C. 8. §. 19. post med. DEINDE QUUM ESSET CITO ABLEGATUS TANQUAM EX XII. TABULIS INSIGNIS AD DEFORMITATEM PUER BREVI TEMPORE NESCIO QUO PACTO RECREATUS MULTOQUE TETRIOR ET FOEDIOR RENATUS EST. secutus sum plane divinam Ioannis Aurati coniecturam. significat autem, Tribunatum tanquam partum monstrosum, quem XII. Tabulae ablegari et de medio tolli iubebant, ablegatum esse, ut idem Auratus erudite docuit et refert iuvenis eruditus, dignus magistro discipulus, Canterus [NN. LL. 2, 18. Thes. Crit. Gruter. Tom. 3. p. 558. sq.]. quanquam multo ante ita hunc locum a se esse emendatum mihi dixit Bern. Brissonius, iuris consultus idemque causarum actor eloquentissimus. si quis tamen *legatus* retinere volet, hac lege ut pro eo, quod est *ablegatus*, accipiatur, non luctabor [vid. quae notantur ad h. l. a VV. DD. p. Moser. 415. sqq.].

C. 9. §. 19. QUEM ENIM ILLE NON EDIDIT QUI PRIMUM UT IMPIO DIGNUM FUIT PATRIBUS OMNEM HONOREM ERIPUIT OMNIA INFIMA SUMMIS PARIA FECIT TURBAVIT MISCUIT QUUM AFFLIXISSET PRINCIPUM GRAVITATEM NUNQUAM TAMEN CONQUIEVIT? si hanc lectionem retineamus, haec videtur eius esse sententia: quem enim Tribunum improbum non edidit primus ille Tribuniciae potestatis ortus? et cetera. sed quidam legi volunt, *quae enim non edidit*, et cetera.

§. 20. RUNIS [non *rumis*, ut est in lemmate et habet Santandreana p. 4987., non improbante Gothofredo.] ET SICIS IIS.

sic restituit Adrianus Turnebus, nisi quod ego pro *iis sicis sicis iis* edendum curavi.

C. 12. §. 27. EX IIS AUTEM QUI MAGISTRATUM CEPERUNT QUOD SENATUS CONSTITUITUR POPULARE EST SANE NEMINEM IN SUMMUM LOCUM NISI PER POPULUM VENIRE SUBLATA COOPTATIONE CENSORIA. mendose hic operae omiserunt *ex his* ante verbum *constituitur*. sic enim legendum, *quod Senatus ex his constituitur*, et cetera [vid. Indicem Erratorum p. 626.].

§. 28. PRAECLARA VERO FRATER [haec vox abest a lemmate, sed invito, opinor, Lambino] ISTA LEX EST ET LATE PATET UT ET VITIO CAREAT ORDO ET UT CENSOREM QUAERAT INTERPRETEM. sic emendavit Adrianus Turnebus, et ita legendum [editio Veneta a. 1496. sic habet, *praeclara vero lex sed et altera*. vid. quae a VV. DD. ad hunc locum notantur p. Moser. 437. sq.].

C. 13. §. 30. extr. QUI INFERIORIS ORDINIS ESSENT. sic edendum curavi, codicis Memmiani emendationem ex duobus libris manu scriptis secutus [sola, quod sciam, Veneta a. 1496., *his qui superioris ordinis essent*.].

C. 16. §. 35. ATQUE OMNES RUMUSCULOS POPULARES AUCUPANTE. sic emendavi, codicis Memmiani emendatione comprobata [cum Orell., quem vid. p. 565, 13., facit Veneta editio a. 1496, in qua sic est scriptum, *atque omnis rumusculos populari ratione aucupante*. sed quod codex Monacensis apud Moser. p. 448. narratur habere, *occupante*, id ipsum, de Lambini, ut aiunt, sententia, dedit Santandreana a. 1580. neque tamen paruit Gothofredus, quem vid. p. 459.].

§. 36. AC NOSTRO QUIDEM AVO QUUM RES ESSET AD SE DELATA. sic emendo, parva scilicet immutatione facta, optimaque sententia expressa. corrupta enim fuerat vox *avo* et ex ea factum *quo* deinde *quae*, unde Manutius vult fieri *qui*, quod mihi non probatur.

C. 18. §. 40. NEC EST UNQUAM LONGA ORATIONE UTENDUM NISI AUT SPECTANTE SENATU QUOD FIT AMBITIONE SAEPISSIME NULLO MAGISTRATU ADIUVANTE TOLLI DIEM UTILE EST AUT QUUM TANTA CAUSA EST UT OPUS SIT ORATORIS COPIA VEL AD HORTANDUM VEL AD DOCENDUM. sic ediderunt Colinaeus, Manutius, ceteri. sed legendum *peccante*, ut et edidit Guilelmus Morelius et legit Turnebus. praeterea velim sic legi, *nisi aut quum peccante Senatu*, et cetera [vide Indicem Erratorum p. 626. *nisi ut spectante Senatu* editio Veneta a. 1496. sed ita saepius *aut* et *ut* commutata in membranis reperias. vid. Drakenborch. vel ad Livii 4. 12, 8. p. 11.].

C. 19. §. 44. QUARUM ALTERA PRIVILEGIA TOLLIT ALTERA DE CAPITE CIVIS ROGARI NISI MAXIMO COMITIATU VETAT NONDUM COGNITIS SEDITIOSIS TRIBUNIS PLEBIS. sic est emendatum in codice Memmiano. Adrianus Turnebus autem coniectura probabili ductus emendat, *nondum inventis*. ego magis probo *nondum cognitis*.

propius enim abest a libris manu scriptis, qui habent, *nondum nitis* [Veneta a. 1496. sic habet, *et nondum initis seditiosis tribunis plebis. Negocialis quidem*, et cetera.].

Ibid. NE COGITATIS QUIDEM. si nullum alium locum in hoc toto libro tertio in integrum restituissem quam hunc, praeclaram me tamen operam litterarum studiosis navasse existimarem. est enim haec emendatio primum ita certa, ut refelli non possit; deinde ita facilis et antiquae scripturae, a qua vulgata non discrepat, finitima, ut nulla ei vis illata dici queat; postremo ita plana et aperta et ad sententiam accommodata, ut non excogitata aut a coniectura profecta, sed in libris omnibus sine ulla varietate reperta videatur, in quibus mendose legitur partim *negotialis* [negocialis], partim *negotiosis*, et cetera.

Ibid. QUUM LEGIS HAEC VIS SIT SCITUM ESSE ET IUSSUM IN OMNES. sic emendat Adrianus Turnebus. licet tamen etiam sic legere, *scitum et iussum in omnes.*

§. 45. DE QUO SERVI ET LATRONES SCIVISSE SE ALIQUID DICERENT. sic emendant Adrianus Turnebus et Manutius, quum in manu scriptis omnibus scriptum sit, *servi et patroni.* in codice Memmiano emendatum est, *de quo servi et pauci omnino cives aliquid dicerent.* fortasse melius [vid. Moser. p. 469. et Orell. p. 570, 6. apponam tamen lectionem editionis Venetae a. 1496., quae sic habet, *de quo C. servius et patroni tui scivisse se aliquid discerent.* vid. quae notantur ad Orationem pro Rabirio Postumo C. 4. §. 9.].

C. 20. §. 47. HAEC DETUR CURA CENSORIBUS. legendum fortasse est, *haec mandetur cura* [et Santandreana p. 4997. »fortasse, *haec mandetur cura Censoribus*,« suppresso Lambini nomini.].

§. 48. SIC ANIMADVERTO PLEROSQUE IN MAGISTRATU IGNORATIONE IURIS SUI TANTUM SAPERE QUANTUM APPARITORES VELINT. quum in codice Memmiano reperissem hanc antiquam scripturam, *resque in magistratibus*, ego *plerosque* pro *resque* reposui. quod si quis velit legi, || *plerosque magistratus*, non im- p. 497.
probem. verumtamen nihil praeterea muto. a.

VIIII.

IN LIBROS TRES QUI SUNT DE OFFICIIS AD MARCUM FILIUM.

Propterea quod libri de Officiis, et Cato Maior, et Laelius, et Paradoxa a Carolo Langio multis locis sunt emendata ex

auctoritate librorum manu scriptorum diligenter cum vulgatis comparatorum, nos eius emendationes, nisi quae nobis non probabuntur, sequemur. neque vero temere vel sequemur vel fugiemus, sed et antiqua scriptura librorum Memmianorum et aliorum, quibus usi sumus, considerata et iudicio doctorum requisito, quid sequi, quid improbare debeamus, statuemus.

I. C. 1. §. 2. QUONIAM UTRIQUE SOCRATICI ET PLATONICI VOLUMUS ESSE [non, *esse volumus*, ut est in Gudd. 1. 3. et 5. Heusingerorum, Bonnensi sive Duisburgensi, quem ipse denuo pertractavi, item Hahniana editione, anni ut equidem opinor, 1469. Lambino adest codex Rehdigeranus, quem primum nominabo, qui post Lactantii librum sextum habet Ciceronis de Officiis libros non indocta manu scriptos, vere primo a. 1817. a me exploratus; adest princeps Pannartziana a. 1469. 24. Ianuar. vid. Iac. Fr. Heusinger. ad h. l. C. 27. §. 96. p. 227.]. sic habent libri manu scripti nostri, neque aliter edidit Langius. sed propterea quod hunc locum vulgo non intelligi atque iccirco depravari video, libet mihi eum paucis explicare. sic igitur eum explano: *sed tamen nostra legens*, et cetera, *nostra*, nempe Academica. Cicero enim erat Academicus. neque est quod quisquam mihi dicat, eum hic secutum esse Panaetium Stoicum. nam hoc est esse Academicum, nunc hoc nunc illud tueri et quod in quaque re ac disciplina insit probabile, id defendere. iam haec quae deinceps sequuntur, *non multum a Peripateticis differentia* [dissidentia], illuc pertinent: multis locis ostendit Cicero, Academicos eosdem fere fuisse atque Peripateticos. *utrique volumus esse*, *Socratici et Platonici*, et cetera, *utrique*, id est nos Academici et vos Peripatetici (Cratippus enim erat Peripateticus), *volumus esse Socratici et Platonici*, id est, Socratis et Platonis decreta tueri volumus, philosophiam moralem Platonicam a Socrate acceptam sequimur [Gothofred. p. Laemar. 462. »veteres codices non habent hanc copulationem »*et*, Lambinus eam delet.« delent eandem codices Rehdigeranus, alter Vratislaviensis Bibliothecae Bernard., Duisburgensis et Bonnensis, tuentur editi veteres, quos accurate exploratos habeo. sed vid. quae a Wyttenbachio notantur Bibl. Crit. II, 8. p. 67., quem laudavit Gernhardus p. 4.].

§. 3 QUI SE IAM ILLIS FERE AEQUARUNT. quum in tribus libris manu scriptis partim ita scriptum reperissem, *qui se iam illis fere aequarunt*, partim sic, *qui iam illis fere aequarunt re*, et aliquanto post tempore accessisset codex a Cuiacio nostro item manu scriptus mihi ad hoc negotium conficiendum commodato missus, in unoque dumtaxat abesse provocabulum *se* animadvertissem, non putavi mihi a vulgata lectione discedendum. quin mihi hoc loco risum movit quorundam semidoctorum arrogantissimum supercilium, qui ubi mihi aliquid in quovis codice manu scripto repererunt a vulgata lectione discrepans, etiam absurdissimum, statim damnata lectione recepta affirmant

atque adeo adiurant deos omnes, ita ut in illo nescio quo codice scriptum est, esse legendum. quod fieri non debet. tractandi enim sunt libri veteres cum iudicio. atque ut non temere vulgata et recepta lectio damnanda est, etiam si nonnulli codices veteres ab ea dissentiant: ita non est mordicus retinenda neque pertinaciter defendenda, etiam si eam libri veteres adiuvent, quum ratio et veritas reclamant. omnio si quid sit mutandum, malim legi, *qui iam illos fere aequarunt.* sic enim Caesar loquitur libro 5. [de B. G. C. 8. §. 4. p. Oudendorp. 219.], *longarum navium cursum adaequarunt.* et ipse Cicero in Timaeo [p. Lambin. 445, 44. nobis C. 11. §. 36. p. Ern. 1116.], *ut deorum vitam possint adaequare* [istud provocabulum *se* incertum fluctuare nec habere quo se tueatur, mei quoque libri testes sunt, e quibus codices Bernard. et Bonnensis, *qui si iam*, editi veteres, Hahn. et Pannartz. a. 1469., *fere se aequarunt,* repraesentare maluerunt. quae nunc recepta post Heusingeros et Gernhardum lectio est, *quae iam illis fere aequarunt* (vid. Oudendorp. ad Caesaris VIII. de B. G. C. 41. §. 5. p. 497.), eam magis etiam firmant codices Rehdiger. et Duisburgensis, quanquam qui hunc descripsit *illos* maluit, *illis* non ignoravit.].

Ibid. UT IDEM IN UTROQUE GENERE LABORARET. malim legi, *elaboraret*, quamvis reclament codices [dedit hoc ipsum Pannartz. a. 1469., *ut idem utroque in genere elaboraret.* reliqui ad unum omnes *laboraret*, plures etiam cum Lambino *in utroque genere* praeferunt. et sic Petrarcha II. Rerum Memorandd. 2, 13. fol. 163.].

C. 2. §. 6. post med. SI RERUM ALIQUEM DILECTUM RELIQUISSENT. toties diximus, *dilectum* dixisse veteres pro eo, quem vulgus *delectum* dicit, et ita scriptum esse in libris manu scriptis, ut verear, ne lectorem obtundam ταυτολογῶν. sed tamen etiam hoc loco testatum volui, ita habere eos libros veteres, quibus usi sumus [de meis sic habet solus Rehdigeranus, quem *primum* appellavi. vid. quae annotantur ad II. Tuscull C. 11. §. 26.].

C. 4. §. 11. extr. EARUMQUE PRAEGRESSUS. sic scriptum reperi in antiquo codice, quomodo item Adrianus Turnebus se in alio scriptum vidisse mihi asseveravit, ut de scripturae veritate non sit dubitandum, quum praesertim nomen *antecessiones*, quod sequitur, probet ita legendum esse [cf. Turnebum Adversariis 26, 32. de meis solus Rehdigeranus, quem modo appellavi, habet *praegressus.*].

§. 21. IMPELLITQUE UT HOMINUM COETUS ET CELEBRARI INTER SE ET A SE OBIRI VELIT. libri aliquot veteres sine verbo *celebrari* sic habent, *coetus et esse et a se*, et cetera, nonnulli, *coetus et celebrationes a se obiri*, et cetera [meliorum codicum lectionem, Turnebi (Adversariis 26, 32.) auctoritate comprobatam, tuetur Rehdigeranus, isque solus de meis, qui cum Lam-

bino faciunt, nisi quod habent partim, *et sibi obedire velit*, partim, *et sibi obedire etiam velint.* Gothofredus p. Laemar. 465. »quidam veteres codices, *et celebrationes et esse et a se* »*obiri velit.* et ita Lambinus« curis, opinor, secundis.].

§. 13. COGNITIONEMQUE RERUM AUT OCCULTARUM AUT ADMIRABILIUM AD BENE BEATEQUE VIVENDUM NECESSARIAM DUCIMUS. codices manu scripti habent, *ad beate vivendum*, tantum [et sic de meis Rehdigeranus, reliqui ad unum omnes, *ad bene beateque vivendum.* idque vulgato utique praeferendum.].

C. 6. §. 19. post. med. TUM AGITATIO MENTIS QUAE NUNQUAM ACQUIESCIT POTEST NOS IN STUDIIS COGNITIONIS ETIAM SINE OPERA NOSTRA CONTINERE. sic legendum est vel libris omnibus reclamantibus, non ut vulgo, *cogitationis.* nam primum absurdum est ita dicere, *agitationem mentis nos continere in studiis agitationis* seu *cognitionis*, deinde quum *cogitatio* versetur vel in consiliis capiendis de rebus ad bene beateque vivendum pertinentibus, vel in studiis cognitionis, studia *cogitationis* a studiis *cognitionis* differant necesse sit. sic enim et statim loquitur,
b. *aut in studiis scientiae co* || *gnitionisque* [illa vero perpetua confusio est. vid. quae annotantur ad IIII. de Finibus C. 27. §. 76.].

C. 7. §. 20. ET HUIC CONIUNCTA BENEFICENTIA. quum et Langius testetur, suos codices habere *beneficientia*, et nostri itidem habeant, non putavi mihi crimen temeritatis esse pertimescendum, si tot librorum consensum secutus essem [Gothofred. p. Laemar. 466. »omnes veteres codices, *beneficentia.* et ita Lam»binus.« sed *beneficientia* de meis tuentur codices Bernard. Vratislaviensis et Bonnensis cum Hahn. a. 1469. vid. Vossium de Analogia 2, 25. p. 363. sq.].

§. 21. AUT BELLO UT QUI VICTORIA POTITI SUNT. sic unus habet ex nostris codicibus, et recte. nam in aliis libris voces perverso ordine positae sunt [sed vid. Io. Mich. Heusingerum p. 56.].

Ibid. extr. EO SI QUIS PLUS SIBI APPETET VIOLABIT IUS HUMANAE SOCIETATIS. secutus sum libros vulgatos. nam etiam nostri sic habent, ut ii quibus est usus Langius, *ex quo si quis sibi appetet*, et cetera [mei non minus variant hunc locum, vulgatam lectionem partim firmant, partim infirmant. solus Bonnensis cum Gudianis 3. et 4. Heusingerorum facit, *eo plus si quis sibi appetet*, repraesentans, ordine verborum, ut ait Iac. Fr. Heusingerus, haud fortasse contemnendo.].

§. 22. extr. MUTUATIONE OFFICIORUM. sic habent plerique libri veteres, nonnulli tamen *mutatione*, ut vulgati [*mutuatione* solus Bonnensis].

C. 9. §. 28. ITAQUE VERENDUM EST [sic dedit Lambinus p. contextus verborum Ciceronis 354, 23. pro lemmate idem sic habet, *itaque videndum est*] NE NON SATIS SIT ID QUOD APUD

PLATONEM EST IN PHILOSOPHOS DICTUM. sic omnes quidem libri habent [*itaque videndum est*, inquam], sed ego iis reclamantibus legendum puto, *verendum est* [corrige Orell. p. 320, 14.].

Ibid. NAM ALTERUM IUSTITIAE GENUS ASSEQUUNTUR IN INFERENDA NE CUI NOCEANT INIURIA IN ALTERUM INIUSTITIAE INCIDUNT. hic locus, qui in libris vulgatis foedum in modum corruptus est, ope librorum veterum praeclare emendatus est. est autem eius sententia haec: nam philosophi alterum quidem *iustitiae* genus assequuntur, ne cui noceant in inferenda alteri iniuria, id est, eo quod nemini iniuriam inferant, iusti sunt; sed in alterum *iniustitiae* genus incidunt, quod discendi studio impediti, non tuentur eos quos debent tueri. Langius negationem addidit, quam in nostris exemplaribus non reperimus. omnino nulla negatio ascribi debet, et ita, uti ego explicavi, locus est intelligendus, quamvis aliter Langius [interpretamenti loco esse quum *iustitiae*, tum *iniustitiae* vocabula, equidem cum Orellio vix dubitem. tuetur hoc quicquid est *iniustitiae* solus Duisburgensis. idem firmat negationem, a Carolo Langio Parcensis codicis fide additam, in his, *in non inferunda iniuria*, et reliqua. cf. Gothofred. p. Laemar. 468.].

C. 10. §. 31. UT NON REDDERE DEPOSITUM FURIOSO NEC FACERE PROMISSUM. sic habent aliquot ex nostris codicibus. non displiceret autem, quod Langio videtur, addi *ensem*, ut sit, *depositum ensem furioso*, nisi suspecta mihi esset vox *furioso*, qua deleta sic puto potius legendum, *non reddere depositum, nec promissum facere*, et cetera [alia dederunt repetitiones Lambinianae, etiam Laemariana, quam vid. p. 468. locus interpolatus, ratione et coniectura persanandus.[.

§. 33. QUUM TRIGINTA DIERUM ESSENT CUM HOSTE INDUTIAE PACTAE. vetus codex unus habet, *induciae factae* [mei ad unum omnes *factae* tuentur, *indutie essent facte cum hoste* cod. S. Bernardi Vratislaviensis et editio Hahn. a. 1469.].

C. 11. §. 35. SED CREDO ALIQUID SECUTOS OPPORTUNITATEM LOCI MAXIME. Langius positum putat *aliquid* Graecorum more τί, id est, κατά τι [vid. Pareum Lex. Critico p. 74, 1.]. quod mihi non videtur. itaque disiunctionis notam ascribo post *secutos*, ut sit haec sententia: puto eos non crudelitate impulsos Corinthum evertisse, sed aliquam rationem secutos, maxime *loci opportunitatem*, et cetera [dedisse Lambinum, *sed credo aliquam secutos opportunitatem loci maxime*, auctor est Gothofredus p. Laemar. 469.].

C. 12. §. 37. extr. A PEREGRINO ENIM RECESSIT ET PROPRIE IN EO QUI FERRET ARMA CONTRA REMANSIT. sic Langius. sed legendum puto, *contra rem publicam*, idque ex antiquae scripturae vestigiis [itaque Gothofred. p. Laemar. 470. »Lambinus, »*qui arma contra ferret rem* (sic), et ita vetus codex.« sed illa veteris scripturae vestigia in meis libris non apparent.].

§. 38. QUIDVE FERAT FORS. sic habent libri manu scripti atque ita sine dubio legendum, non ut in vulgatis, *ferat sors* [vide quae notantur ad IIII. Accusat. C. 43. §. 95.]. quod non est ab aliis emendatum.

Ibid. DONO DUCITE. Passeratius distinguendum censet post *dono*, ut sit verbum *dono*, *as*. cui assentior.

C. 13. §. 40. SECUNDO AUTEM PUNICO BELLO. haec omnia, quae dissimilibus litteris impressa sunt, absunt a veteribus libris et nonnullis vulgatis [absunt a codicibus, quos equidem exploratos habeo, Rehdigeranis 1. et 2., S. Bernardi Vratislaviensi, Bonnensi, editionibus veteribus, Pannartziana et Hahniana a. 1469. vid. Iac. Fr. Heusinger. p. 107.].

C. 14. §. 43. ID AUTEM TANTUM ABEST AB OFFICIO UT NIHIL MAGIS OFFICIO POSSIT ESSE CONTRARIUM. libri veteres habent, *tantum abest officio*. quod probo. talia sunt illa, *adigere arbitrum* apud eundem [v. c. Oratione pro Q. Roscio Comoedo C. 9. §. 25. cf. Nizolium a Facciolato castigatum p. 75, 1. v. *arbiter*.], *propugnat nugis* apud Horatium [I. Epp. 18, 16., ubi vide Lambinum Commentariis p. 281. A.], et *haec animum advertere*, pro *ad haec*, apud Lucretium libro primo [immo 2, 124., ubi vid. Commentaria p. 167. ceterum, quod Lambino probatur, *abest officio*, id ipsum habet Hahniana a. 1469., habent codices Rhedigeranus et Duisburgensis. reliqui *abest ab officio* maluerunt cum Pannartziana a. 1469.].

C. 15. §. 46. IN QUIBUS PRAECLARE AGITUR SI INSUNT SIMULACRA VIRTUTIS. sic habent nostri codices veteres et recte. sententia autem est haec: in quibus si insunt simulacra virtutis, praeclare agitur [de meis plures, ut et Hahniana a. 1469., *cum quibus* maluerunt, nonnulli cum Pannartziana a. 1469. *non* retinuerunt, ibi, *in quibus praeclare agitur*, omnes *sunt* habent, non *insunt* aut *sint*, unus etiam Bonnensis *sed sunt*, in quo sequaces habuit quum alios (vid. Gothofred. p. Laemar. 471.), tum Lipsienses Martini Herbipolensis, quorum plures sunt alter ex altero expressus.].

§. 48. AN IMITARI AGROS FERTILES QUI MULTO PLUS AFFERUNT QUAM ACCEPERUNT. sic legendum, et ita habent omnes libri veteres. *an* autem hoc loco interrogando affirmat, id est, responsionem aientem postulat [vid. Gernhardum p. 59. et quae notantur ab Orellio p. 327, 21. mei faciunt fere cum Lambino, una Pannartziana *annon* habet.].

C. 16. §. 50. SED QUAE NATURAE PRINCIPIA SINT COMMUNITATIS ET SOCIETATIS HUMANAE REPETENDUM ALTIUS VIDETUR. nonnulli ex nostris libris veteribus habent, *sed quae natura*, et cetera. quomodo et Langius edidit, itemque edi iusseram [habet Gothofred. in margine Laemar. p. 472. itaque inserendum Orellianis p. 328, 8.]. paullo ante, ubi operarum culpa excusum est, *ita eum*, et cetera, legendum, *ita in eum*, et cetera [cor-

rectum in Indice Erratorum p. 626.], et supra non longe *coniunctioque*, ubi operae excuderunt, *coniuctioque*.

C. 17. §. 54. QUAE PROPAGATIO ET SUBOLES ORIGO EST RERUM PUBLICARUM. sic habent libri nostri veteres, *suboles*, inquam, et ita legendum et scribendum esse admonuimus in Commentariis Horatianis [ad III. Carmm. 13, 8. p. 172. C. et vide quae annotantur ad X. Epp. 33. p. Ernest. 312.].

§. 56. EFFICITURQUE ID QUOD PYTHAGORAS ULTIMUM IN AMICITIA PUTAVIT UT UNUS FIAT EX PLURIBUS. sic hunc locum legit Nonius [4, 497. p. Mercer. 417, 26. v. *ultimum*.]. nam libri veteres cum vulgatis congruunt, qui habent, *vult in amicitia ut unus*, et cetera [et sic mei ad unum omnes, scripti pariter atque editi. unus codex Vratislaviensis S. Bernardi, quem librum infinitis locis mirifice interpolatum deprehendi, cum Rom. Hahnii a. 1469., *ut unus animus fiat ex pluribus*. vid. Lael. C. 25. §. 92.].

C. 18. §. 59. extr. ET CONSUETUDO EXERCITATIOQUE CAPIENDA. docti quidam legi volunt, *exercitatioque adhibenda* [Io. Frid. Heusinger. p. 149. »an ita Latine dicatur, a nonnullis dubita»tum est. sed vide Ern. Clav. Cic. in voc. *capere*.«].

Ibid. ET ADDENDO DUCENDOQUE VIDERE QUAE RELIQUI SUMMA FIAT. sic omnes quidem habent libri veteres, sed malim legi, *subducendoque* [verum *deducere*, non *subducere*, est quod mathematici nostri dicunt *subtrahere*, ſubtrahieren. vid. Io. Frid. Gronovium Observationibus 2. 10. p 222. sq. Lips. editionis. de meis codex Rehdiger., *ducendoque*, Bonnensis, *docendoque*, Vratislaviensis D. Bernardi, *et deducendo*, Hahn. a. 1469., *et adducendo*. sed *deducendoque* satis firmant reliqui, codex, inquam, Duisburgensis et Pannartziana a. 1469.].

§. 61. ILLAQUE VIRGO VIRI. legendum, ut habent libri veteres, *illa virago*. et ita excudi iusseram, si mihi ab operariis istis obtemperatum esset [vid. Indicem Erratorum p. 626. et corrige Orelliana p. 331, 26. de meis codex Bonnensis cum edit. Rom. Hahn. a. 1469. id ipsum tuetur, *illa virago viri*, reliqui partim habent, *illaque virgo*, partim, *illa virgo viri*.].

Ibid. HINC NOSTER COCLES HINC DECII. sic restitui, atque omnino sic legendum. nam *Stratocles*, quod est in vulgatis, non reperitur in libris manu scriptis [de meis solus habet codex Vratislaviensis S. Bernardi.], sed pro eo *Stercocles*, et deinceps, *hinc Decii*, et cetera. ita ut facile appareat, hoc *Stertocles* esse peccatum librarii, qui quum scribere deberet *noster Cocles*, scripserit *Stercocles*, omissa prima syllaba *no* [et mei libri pro his, *hinc noster Cocles*, corrupte habent partim, ut dixi, *Stratocles*, partim, *Stratocle*, *Stertode*, *Stercodes*.].

C. 19. §. 63. extr. EOSDEMQUE BONOS ET SIMPLICES. le || gen- P. 498.
dum, ut habent libri manu scripti, *eosdem bonos et simpli- a.*
ces [vid. Indicem Erratorum p. 626. addendum Orellianis p.

332, 13. sed et editi veteres, Romm. Hahn. et Pannartz. a. 1469., firmant Lambini correctionem.].

C. 20. §. 68. QUAMOBREM ET HAEC VITANDA SUNT ET PECUNIAE FUGIENDA CUPIDITAS. etiam libri nostri habent, *videnda sunt*, quod notavit Langius [de meis *et haec videnda*, id est, curanda, dant codices Rehdigeranus et Duisburgensis cum Rom. Hahn. a. 1469., *et haec videnda sunt* interpolatori acceptum refert liber S. Bernardi.].

C. 22. §. 75. extr. ET THEMISTOCLES QUIDEM NIHIL DIXERIT IN QUO AREOPAGUM ADIUVERIT AT ILLE VERE A SE DIXERIT [sic dedi, ab Lambino admonitus in Indice Erratorum p. 626. eodemque nomine castiganda fortasse erunt Orelliana p. 336, 8. meliora enim docuerat Gothofredus p. Laemar. 477.] ADIUTUM THEMISTOCLEM. partim sic habent nostri codices, *at ille vere a se dixerit adiutum Themistoclem*, partim sic, *at ille vere se adiuvisse Themistoclem*, partim sic, *at ille vere ab se adiutum Themistoclem*, quomodo edidit Langius. et recte. mendose autem hic operarii isti fecerunt *dixit*, pro *dixerit*. quod tamen si deleatur, neque quicquam de sententia decedat et multum venustatis accedat [locus ab interpolatoribus varie tentatus. sic enim codex Rehdigeranus 1., *at ille vere se adiutum Themistoclem*, Rehdiger. 2., *at ille vere a se adiutum*, Bonnensis, *at ille vere dixit se adiutum demostenem esse*, Duisburgensis, *at illo verum est esse adiutum*, liber S. Bernardi Vratislaviensis, *at ille dixit vere se adiutum*. et sic Romana Hahnii a. 1469. sola Pannartz. a. 1469., *at ille adiuvit Themistoclem*.].

§. 77. CONCEDAT LAUREA LINGUAE. sic est scriptum in codicibus antiquis, et ita admonuimus esse legendum in Oratione in Pisonem [C. 30. §. 74. p. Lambin. 539, 1.], mirorque non esse a Langio notatum [cf. Graev. p. 82. sq.]. superiore versu quidam libri habent *opimum*, ubi ceteri *optimum*.

C. 23. §. 80. QUARE EXPETENDA QUIDEM MAGIS EST DECERNENDI RATIO QUAM DECERTANDI. nos vocem *fortitudo* post verbum *decertandi* sustulimus, quamvis eam repererimus in aliquot libris antiquis. nam perspicue apparet, ab aliquo, qui putaret quippiam deesse, esse adiectam. quod et Langio videtur [vid. Graev. p. 84. sed nomen *fortitudo* et mei libri omnes tuentur, et Nonius habet 4, 142. p. Mercer. 285, 17. v. *decernere*.].

Ibid. extr. SED PRAESENTI ANIMO UTI ET CONSILIO. quidam legi volunt, *praesenti animo niti*. nos in libris antiquis reperimus, *uti* [id quod cum altero frequenter confundunt librarii. vid. quae notantur ab Oudendorpio ad Caesaris IIII. de B. G. C. 24. §. 4. p. 199. de meis sola Pannartziana a. 1469., *sed praesentis animi uti consilio*. nec aliter, quam reliqui omnes, habet Vincentius Bellovacensis Spec. Doctr. 5, 26. et 85., item Histor. 7, 8., nisi quod ille hoc tertio loco addit *suo*.].

C. 25. §. 85. NON AD EORUM QUIBUS COMMISSA EST. libri ve-

teres fere omnes habent, *quibus commissa* [mei vulgatam tuentur. sed Vincentius Bellovacensis Spec. Doctr. 6, 95. Histor. 7, 8., *quibus est commissa*, ordine inverso. itaque Heusinger. p. 206. »fortasse *est* utroque loco delendum, ut Aldus »delevit.« sequor Orellium.].

C. 26. §. 91. NEC ADULARI NOS [vid. Indicem Erratorum, ab Lambino confectum, p. 626.] SINAMUS. vel *adulari* patiendi hic significationem habet, vel legendum *adulari nobis sinamus* [sed vide quae ab Io. Mich. Heusingero annotantur p. 218. sq. locum Ciceronis adumbravit Vincentius Bellovacensis Spec. Hist. 7, 8. *cavendum est, ne assentatoribus sive adulatoribus aures patefaciamus. in quo falli facile est. tales enim nos putamus, ut iure laudemur. ex quo inflati vanis opinionibus in innumerabiliora peccata et maximos errores incidimus.* quae omisi ille, *nec adulari nos sinamus*, ea tuetur Nonius 1, 50. p. Mercer. 17, 8.]. mendose porro operae hic fecerunt *non* pro *nos*.

C. 28. §. 99. ADHIBENDA EST IGITUR QUAEDAM REVERENTIA ET OPTIMI CUIUSQUE ET RELIQUORUM. duas voces, *advorsus homines*, ut supervacaneas et a semidocto aliquo in contextum illatas, delevi. ordo enim est hic: reverentia optimi cuiusque viri et reliquorum est adhibenda [sed vid. quae notantur quum ab Iac. Frid. Heusingero p. 231. sq., tum ab A. G. Gernhardo p. 112. sq. mei stant a vulgata.].

Ibid. EST AUTEM QUOD DIFFERAT IN HOMINUM RATIONE HABENDA INTER IUSTITIAM ET VERECUNDIAM. sic restitui ex auctoritatibus codicum antiquorum, atque ita sine dubio legendum. videtur autem idem fere valere hoc, *in hominum ratione habenda*, atque illud, *adhibenda hominum reverentia*, nisi quod *habere hominum rationem* latius patet, quam *adhibere reverentiam* [Lambini rationem firmant codices Rehdigeranus 1. et Duisburgensis, reliqui vulgatam defendunt, *in omni ratione*.].

§. 101. DUPLEX EST ENIM VIS ANIMONEM ATQUE NATURAE. videtur legendum, *atque natura* [et sic habent meorum Rehdigerani, Bonnensis et Duisburgensis. vid. quae super hoc loco disputantur ab Io. Mich. Heusingero p. 235.].

C. 29. §. 103. SED SICUT SOMNO ET QUIETIBUS CETERIS. Langius delet vocem *quietibus*, quia in optimo codice non compareat. nos in aliquot nostris reperimus, iccirco retinuimus. neque tamen Langii factum damnamus.

§. 104. UT NE NIMIS LUDUM PROFUNDAMUS. secutus essem lectionem vulgatam, quae in plerisque libris antiquis reperitur, nisi plane mendosa esset, quemadmodum et Langio videtur, qui legendum putat, *ne nimis profundamur*, deleta voce *omnium*. quum igitur hic locus sine dubio mihi videretur mendosus, Ciceronemque hoc sentire arbitrarer, ioco et ludo esse moderato utendum: non dubitavi, quin ita locutus sit, *ut ne nimis iocum seu ludum profundamus*. est enim genus loquen-

di et elegans, et Ciceroni usitatum. iusseram tamen edi, *ut ne nimis ioca profundamus*, si mihi operae obtemperare voluissent, quod haec lectio propius accedat ad scripturam antiquam, *omnia profundamus.* facilior enim fuit prolapsio a voce *ioca* ad vocem *omnia*, prasertim si ita scripta esset, *oīa.* quidam lectionem vulgatam tuentur, paullum tamen immutantes et ex *nimis mimis* facientes, quod fateor in uno antiquo codice reperiri [habent codd. Rehdigeranus, quamquam hic a correctore, et Duisburgensis, habent editiones primae, Romm. Hahn. et Pannartzii a. 1469. vid. Burmannum ad Anthol. Lat. Tom. 1. p. 224. sq]. eamque sic explicant: *ne omnia nostra largiamur mimis*, risum scilicet nobis turpi imitatione moventibus. consideret et iudicet lector eruditus.

C. 30. §. 105. QUANTUM NATURA HOMINIS PECUDIBUS RELIQUISQUE BESTIIS ANTECELLAT. nostri libri habent partim, *reliquisque belui s antecellat*, partim *antecedat* [de meis sola Pannartziana *bestiis* tuetur, omnes habent *antecedat*.]. et paullo ante [C. 29. §. 104.] libri veteres ordine verborum inverso, *homine dignus, alter ne libero quidem*, ubi vulgati, *libero dignus, alter ne homine quidem* [cf. Nonium 4, 426. p. Mercer. 356, 32. locus nondum persanatus. mei sic repraesentant, codex Rehdigeranus 1., *alter est, si tempore fit ut si remisso animo, homine dignus, alter ne libero quidem, si rerum turpitudini adhibetur verborum obscaenitas;* Rehdigeranus 2., *ut sit remisso animo;* liber S. Bernardi, *si congruo tempore fiat ut sit remisso animo homine dignus*, et deinceps, *si rerum turpitudini adhibeatur verborum obscaenitas;* codex Bonnensis, *si turpi sit ac remisso animo homine dignus*, ac deinceps, *si rerum turpidini* (vid. C. Frid. Heinrichium, summum virum, Emendationibus et Coniecturis in I. de Re Publica p. 160. sq.) *adhibetur obscaenitas;* Romana editio, quae est Udalrici Galli, *si congruo tempore fiat, ut sit remissio animo homine dignus*, deinde, *si rerum turpitudini adhibeatur aliorum obscaenitas;* Pannartziana denique a. 1469., *si tempore fit ac remisso animo*, et deinceps, *si rerum turpitudini adhibetur verborum obscaenitas.* a codice Duisburgensi, qui nunc Bonnae est, absunt haec, inde a C. 28. §. 98. *ut enim pulchritudo*, usque ad C. 34. §. 122., ibi, *optimos et probatissimos.*].

C. 30. §. 108. ATQUE IN OMNI RATIONE DISSIMULATOREM. malim legi, *in omni oratione* [et sic habent codices Rehdigeranus 1. et Bonnensis cum Pannartziana a. 1469. vid. quae annotantur ad II. Epp. ad Atticum 24. p. 592. reliqua mire turbantur, cuius perturbationis quum aliae causae extiterunt, tum illud ἱερὸν scriptoribus librariis Graece non doctissimis fucum fecit. Orell. p. 346, 24. »*dissimulatorem* Lambinus in lemmate anno»tationis.« sed erravit et Gothofredus p. Laemar. 483.[.

C. 31. §. 110. ADMODUM AUTEM TENENDA SUNT SUA CUIQUE NON VITIOSA SED TAMEN PROPRIA. libri veteres habent, *tenenda*

sunt sua cuique, quos secuti sumus, vulgati autem, *tuenda sunt* [de meis sic dedit sola Romana Pannartzii. sed vid. Heusinger. ad h. l. C. 1. §. 4. p. 13. et cf. quae annotantur ab Drakenborchio ad Livii 10. 3, 2. p. 27. sq. et ad 33. 15, 12. p. 820. edit. Stuttgart.].

§. 113. QUAM SE ALIENA DECEANT. quidam legi volunt, *dedeceant* [habent Lipsienses Ciceronis librorum de Officiis editiones, a Martino Herbipolensi factae.].

§. 114 EPIGONOS MEDEAMQUE. libri veteres habent, *Medumque* [de meis sola Romana Pannartzii *Medeamque* retinuit, retinuerunt etiam, ut equidem opinor, Lipsienses. sed *Medus* Pacuvii tragoedia.].

C. 32 §. 118. NAM QUOD HERCULEM PRODICUS DICIT. libri aliquot veteres habent, *nam quod Herculem Prodicium dicunt*, et cetera [codicum corruptelae satis manifestae sunt. eorum plures habent, *namque Herculem prodigum*, vel *dicit* vel *dicunt*, et sic Romanae editiones, Hahn. et Pannartz. a. 1469. interpolatorum haec sunt, *prodigum vitae* et *prodigum dicunt vitae*, quorum alterum habet codex S. Bernardi, correctoris culpa, quum *Prodicium* manus prima dedisset, alterum tuetur codex Bonnensis, sine liturae vestigio.].

C. 33. §. 119. EX EO QUO QUISQUE MODO NATUS EST. libri aliquot veteres habent, *ex eo modo, quem quisque nactus est* [cum Orellio, quem vid. p. 351, 5., facit codex Rehdigeranus 1. reliqui in alia omnia abierunt.].

§. 120. extr. UT AMICITIAS QUAE MINUS DELECTENT ET MINUS PROBENTUR MAGIS DECERE CENSENT SAPIENTES SENSIM DISSUERE QUAM REPENTE PRAECIDERE. etiam libri Memmiani habent, *diluere* [de meis ita habet codex Bonnensis et Rehdigeranus 1., quanquam hic invito correctore], de quo verbo docte quidem Langius, sed tamen paullum ab eo dissentio. non enim puto tralationem esse a coloribus, sed potius a rebus vinctis et colligatis. *diluere* enim hic puto idem fere valere, quod διαλύειν, id est *dissolvere*, quemadmodum *reluere* valet, id quod obligatum seu pignori oppositum est, repi || gnerare et resolvere [cf. Turnebum Adversariis 17, 8.]. Caecilius, *ut aurum et vestem, quod matris fuit, R e l u a t, quod viva ipsa opposuit pignori.* quin apud Agellium *diluunt* idem significat, quod dissolvunt. sic ille libro 12. capite 1. *vinculum illud coagulumque animi atque amoris, quo parentes cum filiis natura consociat, interscindunt aut certe quidem d i l u u n t deteruntque.* unus alius habet, *deluere.* quod fortasse rectius est, et ita videri potest in Laelio legendum [p. Lambin. 429, 16. nobis C. 21. §. 76.], *tales igitur amicitiae sunt remissione usus d e l u e n d a e*, ubi tamen editum est, *eluendae.* b.

C. 35. §. 126. DIFFICILIUS AD ELOQUENDUM SED SATIS FACILE POTERIT INTELLIGI. sic habent nonnulli libri veteres. verumta-

men malim deleta voce *satis* legi, *sed facile poterit intelligi.* ne vulgatam quidem lectionem reiiciendam censeo, *sed satis erit intelligi*, praesertim quum in nonnullis libris manu scriptis reperiatur [mei libri in vulgata consentiunt, *sed satis erit intelligi.* unus Bonnensis interpolatori acceptum refert illud *facile*, post *erit* inculcatum, *sed satis erit facile intelligi.* in reliquis sola Pannartziana a. 1469. tuetur *difficilibus*, non, ut alii habent, *difficilius* vel *difficilius est*, sed paullo plenius illa repraesentans, *difficilibus ad eloquendum rebus*, quod fuit ex superioribus intelligendum. vid. Io. Mich. Heusinger. p. 294.].

C. 37. §. 133 NIHIL FUIT IN CATULIS UT EOS EXQUISITO IUDICIO PUTARES UTI LITTERARUM (QUANQUAM ERANT LITTERATI SED ET ALII) HI AUTEM OPTIME UTI LINGUA LATINA PUTABANTUR. a me impetrare non potui, ut libros manu scriptos non sequerer, in quibus scriptum est, *nihil fuit in Catulis*, et cetera. quanquam videtur hoc sentire M Tullius, in Catulis fuisse vocem suavem et dulcem, eosque presse loqui solitos esse et leniter, adeo ut eos exquisite litteratos esse putaret, qui audiret. nam quanquam essent litterati, tamen multi alii quum litterati essent, hac laude suaviter loquendi carebant [scripti mei firmant Lambini correctionem, quam ipse aliquanto post minus probavit. deinde Romanas editiones, Hahn. et Pannartz. a. 1469., repraesentare video, quod olim vulgabatur, *nihil aliud fuit in Catulis.* tum codex Bonnensis plura interpolatoribus Latine non doctissimis accepta refert, veluti illud, *ut eos exquisito iudicio putares uti litterarum beneficio*, quod vocabulum incertae sedis excidisse putabat Ianus Parrhasius Quaesitis per Epistolam, p. 17. Thes. Critico Gruter. Tom. 1. p. 745. sic enim ille, codicibus auctoribus, restitutum volebat, *ut exquisito iudicio putares uti beneficio litterarum, quanquam litterati et alii.* codex vero Bonnensis, quem pluribus locis interpolatum dixi, et hoc loco, *quanquam erant litterati, sed et fuerunt alii.* sola, quod sciam, Veneta a. 1484., *sed ut alii*, quod Ciceronem scripsisse existimabat Iac. Frid. Heusingerus p. 310.].

§. 135. SED UTCUNQUE ADERUNT. libri nostri veteres non habent *res*, quod est in vulgatis. neque habuit Langius, ut nos admonet [habent illud *res* editi, habent scripti, sed utrique loco parum certo. itaque expunxerunt viri docti. Hahn. a. 1469. *sed ubicunque res aderint*, Pannartz. *sed utcunque aderunt res.* vid. Drakenborch. ad Livii 7. 13, 7. p. 118.].

C. 41. §. 149. extr. AD SUMMAM (NE AGAM DE SINGULIS) COMMUNEM TOTIUS GENERIS HOMINUM CONCILIATIONEM ET CONSOCIATIONEM COLERE TUERI SERVARE DEBEMUS. verbum *debemus* reperitur in nostris libris manu scriptis, quanquam potest sine sententiae iactura deleri, ut repetatur ἀπὸ κοινοῦ [nostri libri, quum editi tum scripti, satis firmant.].

C. 42. §. 151. extr. OMNIUM AUTEM RERUM EX QUIBUS ALIQUID ACQUIRITUR NIHIL EST AGRICULTURA MELIUS NIHIL UBERIUS NI-

HIL DULCIUS NIHIL HOMINE NIHIL LIBERO DIGNIUS. sic habent codices Memmiani et ceteri, melius, quam vulgati, *exquiritur anquiritur* autem, ut editum a Langio est, multo minus placet [*acquiritur*, id est comparantur divitiae. itaque non immerito tuentur hanc lectionem codices mei cum Pannartziana a. 1469, receptam defendunt Nonius Marcellus 9. p. Mercer. 498, 27. et Vincentius Bellovacensis Spec. Doctr. 12, 102. Histor. 7, 9. Natur. 7, 42. deinde scripti habent, *nihil homine libero dignius*, editi veteres, Hahn. et Pannartz. a. 1469. *nil libero homine dignius*. itaque Iac. Frid. Heusingerus p. 355., omisso vocabulo *homine*, codicis Gudiani 2. scripturam praeferebat, *nihil libero dignius*, quam scripturam firmat meorum Rehdigeranus 1. pleniorem locum dedit Rehdiger. 2., *nihil homine, nihil libero dignius*.].

C. 44. §. 157. ADHIBENT AGENDI COGITANDIQUE SOLLERTIAM. libri nonnulli veteres habent, *agendi congregandique*, quidam, *augendi congregandique*, et cetera [vid. quae notantur ad I. Acadd. C. 5. §. 21. p. Lambin. 6, 47. mei quoque habent, *congregandique*, unus tamen Duisburgensis cum Orellianis in *cogitandique* consentit, Lambini lectionem satis firmans.].

C. 45. §. 159. extr. SED HAEC COMMODIUS SE RES HABET QUOD NON POTEST ACCIDERE TEMPUS UT INTERSIT REI PUBLICAE QUICQUAM ILLORUM FACERE SAPIENTEM. vocem *tempus* delendam putarim.

II. C. 1. §. 4. extr. QUANTUM SUPERFUERAT AMICORUM ET REI PUBLICAE TEMPORIS. sic habent nostri libri veteres, vulgati autem mendose, *temporibus* [de meis et scripti et editi habent, *temporis*.]. at Langius neque *temporis*, neque *temporibus* edidit.

C. 3. §. 11. init. PARTIM SUNT INANIMA. sic esse legendum primum libri veteres, deinde Nonius Marcellus, qui hunc locum profert, postremo usus Latini sermonis pervincunt [Nonii locus est 2, 453. p. Mercer. 127, 33. Nonio adstipulatur de meis codex Rehdigeranus 1. et *inanima* et *inanimata*, duplicem lectionem iungens, dedit codex Duisburgensis, in quo sic est scriptum, *partim sunt inanima i. inanimata*.].

Ibid. QUARUM OPERA EFFICITUR ALIQUID AD HOMINUM USUM ATQUE VITAM. sic edendum curavi libris omnibus invitis, sola ratione et veritate fretus. nam si *opere* legeremus, proinde habendum esset atque si ita diceret: quarum *effectu* seu *effecto* efficitur aliquid. nam *opus* est res effecta, *opera* autem labor, qui ponitur in opere faciendo. atque non ita multo post [§. 12.] loquitur, *pleraque sunt hominum effecta operis*, et inferius, *sine opera hominum ulla esse potuisset* [de meis solus Duisburgensis habet, *quarum opera*. vid. L. Doederlein Synonn. L. L. 18, 5. P. 1. p. 113. sq.].

C. 4. §. 13. TECTA VERO QUIBUS ET FRIGORUM VIS PELLERETUR ET CALORUM MOLESTIAE SEDARENTUR UNDE AUT INITIO GENERI HUMANO DARI POTUISSENT AUT POSTEA SUBVENIRE SI AUT VI TEMPESTATIS AUT TERRAE MOTU AUT VETUSTATE CECIDISSENT NISI COMMUNIS VITA AB HOMINIBUS HARUM RERUM AUXILIA PETERE DIDICISSET? in verbo *subvenire* aliquid ulceris subesse puto. nonnulli veteres libri habent, *subveniri*. nihil praeterea varietatis reperi. videtur aliud verbum desiderari, nempe vel *resarciri*, vel *refici* vel tale quoddam [maluit Facciolatus, Latinitati consulturus, *restitui*. aliis placuisse *submuniri*, auctor est Gothofredus p. Laemar. 497. meorum nullus habet *subveniri*, quod in unico exemplari ab Langio repertum Graevius admisit. vid. Heusingeros p. 399.].

§. 15. QUIBUS REBUS EXCULTA HOMINUM VITA TANTUM DISTITIT [non, ut est in lemmate, et habet Orellius p. 369, 32., *destitit*] A VICTU ET CUTU BESTIARUM. sic edendum curavi, libris omnibus invitis. nam *distitit* praeteritum est verbi *disto*, quod verbum hic locum habet [cf. Voss. de Anologia 3, 20. p. 79. sq. et Ruddiman. Instt. Gramm. Lat. 3, 1. P. 1. p. Lips. edit. 210. sq.], *destitit* autem oritur a verbo *desisto*. [meorum plerique *destitit* praeferunt, solus Rehdigeranus 1. *distat*.].

C. 6. §. 19. AD EXITUS PROVEHIMUR OPTATOS. libri veteres habent, *pervehimur* [et sic de meis solus Rehdigeranus 1.].

§. 20. SECUNDAE RES HONORES IMPERIA VICTORIAE QUANQUAM FORTUITA SUNT TAMEN SINE HOMINUM OPERIS ET STUDIIS NEUTRAM IN PARTEM EFFICI POSSUNT. etiam hoc loco sic legendum censeo, nisi quis forte malit legi, *sine hominum opibus*, quomodo scriptum reperi in uno codice manu scripto [ex *opibus*, quod est convenientius ad superiora substantiva, proclivi librariorum errore factum primo *operibus* (opibus), ut habent cum aliis codices Duisburgensis et Bonnensis, item Romana editio Pannartzii a. 1469. (vide ab Drakenborchio notata ad Livii 8. 16, 4. p. 154. repet. editionis), deinde *operis*, quando termini isti finales, *is* vel *iis* et *ibus* plerumque confunduntur, cuius confusionis exemplorum silvam collegit is quem modo laudavi, Drakenborchius ad Livii 21. 60, 7. p. 309. sq. et ad 22. 9, 7. p. 62. sq. *opibus* quo se tueatur habet codicem Rehdigeranum 1. et Rom. Hahn. a. 1469.].

C. 7. §. 23. extr. QUANTUM ODIUM HOMINUM VALEAT AD PESTEM. libri veteres habent, *valet*. quod fortasse rectum est, quamvis nostris auribus aliquanto magis inusitatum accidat [habent mei libri ad unum omnes.].

§. 24. QUAMVIS TIMEFACTA LIBERTAS. sic habent libri veteres, et Memmiani et alii. neque vero dubium cuiquam debet esse, quin ita legendum sit, et miror hoc esse a Langio praeteritum. usus autem hoc verbo est etiam Lucretius in prooemio libri secundi [vv. 43. 44.], *his tibi tum rebus timefactae relligiones Effugiant animo pavidae, mortisque timores* [vid. Commentaria Lucretiana p. 156. de meis unus Rehdiger. 1. facit cum

Lambino et Memmianis, reliqui *tremefacta* maluerunt. vid. Gronov. Diatr. p. 46., laudante Orellio p. 379, 23. Gothofredus p. Laemar. 500. »simili verbo usus Lucretius libro 2., »et Pacuvius apud Nonium v. *vagas* (?), et Cicero II. Epp. »20. alii *labefactata.*« cf. Pareum Lex. Crit. p. 1240, 1.].

§. 25. COMPUNCTUM NOTIS THREICIIS. libri veteres habent, *notis Thraeciis* [»quae scriptura minime aspernanda« inquit Orell. p. 373, 4.], nonnulli *Threcidicis* [apud Gothofredum p. Laemar. 500. legitur, *Thraidicis*], alii *Threciis* [sive *Thraeciis*, ut est in meis Rehdigeranis 1. et 2. reliqui cum Romanis editt. Hahn. et Pannartz. a. 1469. *traiciis* sive *thraiciis* praeferunt. vid. Cortium de Usu Orthogr. Lat. 3, 6. p. 44.].

C. 8. §. 27. extr. SED UNIVERSAS PROVINCIAS REGIONESQUE UNO CALAMITATIS GENERE COMPREHENDERET. libri fere omnes habent, *uno calamitatis iure comprehenderet.* sed videtur legendum, *uno calamitatis genere.* quomodo edendum curavimus [non hoc, sed *iure*, id est, pari statu et conditione, mei libri, quum scripti tum editi, praeferunt.].

§. 28. NISI ENIM MULTORUM IMPUNITA SCELERA TULISSEMUS NUNQUAM AD UNUM TANTA PERVENISSET LICENTIA. nos hanc lectionem nostrorum librorum auctoritate tueri et confirmare possumus. si quis tamen legi malet, *multorum impunitates scelerum*, ut testantur quidam in uno reperiri, non pugnabo, modo fateatur, hanc scripturam, quam secuti sumus, esse rectam et antiquam [ex Omissis post Tom. 1. p. 383, 1. neglexerunt ii quoque, qui praefuerunt repetitionibus Lambinianis. mei nihil variant, quanquam aliter habeat, parum ad Ciceronis mentem, Nonius Marcellus 4, 564. p. Mercer. 407, 19.].

C. 9. §. 32. DE ILLIS TRIBUS QUAE ANTE DIXI BENEVOLENTIAE PRAECEPTA VIDEAMUS QUAE QUIDEM BENEFICIIS PARITUR MAXIME. sic habent omnes libri, et manu scripti et vulgati. quidam tamen legendum putant, *benevolentiae multitudinis*, quia sequitur provocabulum *quae*, quod refert multitudinem: *quae*, || nempe p. 499.
multitudo maxime capitur beneficiis. sic enim in omnibus fere a.
libris legitur. quodsi ita legamus, inquiunt illi, ut est in libris vulgatis, *benevolentiae praecepta videamus, quae quidem beneficiis capitur maxime*, dicet Cicero, *benevolentiam capi beneficiis.* quod non convenit. recte illi. sed nos nimiae audaciae putamus, addere vocem integram, cuius nulla in manu scriptis compareant vestigia. itaque quum hic nihil mutemus, paullo post pro *capitur paritur* legimus. quo depravato factum est *arpitur*, inde *carpitur*, inde *capitur* [vide Drakenborchium et quos hic laudavit ad Livii 6. 32, 11. p. repet. edit. 285., Davisium ad Caesaris I. de B. C. C. 63. §. 2. p. Oudendorp. 585. et Burmannum ad Anthol. Lat. Tom. 1. p. 591.]. si quis tamen ita legi malet, *benevolentiae multitudinis praecepta videamus, quae quidem capitur beneficiis maxime*, non pugnabo. paullo post vocem *benevolentia* temere ab aliquo illatam in contextum delendam puto, et substituendum nomen

multitudo. et fortasse haec vox huc illata eorum coniecturam adiuvat, qui supra *benevolentiae multitudinis* legi volunt, qua lectione comprobata subintelligetur vox *multitudo.*

C. 10. §. 36. extr. QUAMOBREM (UT ANTE DIXI) CONTEMNUNTUR II QUI NEC SIBI NEC ALTERI UT DICITUR. verbum *prosunt*, quod est in vulgatis libris, non comparet in manu scriptis, nisi quod in uno scriptum vidi supra vocem *alteri*, alia manu, «*supple prosunt.*« ex hoc fonte scilicet in contextum manavit, cuius rei exempla sunt in bonis libris innumerabilia, et plura quam velle debeant qui haec sacra tractant [abest istud *prosunt*, insulsi glossatoris commentum, a codicibus Rehdigerano 1. et Duisburgensi, habet Romana editio Pannartz. a. 1469. alieno loco, ante illa, *ut dicitur*, quae excludere maluit Bonnensis, et in reliquis haud incontaminatam servans loci scripturam.].

§. 37. princ. ADMIRATIONE AUTEM AFFICIUNT II QUI ANTEIRE CETEROS VIRTUTE PUTANTUR. sic legendum libris omnibus invitis, non ut vulgo, *admiratione afficiuntur.* nam *admiratione affici* dicuntur, qui admirantur alterum, *admiratione afficere* autem ii, qui sunt aliis admirabiles propter aliquam praestantiam, ut hic.

C. 11. §. 38. QUOD IN QUO VIRO PERSPECTUM SIT HUNC IGNI SPECTATUM ARBITRANTUR. quum et libri veteres tres, quibus Langius est usus, et nostri sic habeant, *igni spectatum*, existimavi, me, qui pollicitus sum hominibus, me ad librorum manu scriptorum normam et auctoritatem hanc editionem directurum, nihil mea fide meôque officio alienum facturum, si ita edendum curarem. est autem tralatio ab auro optimo, perfectissimo et purissimo. Ovidius [I. Tristium 5, 25.], *scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum*, et cetera. velim tamen sic legi, *hunc tanquam igni spectatum arbitrantur.* omnino recepta et vulgata lectio mihi non probatur, *hunc dignum spectatu.* quod si quem haec antiqua suboffendat, fortasse non reiecerit cuiusdam viri docti coniecturam, qui putat legendum, *hunc virum spectatum arbitrantur* [a vero proprius abest codex Rehdigeranus 1., quem sic repraesentare memini, *hunc igni expectatum arbitrantur.* voluitne scriptor aliquis librarius, *hunc igne spectatum arbitrantur?* vid. Voss. de Analogia 2, 12. p. 305. cf. Turnebum Adversariis 19, 1. reliqui *dignum spectatu* habent, Romana Pannartz. a. 1469., *dignum expectatu.*].

§. 40. IUSTITIA AD REM GERENDAM NECESSARIA EST. nonnulli libri veteres habent, *ad rem gubernandam*, ego legendum puto vel, *ad rem publicam gerendam*, vel, *ad rem publicam gubernandam.*

C. 12. §. 41. extr. QUI QUUM PROHIBERET INIURIA TENUIORES AEQUITATE CONSTITUENDA SUMMOS CUM INFIMIS PARI IURE RETINEBAT. secutus sum libros vulgatos. nam manu scripti habent, *pertinebant.* unde suspicor, locum esse corruptum, et lectionem vul-

gatam ex coniectura et ingenio alicuius non indocti hominis esse natam. quam tamen non probo existimoque longe aliter esse adiuvandam, atque hoc modo esse legendum, *ad summos cum infimis paria iura pertinebant. pertinebant* autem, id est perveniebant et permanabant. sic de Natura Deorum libro primo [immo II. C. 55. §. 137. extr. p. Lambin. 235, 37. sed locum subministraverunt Lexicographi Latini, fortasse Nizolius, quem vide p. 541, 1. Facciol.], *venae in omnes corporis partes pertinentes.* si quis tamen vulgatam retinere et tueri volet, non valde pugnabo. sic enim propemodum loquitur infra eodem libro pagina trecentesima octogesima sexta, versu tricesimo septimo [nobis C. 23. §. 83.], *commoda civium non divellere, atque omnes aequitate eadem continere* [*retinebat*, nimirum in fide et officio, ut ait Graevius p. 225., de meis sola Romana Pannartzii a. 1469. de reliquis plures *pertinebat* praeferunt, quod verbum corrector Duisburgensis libri positum existimabat pro *perfecte tenebat.*. solus Bonnensis, *etiam continebat*, idque proprium huic loco verbum putabat Io. Mich. Heusingerus p 456. codicis Rehdigerani 2. corrector apposuit variantem scripturam, *tenebat.*].

§. 42 extr. SIC GLORIA ET QUAERENDA ET COLLOCANDA RATIONE EST [dedi scripturam in lemmate propositam aliquanto correctiorem, auctoritatem Lambini secutus, qui sic reponi iussit in Indice Erratorum p. 626. itaque castiganda fortasse erunt Orelliana p. 379, 23.]. sic omnes quidem libri habent, sed iis omnibus invitis legendum videtur, *sic gloriae et quaerendae et collocandae ratio est.* atque hoc modo operarii isti ediderunt [p. Lambin. 380, 9.], me imprudente et inscio, quum iussissem lectionem vulgatam et receptam servari, quae est, *sic gloria* [*et*, quod abest a Pannartz. a. 1469.] *quaerenda et collocanda ratione est* [et sic mei habent ad unum omnes, solus Duisburgensis positu verborum contrario, *et collocanda est ratione.* pleniorem locum dedit Rehdigeranus 2., sic repraesentans, *et collocanda et tenenda ratione est.*].

§. 43. AT EIUS FILII NEC VIVI PROBABANTUR A BONIS ET MORTUI NOMEN OBTINENT IURE CAESORUM. libri veteres nonnulli habent, *numen*, nonnulli, *numer.*, ex quibus alii *nomen* fecerunt, alii *numerum.* quod magis probo, praesertim quum sic plane habent quidam veteres. Langius tamen edidit *nomen*, quem hic non invitus secutus sum [cum Heusingeris, Gernhardo, Orellio, facit codex Rehdigeranus 1. et Romana editio Pannartz. a. 1469., nisi quod haec *boni* maluit, quam *bonis*, lapsu, opinor, librarii. nam in Hahniana eiusdem anni sic est scriptum, *probantur boni sed.* omnes in *numerum* consentiunt, idque satis idoneam ob causam. vid. Heusinger. ad Cornelii Nepotis Epamin. 7, 1. p. 171. solus Duisburgensis, *et mortui obtinent nomen iure caesorum.* apposuit librarius variantes lectiones, *numerum* et *numen.*].

C. 14. §. 48. post med. MILITESQUE BLANDE APPELLANDO SERMONE DELINIANT. tres libri veteres non habent, *sermone* [mei retinent.].

§. 50. AUT PATROCINII UT NOS PRO SICULIS PRO SARDIS IULIUS. libri vulgati, quibuscum congruunt omnes manu scripti, habent *pro Sardis, pro Albucio Iulius.* at Langius quum videret, hoc cum historia pugnare, quia Iulius Albucium accusavit Sardorum rogatu, sic edidit, *pro Sardis contra Albucium.* ego neque *pro Albucio*, neque *in* [contra] *Albucium* verba Ciceronis esse puto, sed ex annotatione aliqua nata. nam absurdum sit, hic nomen eius qui accusatus sit commemorari, Verris, quem M. Tullius, Servilii, quem duo Luculli accusarunt, sileri [loco conclamato a meis libris nihil opis allatum est. faciunt illi cum Heusingeris, nisi quod plures habent, *aut patrocinio*, Romana editio Hahn. a. 1469. etiam, *pro M. Albucio et Iulius Caesar.* a Gothofredo, p. Laemar. 505., plura turbantur.].

Ibid. IN ACCUSANDO ETIAM [non *autem*, ut est in lemmate] M' AQUILLIO L. FUFII COGNITA INDUSTRIA EST. sic legendum, non ut est in manu scriptis, *Manilio.* nam constat ex Bruto Cice-
b. ronis, M' Aquillium a Fufio accusatum esse, ab An || tonio defensum [vide quae annotantur ad Brutum C. 62. §. 222. p. Lambin. 231, 20. mei consentiunt cum reliquis in *Manilio.*].

C. 15. §. 52. QUANQUAM ENIM IN UTRAQUE INEST GRATIFICANDI LIBERALIS VOLUNTAS TAMEN ALTERA EX ARCA ALTERA EX VIRTUTE DEPROMITUR. haec verba, *altera ex arca*, nos in libris nostris manu scriptis reperimus. itaque retinenda censemus, valdeque a Langio dissentimus, qui ea hinc furcis expulit.

C. 16. §. 56. GRAVIUS ET VERIUS NOS REPREHENDIT. Langius hoc totum, *nos reprehendit*, tollit de medio, ut adulterinum. ego retineo, ut in libris omnibus repertum et ad sententiam necessarium.

C. 18. §. 62. IN IIS TAMEN QUI SE ADIUVARI VOLENT NON UT NE AFFLIGANTUR SED UT AD ALTIOREM GRADUM ASCENDANT RESTRICTI OMNINO ESSE NULLO MODO DEBEMUS. quibusdam legendum videtur, *in eos tamen* [de meis nullus sic habet, quamvis eam lectionem probet Facciolatus. vide quae de hoc constructionis genere disputantur ab Oudendorpio ad Caesaris II. de B. G. C. 32. §. 2. p. 126.].

C. 19. §. 65. extr. QUUM IS ESSET QUI OMNES SUPERIORES QUIBUS HONORE PAR ESSET SCIENTIA FACILE VICISSET. Servius Sulpicius significatur.

C. 20. §. 69. med. COMMODE AUTEM QUICUNQUE DIXIT PECUNIAM QUI HABEAT NON REDDIDISSE QUI REDDIDERIT NON HABERE GRATIAM AUTEM ET QUI RETULERIT HABERE ET QUI HABEAT RETULISSE. totum hunc locum profert Nonius, et valde inepte et ridicule interpretatur, hoc modo: *dixit pecuniam*, hoc est, dat. quasi

vero *dixit pecuniam* legendum sit, sine distinctione [Nonii locus 4, 133. p. Mercer. 280, 31. v. *dicere*, id est *dare*.].

C. 20. §. 71. med. SED FAC IUVARE OPULENTIOR SANE SIT HONESTIOR VERO QUOMODO? etiam nostri libri habent, *utentior sane sit*. unde feci, *opulentior sane sit*, quomodo habet codex unus et alter. nam *ulentior* suspicor esse scriptum a librario aliquo pro *opulentior*, omissis duabus prioribus litteris. hinc *utentior*. quidam amicus meus putat potius esse reponendum, *locuple'ior*. est qui mavult, *divitior*. non deest qui *iuvantior* reponendum censeat, ut referatur ad magnitudinem divitiarum, hoc modo: *magnitudo divitiarum iuvantior sit*. Adrianus Turnebus nulla coniectura opus esse existimat, sed legendum esse, ut habent veteres codices, *utentior*, quod comparativum est a participio *utens* [vide illum Adversariis 19, 1.]. iudicet lector ingeniosus. mihi quidem non placet [cum Turnebo facit Rehdigeranus 1., *utentior* repraesentans, id est, qui pleniore pecunia fruitur, ex eaque plus impendit et sumptus maiores facit, ut ait Iac. Frid. Heusingerus p. 525. cf. Gernhardum p. 255. reliqui, *potentior sane sit*, nullus, *opulentior*.].

C. 21. §. 72. EORUM AUTEM IPSORUM PARTIM EIUSMODI SUNT UT AD UNIVERSOS CIVES PERTINEANT PARTIM SINGULOS UT ATTINGANT QUAE SUNT ETIAM GRATIORA. nostrorum librorum alii habent, *eorum autem ipsorum quaedam partim*, alii, *ipsorum quae partim*. Langius fuisse aliquid dissimilitudinis in suis libris non admonet. nos alterutro modo legi posse arbitramur, vel *ipsorum quaedam partim*, vel *ipsorum partim* [et sic Pannartziana a. 1469. reliqui, ut et Hahniana, illud *quae partim eiusmodi sunt*, vel certe, *partim quae singulos ut attingant*, praeferunt. *partim*, id est aliqua. vide quos laudavit Io. Mich. Heusingerus ad Cornelii Nepotis Attic. 7, 2. p. 317. adde Io. Frid. Gronovium Observationibus 3, 2. p. 342. et cf. Livii 42. 41, 2., ad quem locum Drakenborchius p. repet. edit. 108. Tom. 12. P. 1. laudavit Gellium NN. AA. 10, 13.].

§. 74. MALO ENIM ALII QUAM NOSTRAE OMINARI NEQUE TAMEN DE NOSTRA SED DE OMNI RE PUBLICA DISPUTO. sic quidem habent omnes libri veteres, *malo enim quam nostrae ominari* sed videtur aliquid deesse, ut fortasse ita sit legendum, *alii enim malo quam*, et cetera, vel *alii malo enim*, vel, *cuivis enim malo*, et cetera, vel, *malo enim alii quam*, et cetera, quemadmodum edidimus [meorum plures partim habent *alteri*, partim *alienae*. utrique ex coniectura, quum insolentior ellipsis videretur, vocem supplevere. sed vid. Iac. Frid. Heusingerum p. 532., qui rationem suam probavit quum aliis tum Gernhardo, et habet quo se magis etiam tueatur codicem Rehdigeranum 1.].

§. 75. med. NAE ILLI MULTA SAECULA EXPECTANDA FUERUNT. sic habent etiam nostri libri veteres, hoc est, Memmiani, Pithoeanus, Danielis, neque est in illis ullum particulae *quidem*

vestigium. non est scriptum tamen in illis *nae* per diphthongum *ae*, sed *ne* per vocalem *e*, quomodo scribendum esse arbitror sed usum scribendi in hac re populo concessi, scientiam mihi reservavi, ut ait M. Tullius [Oratore C. 48. §. 168. p. Lambin. 265, 25. vide quae annotantur ad II. Catilinn. C. 3. §. 6. et ad Orationem pro Milone C. 25. §. 68.]. quod autem Adrianus Turnebus, qui biennio fere post horum librorum editionem Langianam hunc locum sic emendandum censet, quasi a nemine alio sit emendatus quasique ipse occupaverit [in Adversariis 19, 1., quorum tomus secundus, duodecim libros posteriores continens, in lucem editus est Parisiis a. 1565. forma quadrata], hanc causam afferre possum, vel illum non vidisse editionem Langianam, vel ut viderit, tamen quum haberet emendationem in suis Adversariis iampridem perscriptam ut et multas alias, non existimasse se cuiquam iniuriam facturum, si, quae multis ante annis et excogitasset et litteris mandasset, ea quamvis ab aliis essent editione occupata, ipse quoque ederet. quod in multis aliis video ei accidisse. quia multa quoque sic erant a nobis emendata et impressa, ut ei visum est, ante quam Adversaria sua ederet [id est, ante annum 1564., quo anno Turnebi Adversariorum Tomus prior, duodecim libros continens, prodiit Parisiis, ex officina Gabrielis Buonii]. neque id mirum est, utpote qui iisdem libris veteribus usi simus, neque sit mirum, eos qui eadem studia tractant in eadem quasi vestigia incurrere.

C. 23. §. 81. CLANDESTINO INTROITU URBEM EST POTITUS. tres libri Memmiani cum vulgatis consentiunt, nisi quod in uno videtur erasa fuisse lineola supra vocalem ultimam vocis *urbe*. nonnulli alii habent ita ut Langiani, *urbem*. omnino utrovis modo legi potest, vel *urbe potitus*, vel *urbem potitus*, ut edidit Langius [vid. Turnebum Adversariis 7, 13. et cf. quae annotantur ad libellum de Fato p. Lambin. 304, 3. nobis C. 7. §. 13. mei libri cum vulgatis faciunt.].

C. 24. §. 84. extr. AT VERO HIC NOSTER VICTOR TUNC QUIDEM VICTUS QUAE COGITARAT TUM EA PERFECIT QUUM EIUS IAM NIHIL INTERESSET. omnes fere libri veteres, et quos vidi et quos non vidi, habent, *at vero hic nunc victor*, nonnulli [ut et Romanae Hahn. et Pannartz. a. 1469], *hic noster victor*. quos sequor. assentiorque Langio, qui putat hoc dictum esse invidiose et amare in Caesarem. quanquam licet etiam dicere, *nostrum* dixisse, quia supra Graecos posuerat. itaque velim sic legi, *at vero hic noster nunc victor, tum quidem victus*, et cetera *tum* autem, id est, me Consule. sed huius loci explicationem pete a Langio [quem vide p. Graev. 274. sq. cum Heusingeris, Gernhardo, Orellio, faciunt Rehdigerani mei. cf. Turnebum Adversariis 1, 19.].

§. 85. PROPTER HUMILITATEM CIRCUMVENIANTUR. non displicet vulgata lectio, *propter imbecillitatem*. sed si veteres co-

dices omnes habent, *propter humilitatem*, quid est quamobrem eorum auctoritatem negligamus [de meis Rehdigerani et Bonnensis *humilitatem*, Romanae editiones Hahn. et Pannartz. a. 1469. *imbecillitatem* praeferunt.] ?

C. 25. §. 89. QUID TERTIUM BENE VESTIRE. sic habent omnes libri veteres, quibus usi sumus, a quibus discedere nefas esse duxi. verum mihi magis placet, *vitire*, quod testatur reperiri in uno libro manu scripto Langius [itemque Nannius Miscellann. 9, 11. Thes. Crit. Gruter. Vol. 1. p. 1365.]. neque tamen Langii sententiam improbo, qui collectis aliquot exemplis ad scripturam antiquam ‖ et receptam confirmandam (ex Tusculana- p. 508.
um quinto [p. Lambin. 187, 14. nobis C. 23. §. 64.], *sepulcrum* a.
vestitum vepribus. ex libro secundo de Natura Deorum [p. 234, 33. nobis C. 53. §. 132. cf. p. 239, 5. nobis C. 64. §. 161.], *montes vestiti atque silvestres*. et ex Sallustio in Iugurtha [48, 3., ubi vide quae notantur a Cortio p. 635.], *collis vestitus oleastro et murtetis*. et ex Columella [3, 4.], *agrum vineis vestire*) ostendit, hanc lectionem esse alteri anteponendam [et a codice Rehdigerano 1. haec absunt, *quid tertium? male pascere*, vel *bene vestire*. Romanae editiones Hahn. et Pannartz. a. 1469., *quid tertium? bene vestire*. in quo consentientem habent codicem Bonnensem. Burleius de Vita et Moribus Philosophh. et Poett. C. 95. fol. 66. recto, edit. princ. *Quum ab eo quaereretur, quae maxime expedirent in re familiari, respondit, quattuor sunt, scilicet bene facere, bene pascere, bene vestire, bene arare*.].

III. C. 1. §. 1. extr. ET OB EAM CAUSAM URBE RELICTA PEREGRINANTES SAEPE SOLI SUMUS. tametsi libri nostri habeant, *rura peragrantes*, ut et vulgati, placet tamen mihi Langii coniectura, qui quum in uno ex suis codicibus antiquis animadvertisset abesse vocem *rura*, coniecit legendum esse, *peregrinantes* [mei vulgatam tuentur, quam immerito Langius sollicitabat.].

C. 2. §. 6. TANQUAM AD MERCATURAM BONARUM ARTIUM. malim legi, *ad mercatum*, tametsi et nostri libri sic habeant, et Nonius ita legat [3, 134. p. Mercer. 213, 4. et 5, 40. p. 431, 22.].

§. 8. QUEM LOCUM MIROR A POSIDONIO BREVITER ESSE TACTUM IN QUIBUSDAM COMMENTARIIS. sic habent libri veteres, vulgati autem [ut et Romana Pannartz. a. 1469.], *tractatum* [vid. quae notantur ab Drakenborchio ad Livii 5. 22, 5. et 35. 32, 13.]. quos sequi malueram, quia videtur mihi Cicero, si vocem *tactum* posuisset, adverbium *leviter* adiuncturus fuisse potius, quam *breviter*. contra *tractatum breviter* convenientius dici

puto quam *tractatum leviter.* verumtamen sequamur libros veteres [cum quibus facit Hahniana a. 1469.].

§. 9. ALTERUM DUBITARI NON POTEST QUIN A PANAETIO SUSCEPTUM SIT SED RELICTUM [non *derelictum*, ut est in lemmate et habent »alii« apud Gothofredum p. Laemar. 516]. libri veteres habent, *sed relictum.* sed librariorum erratum esse puto, quanquam *relictum* non reiicio. sic enim paullo ante loquitur [hac ipsa sectione, ibi, *sed consulto relictum.* quanquam et hoc loco sunt qui *derelictum* praeferant. nostri libri stant a vulgata.].

§. 10. ACCEDIT EODEM TESTIS LOCUPLES POSIDONIUS. quamvis apud Nonium legatur, *locupletis*, veteres codices tamen sequi malui, quum praesertim dici possit, erratum esse librariorum in Nonio, quia diserte non dicat, *locupletis* positum esse a veteribus in casu recto pro *locuples* [recte Nonius a Mercero emaculatus 6, 78. p. 462, 14., *accedit eo testis locuples Posidonius* cf. eundem 1, 98. p. 42, 29.].

C. 3. §. 11. DE EO FORTASSE DUBITARI POTEST. libri nostri habent, *disputari potest.* ego tamen nihil muto [mei fere consentiunt in *disputari*, sola Romana Hahnii praefert *dubitari*.].

C. 6. §. 26. extr. QUAM SI AD SE QUISQUE RAPIAT [sic certe st Romm. editiones a. 1469.] DISSOLVETUR OMNIS HUMANA CONSORTIO. sic habent omnes libri veteres, et quos vidi et quos non vidi, ut alii testantur [et ita Nonius 3, 39. p. Mercer. 196. 14., *dissolvatur necesse est omnis humana consortio.* at Romana editio Hahn. *consociatio*, codex Bonnensis *coniunctio* maluit].

§. 28. QUAE VACENT IUSTITIA. sic quidem habent omnes libri vulgati, neque aliter edidit Langius, sed nostri veteres habent, *quae vacent iniustitia.* et ita sine dubio legendum [reponique iussit Lambinus in Ind. Erratorum p. 626.]. nunquam enim subeunda sunt incommoda animi, quae vacent iustitia, et qui talia incommoda subiret, contra naturam faceret. nunc autem (ut quidem scriptum est in omnibus libris vulgatis) dicit, magis esse contra naturam detrahere alteri sui commodi causa, quam subire omnia incommoda etiam animi, quae careant iustitia. at hoc pugnat cum sensu Ciceronis. vult enim, iniustitiam esse omnium incommodorum maxime contra naturam [ex Omissis post Tom. 4. p. 626., quae ipsa tamen aliquanto post retractavit Lambinus. cf. Muretum VV. LL. 15, 9. Operum Tom. 2. p. 354. sqq. e Cicerone profecit Vincentius Bellovacensis Spec. Doctr. 8, 15. et de Eruditione Puerorum Regalium c. 32. adde, si tanti est, Spec. Doctr. 5, 30. et. Histor. 7. 11.].

§. 32. NULLA ENIM SOCIETAS NOBIS CUM TYRANNIS SED POTIUS SUMMA DISTRACTIO EST. secutus sum libros vulgatos. nam manu scripti habent, *et potius*, quod erratum librariorum est. nam omissum est *s* propter vocem, quae proxime antecedit, *tyran-*

nis [cf. quae notantur ab Drakenborchio ad Livii 30. 3, 7. Tom. 9. p. 230.]. *set* autem scribebant interdum per *t* [vide ad Orationem pro Sylla C. 19. §. 54.]. ita in omnes libros irrepsit *et* pro *sed* [Romana editio Hahn. a. 1469. sic habet, *nulla est enim societas nobis cum tyrannis, sed potius summa distractio est.* et sic codex Rehdigeranus 1., nisi quod hic *et* quam *sed* maluit.].

C. 8. §. 35. TUNC NON UTILITAS REQUIRENDA EST SED INTELLIGENDUM UBI TURPITUDO SIT IBI UTILITATEM ESSE NON POSSE. codices Memmiani duo et nonnulli alii, quibus usi sumus, habent, *relinquenda est.* quam scripturam probo [de meis sola Romana Pannartzii sic repraesentare maluit, *tunc utilitas non requirenda est.*].

§. 36. QUARE ERROR HOMINUM NON PROBORUM QUUM ALIQUID QUOD UTILE VISUM EST ARRIPUIT ID CONTINUO SECERNIT AB HONESTO. Langius admonet, in duobus libris veteribus scriptum esse, *arripiunt et secernunt.* quod probat, et ait figurate dictum esse. nostri libri nihil hic a vulgatis discrepant. quamobrem eos sequimur.

C. 9. §. 38. med. QUUM IN LUCEM ANNULUM INVERTERAT. sic edidit Paullus Manutius, Robertus Stephanus et Carolus Stephanus, et item alii. libri veteres tamen habent, *in locum.* quos sequitur Langius, ego autem vulgatos. nam haec lectio consentanea magis est cum verbis Platonis, ex cuius libro secundo de Re Publica haec sumpta sunt. sic enim Plato [p. 630. A. Part. 3. Vol. 1. p. Bekker. 62, 12.], *τὴν σφενδόνην ἔξω στρέψαντα*, id est, *quum palam annuli extra convertisset. extrà*, id est, *ad lucem* [libri mei non addicunt. pro *inverterat* codex Rehdigeranus 1. *converterat,* Romana editio Hahn. a. 1469. *reverterat.*].

§. 39. post med. QUAMQUAM POTEST ID QUIDEM. in libris veteribus non est negatio, quae tamen videtur necessaria, et reperitur in libris vulgatis, hoc modo, *quamquam non potest id quidem.*

C. 10. §. 45. UT SI ILLE NON REVERTISSET MORIUNDUM ESSET SIBI IPSI. in libris manu scriptis non sunt haec, *ad diem,* quae reperiuntur in vulgatis post verbum, *revertisset.* iccirco ego sustuli [absunt a meis libris. vid. Nonium 8, 11. p. Mercer. 484, 23. voce *vas.* nec illud *sibi* apparet in codicibus Rehdigerano 1. et Duisburgensi, et abesse iubet Hahn. editio a. 1469.].

C. 16. §. 68. NON PLACUISSE MAIORIBUS NOSTRIS ASTUS. nonnulli ex libris veteribus nostris habent *astutos* pro *astus* [sic omnes mei.].

C. 17. §. 71. MALA BONIS ANTEPONIT. nostri libri, ut et Langiani, habent, *ponit ante* [et sic de meis Rehdigeranus 1.].

C. 18. §. 73. SED VINCULIS ET CARCERE CASTIGANDI. nostri libri omnes habent, *et carcere fatigandi,* quomodo et Langiani.

quare sic legendum censeo, quamvis vulgata lectio non sit reiicienda [de meis sola Pannartziana a. 1469. maluit, *castigandi*, reliqui cum Nonio Marcello 4, 215. p. Mercer. 310, 25. consentiunt in *fatigandi*.].

Ibid. HOMINES EIUSDEM CIVITATIS POTENTISSIMOS. omnes libri veteres habent, *homines eiusdem aetatis potentissimos*, quod probo, vulgati *eiusdem civitatis* [et sic Romanae editiones a. 1469. *aetatis* habent codices Rehdigeranus 1. et Duisburgensis.].

§. 74. NON ERAT AEQUUM PRINCIPES CIVITATIS REM HABERE AD SATRIUM NIHIL PRAETER NOMEN PERVENIRE. libri Memmiani habent, *principes civis*. quam scripturam si probabimus (non video autem, cur improbemus), *civis* scilicet accusandi casus erit, numeri multitudinis [de meis sola Romana editio Hahn. a. 1469. *civitatis*, reliqui illud ipsum *civis* praeferunt.].

§. 75. QUI FONS EST FRAUDIUM MALEFICIORUM SCELERUM OMNI-
b. UM. sic || est legendum, et ita habent libri veteres omnes [de meis *fraudum* tuetur sola Romana Hahnii et codex Bonnensis. vid. Oudendorp. ad Appul. Tom. 1. p. 349 et quos laudavit C. L. Schneiderus Doctrina Formarum Latini Sermonis P. 1. p. 256.].

C. 19. §. 78. QUEM PAULLO ANTE FINGEBAM DIGITORUM PERCUSSIONE HEREDITATES OMNIUM POSSE CONVERRERE. sic est sine dubio legendum, et ita scriptum est in duobus libris antiquissimis et longe optimis, quomodo et Langius admonet legi in aliquot suorum. atque ut magis credas ita legendum, nulli libri habent, *ad se*. ascripta sunt scilicet ab aliquo magistro semidocto, quum fortasse ex *converrere* prius fecisset *convertere*. est autem tralatio a piscatoribus, qui genere quodam retis, quod *everriculum* appellant, magnam vim piscium corripiunt. potest etiam dici tralationem esse ab iis servis aut ancillis, quae scopis et verriculis quisquilias et sordes domus unum in locum converrunt, ut postea, in unum acervum congestas, parvo negotio auferant. eadem tralatione usus est Horatius satira quarta libri secundi [v. 37.], *nec satis est cara pisces averrere mensa*, et cetera. sic enim scriptum est in libris manu scriptis, atque ita legendum, quamvis hic locus in nostra editione cum vulgatis consentiat, culpa operarum [vide Commentaria Horatiana p. 151. C. loquitur Lambinus de priore Commentariorum editione, quam publici iuris fecit a. 1561. Lugduni. de meis sola Romana Hahn. a. 1469. praefert, *converrere*, Lambini emendationem egregie firmans. et sic fuit in vetere codice apud Nannium, Miscellann. 9, 11. Thes. Crit. Gruter. Tom. 1. p. 1364. cf. Turnebus Adversariis 20, 13. quod reliqui habent, *convertere*, nempe domum, aut *ad se*, id defendebat docte, ut omnia, Io. Frid. Gronovius Observatt. 4, 5. p. 370. sq.].

C. 20. §. 80. IACTABATUR ENIM TEMPORIBUS ILLIS NUMMUS SIC UT NEMO POSSET SCIRE QUID HABERET. haec Langius non putat esse Ciceronis. cui assentior. ea tamen retinui neque ausus sum tollere, quia in libris antiquis reperiuntur. tantum iussi dissimilibus litteris imprimi.

§. 81. HAEC SUNT QUAE CONTURBENT HOMINES IN DELIBERATIONE NONNUNQUAM. in nostris libris non est vox, *homines*. et vero videtur ab aliquo semidocto adiecta [abest a codicibus Rehdigeranus 1. et Duisburgensi, item ab editione Romana Hahn. a. 1469. iidem libri, aliquanto proprius a vero, sic repraesentant, *haec sunt quae conturbant in deliberatione nonnunquam.* sola tamen Hahniana *perturbent.*].

§. 82. QUID ENIM INTEREST UTRUM EX HOMINE SE CONVERTAT QUIS IN BELUAM AN IN HOMINIS FIGURA IMMANITATEM GERAT BELUAE? nihil muto. sic enim habent libri et quos mihi Memmius suppeditavit et alii, quamvis Langius alios libros secutus, ut ait, *conferat* ediderit [mei faciunt cum Lambino, habentque ex parte consentientes Vincentium Bellovacensem Spec. Doctr. 5, 146. Histor. 7, 12. et Burleium l. l. fol. 64. recto, qui haec repraesentare maluerunt, *quid interest, utrum ex homine quis in beluam se convertat* (Hist. *convertit*), *an* (Burl. *aut*) *sub hominis figura immanitatem beluae gerat?* codex unus Duisburgensis, *se conferat quis.*]. praeterea supra, ubi idem edidit [§. 81. ibi, *si qua sit in ea species, forma et notio boni viri*], *ut videas quae sit in ea specie*, et cetera, nos *species* edidimus, quia sic in nostris libris antiquis scriptum reperimus. neque vero Langii sententiam probare possumus, qui per *speciem* eventum illum et factum vel huius vel illius Marii significari putat. nam apud iuris consultos nomen *species* hoc interdum significat, apud Ciceronem non item. ibi igitur *in ea* subintelligimus *intelligentia tua* [vide Orell. p. 423, 31.].

C. 21. §. 83. HANC CUPIDITATEM SI QUIS HONESTAM ESSE DUCIT AMENS EST. omnes libri veteres quos vidimus habent, *esse dicit*, neque aliter edidit Langius. Rivius tamen legendum censet, *ducit*. quod probo [Orell. p. 424, 22. »obstat tamen v. *fatetur.*« codex Rehdigeranus 1., *si honestam quis esse dicit.* et ita Bonnensis cum Romana Hahnii, nisi quod hi consentientes cum Gud. 3. praeferant, *dixerit.* vid. ad Oratorem quae notantur C. 27. §. 93. Rom. Pannartz. a. 1496., *si quis honestam esse dicit.*].

Ibid. AUT QUO POTIUS CONVICIO A TANTO ERRORE CONER AVERTERE? legendum, *avellere*, si librorum antiquorum auctoritatem sequi volumus. quanquam nonnulli habent, *divellere*, quod minus probo [Lambino sic corrigenti, ut reponatur *avellere*, de meis assunt codex Rehdigeranus 1. et corrector Duisburgensis, qui quum primo dedisset, *a tanto errore conor absolvere*, adscripsit huic verbo alterum illud *avellere*. Hahn. vero a. 1469. maluit *avellere.*].

Ibid. extr. UT HAEC DUO VERBO INTER SE DISCREPARE UNUM SONARE VIDEANTUR. videtur legendum, *re unum sonare videantur*, idque ex obscuris duorum librorum veterum litterarum vestigiis.

C. 22. §. 87. SIN IPSAE OPES EXPETUNTUR QUOQUO MODO POTERUNT ESSE UTILES CUM INFAMIA. sic reperimus scriptum in nostris libris manu scriptis, neque aliter edidit Langius. quidam tamen legi volunt, *quomodo poterunt esse utiles cum infamia*? non male. sed ne haec quidem lectio, quam secuti sumus, reiicienda est, praesertim quum reperiatur in libris antiquis [ex Omissis post Tom. 1. p. 383. particula ignorata repetitionibus Lambinianis. quae nunc recepta lectio est, ea neque diversa est a Lambini ratione, quod hic cum aliis *esse utiles* maluit, et habent praeterea satis firmamenti a codicibus Rehdigerano 1. et Duisburgensi. sòla Romana Hahn. a. 1469., *potuerunt esse utiles sine infamia*.].

§. 88. VINCAT UTILITAS. quidam libri manu scripti habent, *vincat rei publicae utilitas*, et paullo post, *rei publicae utilis*.

C. 23. §. 91. QUI VENENUM FUGIENS VENDAT SCIENS. libri omnes veteres, quibus usus sum, habent, *venenum fugiens*, quomodo et Barnabas Brissonius se in uno item libro antiquissimo scriptum vidisse mihi asseveravit, idque litteris mandavit. probat enim hanc antiquam scripturam, et ait per *venenum* significari bonum et salutare venenum seu pharmacum, *fugiens* autem, id est cuius vis et virtus evanuerit [sed vid. Nonium 2, 337. p. Mercer. 112, 43., qui Ciceroni tribuit *vinum fugiens*, id est, quod non multo post corrumpitur, quamvis nondum sit corruptum, quod, ut ille ait, *deterius fit*. atque hanc scripturam servavit Gud. 3. Heusingerorum, firmat meorum Duisburgensis, probabat Turnebus Adversariorum 20, 13., quem vide.].

C. 24. §. 93. UT ANTE QUAM HEREDITATEM ADEAT LUCE CLARO IN FORO SALTET. sic restitui ex Nonio [3, 118. p. Mercer. 210, 14. sed vide quae ad eum locum a Mercero annotantur p. 709.].

Ibid. PROMISISSE NOLLEM. sic habent libri. Langius autem ex vestigiis antiquae cuiusdam scripturae legit, *promisionem*. omnino haec vulgata et recepta mihi suspecta est. videtur enim legendum potius, *promisisset nollem*. paullo ante hoc eodem versu legendum, *quod promiserit illi* [vid. Indicem Erratorum p. 626.], non, *quod promiserit ille* [itaque hoc eximendum Orellianis p. 428, 29.], vel delendum *ille*, cuius vocis nulla extant in libris plerisque veteribus vestigia [abest a meis libris, codicibus Rehdigerano 1. et Duisburgensi, item Romana editione Hahn. a. 1469. maluit Pannartz. a. 1469. *promiserat ille*, idque provocabulum a correctore accessit libro Bonnensi.].

C. 26. §. 99. QUAE ERAT TALIS. has tres voces iussi aliis litteris imprimi, approbata Langii coniectura, qui eas putat esse alienas. ego tamen, quod ille fecit, non sum ausus eas expungere, propterea quod reperi in nostris veteribus libris. iidem libri habent paullo post, *domui suae*, ut et Langiani, ubi vulgati, *domi suae* [ut Langiani, sic de nostris codex Rehdigeranus 1. et Duisburgensis.], quos secuti sumus, non pugnaturi, si quis huic vulgatae anteponat scripturam antiquam.

C. 31. §. 112. ET PRIMA LUCE POMPONII DOMUM VENISSE DICITUR. sic habent libri omnes vulgati et item aliquot manu scripti, neque aliter edidit Langius, sed alii manu scripti, *cum prima luce.* quod probo. sic enim loquebantur veteres [vid. Burmannum ad Ovidii III. Amorr. 14, 7. Tom. 1. p. 531. nec mei libri variant. ex Nonis 3, 118. p. 210, 14. Mercerus suspicabatur reponendum, *cum primo luci*, idque dare iussit, Beierum secutus, Orellius, quem vide p. 435, 12. erant qui idem, aut certe *primo luci*, repositum mallent apud Caesarem V. de B. G. 31, 3. p. Oudendorp. 250.].

Ibid. extr. IDEM ACERBE SEVERUS IN FILIUM. Nonius [binis locis, 4, 254. p. Mercer. 326, 13. et 4, 425. p. 390, 19.] legit, *idem acerbe severus in filium.* et ita nostri aliquot manu scripti, ubi vulgati, *acerbus et severus.* nos veteres sequimur et Nonium [cum Nonio faciunt de meis codices Rehdigeranus 1., Duisburgensis et Bonnensis, item Romana editio Hahn. a. 1469. cum vulgatis in *acerbus et severus* consentire maluit Pannartziana a. 1469.].

C. 32. §. 113. extr. FRAUS ENIM ADSTRINGIT [reponendum, *distringit*] NON DISSOLVIT PERIURIUM. nihil muto. sic enim habent omnes libri manu scripti, quos vidi. praeterea *distringere* est diversis partibus stringere, longeque aliud significat quam *destringere* et prope contrarium, ut quum dicimus, *destringere ferrum* [vide quae notantur ad III. Catilinarr. C. 1. §. 2. p. Lambin. 326, 27]. Langius || tamen legit hoc loco, *astrin-* p. 501.
get, et ita ediderunt operae, meo iniusu atque adeo me invito a.
[neque tamen satis castigati illi in Indice Erratorum p. 626. mei libri consentiunt in *distringit.* a codice Duisburgensi absunt haec inde a C. 30. §. 110., ibi, *restitisset, quod quia*, usque ad finem libri.].

§. 115. EOSQUE A CENSORIBUS OMNIBUS IGNOMINIIS NOTATOS. nonnulli libri manu scripti habent, *omni gnom. annotatos*, quod a Cuiacio nostro iampridem est observatum.

C. 33. §. 116. extr. CUM HIS VIRIS EQUISQUE (UT DICTUR) SI HONESTATEM TUERI AC RETINERE SENTENTIA EST DECERTANDUM EST. omnes fere libri veteres habent, *veris equisque.* unde alii faciunt, *velis equisque*, ut habent vulgati, alii, *viris equisque.* quos sequimur [et sic dedit Romana editio Pannartz. a. 1469.].

§. 121. extr. SED MULTO FORE CARIOREM SI TALIBUS MONITIS PRAECEPTISQUE LAETABERE. sic restitui libris omnibus invitis, in quibus et scriptum et impressum est, *talibus monumentis* [vid. Orell. p. 438, 19.].

X.

IN CATONEM SIVE LIBELLUM DE SENECTUTE AD T. POMPONIUM ATTICUM.

C. 1. §. 1. VERSAT SUB PECTORE FIXA. quidam libri manu scripti habent, *versat in pectore fixa* [et sic de meis, quos denuo accurate exploravi, codices Gud. 2., Rhedigeranus (de quo dixi in Appendice p. 3.), Trevirensis (vid. ad I. Herenn. C. 2. §. 3.), Bonnensis. Hahn. editio a. 1469. sic repraesentavit, *et versatur pectore fixa.*].

Ibid. ILLE VIR HAUD MAGNA CUM RE SED PLENU' FIDEI. sic habent omnes nostri libri veteres, in his Cuiacianus et Pithoeanus. quod eo notavi, ne quis me temere nonnullos vulgatos secutum esse, scriptos manu improbasse existimet, in quibus affirmant quidam reperiri, *haud magna in re sed*, et cetera [in cod. Gud. 2. sic est, *aut multa cum re*, et deinceps in editionibus Pannartziana a. 1469., Coloniensi sine anni et loci nota, sed Zelliana altera (Ebert. Lex. Bibliograph. Tom. 1. n. 4589.), Daventriensi a. 1489., aliis, quos nominare vix attinet, *sed fide plenus.*].

C. 2. §. 4. med. EANDEM ACCUSANT ADEPTI. omnes libri veteres habent, *adeptam* [de meis *adepti* sola Romana Hahn. a. 1469. et codex Bonnensis.].

Ibid. TANTA EST STULTITIAE INCONSTANTIA ATQUE PERVERSITAS. sic est emendatum in codice Memmiano ex tribus codicibus manu scriptis, quibuscum totidem alii consentiunt. quocirca de veritate huius scripturae non est dubitandum. nam quod in editione Langii impressum est, *tanta inest*, et cetera, mendosum est [nondum mutavi sententiam propositam p. VII. Commentationis eius, quam laudavit Orellius p. 237., anno 1823. non 1813. editae.]

§. 6. QUA NOBIS QUOQUE INGREDIENDUM SIT. nonnulli libri veteres habent, *quam nobis*, et cetera. quae scriptum fortasse recta est. sic enim loquebantur veteres. Lucretius libro primo [v. 112.], *aeternas quoniam poenas in morte timendum.* et ita

saepe. de quo genere dixi in Commentariis Lucretianis [ad l. l. p. 26. vid. Gernhardum p. 14. sq.].

C. 3. §. 7. IMPORTUNITAS AUTEM ET INHUMANITAS OMNI AETATI MOLESTA EST. codices aliquot Memmiani habent, *omni aetate* [et editi quidam veteres hoc maluerunt, quam *aetati*, quod est in Pannartz. a. 1469.].

§. 8. NEC INSIPIENTI IN SUMMA COPIA NON GRAVIS. legendum, ut habent codices Memmiani et Langiani, *etiam in summa copia*, et cetera. atque ita edi iusseram [et habet Romana editio Udalrici Galli, optimis codicibus auctoribus.].

§. 9. NON SOLUM QUIA NUNQUAM DESERUNT. adverbium *nunquam* abest a nonnullis libris manu scriptis, et fortasse recte. sequitur enim negatio *ne*, quae una satis est.

C. 4. §. 10. ANNO ENIM POST QUAM PRIMUM CONSUL FUERAT EGO NATUS SUM CUMQUE EO QUARTUM CONSULE ADOLESCENTULUS MILES AD CAPUAM PROFECTUS SUM QUINTOQUE ANNO POST AD TARENTUM DEINDE QUAESTOR QUEM MAGISTRATUM GESSI CONSULIBUS TUDITANO ET CETHEGO DEINDE AEDILIS QUADRIENNIO POST FACTUS SUM PRAETOR QUUM QUIDEM ILLE ADMODUM SENEX SUASOR LEGIS CINCIAE DE DONIS ET MUNERIBUS FUIT. quamvis ita edideram, partim nonnullos codices manu scriptos, partim vulgatos secutus, probo tamen Langii [quem vide p. Graev. 392. sq.] et Pighii [ad a. 549. p. 219.] emendationem, quae talis est, *Quaestor deinde quadriennio post factus sum*, et cetera.

Ibid. PATIENTIA SUA MOLLIEBAT. sic legendum censeo, ut est in libris vulgatis et plerisque manu scriptis, quomodo legit et Nonius in voce *mollis* [4, 188. p. Mercer. 301, 2. et 4, 309, p. 347, 16.]. Langii autem sententiam, qui non dubitat, quin a Cicerone *moliebatur* scriptum sit, nullo modo probo [nempe sunt qui *moliebat* prae se ferant. inde passivi terminatio perperam addita est, quam et omittunt scriptores librarii loco non suo.].

§. 11. extr. QUAE CONTRA REM PUBLICAM FERRENTUR CONTRA AUSPICIA FERRI. sic habent nonnulli libri veteres, alii, *quae contra rem publicam fierent, contra auspicia fieri.*

C. 6. §. 16. QUO VOBIS MENTES RECTAE QUAE STARE SOLEBANT ANTEHAC DEMENTES SESE FLEXERE VIAI? sic legendum censeo. neque vero difficile fuit, ex *via*, quod est in libris manu scriptis, facere *viaï*, pro quo vulgo legitur *ruina*. *viaï* autem cohaeret cum adverbio *quo*, ut sit *quo viaï*. quod miror, a Langio non esse animadversum [vid. Adrianum Turnebum Adversariis 13, 6.]. iam *mentes dementes* tale est, qualia illa, *nuptiae innuptae, sepultura insepulta*, δῶρα ἄδωρα, γάμος ἄγαμος, et similia sexcenta [vid. Commentaria Horatiana ad I. Carmm. 27, 7. p. 87. E.].

§. 17. SIMILESQUE SUNT UT SI QUI GUBERNATOREM IN NAVIGANDO AGERE NIHIL DICANT. negat Langius, reperiri haec verba,

similesque sunt, in uno libro vetere, et censet delenda. ego et in codicibus Memmianis integra reperi, et in membrana antiquissima Petri Danielis Aureliani, iuvenis eruditi. quin, ne quid dissimulem, in ea membrana primo scriptum fuit *similesque sunt iis, qui gubernationem*, et cetera. deinde alia manu postea supra scriptum est, *ut si qui*, et cetera, salva tamen et integra priore et antiquiore scriptura.

§. 18. ET QUOMODO KARTHAGINI RESISTATUR IAM DIU BELLUM COGITANTI MULTO ANTE DENUNTIO. sic emendatum est in codice Memmiano ex auctoritate duorum codicum manu scriptorum. alii quidam veteres habent, *Karthagini iam diu male cogitanti*, et ita scriptum reperi in membrana Petri Danielis. in quibus omnibus non est verbum *inferatur*, neque habuit in suis Langius, ut apparet ex eius editione. duas autem voces, seu unam, *quomodo*, nos in omnibus reperimus, quam ille vel non reperit, vel delendam putavit.

Ibid. extr. QUAM ILLAM EXSCISSAM ESSE COGNOVERO. toties iam admonui, sic esse scribendum, *exscissam*. est enim a verbo *exscindo*, non *excido* [Commentariis Lucretianis ad 1, 221. p. 39. cf. quae notantur ad I. Academm. C. 12. §. 43. ceterum *excissam* sola habet Coloniensis editio, de qua dixi ad h. l. C. 1. §. 1.].

§. 20 extr. PROVEHEBANTUR [sic correxi istud *provehebant*, ex Indice Erratorum p. 626.] AD RES NOVI STULTI ADOLESCENTULI. sic restituit hunc locum Beatus Rhenanus ex vetere codice. nam
b. vulgati habent, *proveniebant oratores novi*, et cetera. || mendose autem hic operae impresserunt, *provehebant res*, et cetera [ponam ipsa verba Rhenani, Castigationibus in Taciti XI. Annales p. Froben. 129. edit. a. 1533. »proferam alterius gene»ris e *Cicerone* exemplum. libellus de Senectute cui non est in »manibus? cui ignotus versiculus ille, qui citatur e Naevio »poeta, *proveniebant oratores novi, stulti, adulescentuli?* quis »est, cui non optime habere sententia videatur? nec vero pror»sus habet male, si quis reputet eloquentiam illam δημήγορον, »quae praecique apud Graecos viguit, quemadmodum ex Ora»tionibus Isocratis liquere potest, nonnunquam existere comi»tem seditionum, effrenati populi incitamentum, contumacem, »temerariam, arrogantem, quae in bene constitutis civitatibus »non oritur? his enim elogiis hanc ornat auctor Dialogi, qui »de Oratoribus inscribitur, huic annexus volumini. sed tamen »quando carmen claudicat, possit quis suspicari veterem scri»pturam, quae mendosae lectioni praestiterit occasionem, hu»iusmodi fuisse: *provehebant uradres* (sive *uratres*) *novi*, »*stulti, adulescentuli*. ut debeat sic stare carmen: *provehe»bantur ad res novi, stulti, adulescentuli*. sic enim aptius »cohaerebit cum versu praecedenti: *cedo, qui vestram rem »publicam amisistis tam cito?* responsio: *provehebantur ad res »novi, stulti, adulescentuli*. nam hinc maxima pernicies rei

»publicae, quod homines novi, imprudentes et invenes rebus »moderandis imponebantur: quum oratores contra si *novi* forent, »carerent auctoritate, *stulti* potius riderentur, contemnerentur »*adulescentuli*. sed hoc ad arbitrium eruditorum referimus, in»quirentes, nihil pronunciantes.« haec ille.].

Ibid. PRUDENTIA SENECTUTIS. quidam libri veteres habent, *prudentia senescentis*. quod si probabimus, subintelligendum erit *ἀπὸ κοινοῦ aetatis* [illud *senescentis* habet etiam Romana editio Udalrici Galli, *senectutis* vero Pannartziana a. 1469. cum reliquis maluit. atque haec sola, quod sciam, sic dedit, *temeritas est videlicet florescentis aetatis, prudentia senectutis*.].

C. 7. §. 24. QUANQUAM IN IIS MINUS HOC MIRUM. nonnulli codices veteres habent, *quanquam in aliis*, et cetera. quod probo. *in aliis* autem, id est, in iis, quae sciunt ad se pertinere [Romana editio Udalrici Galli, *in aliis vel his*, duplicem repraesentans lectionem. *in illis* vero, quod plures prae se ferre narrantur, id est, *in aliis*. vid. quae annotantur ad II. Accusat. C. 66. §. 160.].

C. 9. §. 30. extr. UT ADOLESCENTIAM NON REQUIRERET. sic legendum, non, ut edidit Langius, *anquireret*. nam ut omittam, quod ratio hanc quam secutus sum scripturam flagitat, etiam eam confirmant codices Memmiani, Cuiacianus, Clericanus, Huraltinus.

C. 10. §. 33. SUAQUE CUIQUE PARTI AETATIS TEMPESTIVITAS EST DATA. sic habent omnes libri manu scripti, quos quidem viderim. quos malui sequi quam Nonium, qui legisse videtur *tempestas* [4, 427. p. Mercer. 407, 33.].

Ibid. UT ENIM INFIRMITAS PUERORUM EST FEROCITAS IUVENUM GRAVITAS IAM CONSTANTIS AETATIS SIC SENECTUTIS MATURITAS NATURALE QUIDDAM HABET QUOD SUO TEMPORE PERCIPI DEBEAT. in nullis veteribus libris reperi nec *enim*, nec *est*, nec *sic*; in omnibus contra legitur, *quiddam habeat*. unde totus hic locus ex superioribus videtur pendere atque ita legendus esse, *suaque cuique parti aetatis tempestivitas est data, ut et infirmitas puerorum, et ferocitas iuvenum, et senectutis maturitas naturale quiddam habeat*, et cetera. quod idem admonuit Langius, sed obscurius.

§. 34. HOSPES TUUS AVITUS. iam pridem sic esse legendum admonuit Iacobus Cuiacius, iuris consultus doctissimus [scripti plerique *habitus* prae se ferunt, id est, ut Theodorus Graece reddidit, *ὁ νομιζόμενος*. sunt etiam, qui exulare utrumque iubeant, et *habitus* et *avitus*. transposuit Romana editio Hahn. a. 1469, sic repraesentans hunc locum, *audire te arbitror, Scipio, hospes tuus Maxinissa* (sive *Maximissa*, ut est in Livianis codicibus 24. 49, 1. Tom. 7. p. repet. edit. 847.) *habitus quae faciat hodie, nonaginta natus annos*, id quod merito probatur Orellio, quem vid. p. 251, 16. de numero annorum Masinissae vix dubites. solus enim, quod sciam, codex Trevirensis,

quo usus sum, dedit, *LXXXX annos natus*, apposita altera lectione *octoginta*.].

C. 11. §. 35. AT ID QUIDEM NON PROPRIUM SENECTUTIS VITIUM EST SED COMMUNE VALETUDINIS. Langius edidit, *invaletudinis*, quod et ego reperi in nonnullis libris.

Ibid. RESISTENDUM LAELI ET SCIPIO SENECTUTI EST EIUSQUE VITIA DILIGENTIA COMPESCENDA SUNT. in codice Memmiano ex duobus antiquis scripta est haec emendatio, *compensanda sunt*. unde suspicor, Langium, quum ita in suis scriptum reperisset, fecisse, *compescenda sunt*. vulgati habent, *corrigenda sunt* [mei tuentur *compensanda sunt*. vid. Orell. p. 252, 10. solus Bonnensis, *compescenda*.].

§. 36. NEC VERO CORPORI SOLUM [ita et codices Gud. 2., Rehdiger., Trevir., Bonnensis, a me denuo explorati. nec aliter Coloniensis editio, de qua dixi ad h. l. C. 1. §. 1.] SUBVENIENDUM EST SED MENTI ATQUE ADEO MULTO MAGIS. sic habent omnes fere libri veteres, *sed menti atque animo multo magis*. sed fuit quum ita legendum putarem, *sed etiam menti, atque adeo multo magis*. neque me huius coniecturae poenitet. sequitur enim deinceps, *nam haec quoque*, et cetera. *haec*, scilicet *mens*. quodsi *animo* scripsisset Cicero, subiunxisset, *nam hic quoque*, et cetera. mendose autem hic operae fecerunt *num* pro *nam*, et *extinguuntur* pro *extinguitur* [vid. Indicem Erratorum p. 626. Graevius p. 414. »si hoc verum esset, »scribendum etiam fuisset, *extinguitur*. atqui *extinguuntur* in »omnibus editis et scriptis, scilicet *animus* et *mens*.« habet tamen istud *extinguitur*, quo se defendat, ex editis Lugdun. a. 1512.].

Ibid. NISI TANQUAM LUMINI OLEUM INSTILLES. docti quidam legendum censent, *tanquam elychnio*.

Ibid. EXTINGUUNTUR SENECTUTE. legendum, *extinguitur*, et ita edi iusseram. subintelligitur enim, *mens*. et paullo ante, *nam haec quoque*, et cetera, videlicet *mens*. errata sunt operarum [satis castigata ab Lambino in Indice Erratorum p. 626., quem Indicem VV. DD. fere neglexerunt].

§. 38. SI NEMINI EMANCIPATA EST. sic esse legendum iampridem admonui [Commentariis Horatianis, ad Epod. 9, 12. p. 280. B.], idque ex Nonio [2, 286. p. Mercer. 105, 16. v. *emancipatum*. cf. Pareum Lex. Critico p. 412, 2. et Heusingerum ad II. Philipp. C. 21. §. 51. p. 324. sed mei libri non addicunt, et vid. quae annotantur ab Orellio p. 253, 1. unum moneo, Coloniensem sive Zellianam editionem, quam saepe iam laudavi, sic habere, *si nemini est* (e) *mancipata*.]. *emancipare* autem valet, alteri in manum tradere.

Ibid. SI USQUE AD EXTREMUM SPIRITUM DOMINATUR IN SUOS. libri quidam veteres habent, *si usque ad ultimum spiritum vendicet ius suum*.

C. 13. §. 44. CARET VINOLENTIA ET CRUDITATE ET INSOMNIA. libris omnibus invitis emendo, *insomnia. insomniam* autem interpretor *ἀυπνίαν*, id est, somni capiendi difficultatem, seu potius somni privationem. quo nomine utitur et Terentius in Eunucho [2. 1, 13. p. Lips. edit. 113.], *nam aut iam revertere aut mox noctu te adiget horsum insomnia* [sed vid. quae notantur a Petro Suffrido p. [Graev. 420 et cf. Servium Commentariis Virgilianis ad IV. Aeneid. 9. Tom. 2. p. Burmann. 464.].

Ibid. DELECTABATUR CREBRO FUNALI ET TIBICINE. sic habent libri omnes manu scripti, et ita edidit Langius. cui assentior. nam (ut ait idem) non dicit M. Tullius, Duillium [non *Duillum*, ut legitur p. contextus verborum 412, 8., culpa librariorum. equidem *Duilium* ab Lambino positum existimem. cf. Orell. p. 255, 25. sed meorum qui sunt melioris notae, ii *Duellium* prae se ferunt, verissima huius nominis scriptura. vid. Car. Frid. Heinrichium V. D. Emendd. ad I. de Re P. p. 158.] uno funali delectari solitum, sed multo et crebro. si quis tamen malet legi *cereo*, quod alii substituerunt, non pugnabo. testabor tamen hanc esse scripturam antiquam et, ut arbitror, rectam et veram [cf. Comment. Horatiana ad II. Carmm. 12, 2. p. 113. C.].

§. 45. ACCUBITIONEM EPULAREM AMICORUM. Nonius legit, *accubitionem*. quem sequimur, quum praesertim cum eo faciant nonnulli libri veteres [Nonii locus 1, 194. p. Mercer. 42, 11. cf eundem 3, 22. p. 193, 30. cum Nonio faciunt codices, quos equidem vidi, Gud. 2., Trevirensis, etiam Duisburgensis, incipiens a C. 13. §. 44., ibi, *tantum licentiae dabat gloria*, p., uti nunc signatus liber est, 143. in codicibus Rehdigerano et Bonnensi legitur, iuncta duplici lectione, *accubitationem* sive *accubitacionem*. cf. Heusinger. ad I. de Off. c. 35. §. 129. p. 300.].

C. 14. §. 46. post med. ET IS SERMO QUI MORE MAIORUM A SUMMO ADHIBETUR IN POCULO. deleta voce *magistro* ita hic legendum censeo, *qui a summo adhibetur*, quamvis omnes quos vidi libri eam habeant. *a summo* autem, id est, ab eo qui summus accumbit. in conviviis enim alii *summi* accumbebant, alii *imi*, ut docuimus in Commentariis Horatianis [ad II. Satirr. 4, 39. p. 151. E. F.]. deinceps autem malim legi, *in poculis*, ut habet liber Danielis et Pithoei, quam ut alii, *in poculo* [vid. Adrianum Turnebum Adversariis 13, 6. *in poculis* de meis unus Rehdigeranus. illud autem *magistro* sive *magisterio* (nam et hoc interpretamenti loco a libris est) sedem non satis certam habet.].

§. 47. extr. ERGO HAEC NON DESIDERARE DICO ESSE IUCUNDIUS. ex libris manu scriptis alii sic habent, *ergo hoc non desiderare*, et cetera, alii non habent pronomen *hoc*, alii habent, *ergo haec non desiderare*, alii non habent *non desiderare*. quos Langius secutus est. nulli habent, *quam frui*. et vero res ipsa loquitur, ab aliquo esse adiectum. nam satis subintelligitur ex superiore illo loco, *iucundius est carere, quam frui*. sed in

hoc praeterea immutavit vulgatam lectionem Langius, quod non *ergo hoc*, sed *hoc ego* edendum curavit.

§. 48. PRIMUM PARVIS FRUITUR REBUS. sic esse legendum quum superiora declarant, tum illud, *quod est in adolescentia vitiosissimum.* libri vulgati habent, *parvis fruitur rebus* [meorum nullus habet *parvis*, tuentur omnes *parvulis.* sola Coloniensis, mutato verborum ordine, *primum fruitur parvulis rebus.*].

C. 15. §. 51. DEINDE VAPORE ET COMPLEXU SUO DIFFUNDIT. libri veteres habent *et compressu suo*, quos secutus est Langius, et laudo factum [de meis sola Pannartziana a. 1469. habet *complexu*, editiones vero Coloniensis, quam saepe iam laudo, et Lipsiensis a. 1516., *et compressum sulco diffundit.*].

p. 502. a. Ibid. ET ELICIT HERBESCENTEM EX EO VIRIDITATEM. legendum fortasse est, *et eiicit*, in quibus verbis saepe variatum est [vide quae notantur ad Il. de Divinatione C. 72. §. 149.].

§. 52. AUT EX ACINO VINACEI. omnes libri habent, *ex acino vinaceo* [vid. Turnebum Adversariis 13, 6. »*acinum* autem *vinaceum* ea dici forma censeo, qua *gallum gallinaceum* et *cunilam gallinaceam* dicebant. nam distinctionis gratia *vinaceus* ei »velut appenditur, ne ambiguitate verbi fallamur et *acinum ebuli* »aut *sambuci* aut *mali punici* intelligamus.« adde quae disputantur a Gernhardo p. 99. sq. *ex acini vinaceo* habet Pannartziana a. 1469. cum Nonio 3, 19. p. Mercer. 193, 14.].

§. 54. extr. QUIBUS NIHIL INVENIT AGRICOLA SOLLERTIUS. legendum ut habent omnes libri veteres, *agricultura* [de meis *agricola* habent editiones Veneta a. 1484., Daventriensis a. 1489., Coloniensis a. 1505., Lugdunensis a. 1512., aliae, *agricula* habet Romana Pannartzii a. 1469.].

C. 16. §. 56. ET PENUARIA EST. libri veteres omnes habent, *penaria.*

§. 58. extr. ID IPSUM TAMEN UT LUBEBIT. secutus sum libros vulgatos. nam manu scripti habent, *id ipsum tamen utrum lubebit* [Romanas editiones, Hahn. et Pannartz. a. 1469. *utrum lubebit*, non *ut lubebit*, repraesentare memini.].

C. 17. §. 59. QUI AFFLARENTUR E FLORIBUS. sic habent tres codices manu scripti, Cuiacianus autem *efflagrarentur.* unde facile fieri posset *efflarentur.* posset tamen etiam indidem elici *efflagrarent*, sed iudicent acutiores. ego *afflarentur* probo, neque *efflarentur* tamen damno. *afflarent* etiam, quod tamen nusquam reperi, ferri potest [et scripti et editi mei partim *efflarentur* habent, partim *efflarent*, tum vel *e floribus*, vel *floribus*, omissa praepositione, unus etiam Bonnensis, *ex arboribus.* sola denique Coloniensis editio, quam Zellianam alteram esse dixi, haec repraesentavit, *et suavitatem odorum afflantem e floribus.*].

§. 60. AD CENTESIMUM ANNUM ACCEPIMUS VITAM PERDUXISSE. nostri fere omnes libri veteres non habent *vitam*, neque videntur habuisse Langiani [et a meis qui sunt melioris notae abest, nec habet Romana editio Hahn. a. 1469. in codice vero Duisburgensi sic est scriptum, *M. quidem Valerium Corvinum accepimus ad centesimum annum pervenisse, quum esset iam exacta* (sic et Pannartz. a. 1469. et Veneta a. 1484., Daventr. a. 1489. et aliae) *aetate in agris eosque coleret.*].

§. 61. IN QUEM ILLUD ECLOGIUM »UNO ORE PLURIMAE CONSENTIUNT GENTES POPULI PRIMARIUM FUISSE VIRUM.« secutus sum editionem et coniecturam Langianam. nostri enim omnes libri veteres habent, *elogium unicum plurimae*, et cetera. monuit me similis locus libri secundi de Finibus [p. Lambin. 70, 32. nobis C. 35. §. 116.]. verumtamen, ut dicam quod sentio, vocem *unicum* retinendam puto, ita ut cohaereat cum *eclogium* et ita legatur, *in quem illud eclogium unicum, uno ore plurimae consentiunt*, et cetera. credibile enim est, duas voces, *uno ore*, a librario esse omissas, propter similitudinem nominis *unicum*. quodsi quis hoc totum, *uno ore*, delendum censebit, propterea quod non reperitur in libris manu scriptis, non repugnabo. *eclogium* autem quare edendum curarem, non ut vulgo, *elogium*, alibi causam exposuimus [vide vel ad Orationem pro Cluentio C. 48. §. 135.].

C. 18. §. 65. extr. QUANTA IN ALTERO DIRITAS. sic edendum curavit Langius, Nonium secutus [1, 120. p. Mercer. 30, 19. et 2, 247. p. 100, 27.], et item ego. sed liquet mihi deierare, me in novem codicibus veteribus plane reperisse scriptum *duritas*, idque mihi longe magis placet, quam *diritas*, recteque opponitur *comitati;* non item *diritas*. praeterea parciores et severiores in filios patres *duri* et *ferrei* dicuntur, non *diri* [et scripti et editi mei *duritas* habent, non *diritas*, unus Duisburgensis, *rigiditas*. vid. Gernhardum V. D. p. 126.].

C. 19. §. 66. extr. AUT ETIAM OPTANDA. sic habent libri veteres, alii, *appetenda* [sic certe Pannartz. a. 1469., Daventriensis a. 1489., aliae]. doctus quidam existimat legendum, *oppetenda*.

§. 68. extr. QUUM ID QUOD ILLE SPERAT HIC CONSECUTUS EST. legendum fortasse est, *quod id quod*.

§. 70. NEQUE SAPIENTI USQUE AD »PLAUDITE« VENIUNDUM. sic libri veteres fere omnes habent, et ita edidit Langius, vulgati autem, *vivendum* [sic certe Pannartz. a. 1469.]. quod quamvis non damnem, illud alterum tamen magis probo. est enim venusta translatio, ut et infra paullo post, ibi, *sin processeris longius*, id est, sin diutius vixeris.

C. 20. §. 72. QUUM INTEGRA MENTE CERTISQUE SENSIBUS. sic plerique habent libri veteres, nonnulli vulgati, *ceteris*. quidam legi volunt, *rectisque sensibus* [vid. ad V. Epp. ad Atticum 21.

cum Lambino facit Nonius 1, 196. p. Mercer. 42, 22., faciunt codices Gud. 2. et Trevirensis, et editio Romana Hahn. a. 1469.].

C. 21. §. 77. MUNERE QUODAM NECESSITATIS ET GRAVI OPERE PERFUNGIMUR. videtur legendum, *gravi onere*, vel potius, *gravi opera*. sic Lucretius [1, 1107.], *parva perfunctus opella*. verumtamen nihil hic ausim mutare sine librorum manu scriptorum auctoritate.

§. 78. NUNQUAM DUBITASSE QUIN EX UNIVERSA MENTE DIVINA DELIBATOS ANIMOS HABEREMUS. alias *delibratos*, id est, decerptos et detractos, quasi *corticem detractum* dicas [vid. quae annotantur ad II. de Inventione Rhetorica C. 58. §. 74.]. nam omnino idem dicit, quod libro quinto Tusculanarum Quaestionum [p. Lambin. 183, 21. nobis C. 13. §. 38.], *humanus autem animus decerptus ex mente divina cum alio nullo*, et cetera.

Ibid. extr. HAEC PLATONIS FERE. libri quidam veteres habent, *haec Plato noster*.

C. 23. §. 82. extr. QUOD QUIDEM NI ITA SE HABERET UT ANIMI IMMORTALES ESSENT HAUD OPTIMI CUIUSQUE ANIMUS MAXIME AD IMMORTALITATEM ET GLORIAM NITERETUR. sic edi malui, quam ut Langius, *ad immortalitatis*, quamvis nonnulli libri veteres sic habeant. nam ego quoque in duobus codicibus Memmianis scriptum reperi, *ad immortalitatem et gloriam* [et sic dedit Rebdigeranus]. vulgati autem habent, *ad immortalem gloriam*. quam lectionem non damno [eandemque firmant et scripti mei et editi veteres.].

XI.

IN LAELIUM SIVE LIBELLUM DE AMICITIA AD T. POMPONIUM ATTICUM.

C. 2. §. 9. MEMINERAM PAULLUM VIDERAM GALLUM SED HI IN PUERIS CATO IN PERFECTO ET SPECTATO VIRO. sic emendatum reperimus in codice Memmiano, quam emendationem multi alii codices manu scripti comprobant. itaque edidit Langius.

C. 3. §. 11. NISI ENIM (QUOD ILLE MINIME PUTABAT) IMMORTALITATEM OPTARE VELLET QUID NON EST ADEPTUS QUOD HOMINI FAS ESSET OPTARE? locus mihi suspectus. nam primum quid sibi haec volunt, *quod ille minime putabat*? utrum hoc significant, non esse optandam homini immortalitatem? an minimi faciendam esse immortalitatem, quasi scriptum sit, *minimi esse putabat* seu *minimi putabat*? at quis immortalitatem parvi aestimet? an per immortalitatem ἀποθέωσιν significari dicemus, quod

Langio videtur? deinde, quis ita loquitur, *volo optare immortalitatem*? quasi vero *velle* et *optare* non idem fere valeant. Aristoteles quidem, bonus auctor, libro tertio Ἠθικῶν, ubi disputat περὶ βουλήσεως et προαιρέσεως, in harum vocum differentiis hanc etiam numerat, quod ‖ βουλόμεθα seu *volumus* interdum ἀδύνατα, id est, quae fieri non possunt, sed προαιρούμεθα, id est, *sumimus* iam consilio capto ea dumtaxat, quae fieri possunt. en tibi *velle* ἀδύνατα idem, quod *optare* ἀδύνατα. haec me de hoc loco dubitare cogunt. quid? si quis ita legat, *nisi enim* (*quod ille homini faciendum non putabat*, seu *fas esse non putabat*) *immortalitatem optare vellet*, seu *optaret*, *quid non est adeptus*, et cetera. quid? si sic, *nisi enim* (*quod ille minime petebat*) *immortalitatem petere vellet*, *quid non est*, et cetera. verumtamen nihil mutandum censeo sine codicum veterum auctoritate. b.

C. 4. §. 13. extr. QUUM E [non *ex*, ut est in lemmate] CORPORIBUS EXCESSISSENT. sic habent nostri libri veteres, cum vulgatis congruentes, Langius autem edidit, *exissent*. non dissimulabo tamen, in aliis aliquot scriptum esse, *e corpore* [Gud. 2. *ex corpore*, cod. Duisburgensis, *e corporibus*, Lambini lectionem egregie firmans.].

§. 14. TUQUE ETIAM SCAEVULA MECUM VENISSES. nihil mutatum est in codice Memmiano. quamobrem nec ego hic quicquam muto, quanquam Langius edidit, *me convenisses*, secutus alios libros etiam manu scriptos [mei faciunt cum Lambino.].

Ibid. MAERERE HOC EIUS EVENTU. iusseram hic operas sequi editionem Langianam, *maerere hunc* [? hoc] *eius eventum*, et cetera. nam nostri libri cum vulgatis consentientes habent, *hoc eius eventu* [et scripti et editi mei stant a vulgata. sed perinde est. vid. quae disputantur ad h. l. a. Gernhardo V. D. p. 35. sq. Gothofredo placuit, *maerere hoc eius eventum*.].

§. 15. post med. FAMA DELECTAT FALSA PRAESERTIM. has duas voces, *falsa praesertim*, delevit Langius pro suo iure, contra omnium librorum manu scriptorum auctoritatem. nos retinuimus [vid. Gernhardum p. 39. ab Romana Hahn. a. 1469. abest, *falsa*.].

Ibid. extr. QUOD EX OMNIBUS SAECULIS VIX TRIA AUT QUATTUOR NOMINANTUR PARIA AMICORUM. legendum puto, libris omnibus invitis, *numerantur* [Lambini coniecturae, quam suam fecit, sed corruptam, Gothofredus p. Laemar. 562., favet codex Gud. 2. sed. vid. C. 6. § 22., ibi, *sed de vera et perfecta loquor* (amicitia), *qualis eorum*, *qui pauci* (Rom. editio Hahn. a. 1469., *perpauci*) *nominantur*, *fuit*. locum in usus suos convertit Ioannes Sarisberiensis, Policratico 3, 7. p. 168. *in tot circulis saeculorum*, *in tanto aetatum lapsu*, *in tanta multitudine et differentia personarum vix*, *ut ait Laelius*, *tria inveniuntur aut quattuor paria in amore*.].

C. 5. §. 20. UT OMNIS CARITAS AUT INTER DUO AUT INTER PAUCOS IUNGERETUR. sic est emendatum in codice Memmiano. *duo* autem usurparunt veteres in quarto casu pro *duos*, ut alias admonuimus, idque non semel [vide ad III. Epp. 4. p. Ernest. 57. transtulit haec in suum thesaurum Vincentius Bellovacensis, Spec. Doctr 6, 82. et Histor. 7, 13 *quanta sit vis amicitiae, ex hoc potest intelligi* (Hist. l. l., *intelligi potest*), *quod ex infinita societate generis humani, quam conciliavit ipsa natura, ita contracta res est et adducta in angustum, ut omnis caritas inter duos vel inter* (haec vox abest a Spec. Hist. 7, 13.) *paucos concilietur.*

C. 7. §. 23. QUOD BONAM SPEM PRAELUCET IN POSTERUM. sic etiam nostri libri habent. omnino mirabiliter et pereleganter dictum pro eo, quod est *spem ostendere*, tanquam lucem quandam praelatam. translatum ab iis, qui lucem alicui praeferunt et, ut loquitur Lucretius, *lumen praepandunt.* sic ille libro primo [v. 145.], *clara tuae possim praepandere lumina menti* [et Romana editio Hahn. a. 1469., *quod bonam spem praelucet*, et cod. Collegii SS. Trinitatis Cantabrig., quo usus est Barkerus, *quod bonam semper spem praelucet.* Turnebus Adveiss. 13, 7. »in libro de amicitia editum est, *quod bona »spe praelucet in posterum*, ubi eruditi se in libris vetustis »dicunt invenisse, *bonam spem.* quod ea forma dictum erit, »qua apud Plautum in Curgulione, *tute tibi luces cereum*, »id est, praefers tibi lucentem cereum, ut si *lucem lucere* dice»remus. sic *praelucere bonam spem*, erit velut bonam spem »praelucentem et praefulgentem gerere et ostendere. non est igi»tur illa antiquitatis formula aspernanda, quae et librorum te»stimonio et Comici exemplo defenditur. tamen quod rece»ptum est, etiam damnandum non est, ut locus iste accusandi et »auferendi casui pro controverso et litigioso relinquatur.« vid. Ernest. p. 979.].

§. 24. extr. HACTENUS MIHI VIDEOR DE AMICITIA QUOD SENTIREM POTISSIME DIXISSE. etiam in codice Memmiano notata est haec librorum antiquorum scriptura, *potuisse dicere*, quam non praetermisit Langius. et ita habent ceteri codices veteres, quibus usi sumus, Pithoei, Danielis, Cuiacianus [et codices Gud. 2. et Duisburgensis, et Romana editio Hahn. a. 1469. receptam merito defendunt, *potuisse dicere*, nec aliter habere videtur codex Collegii SS. Trinitatis Cantabrigiae, cuius lectionem dedit Barkerus ad calcem Catonis et Laelii quartum a se editi p. 70. sqq. a vero aberrant, deterioris notae librum secutae, Pannartziana a. 1469., Daventriensis a. 1489., aliae, quibus olim usus sum.].

§. 25. NOS AUTEM A TE POTIUS QUANQUAM ETIAM AB ISTIS SAEPE QUAESIVI ET AUDIVI NON INVITUS EQUIDEM SED ALIUD QUODDAM FILUM ORATIONIS TUAE. verbum *expetimus* abest fere ab omnibus libris manu scriptis. itaque legendum videtur, *sed aliud quoddam est filum*, et cetera. et ita fere edidit

Langius. codex Huraltinus tamen et Pithoeanus habent, *sed aliud quoddam filum orationis tuae exspectamus.* quam rectam scripturam esse arbitror, et ita edi iusseram. quanquam existimant docti quidam, hoc esse ex annotatione natum, et venustius verbum subintelligi quam scribi [equidem et *expetimus* sive *expectamus* (vid. ad Milonianam c. 19. §. 49.) et *est* glossatoribus accepta refero, nec habent ista verba in libris, quos quidem adhuc vidi, sedem satis certam. cod. Gud. 2., *sed est aliud quoddam filum orationis tuae.* editiones Hahn. a. 1469. et Daventriensis. a. 1489., *sed aliud filum orationis tuae expetimus.* Pannartz. a. 1469., *sed aliud quoddam expetimus filum orationis tuae.* codex Duisburgensis, a me denuo collatus, *sed aliud quoddam filum orationis tuae expectamus.* cod. Collegii SS. Trinitatis Cantabrig. apud Barkerum p. 71., *sed aliud quoddam filum expectamus orationis tuae.* vid. Beierum V. D. Annalibus Scholasticis Darmstadd. a. 1826. II, 9. col. 77.].

C. 8. §. 26. SED ANTIQUIOR ET PULCHRIOR ET MAGIS A NATURA IPSA PROFECTA ALIA CAUSA. quidam libri veteres habent, *a natura ipsa perfecta* [vid. ad Cluentianam C. 6. §. 18. et monuit de hoc scribarum lapsu, qui satis frequens est, ut alios taceam, Drakenborchius ad Livii 37. 6, 7. Tom. 10. p. repet. editionis 696. receptam firmat Nonius 5, 17. p. Mercer. 426, 6.]. ego sive *perfecta*, sive *profecta* quis malit, delendum puto.

C. 10 §. 33. MUTARI ETIAM MORES HOMINUM SAEPE DICEBAT ALIAS ADVERSIS REBUS ALIAS AETATE INGRAVESCENTE. plerique libri veteres habent, *alios adversis rebus, alios,* et cetera. ego vulgatam lectionem retineo. quodsi quid sit mutandum, malim legi, *aliorum adversis rebus, aliorum,* et cetera [in meis libris nihil varietatis est, et vid. quae ab Gernhardo ad h. l. disputantur p. 77. sq.].

§. 34. SIN AUTEM AD ADOLESCENTIAM PERDUXISSENT DIRIMI TAMEN INTERDUM VEL CONTENTIONE UXORIAE CONDICIONIS [ex Indice Erratorum repone, *contentione vel uxoriae condicionis.* itaque castiganda Orelliana p. 285, 11.] VEL COMMODI ALICUIUS QUOD IDEM ADIPISCI UTERQUE NON POSSET. quum in codicibus veteribus fere omnibus scriptum reperissem, *vel luxuriae condicionis* (pro quo vulgati habent, *vel luxuriae vel condicionis vel*, et cetera), ego, coniectura ductus, *vel uxoriae condicionis* reposui. *condicio* autem *uxoria* est, in qua res uxoria agitur, seu res quae ad uxorem ducendam pertinet. omnino *luxuriae* nomen ad hunc locum ineptum est, et inepti sunt, qui lectionem vulgatam tuentur [loci correctio debetur Turnebo. sic enim ille Adversariis 13, 7. Tom. 2. fol. 5. vers. edit. Paris. a. 1564. »quod »autem eo in libro (de amicitia) scribitur, *dirimi tamen inter»dum contentione luxuriae, condicionis vel commo»di alicuius,* candorem non refert nec nitorem eruditi illius »saeculi. nam hic *luxuriae* nomen significationem quandam ostendere videtur illi aetati ignotam. memini aliquando me in

»exemplari *vel luxuriae* legisse, ut putem, in quo vitio fre»quentissimi sunt libri antiqui, litteram disiunctionis ultimam »repetitam adhaesisse initio vocis sequentis, qua detracta com»modissime et elegantissime legetur, *contentione vel uxo»riae condicionis vel commodi alicuius.* distrahuntur enim »amicitiae adolescentium interdum, quum eandem vel virginem »vel mulierem uxorem proci petunt. *condicionem* autem in nu»ptialibus et meretriciis amorum foederibus poni, tam est omnibus »notum, quam solem lucere.« vid. Ruhnkenium Dictatis ad Terentii Andriam 1. 1, 52. p. Schopen. 14. Gifanius tamen ex veteribus libris emendabat, *dirimi tamen interdum contentione luxurii*, in Indice Lucretiano v. *effigia.* vid. Voss. de Analogia 2, 19. p. 338. et quae notantur de hoc genitivo quintae declinationis ad Roscianam priorem C. 45. §. 131].

§. 35. extr. HAEC ITA [edit. Pannartz. a. 1469., *itaque*] MULTA QUASI FATA IMPENDERE AMICITIIS. sic habent nostri libri manu scripti, nec quicquam varietatis annotatum est in codice Memmiano. Langius tamen edidit, *quasi fato*, nisi forte typographi peccatum sit. nos *fata* interpretamur κῆρας, *interitus, pestes* [vid. Adrianum Turnebum Adversariis 13, 7.].

C. 11. §. 37. QUUM AD ME QUI ADERAM LAENATI ET RUTILIO CONSULIBUS IN CONSILIO DEPRECATUM VENISSET. legendum, *et Rupilio.* et ita edi iusseram [correctum in Indice Erratorum p. 626. de meis sic habent codices Gud. 2. et Duisburgensis, *et Rupilio.* vid. quae annotantur ab Drakenborchio ad Livii Epit. 59. Tom. 12. P. 2. p. repet. edit. 230. sqq.].

C. 12. §. 42. NE EXISTIMENT ITA SE ALLIGATOS UT AB AMICIS IN MAGNA RE ALIQUA IN REM PUBLICAM PECCANTIBUS NON DISCEDANT. libri veteres habent, *in magnam aliquam rem publicam.* et ita edidit Langius [et mei libri fere utrumque habent. cod. Gud. 2. *ab amicis in magnam aliquam rem p.* (sic) *peccantibus.* editio Romana Hahn. a. 1469. *ab amicis in magnam aliquam rem P.* (sic) *peccantibus* (erravit igitur Beierus, p. edit. maior. 68.). Pannartz. a. 1469. *ab amicis in magna re aliqua in rem pub. peccantibus.* codex collegii SS. Trinitatis Cantabrigiae apud Barkerum p. 71., *ab amicis magnam aliquam rem peccantibus*, non inepta *peccandi* verbi constructione, sed veram scripturam esse puto, quam dedit Beierus V. D., fato acerbissimo litteris nostris nuper admodum ereptus vide illum p. edit. maior. 67. sq. eius scripturae testem utique habere mihi videor codicem Duisburgensem, in quo sic est scriptum, *ab amicis in rē p. peccantibus*, omissis reliquis. testes etiam sunt Vincentius Bellovacensis Spec. Doctr. 6, 93. et Histor. 3, 7. et Burlaeus de Vita et Moribus Poetarum et Philosophorum C. 94. fol. 64. verso ed. pr. habent illi, *ut ab amicis in rē publicā peccantibus non discedant.* quid? quod apud Antoninum Archiepiscopum Florentinum Histor. P. 1. Tit. 4. C. 6. §. 5. fol. 68.

rect. edit. Koburger. liquido scriptum extat, *ut 'ab amicis' in re publica peccantibus non discedant.* cf. Withofium, a Beiero laudatum, IV. p. 142. sq.].

C. 13. §. 45. SED NIHIL EST QUOD ILLI NON PERSEQUANTUR SUIS ARGUTIIS. libros vulgatos secutus sum. nam librorum veterum alii habent, *non persequantur argutius*, alii, *non persequuntur suis argumentis* [probatur Lambinianum, *suis argutiis*, et Gernhardo, quem vid. p. 99., et Beiero. atque ita plane scriptum in editione Daventriensi a. 1489. et aliis. principes tamen Romanae a. 1469. aliter habent, Hahn., *non persequantur argumentis* (*suis argumentis* cod. Collegii SS. Trinitatis Cantabr. apud Barkerum p. 71., *prosequantur argumentis* codex Duisburg., commutatis, ut solent librarii, praepositionibus *per* et *pro.* vid. quae annotantur ad Orationem pro Caelio C. 3. §. 6.), Pannartz., *non persequantur argutius.* et sic codex etiam Gud. 2.].

Ibid. SATIS SUPERQUE ESSE SIBI SUARUM CUIQUE RERUM CURAM. bona pars librorum veterum non habet vocem, *curam*, eamque delevissemus, nisi in uno et altero reperissemus [abesse illam vocem ab omnibus codicibus veteribus, auctor est Gothofredus p. Laemar. 568. abest et ab Hahn. a. 1469., quanquam eadem retinuit cum Pannartziana istud *sibi*, loco fortasse non suo positum. vid. Beierum p. 72., et qui ibi laudantur. faciunt cum Beiero codices Gud. 2. et Collegii SS. Trinitatis Cantabrigiae apud Barkerum p. 70. sq.].

C. 14. §. 50. extr. NEQUE IMMANIS NEQUE SUPERBA. omnes libri veteres habent, *immunis*, et ita edidit Langius. ita denique emendatum est in codice Memmiano. *immunis* autem significat interdum improbum, quemadmodum docet Nonius [? minime bonum, nocens. 4, 244. p. Mercer. 323, 11. cf. eundem 1, 81. p. 23, 10. ibique Mercerum p. 651. itaque *immunis* probabatur Lambino, ut habent editiones Romanae a. 1469., non *immanis*.]. et ita Plautus [vide quae annotantur ad II. Rhetoricorum ad Herennium C. 23. §. 35. p. Lambin. 16, 21.]. quomodo fortasse etiam apud Horatium accipiendum est oda 23. libri tertii [vv. 17. sqq.], *immunis aram si tetigit manus, Non sumptuosa blandior hostia Lenibit aversos penates Farre pio et saliente mica* [vid. Commentaria Horatiana ad h. l. p. 191. E. Adrianus Turnebus Adverss. 13, 7. »quum scribit non esse »*virtutem immunem*, significat eam non sibi tantum consulere, »nec sui tantum rationem habere, sed in reliquos homines aliquid »munifice solere conferre, et eam sua velut *munia facere* bene»que de aliis merere.« vid. Gernhardum V. D. ad h. l. p. 110. et Beierum p. 80.].

C. 15. §. 52. NON ERGO ERUNT HOMINES DELICIIS DIFFLUENTES AUDIENDI SI QUANDO DE AMICITIA QUAM NEC USU NEC RATIONE HABENT COGNITAM DISPUTABUNT. || in hoc consentiunt inter se libri p. 503
veteres, quod habent sine ulla varietate *deliciis*, uti vulgati a.

divitiis, in eo discrepant, quod alii cum vulgatis consentientes habent *affluentes*, alii *diffluentes*. quos secutus sum. sic dixit libro primo de Officiis [p. Lambin. 365, 38. nobis C. 30. §. 106.] *diffluere luxuria*, et libro tertio de Oratore [p. 194, 1. nobis C. 32. §. 131.] *otio diffluentes*, et Terentius Heautontimorumeno [vv. 72, 3.], *ut eius animum, qui nunc luxuria et lascivia Diffluit, retundam, redigam, ut quo se vertat nesciat* [cum Lambino facit codex Collegii SS. Trinitatis Cantabrigiae apud Barkerum p. 71., mei cum principibus Romanis a. 1469. habent *affluentes*. »sed *diffluere* dicuntur mollia, soluta, putria.« Beier. p. 82.].

§. 54. ITAQUE EFFERUNTUR FASTIDIO FERE [sic Lambinus, cum Pannartz. a. 1469., non ut habet lemma, ordine verborum inverso, *fere fastidio*] ET CONTUMACIA. sic habent omnes nostri codices, neque video ullum in hac scriptura vitium. testatur tamen Langius, se in uno scriptum reperisse, *efferantur*, et ita edidit, quanquam fatetur se vulgatam et receptam non improbare.

C. 16. §. 58. extr. AUT NE PLUS AEQUO QUID IN AMICITIAM CONGERATUR. sic legendum, et ita scriptum est in antiquissimo libro [de meis sola Romana Pannartz. a. 1469. habet, *in amicitia congeratur*. Vincentius Bellovacensis Spec. Doctr. 6, 82. Histor. 7, 14. *neque enim verendum est, ne quid excidat, aut ne quid in terram defluat, aut (ne) plus aequo in amicitiam conferatur*. nec illud *quid* sedem habet satis certam, et bis positum legitur in Hahn. a. 1469. sic enim illa, *aut nequis* (nequid) *plus aequo quid in amicitiam congeratur*. itaque omisit Gernhardus, quem vid. p. 123.].

C. 17. §. 61. IN QUIBUS EORUM AUT CAPUT AGATUR AUT FAMA. sic legendum, non ut habent libri vulgati, *de capite*. quod non solum librorum veterum auctoritate et Gellii testimonio, sed etiam ratione pervincitur. longe enim aliud dicit qui ita dicit, *agitur caput, res, fortunae, honor*, aliud qui, *agitur de capite, re, fortunis, honore*. ille significat, *caput, rem, fortunam, honorem* in discrimen esse adductum, hic, *de capite, re fortunis, honore* consultari aut sermonem haberi. hoc propter quendam annotavi, qui utroque idem significari putat [vide Langium p. Graev. 502. et quae annotantur ad IIII. Rhetoricorum ad Herennium C. 42. §. 54.].

§. 63. QUASI AQUIS TENTATIS. aliis aliter, mihi ita placet legi, *aquis tentatis* [vid. Victorium VV. LL. 24, 20., a Wetzelio non recte laudatum p. 199.]. primum enim in dissensione librorum et varietate scripturae licet mihi vel hanc vel illam probare. quanquam in nullis codicibus antiquis reperi *tentatis*, sed in aliis *temperatis* (quod correctum est ex vitiosa scriptura *temptatis*), in aliis hoc ipsum *temptatis*. in altera autem voce valde discrepant codices. alii enim habent *aequis*, alii *equis*, alii *aquis*. deinde similitudo aquarum tentatarum, quod est

usurpata a Platone libro decimo de Legibus, mihi ad hunc locum accommodatior videtur. est autem duabus fere paginis post principium libri, his verbis [p. 892. D. P. 3. Vol. 3. p. Bekker. 192, 13.], σκοπεῖτε οὖν, εἰ καθάπερ ποταμὸν ἡμᾶς ἔδει τρεῖς ὄντας διαβαίνειν ῥέοντα σφόδρα, νεώτατος ἐγὼ τυγχάνων ὑμῶν καὶ πολλῶν ἔμπειρος ῥευμάτων εἶπον, ὅτι πρῶτον ἐμὲ χρῆν πειραθῆναι κατ' ἐμαυτὸν, καὶ καταλιπόντας ὑμᾶς ἐν ἀσφαλεῖ σκέψασθαι, εἰ διαβατός ἐστι πρεσβυτέροις οὖσι καὶ ὑμῖν, ἢ πῶς ἔχει, et cetera, id est, *videte igitur, si quemadmodum fluvium nos tres transire oporteret rapide fluentem, ego quum essem natu minimus vestrum et multorum fluminum peritus, dicerem, vobis me primum et solum periclitari et videre oportere, essetne fluvius ad transeundum vobis quoque facilis natu grandioribus, quum vos in tuto reliquissem*, et cetera. quin ita locutus est et libro secundo de Legibus [p. Lambini 332, 34. nobis C. 3. §. 6.], *nec enim ullum hoc frigidius flumen attigi, quam ad multa accesserim, ut vix pede tentare possim* [vid. tamen, quae a Gernhardo annotantur ad h. l p. 134. de meis codex Gud. 2. sic habet, *quasi equis temperatis*, Duisburg., *quasi temperatis equis*, Romanae editiones a. 1469., *quasi aquis tempestatis.* et sic codex Collegii SS. Trinitatis Cantabrigiae, apud Barkerum p. 71.].

Ibid. extr. QUAM ETIAMSI NEGLECTA AMICITIA CONSECUTI SUNT EXCUSATUM IRI SE ARBITRANTUR QUIA NON SINE MAGNA CAUSA SIT NEGLECTA AMICITIA. secutus sum libros vulgatos. nam manu scripti omnes habent partim *obscurari*, partim *obscuratum iri se.* et ita edidit Langius [vid. Gernhardum p. 136. sq. et Beierum p. 102. sq. equidem sic repositum volebam, *excusari tamen sese arbitrantur*. cf. Annales Litt. Heidelbergg. a. 1826. p 979.].

§. 64. AD QUAS NON EST FACILE INVENTU QUI DESCENDAT. sic habent etiam nostri codices, et ita emendatum est in codice Memmiano ex auctoritate trium antiquorum. *inventu* autem supinum est, eundem casum regens, quem verbum, unde oritur, proinde ac si dixisset, *non est facile invenire.* mendose autem hic operarii isti excuderunt *facilé*, cum accentu, quum *facile* legendum sit, sine accentu [libri fere *inventus*, sola Romana editio Hahn. a. 1469., *ad quos* (non) *facile est inventum qui descendant.*].

C. 18. §. 66. SED IN AMICITIA REMISSIOR ESSE DEBET. quidam detracta praepositione *in* legi volunt, *sed amicitia*, et cetera [abest praepositio et a Romanis editionibus a. 1469. et a codicibus Gud. 2., Duisburgensi, Cantabrigiensi apud Barkerum p. 70. sqq.].

C. 21. §. 76. TALES IGITUR AMICITIAE SUNT REMISSIONE USUS ELUENDAE ET (UT CATONEM DICERE AUDIVI) DISSUENDAE MAGIS QUAM DISCINDENDAE SUNT. sic habent nostri libri veteres, et ita edidit Langius. sic libro de Officiis primo [p. 367, 44. nobis C. 33. §. 120.], ubi libri vulgati habent *sensim dissuere quam repente praecidere*, veteres habent partim *sensim diluere*, partim *sen-*

sim deluere. quod fortasse natum est ex hoc libro, quum studiosus aliquis litterarum ad illum locum libri primi de Officiis ascripsisset *diluendae*, aut supra *dissuendae*, aut e regione. rursus fortasse hoc loco legendum est *diluendae* seu *deluendae*. quanquam *eluendae* non reiicio, *diluendae* tamen malo, et *diluendae* interpretor *dissolvendae*, ut supra. hoc praeterea varietatis est in nonnullis libris nostris, quod habent *remissiore usu* [et sic codex Cantabrigiensis apud Barkerum p. 72.], pro eo quod est in aliis, *remissione usus* [receptae favent codices Gud. 2. et Duisburgensis. cf. Bosscham ad Plauti Trinummum 4. 2, 61. p. 184. sq].

§. 78. NE QUO AMICORUM DISCIDIA FIANT. sic emendatum est in codice Memmiano, et ita habent libri veteres omnes. *discidium* autem nomen est a verbo *discindo* natum, ut *exscidium* ab *exscindo*, quemadmodum alias docuimus [vide vel ad III. de Oratore C. 17. §. 63.].

§. 80. ITA PULCHERRIMA ILLA ET MAXIME NATURALI CARENT AMICITIA. quod notat Langius, se in uno libro manu scripto scriptum reperisse *naturabili*, nos item in Memmiano reperimus notatum, et item in Huraltino scriptum et Pithoeano.

C. 23. §. 86. QUO ETIAM MAGIS VITUPERANDA EST REI MAXIME TAM NECESSARIAE TANTA INCURIA. in codice Memmiano *tam* deletum erat ex veteribus codicibus, in aliis erat posteriore loco positum [abest a codicibus Gud. 2., Duisburgensi et Cantabrigiensi, apud Barkerum p. 72., et ab editione Romana Hahn. a. 1469. *tam maxime* habet Pannartziana. vid. Santenium ad Terentianum Maurum p. 17., laudante Orellio, et Gernhardum p. 172.].

Ibid. extr. QUI SUUM NEGOTIUM GERUNT OTIOSE. codex Pithoeanus habet, *otiosi* [de meis una Pannartz. a. 1469. habet, *otiose*].

§. 87. QUALEM FUISSE ATHENIS TIMONEM NESCIO QUEM ACCEPIMUS. codex Pithoeanus habet, *Timonem quendam.* quam scripturam rectam puto. *nescio quem* autem ex || annotatione natum, quod videtur et Pithoeo [nemini tamen persuaserunt. vid. Gernhardum p. 175. et Beierum p. 136.].

b.

C. 24. §. 88. UT ET VERITAS IN AMICITIA ET FIDES RETINEATUR. omnes fere libri veteres habent, *et utilitas in amicitia* [illud a pluribus novatum, auctore Corrado in Quaestura p. 316., hoc et libri mei habent et Beierus retinere maluit, quem vid. p. 140.].

§. 89. extr. QUONIAM TERENTIANO VERBO LUBENTER UTIMUR. Langius edidit *luculenter*, librum unum veterem secutus. nos in omnibus nostris *lubenter* scriptum reperimus, neque tamen quicquam adversus scripturam illam aut dicimus, aut decernimus.

§. 90. extr. QUOD CONTRA OPORTEBAT DELICTO DOLERE OBIURGATIONE GAUDERE. libri veteres habent partim *correctione*, partim *correptione gaudere* [de meis plures habent *correctione*, quod

merito placuit Gernhardo, Beiero, Orellio, *correptione* habet sola Romana Pannartz. a. 1469.].

C. 25. §. 92. TUM AMICITIAE REPUGNAT MAXIME. videtur verbum *repugnat* esse aliunde profectum, neque a Cicerone positum. sic enim videtur scripsisse Cicero: *quum autem omnium rerum simulatio est vitiosa (tollit enim iudicium veri idque adulterat), tum amicitiae maxime.* paullo ante alii libri habent, *ad voluntatem* [vid. quae annotantur ad Orationem pro Quinctio C. 30. §. 93. et cf. Ruhnken. ad Rutilium Lupum p. 134.].

§. 96. QUANTA IN ORATIONE MAIESTAS. quidam libri veteres habent, *quantum in oratione maiestatis?*

C. 26. §. 97. QUODSI IN SCENA IN QUA REBUS FICTIS ET ADUMBRATIS LOCI PLURIMUM EST TAMEN VERUM VALET SI MODO ID PATEFACTUM ET ILLUSTRATUM EST QUID IN AMICITIA FIERI OPORTET QUAE TOTA VERITATE PERPENDITUR? quidam libri manu scripti habent, *in samna*, nonnulli *in scanna*, alii, in quibus Cuiacianus, *in scena id est in contione*, ut vulgati. ex qua scripturae varietate docti quidam legendum arbitrantur, *in scamnis. scamna* autem interpretantur sedilia contionis, in quibus sedebat populus, ad contionem vocatus. Langius existimat facilem fuisse lapsum a *scena* seu *scaena* [vid. ad II. Catilinn. C. 5. §. 9. et cf. Osann. ad Apuleium de Diphthongis p. 123. sq.] in *scamna.* iccirco legit, *in scena.* reliquum illud, *id est in contione*, glossam esse arbitratur. cuius sententiam editionemque secutus sum. verumtamen nondum hic locus mihi videtur purgatus. nam primum movet me scripturae varietas, deinde *scamna* pro contione positum me suboffendit. denique [sic correxi alterum istud *deinde*] *in scamna* pro *in scamnis* novum et insolens. iam rursus *in scena*, ut per scenam contionem intelligamus, translatio est longe petita. quod si quis dicet, nullam esse translationem, sed *scenam* accipiendum pro ludis scenicis, seu loco in quo ludi senici fiunt, ea quae antecedunt declarant, hic agi de *contione*, non de comoediis aut tragoediis. itaque sententia postulare videtur, ut legamus, *quodsi in contione, in qua*, et cetera, si libri veteres ferant [ex Omissis post Tom. 1. p. 383. a., ubi ista adhuc delituerunt. in Graeviana certe editione frustra quaeruntur. Adrianus Turnebus Adverss. 13, 7. »ubi porro scribitur, *quodsi in scena, in qua »rebus fictis et adumbratis loci plurimum est*, si emendata scri»ptura est, non est dubium, quin non de theatralibus specta»culis, sed concionalibus consessibus dictum sit. sed docti »narrant, sine ulla varietate legi in obsoletis libris et fugienti»bus *in scamna*, nec inepte profecto sic legeretur, *quod si »in scamna, in quae rebus fictis. scamna* autem si»gnificarent consessum concionis.« reliqua dabunt interpretes, in primis Gernhardus notis ad h. l. p. 192. sq. et Beierus p. 156. mei libri sine ulla varietate habent, *in scena id est in contione*, nec aliter esse puto in libro Cantabrigiensi, quo usus est Bar-

kerus. in solo Duisburgensi sic est, *quodsi in scāpna id est in contione*, addita scripturae varietate, *instācia*.].

§. 99. COMICOS STULTOS SENES. aliquot libri veteres, et quidem complures, habent *coamicos*, quae scriptura fortasse recta est, quamvis aliter sentiat Petrus Victorius [VV. LL. 8, 12.]. verumtamen nihil pronuntio. paullo post scripturae veteris vestigiis ducibus legendum censeo, *illuseris lautissime* [neutrum placet. vide Beierum p. 161. sq.].

XII.

IN PARADOXA STOICORUM AD M. BRUTUM.

Prooem. §. 3. NULLIS ORATORIIS ORNAMENTIS ADHIBITIS. a libris veteribus abest *nullis*. in uno est *vel* pro *nullis*, ex quo suspicor *nullis* librariorum culpa e libris veteribus evanuisse. quod restitui.

I. C. 2. §. 10. SED HAEC VIDERI POSSUNT OBSCURIORA QUUM SINE EXPOSITIONE EXEMPLORUM LENTIUS DISPUTANTUR. in codice Memmiano hoc totum, *sine expositione* sive *sine appositione exemplorum*, ut est in vulgatis, ex codicum veterum auctoritate deletum erat, neque Langius in suis habuit. in uno dumtaxat reperi, *sine expositione exemplorum*. quod probo [abest interpretamentum grammatici, quod vulgatis nonnullis adhaesit, a principibus Romanis a. 1469. et a codice Duisburgensi, quem denuo exploravi. in Gudiano 2. sic est, *sine appositione exemplorum quum lentius disputantur*. addantur ex Omissis post Tom. 1. p. 383. haec: »quidam legi volunt, *latius* »*disputantur*.«].

§. 11. QUID NUMAE POMPILII MINUSNE GRATAS DIIS IMMORTALIBUS CAPEDINES AC FICTILES URNULAS FUISSE QUAM FILICATAS ISTORUM PATERAS ARBITRAMUR? sic restitutus est hic locus, multis iam ante annis auctoritate codicum antiquorum, quanquam nonnulli legi volunt *Deliacas*. sed pluris esto veritas, quam coniectura [adde ex Omissis post Tom. 1. p. 383. »in quibusdam libris »manu scriptis, ut in Pithoeano et Cuiaciano, reperitur *hirnu*»*las*. est autem *hirnula* et *hirnella*, seu *irnula* et *irnella* vasis »genus in sacris, ut docet Festus«. de meis plures habent *delicatas*, unus Duisburgensis *felicatas*, id est, *filicatas*, a *felicula* sive filice herba, cuius specie ornatae *paterae* intelligun-

tur. vid. Graevium ad VI. Epp. ad Atticum 1., laudante Gernhardo p. 181.].

§. 12. QUAE PATREM DECIUM QUAE FILIUM DEVOVIT ATQUE IMMISIT IN ARMATAS HOSTIUM COPIAS? omnes libri veteres habent, *devotavit atque immisit*, itaque emendatum est in codice Memmiano ex tribus veteribus. ego putem legendum, *devotos immisit*, et cetera [locus ab interpolatoribus varie tentatus. sic enim, ut alios taceam, codex Gud. 2., *quae vis Coclitem tenuit contra omnes hostium copias in ponte solum? quae vis patrem Decium filiumque devotavit et immisit armatas in hostium copias?* codex Duisburgensis, a me denuo exploratus, *quae patrem Decium, quae filium devocavit* (mutatis *c* et *t*. vid. quae notantur ad II. Catilinn. C. 11. §. 24.) *et immisit in armatas hostium copias?* editio Romana Hahn. a. 1469., *quae vis patrem Decium, quae filium devota vis inmisit in armatas hostium catervas?*].

C. 3. §. 15. AN QUISQUAM IN POTIUNDIS VOLUPTATIBUS GLORIATIONE SESE ET PRAEDICATIONE EXTOLLIT? nonnulli libri habent, *effert*.

II. §. 16. QUI TOT VIRTUTUM PRAESIDIO MUNITUS TANTOQUE COMITATU SEPTUS QUUM CORPUS EIUS CAPERETUR CAPI CERTE IPSE NON POTUIT. in nullo codice vetere *munitus* reperitur. quin etiam *septus*, quod paullo post sequitur, abest a nonnullis [non *munitus*, sed *fulcitus* habet Romana editio Hahn. a. 1469., abest quicquid hoc est interpretamenti a codicibus Gud. 2. et Duisburgensi.].

§. 18. extr. QUAE TE RESPIRARE NON SINUNT. in codice Memmiano ex uno vetere codice ascriptum est, *superare non possunt*, ex alio, *suspirare*, ex alio, *spirare*. ego *spirare* non improbo, sed vulgatam lectionem *respirare* ut damnarem, inducere animum non potui.

III. C. 2. §. 24. extr. QUAE QUONIAM ALTERO ACCESSIT ID FIT PROPENSIUS. *altero*, id est, ad alterum. sic superiore pagina malim legi, versu quadragesimo quinto [nobis C. 1. §. 22.], *nihil huc addi potest* [addendum Orellianis p. 400, 25. in codice Duisburgensi sic est, *nihil hic addi potest*, propius utique a vero.].

§. 25. ETIAM SIQUIDEM RERUM MODUM FIGERE NON POSSUMUS ANIMORUM TENERE POSSUMUS. *fingere* omnes quidem habent libri, sed videri possit legendum, *figere*. sic Horatius oda 15. libri 3. [v. 2.], *tandem nequitiae fige modum tuae* [vid. Commentaria Lambini p. 176. A.].

§. 26. VISA SINT BREVIORA LEVIORA QUI POSSUNT QUUM QUICQUID PECCATUR PERTURBATIONE PECCETUR RATIONIS ATQUE ORDINIS. recta quidem videtur haec scriptura, sed ne ea quidem reiicienda est, quam in codice Memmiano ascriptam reperi, *quae si visa sunt breviora, leviora qui possint* [ponam aliquot librorum, quos primum exploravi, lectionem integram. sic igitur codex Gud. 2., *si visa sunt breviora, leviora quis possit ea dicere, quum, quicquid peccatur, rationis peccetur perturbatione atque ordinis?* Romana editio Hahn. a. 1469., *si visa sunt breviora, vel leviora qui ideo possit videre, quum, quicquid peccetur, perturbatione rationis peccetur atque ordinis?* cum Ernesto facit Romana Pannartz. a. 1469., nisi quod haec maluit, *quae si visa sint breviora.*]?

IIII. C. 1. §. 27. SED DEMENTEM ET INSANUM ESSE RATIONIBUS VINCAM NECESSARIIS. si quis locus est in Paradoxis corruptus, hic est, quem Langius (nam ceteros, qui huic ulceri manus admoverunt, omitto) sic emendare conatus est, *sed dementem et insanum addicam necessariis. addicam necessariis* autem, id est, mittam ad agnatos, inquit ille, ad quos mente captorum tutela pertinet. sed ego hanc emendationem probare nullo modo possum. nam primum in omnibus libris reperitur vox *rebus*, quam Langius delet. deinde, quorsum hoc, ego te ad agnatos, ut dementem, mittam? deinde si certum est, mente captum esse, non dubium quin ad agnatos mittendus sit: sin incertum, id demonstrandum est. postremo in omnibus fere libris scriptis reperitur vox *invictum*, partim in locum verbi *addicam* [sive *adducam*, ut est in Rom. Hahn. a. 1469.], partim una cum eo ipso verbo. pauci habent *ad victum* pro *addicam*, nonnulli *addictum*. unde intelligere licet,
p. 504. a. mendum esse in verbo *addicam*. adde, quod nonnulli || libri habent infinitivum *esse* cum verbo *invictum*. ego igitur, coniectura ductus sententiamque Ciceronis secutus, sic emendandum hunc locum puto: *insanum esse rationibus evincam*, seu *advincam*, seu *vincam necessariis*. coniecturam meam adiuvant verba eius quod proxime sequitur Paradoxi extrema [p. 438, 44. nobis V. C. 3. §. 41. extr.], *quum eum ne liberum quidem esse ratio et veritas ipsa convincat*. iam quod *rationibus* pro *rebus* edi iussi, non videtur nimis longe discedere a scriptura recepta. nam *rebus* factum fortasse est ex *roibus*, *roibus* autem ex *rationibus*. si quis tamen *rebus* retinere volet, non repugnabo [vid. quae post Gernhardum p. 205. ab Orellio V. D. ad h. l. disputantur p. 402, 14. cod. Duisburgensis, a me denuo exploratus, sic habet, *sed dementem insanire rebus ad victum* (et sic Veneta edit. a. 1484., aliae, *ad victum*, inquam, sive *aduictum*) *necessariis esse invictum pu-*

tem, plura eaque plane diversa miscens. ascripta in margine praeterea sunt haec, *sed insanum rebus addi tam* (*addicam* sive *adducam*) *necessariis*.].

§. 29. extr. UT CIVIS OPTIMI. nonnulli libri veteres non habent particulam *ut*, quos secutus est Langius. in uno pro *civis optimi* scriptum est, *civis optimus* [mei libri, in quibus et Gud. 2. est, retinent particulam, quam in *velut* mutatam video in Hahn. a. 1469.].

C. 2. §. 30. ET ME EXSULEM TUO NOMINE APPELLAS QUUM OMNES MEO DISCESSU EXSULASSE REM PUBLICAM PUTENT? quattuor libri veteres non habent vocem *exsulem*, eamque Langius delendam censet. cui assentior [abest et a meis libris, frustraque defenditur Pannartz. a. 1469.].

§. 32. ET TU QUIDEM IN OPERTO FUISTI. sic habent libri omnes vulgati, quos quidem viderim, quibuscum nonnulli veteres consentiunt. nonnulli [ut et Gud. 2.] *in portu*, alii, *in ponto* [sic et Duisburgensis codex cum Romana Hahn. a. 1469. quae nunc recepta lectio est, eam firmat cum libris melioribus Romana Pannartz. a. 1469.].

V. C. 1. §. 34. QUI LEGIBUS NON PROPTER METUM PARET SED EAS SEQUITUR ATQUE COLIT QUIA ID SALUTARE MAXIME ESSE IUDICAT. libri veteres habent, *qui ne legibus quidem propter metum paret*, et cetera [sic certe codex Duisburgensis, ac deinceps idem, consentiens cum Gud. 2., *sed eas sequitur et colit, quod id salutare esse maxime iudicat.* nec aliter debebat esse in editione Romana Hahn. a. 1469., quae sic habet, *id* (propter antecedens *colit*) *quod salutis est maxime iudicat.* nam et Pannartziana eiusdem anni, quanquam alium librum, ab Hahniano longe diversissimum, secuta, sic maluit, *quod salutare*, inquam, omisso demonstrativo.].

§. 35. QUOD ETSI ITA ESSE PLURIBUS VERBIS DISSERENDUM EST ILLUD TAMEN BREVI CONFITENDUM EST NISI QUI ITA SIT AFFECTUS ESSE LIBERUM NEMINEM. ita est emendatum in codice Memmiano ex libris veteribus, et ita edidit Langius. vulgati autem habent, *brevi conficiendum est.* quae lectio quibusdam magis probatur, quam antiqua [receptae vindex Pannartz. a. 1469., quae sola de reliquis, quos equidem vidi, sic dedit, *illud tamen et breve et confitendum est.* vid. Muellerum ad Orationem pro Sextio C. 5. §. 12. p. 30.].

Ibid. UT MANCIPIA QUAE SUNT DOMINORUM FACTA NEXU AUT ALIQUO IURE CIVILI. omnes libri veteres ad unum, quos quidem consului, habent *nexo*. quod probo, atque ita censeo legendum.

C. 2. §. 36. extr. ATQUE UT IN MAGNA FAMILIA SUNT ALII LAUTIORES UT SIBI VIDENTUR SERVI SED TAMEN SERVI UT ATRIENSES *

ALII INFERIORE LOCO UT MEDIASTINI SIC STULTI QUIDEM OMNES UT TU PARES INTER SE STULTITIA SUNT SED MAIOR EORUM STULTITIA EST * QUOS SIGNA QUOS TABULAE QUOS CAELATUM ARGENTUM QUOS CORINTHIA OPERA QUOS AEDIFICIA MAGNIFICA NIMIO OPERE DELECTANT. locus est admodum corruptus, etiam in exemplaribus antiquis, quorum alia habent, *atrienses actu pari stultitiae suae*, alia, *auctui pari stultitiae suae*, alia, *atrienses acto pari stultitiae suae.* quibus scripturis tam dissimilibus inter se quidam ita mederi conati sunt, ut existimarent partim legendum, *atrienses ac topiarii*, partim *atrienses actuarii*, et cetera. sed frustra. omnino quaedam desse videntur. putabam hanc esse sententiam Ciceronis, eamque his verbis exprimi posse: *atque ut in magna familia sunt alii honestiores ac lautiores, ut sibi videntur, servi, sed tamen servi, ut medici et librarii, alii inferiore loco, ut atrienses: sic stulti omnes, ut tu, pares inter se stultitia sunt, sed tamen insignior eorum stultitia est, quos signa*, et cetera. quid? si hoc modo legamus, *atque ut in magna familia sunt alii lautiores, ut sibi videntur, servi, sed tamen servi, ut medici, anagnostae, alii inferiore loco, ut mediastini et atrienses: ita copiosiores illi quidem et abundantiores, sed pari stultitia sunt, quos*, et cetera [sed vide interpretes, Gernhardum p. 220. sq., Orellium p. 406, 19.].

§. 39. extr. LOQUITUR AD VOLUNTATEM. quidam libri habent, *ad voluptatem* [editio Romana Hahn. a. 1469., *aliquis loquitur ad voluptatem.* vide quae notantur ad Orationem pro Quinctio C. 30. §. 93.].

Ibid. ASSECTATUR ASSIDET MUNERAT. libri veteres alii habent *munera*, alii *numerat* [ita codices quoque Gud. 2. et Duisburgensis, itemque editio Romana Hahn. a. 1469. *miratus* Pannartziana maluit], alii ut edendum curavimus, *munerat*, quomodo et Langius edidit. in codice Memmiano omnes hae dissimilitudines ascriptae sunt, et praeterea docti cuiusdam coniectura, *munera dat.*

C. 3. §. 40. extr. IUDEX VERO QUANTUM HABET DOMINATUM? legendum putant docti quidam, *index vero.* quibus propemodum assentior [sed vid. I. de Legibus C. 14. §. 41., laudante Orellio V. D., et cf. annotata ad IIII. Epp. ad Atticum 16.].

§. 41. OMNIS ANIMI DEBILITATI ET HUMILIS ET FRACTI TIMIDITAS SERVITUS EST. libri veteres habent, *omnis animi dibilitata et humilis et fracta timiditas.* et ita emendatum est in codice Memmiano, itaque edidit Langius [cum Langio et veteribus libris facit editio Romana Pannartzii a. 1469.].

VI. C. 2. §. 46. QUI VIDET DOMI TUAE PARITER ACCUSATORUM ATQUE INDICUM [non ut est in lemmate, *iudicum*] CONSOCIATOS GREGES. hic plane legendum censeo, *accusatorum atque indi-*

cum, multoque adeo magis, quam supra [V. Parad. C. 3. §. 40.], *index vero quantum habet dominatum?*

Ibid. INTERCESSIONES PECUNIARUM IN COITIONIBUS CANDIDATORUM. *intercessus* emendandum censeo, propius accedens ad scripturam veterem, quam Langius, qui reponit *intercessiones*, quod idem valet [vid. Pareum Lexico Critico p. 628, 1.].

Ibid. DILECTUM DECRETUM. miror, non esse ita editum a Langio, *dilectum*, inquam, quum ita scriptum sit in exemplaribus omnibus antiquis, ut testatur emendatio huius loci ascripta ad marginem codicis Memmiani [vide quae annotantur ad II. Tusculann. C. 11. §. 26. et ad I. de Officiis C. 2. §. 6.].

C. 3. §. 49. ILLI AURATA TECTA IN VILLIS ET SOLA MARMOREA FACIENTI SIGNA TABULAS SUPELLECTILEM VESTEM INFINITE CONCUPISCENTI NON MODO AD SUMPTUM ILLE EST FRUCTUS SED ETIAM AD FENUS EXIGUUS. omnes libri veteres habent, *non modo ad fructum ille est sumptus*, et cetera. ego tamen lectionem vulgatam retineo.

XIII.

IN LIBRUM DE UNIVERSO SEU TIMAEUM *).

C. 2. §. 4. SEMPERNE FUERIT NULLO GENERATUS ORTU AN ORTUS SIT AB ALIQUO TEMPORIS PRINCIPATU. sic emendandum censeo,

---

*) Subieci lectionis diversitatem in *Timaeo* Ciceronis e codicibus *Gudiano* fol. 2. (vid. Ebert. I. l. p. 56. n. 251.) et *Rehdigerano* (vid. Heindorf. Praefatione ad Ciceronis Libros de Natura Deorum p. VII., et Appendiculam editionis Bonnensis Librorum Ciceronis de Re Publica p. 3.) accurate enotatam. exploravi eos libros vere primo a. 1819., Vratislaviae Silesiorum.

P. Ernest. 1105.

C. 1. §. 1. a nobis et) absunt a R.
in Academicis) R *in Academicis nostris.*
et saepe) R *saepe.*
cum P. Nigidio) R *pro vidigio.* G *p. insidio.* et sic deinceps §. 2., *et insidium.*
et modo) absunt a R.
vir ille) *vir* R.
cum ceteris artibus) R *tum ceteris artibus.*

p. Ernest. 1106.

et diligens) *et* om R.
cum aliquot saecula) G *aliquod secla.*
viguisset) R *viguissent.*
renovaret) G *revocaret.*

§. 2. Ciliciam) R *scicilia.*
Romam ex legatione ipse decedens) R *Romam ipse ex legatione descedens.* eodem errore, scriptoribus librariis usitatissimo, laborat Gudianus. vid. quae notantur ab Drakenborchio ad Livii 36. 14, 4.
mei salutandi et visendi causa) R *me salutandi visendique causa.*
audiverim) R G *audierim.*
et Cratippum cognovi) R *Cratippumque cognovi.* G *et cognovi Cratippum.*

sublata particula *an*, quae est in libris vulgatis || ante *ab aliquo*, et cetera, et mutata interpunctione.

---

salutationibus reliquum) R G *salutationi*, omisso altero vocabulo.
percunctatione) G *in percunctationis*. id est, *percunctationibus*. vid. quae notantur ad II. de Officiis C. 6. §. 20.

C. 2. §. 3. neque ullum habeat ortum) R *neque habet ortum*. et G *habet*, non *habeat*.
et quod gignatur nec unquam sit) R *neque quod gignatur neque unquam sit*.
quod unum semper atque idem est) R G *quod unum atque idem semper est*.
affert opinionem per sensus) R G *affert opinionem sensus*.
vere potest) G *ne potest*. id est, *naturae*, mutatis *ue* et *ne*, diversi generis scripturae compendiis. cf. ab Drakenborchio notata ad Livii 5. 28, 5.
qui aliquod munus) G *qui et aliquod munus*.
quae semper est eadem) G *quae semper eadem*. manus prima, ut equidem opinor, sic dederat, *quae semper eade e*. ex quo, coalescentibus litteris, factum *equidem*.
atque eam) R G *atque id*.
proponet) G *proponit*.
sin autem illam) G *sin autem ea*.
expetet) G *expectet*. vid. ad Partt. Oratt. C. 40. §. 140.

quovis alio) R G *quo alio*.

§. 4. principio) R *precipue*. errore sollemni. cf. ab Drakenborchio notata ad Livii 21. 18, 3.
nullo generatus ortu) R *generatus nullo ortu*.
eadem in opinione considunt) R G *eadem in opinatione considunt*.
et cum iam inveneris) R *et qui iam invenerit*. et G *invenerit*.

p. Ernest. 1107.

§. 5. fabricator tanti operis) G *fabricator huius tanti operis*. id est, ut ait Plato Tim. p. 28. C. ποιητὴς καὶ πατὴρ τοῦδε τοῦ παντός.
quod semper unum et idem) R *quod semper unum et idem sit*. G *quod semper unum idem, sui simile*, omissa copulatione.
si probus eius artifex) R *et si probus*. G *et supbus* (superbus) *eius artifex*.
generatum exemplum est pro aeterno secutus) R *generatum exemplum est persecutus*. G *eo prosecutus*.
neque mundo quicquam pulcrius) R *nec mundo quicquam pulcrius*. et sic deinceps *nec* pro *neque*.
sic ergo generatus) R G *si ergo generatus*. proclivi lapsu, quem notavit Drakenborchius ad Livii 21. 13, 5.
ad id est effectus) G *ad idem* (ide) *effectus*. vide quem modo laudavi Drakenborch. ad Livii 5. 4, 5. et ad 10. 8, 10.
sapientiaque comprehenditur) R *scientiaque comprehendatur*.
immutabili aeternitate continetur) R *aeternitate incommutabili continetur*. G *aeternitate immutabili continetur*.
difficillimum autem est) om R *est*.
conquisitione) R *inquisitione*. sed vid. Nonium 1, 121. p. Mercer. 30, 28.
de his igitur quae diximus) R *de his* (G *hiis*) *quae diximus igitur*.

C. 3. §. 6. in omni oratione) R *in omni ratione*. vid. ad I. Off. C. 30. §. 108. a codice Gud. abest, *in*.
iis) R *his*. G *hiis*.
explicandum) R G *explicata*.
disputatur) R G *disputat*.
oratio talis sit qualis sit illa quae) R G *oratio talis qualis illa*, omissis reliquis.
neque redargui neque convinci potest) R *nec redargui nec convinci potest*.
si similitudinem) G om *si*, male interceptam ab initiali syllaba vocis eius, quae sequitur.
ad id) G *ad illud*.

C. 3. §. 7. IDQUE EX INORDINATO IN ORDINEM ADDUXIT. quidam legi volunt, *deduxit.*

---

quo circa) G *quo contra.* vid. Drakenborch. ad Livii 37. 15, 7.
ortuque mundi) R om *mundi.* sed Platonis sunt, p. 29. C., *περὶ θεῶν καὶ τῆς τοῦ παντὸς γενέσεως.*
consequimur) G *consequemur.*
oratio sibi constet) R *sibi ratio constet.*
debebitis) G *debitis* (? debetis).
aequum est enim) haec et quae deinceps sequuntur absunt a codice R, incuria scriptoris librarii, a vocabulo *dicentur* ad alterum *dicentur* aberrantis.
qui iudicetis) sic Codex Gudianus, ut est correctum ab Ernesto, summo viro.
si probabilia dicentur nil ultra requiratis) G *si probabilia dicentur nequid ultra dicentur requiratis.*

§. 7. quae eum impulerit) G *quae impulerit eum.*
videlicet) R *s.*, id est, scilicet. contra G *vid'licet*, id est, *videre licet.*
probus autem) adversativam exclusit Gudianus.
itaque omnia sui similia generavit) R *itaque omnia sibi similia,* omisso verbo.
admiscere) G *admittere.* Platonis sunt p. 30. A. *φλαῦρον δὲ μηδὲν εἶναι κατὰ δύναμιν.*

p. Ernest. 1108.

tranquillum et quietum) R *quietum et tranquillum.*
idque) G *sed idque.*
hoc enim iudicabat esse praestantius) G *hoc autem iudicabat*, omissis reliquis.
nec est) R *non est.*
qui esset optimus) R *qui optimus est.*

§. 8. cernerentur non) R om.
intelligentiam autem) haec et quae sequuntur, usque ad illa, *nefas esse*, omm R G.
conclusit) R G *inclusit*, commutatis *con* sive $\overline{c}$ et *in* sive $\overline{i}$, propter ductuum similitudinem.
ratus est) R *est ratus.*
opus illud) G *opus id.*
non est cunctandum) haec usque ad illa, *coniectura potest hunc*, absunt a codice R.

C 4. §. 8. cuiusnam animantium) R *cuius nature animantium.*

G *cuius nam* (naturam) *animantium.* Plato p 30. C. *τίνι τῶν ζῶων αὐτὸν εἰς ὁμοιότητα ὁ ξυνιστὰς ξυνέστησε.*
secutus sit) R *sit secutus.* a Gudiano abest *sit.*
eorum quidem) R *eorum.*
nec absoluto) G *rerum soluto.*

§. 9. animal) abest ab R.
quaedam est) G *quaedam.* sed deinceps sequitur, *cernatur esse*, mutata structura orationis.
esse dicamus) G *dicamus.*
hoc mundo) R *et modo.*
et pecudes) om *et* in G.
efficere vellet) R *efficere pot.*

§. 10. rectene igitur) G om *igitur*
dixerimus) R G *diximus*, proclivi errore. deinceps Gudianus bis maluit *aut*, quam *an.*
dictu verius et melius) R G *dictu melius et verius.*
cuius partes sint animantes superiores) R *cuius partes animantes sint superiores.* extremo loco posita vox abest a Gudiano.
illius) R G *alius*, sollemni errore. vid. ab Drakenborchio notata ad Livii 23. 7, 3. Tom. 7. p. 389.
ut hic mundus esset) R *ut hic esset mundus.*
hoc ipso quod) G *hoc ipso.*
singularem deus) R *deus singularem.*

§. 11. itemque) G *idemque.* cf. ad Orationem in Pisonem C. 13. §. 29.
necesse est esse) abest *est* a R.
nihil porro igni vacuum videri potest) R G *nihil porro gigni vacuum a spetie* (sic) *ac videri potest.* sed Plato p. 31. B. *χωρισθὲν δὲ πυρὸς*, inquit, *οὐδὲν ἄν ποτε ὁρατὸν γένοιτο.*

C. 5. §. 13. QUODSI UNIVERSITATIS CORPUS PLANUM ET AEQUABILE EXPLICARETUR NEQUE IN EO QUICQUAM ALTITUDINIS ESSET REQUI-

---

p. Ernest. 1109.

requirunt) G *adquirunt.*
atque de his) R *atque eque de his.* (Gud. *hiis*).
adstringit) G *stringit.*

§ 12. quae Graece ἀναλογία) R *quod Graece* ἀναλογία. vid. ad Somn. C. 3. §. 6. p. 9.
audendum est enim) G *audendum enim est.*
comparatio) R *operatio.*

C. 5. §. 12. quando enim trium) R *qm* (quoniam) *enim primum.* G *qm enim primo.*
quorumcunque) R *quorumque.*
contingit) G *continet.*
ut quod medium sit) R *ut medium sit.*
comparetur) R G *comprobetur.*
id quod medium est) R G *et id quod medium est.*
postrema vero et prima media fiunt) R *postrema vero media ultima et prima fiunt.* G *postrema aut prima media fiunt.*
quae diiuncta fuerunt) R *quae disiuncta fuerunt.* G *quae diminuta fuerint.*

§. 13. universitatis) R *universitas* G *universi.*
neque in eo quicquam esset requisitum) G *neque in eo requisitum quicquam esset.*
unum interiectum) R G *unum enim interiectum.*
et se ipsum) G *et se ipso.*
contigit) R G *contingit.*
et terram) G *atque terram.*
quodque anima aquae) haec absunt ab R G.
id aqua terrae) R *sic aqua terrae.*
et ab iis rebus) R G *et ex iis rebus.*
ea constructum proportione) R G *ut ea constrictum*, proclivi errore scriptorum librariorum, ac deinceps R *comparatione quam dixi.*
ipse se) R om *se.*
concordi quadam amicitia) R *concordi eum quadam amicitia.*
apte cohaeret) R *arte cohaeret.*

§. 14. omnes partes) R *partes* omisso altero vocabulo. G *partes omnes.*
excederet) R *caderet.*
atque in hoc universo) R G *atque ut in hoc universo.*
unde alter) G *unde altera.*
ne quis morbus) G *ne qui morbus.*
affligere) R *actingere.* G *attingere.*
omnis enim) R *omnis autem.*

p. Ernest. 1110.

vel calore vel frigore) R G *vel caloris vel frigoris.*
molitorque) G *et molitor.*
absolveretur) R *absolverit.* G *absolveret.*
seniove careret) G *et senio vacaret.*

C. 6. §. 15. maxime sibi cognatam et decoram dedit) R G *maxime cognatam* (R *cognitam*, proclivi lapsu) *et maxime decoram ded t.*
animante) G *animanti.*
contineri vellet) R *vellet contineri.*
hunc ea forma) R *hac enim ea forma.*
qua una) R om *una.*
reliquae formae) G *formae reliquae.*
quod σφαιροειδὲς Graeci vocant) R *quod speram quidem Graeci vocant.*
a medio radiis attingitur) R *a radiis tangitur.*
idque ita) R *id itaque*, improbante correctore.
effici) G *efficere.*
nihil ut asperitatis) G *nihil asperitatis ut.*
praestabat iudicio) R G *iudicio praestabat.*

§. 16. quod cerni posset) R *quod cerni possit.*
ne quod audiretur quidem) R *nihil quod audiretur quidem.*
neque erant anima circumfusa extrema mundi) R *nec erat anima circumfusa externa mundi.* vid. ab Drakenborchio notata ad Livii 34. 25, 6.
et consumti cibi) ab R abest *et*, a G *cibi.*
neque vero) R G *nec.*

SITUM UNUM INTERIECTUM MEDIUM ET SE IPSUM ET EA QUIBUS ESSET INTERPOSITUM COLLIGARET. sic videtur legendum. deerat enim vox

---

ita se ipse consumtione) R G *itaque se ipse sine consumtione.*
condidit) R *concludit.* locus a correctore tentatus.
ipsum) R *istum.*
itaque nec ei manus affinxit) R *itaque ei neque manus affixit,* dempto apice. et ita Gudianus liber.
quia) G *qm* (quoniam).
nec alia membra) G *nec aliqua membra.*
ingressus corpore) R *ingressum corporis.* in *ingressum* consentit Gudianus.

§. 17. cohiberet) R G *cogeret.*
reliquos motus) R *motus reliquos.*
itaque eum ab omni erratione liberavit) R G *itaque ab omni erratione eum liberavit.*
ad hanc igitur) R *ad hanc ergo.* vid. Drakenborch. ad Livii 21. 40, 6.
haec deus is) R *neque deus is.* id est, *nec deus is,* confusis *n* et *h* initialibus, unde *haec* in *nec* abiit vid. quae notantur ab Drakenborchio ad Livii 32. 20, 7.
de aliquando deo futuro) R G *de aliquando futuro deo.*
laevem eum) G *laevem illum.*
effecit) R G *effigit.*
et undique) R *et undequa.* id est, *undequaque.*
et a medio ad summum parem et perfectum) R *et a medio parem ad summum perfectum.*
ex absolutis atque perfectis) haec absunt a codicibus nostris. Plat. Tim. p. 34. B. *καὶ ὅλον καὶ τέλεον ἐκ τελέων σωμάτων σῶμα ἐποίησε.*

p. Ernest. 1111.

§. 18. et volubili) G *volubili.*
secum ipsum) R *secus ipsum.*
satis sibi ipsum notum et familiare) R *sibi notum et familiarem.*
perfecte beatum deum) R *perfecte deum beatum.* G *perfecte deum beatum deum.*

§. 19. sed animum) R G *sed in animum.*

C. 7. §. 19. et ortu) R *ortu.*
imperantem) R *imperatorem.* Plato p. 34. C. *ἄρξουσαν.*
obedienti praefecit corpori) R G *praefecit,* omissis reliquis.
modo) R *animo.*
ex materia) R G *ex ea materia.*
et quae semper) R *et semper quae.*
quae corporibus dividua gignitur) R *quae corporibus individua gignitur.* G *quae ex corporibus dividua gignitur.*
admiscuit) G *immiscuit.*
atque id quod dividuum) R *et quod dividuum.*
unam in speciem) R G *in unam speciem.*
naturamque) R *naturam.*
et eius copulationis alienam) R *et eius contemplationem alienam.* G *et eius copulationem aliena* (? alienam) *que.* vid. Orell. p. 502, 18.
ex tribus) R *e tribus.*

§. 20. iam partes singulas) R *iamque partes ipsas singulas.* illud *iamque* et Gudianum habet quo se tueatur.
duplam) R *disciplinas.* et sic deinceps *sic que altera, teapla,* id est, *tripla,* nullo sensu.
partes rursus) G *partis rursus.*
in singulis) G *singulis.*
superatam) R *seperatam.*
parique numero superatam) R *alteram parique superatam.* et a Gudiano item abest *numero.*

§. 21. ex his colligationibus) R *ex iis colligationibus.* G *ex hiis obligationibus.*
sesquioctavo intervallo) G *sesquioctavi intervallo.*

p. Ernest. 1112.

eius autem particulae intervallo habebat numerus ad numerum eandem proportionem comparationemque in extremis) R *eius autem particulae relicto intervallo ad reliquum numerum habebat eandem proportionum comparationem in extremis.* G *cuius autem particulae intervallo ad reliquum habebat numerum eandem proportionum comparationem in extremis.*

altitudinis, quae responderet Graeco nomini *βάθος*, quemadmodum admonuit Errieus Stephanus, cuius in hoc libro conie-

---

CCLVI) R *CC quinqueginta* G *ccl.* sed Plato p. 36. B. *ἓξ καὶ πεντήκοντα καὶ διακοσίων.*
permistum) R *permixtum.*
secuit) R G *sequit*, mutatis *c* et *q* eiusdem soni litteris. unde alii suum habent, *sequitur.*
iam omne) R G *etiam omne.*
mediaeque) R G *mediamque.*
torsit) R G *intorsit. κατέκαμψεν εἰς κύκλον*, inquit Plato p. 36. B.
quae e regione esset) R G *quae e regione essent.*
iungerentur) R *iungeretur.*

§. 22. nominavit) R G *notavit.*
hanc autem citimam a media) et nostri non minus corrupte quam reliqui, R *hanc autem contra itemque* G *hanc autem cremane diana.*
direxit) G *duxit.*
individuam reliquit) R *reliquit dividuam* G *dividuam reliquit.*
in sex partes) R G *in sex partes caeli.*
orbes dispares) G *orbis disparis.*
et inter se dispares) abest a R *et.*

C. 8. §. 23. procreator mundi deus) R om *mundi.*
divinitate) R G *voluntate.* Plato p. 36. D. *κατὰ νοῦν.*
medio medium accommodans copulabat) R *medium medio accommodans copulo copulabat.* G *medio medium accommodans copulatio copulabat.*
versans) R *servans.*
sapientisque vitae induxit exordium) G *quae sapientis vitae induxit exordium.*

§ 24. et corpus quidem) R om *quidem.*
oculorum effugit obtutum) R *oculorum obfugit intuitum.*
est autem animus) R G *est autem unus.*
cententionisque *ἁρμονίη* Graece) R *consensionisqueque armonia Graece.* G *consensionisque ἁρμονία Graece.*
quo nihil) R G *quo nihil est.*
et praestantissimo) R *praestantissimoque.*
vinctus) R G *iunctus.* vid. quae annotantur ad I. Tusce. C. 29. §. 71.
alteraque natura) R G omm *natura.*
materiam mutabilem) R G *naturam mutabilem.*
quid sit eiusdem generis et alterius) *quid sit eius generis et quid alterius.* sed propius a vero G *quid sit eiusdem generis, quid alterius.*
quae sint semper eadem) R *quae semper sunt eadem.* immo sic distincta maluit scriptor librarius, *eadem autem ratio vera.*

p. Ernest. 1113.

§. 25. in iis) R *in his.* et sic deinceps, ibi, *et in iis.* G *in hiis*, sed priore tantum loco.
in eodem) R G omm *in.*
ipsa per se) G *ipsa per sese.* vid. Orell. p. 504, 21.
sine voce) R *et sine voce.*
adsensionesque firmae veraeque gignuntur) R G *adsensionesque firmat veraque gignuntur.*
quum autem) R om *autem.*
sed intelligentia) R *et intelligentia.*
tum intelligentia scientiaque) haec et quae sequuntur, usque ad illa, *ita vim suam*, absunt a R G.

C. 9. §. 26. natura convertit R G *vix* (id est) *vis*, sive *ius*, ut habet G) *natura converteret.*
supra terram) G *super terram.*
et sancta) R *et facta*, mutatis *f* et *s.*
celeritati) G *celeritatis.*
eaque conversione quam inter se habent) R G *easque inter se concursationes habent.*
alii) R G *aliique.*
reliquorum siderum) G om *siderum.*
quae causa collocandi fuerit) R *quae causa collocandi sit.*
collocatio) R *collocantia* G *colloquacia.* id est, *collocantia.* vid. ad C. 7. §. 21.
in sermonem alium differendum est) R *in aliod tempus differendum.*
quam in eu cuius causa id attigimus)

cturas permultas, et Manutii non paucas, secuti sumus ut probabiles et ingeniosas, et ad sententiam Ciceronis valde accommodatas.

R *in eo quod eius causa attingimus.* cf. Plat. p. 38. D.

§. 27. quando igitur unumquodque) R G *quando igitur ibi quidque.*
e quibus) G *ex quibus.*
motus temporis) G om. *temporis.*
colligatisque corporibus) R G *colligatisque corporeis.*
tunc ex alterius) R G *tum ex alterius.*
in eoque haerentia) G *in eaque inhaerentia.* restituendum Ciceroni, probante Orell. p. 506, 1.
lustrarent) R *illustrarent.* G *lustrent.*
motu vero) R G omm *vero.* reliqui acceptum referunt interpolatoribus.
ea celeritate) G *et a celeritate.*
superari videbantur) R *superarique videbantur.*
omnis enim orbis) R *omnes enim orbes*, et deinceps R G, uno eodemque vitio laborantes, *quasi facilitate* (G *felicitate*) *inflexione vertebat.* Plato p. 39. A. *πάντας γὰρ τοὺς κύκλους αὐτῶν στρέφουσα ἕλικα, διὰ τὸ διχῇ κατὰ τὰ ἐναντία ἅμα προϊέναι, τὸ βραδύτατα ἀπιὸν ἀφ' αὑτῆς οὔσης ταχίστης ἐγγύτατα ἀπέφαινεν.*
quam bifariam) R G *quia bifariam.*

p. Ernest. 1114.

§. 28. in istis octo cursibus) R G omm *istis.* vid. Orell. p. 506, 10.
quibus ius esset doceri) R *quibus ius ee decori.* G *quibus ius esset noceri.*
ab eiusdem motu) R *ab eodem motu.*
ad hunc modum et ob has generata causas) R *ad hunc mundum ob has generatas causas.*
orbis efficit) R *efficit orbis.*
consecuta est) R *secuta est.*

§. 29. rite) R *recte.* vid. Drakenborch. ad Livii 27. 25, 8.
praeditos) R G *praeditum.*
perfectumque annum) G *annum perfectumque.*
ad idem caput) G om *caput.*
retulerunt) R *relulerit.*

C. 10. §. 30. effinxerat) R *et finxerant.* G *et finxerat.*
in mundo intus incluserat) R *in mundo induxerat.* G *intus cluserat in mundo.*

§. 31. in speciem) G *in spem.* vid. ad VI. Epp. 20.
et aerium) R *atque ethereum.* G *ethereum.*
aquatile) R G omm.
maxime) R om.
ita ut splendidissimus) R G *ut splendidissimus.*
cumque similem universitatis naturae efficere vellet) R G *cumque eum similem universis* [? universi] *natura efficere vellet.*
comiteque eum sapientia) R *comitemque eum sapientiam.* et sic Gudianus, *sapientiam.*
circumque caelum) R *circumque omne caelum.* Plato p. 40. A. *νείμας περὶ πάντα κύκλῳ τὸν οὐρανόν.*
ut hunc hac varietate) R om *hunc hac*, G *hac.*

p. Ernest. 1115.

§. 32. dedit autem divinis) R *dedit autem deus.*
in eodem aeque) R G *in eodem de quo.*
in omnibus) G om *in*, propter *m* antecedens. vid. quae annotantur ad Orationem pro Milone C. 16.
§. 42.
alterum) abest ab G.
in anticam partem) R G *in aliquam partem.*
esse voluit) R G *voluit esse.*
et stantem) G *atque stantem.*
suis sedibus) R *fusis sedibus.*
et mutabili ratione) R G *et mutabiliter ratione.*
axe) R *hoste.* contra G *axu*, id est, ut equidem opinor, *axi.*
dici noctisque) R *dieique noctis.*
antiquissimam deorum) R G *antiquissimam deorum omnium.*

§. 33. flexiones) R G *fluxiones.*
conversiones) R *concursiones.*

C. 6. §. 17. MOTUM ENIM DEDIT CAELO EUM QUI FIGURAE EIUS SIT APTISSIMUS QUI UNUS EX SEPTEM MOTIBUS MENTI ATQUE INTELLIGEN-

---

antecessionesque) R *que antecessiones*, G *queque antecessiones.*
contraria regione) R *contrariaque regione.* et sic Plato p. 40. C. *καὶ ὅσοι κατάντικρύ.*
et pone quos) R *aut penes quas.*
quibusque) R G *quisque.* id est, *quisque.*
errorem) R G *terrorem, φόβους* Plat. p. 40. D.
nullo posito sub oculis simulacro) G *nullo opposito ob oculos simulacro.* vid. Orell. p. 508, 3.
earum rerum) R om *rerum.*
suscipiatur) R *suscipietur.*
dicta nobis) R *dicta a nobis.*
quique orti sunt) R *qui sunt orti sunt*, G *quique sunt orti.*

C. 11. §. 34. *δαίμονας*) R G *demonas.*
opinor) R *ut opinor.*
ortum eorum) G *cetum eorum.*
scribere nos) G *nos scribere.*
progeniem deorum) R *de progenie*, G *ex progenie deorum.*
generatores suos) G *suos generatores.*
a diis ortis) G *a deis ortis.*
quanquam nec argumentis nec rationibus) haec absunt a Gudiano libro. sequitur deinceps, *et omibus certis*, et reliqua.
nec rationibus certis eorum oratio confirmatur) R *nec rationibus certis earum ratio confirmetur.*
sed quia de suis rebus nobis videntur loqui) G *qui de suis rebus nobis videntur loqui.*

§. 35. ab his) R *ab iis*, G *ab hiis.*
atque dicatur) R *et ducatur*, G *atque ducatur.* vid. quae notantur ad Orationem pro Cluentio C. 50. §. 139.
Salaciamque) R *Salamque.*
ex his) G *ex hiis.* ac deinceps *Phorcyn* abest ab utroque libro.

p. Ernest. 1116.

ostenduntur) R G *se ostendunt.* idque probatur Orellio p. 508. 27.
declarantur) R G *celantur.*
fatur) G *fatetur.*
deorum satu) R *de deorum satu.*
ego parens) R om *ego.* deinde absunt ab hoc libro et illa quae sequuntur, *quae per me facta non.* vid. Stallbaum Tom. 12. p. 221. sq.
sunt dissoluta) R G *haec sunt indissoluta.* quod defendi potest, inquit Orellius p. 508, 31.
vinctum) R *iunctum.* vid. ad C. 8. §. 24.
orti estis) G *estis orti.*
et indissolubiles) R *dissolubiles.*
neutiquam) R G *neunquam.* id est, *nec unquam.*
nec vos ulla mortis fata periment) R *nec ulla mortis fata vos periment.*
tum cum gignebamini) R *tunc cum gignebamini.*

§. 36. tria nobis genera) R *tria genera nobis.* G *tria nobis genera mortalia.*
complexu) R *complexus.*
ut eodem ne quid absit) R *ut ex eodem nihil absit.* et G *ut ex eodem.*
effecta sint. R *effecta sunt.* G *oportet facta sint.*
quod deorum) R G omm *quod.*
possit adaequare) G *possint adaequare.*
mortali generentur conditione) R G *mortali conditione generentur.*
vos suscipite) R *eos suscipite.*
qua in vestro ortu me usum esse meministis) R *qua in nostro ortu me usum meministis.* G *qua me in nostro ortu usum esse meministis.*
divini generis appellentur) haec absunt a G.
iure et lege) R *et lege et iure.*
attexitote) R *attexite.*
et vivos) R om *et.*

C. 12. §. 37. ad temperationem superiorem revertit) R *ad compositionem superiorem revertitur.*
superiorisque permixtionis reliquias fundens) R *superisque*, quod et G habet, omissis reliquis.
quae semper idem) R *quae semper iisdem.* G *quae semper isdem.*
atqui tertium) R *atque etiam tertium.*
toto igitur omnino) R *toto igitur.* G

TIAE CONVENIRET MAXIME. sic emendatum est in codice Memmiano, haecque lectio verbis et sensui Platonis convenit maxime.

---

toto igitur omni. et sic Plato p. 41. D. ξυστήσας δὲ τὸ πᾶν.
adiunxit) R *coniunxit.*
imposuit) R *apposuit.*
commonstravitque) R *monstravitque.*
ac necessarias) R *et necessarias.*
et ostendit primum ortum unum fore omnibus) G *et oportet unum ortum primum fore omnibus.*
atque constantem nec ab ullo imminutum) G bis posuit haec, *atque constantem*, primum, suo loco, iterum, post *imminutum.*

p. Ernest. 1117.

§. 38. sic se res habebant) R *sic res se habebat.* G *sicut se res habebat.*
genus esset eorum) R absurde sane, *genus deorum ee rum.* debebat esse, *genus eorum esset.*
insevisset) R *miscuisset.* a codice Gudiano absunt haec, *insevisset cumque ad corpora necessitate tum.*
tum aceessio) R om *tum.*
necesse erat) R G *principio necesse erat.* et ita scripsit Cicero, Platonem secutus p. 42. A., πρῶτον μὲν αἴσθησιν ἀναγκαῖον εἴη κ. τ. λ.
communemque omnium) R *communem omnium.* vid. Orell. p. 510, 11. tum *vehementiorem* pro *vehementiore*, repetita prima littera vocis sequentis.
mixtum amorem) G *mixtum post amorem.*
et his) R *et iis.* G *et hiis.*
qui autem his se dediderit) R *qui autem se his dederit.* vid. ad IIII. Tusce. C. 38. §. 82. tum et hoc loco G *hiis.*
recte et honeste) G *recte atque honeste.*
a natura datum) R *natura datum.*

§. 39. et si ne tum quidem) R *et si nec tum quidem.* G *et sic ne tum quidem.* vid. Drakenborch. ad Livii 21. 13, 5.
faciet) R *fecerit.*
et in suis moribus simillimas figuras pecudum) R *et suis moribus similes in pecudum.*
neque malorum terminum) R G *neque terminum malorum.*
sequi coeperit) R *coeperit sequi.*
in se ipse) R om *ipse.*
eiusdem et unius) R om *et.* codex Gudianus haec et quae deinceps leguntur sic repraesentare maluit, *eiusdem et similis in na.* reliqua absunt. vid. Orell. p. 510, 26.
tum eveniet) R *tamen eveniet.*
aere aqua) R *oia*, G *aia.* cf. Plat. p. 42. D.
denique ratione depulerit) R om *denique.* deinde R G *ratione depulerint.*
affectionem animi pervenerit) R *animi affectionem pervenerint.*

C. 13. §. 39. si quid postea) R om *postea.*
alios in terra alios in luna alios in reliquas mundi partes) R *aliosque in terra aliosque in luna aliosque in reliquas mundi partes.* et codex Gudianus, *aliosque in terra.* cf. Platon. p. 42. D. et quae notantur ab Orellio p. 511, 3.
significationem) G *signa et.*

§. 40. post autem sationem eam) G *post autem eam sationem.*
iunioribus) R *minoribus.*
quantumque) G *quantumcumque.*
accedere) R *excedere.*
quae sequentia essent) R G *quae consequentia essent.*
perpolirent) R *perinveherent*, G *perviverent.*
deinde ut huic) R G omm *ut.*
ducemque praeberent vitamque eius pulcerrime regerent et gubernarent) R G *ducemque praeberent vitamque eius quam pulcherrime regerent et gubernarent.* et Plato p. 42. E. κατὰ δύναμιν ὅτι κάλλιστα καὶ ἄριστα.
nisi quatenus ipse benefactus). R *quotiens ipse non benefactus* G *quatenus non ipse benefactus.*
quaereret) R *acquireret.*
in suo manebat statu) R *in suo statu manebat*, G *manebit.*

C. 8. §. 24. EST AUTEM UNUS EX OMNIBUS RATIONIS CONCENTIONISQUE (ἁρμονίας GRAECE) COMPOS ET PARTICEPS QUO NIHIL AB OPTIMO ET PRAESTANTISSIMO GENITORE SEMPITERNARUM RERUM ET SUB

---

p. Ernest. 1118.

cum parentis ordinem) R G *si parentis ordinem.*

§. 41. et terrae) R *terrae.*
et aeris) R om. bene Gudianus, *et animae.*
quas rursus redderent) R G *qē redderent.*
haud) R *aud.*
colligati) R *copulati.*
interiectis) R *illaqueatis*, G *inliquetis.* vid. Orell. p. 511, 15.
itemque) R G *atque.*
atque effluente) R om.
animo divino ambitus illigabant) R G *animi divini ambitu vigilabant.*
itaque) R *atque.*
immersi) R G *emersi.*
tum ferebant tum ferebantur) R om *ferebant tum.*
et pone) G *et post.*
ad laevam et ad dextram et sursum et deorsum modo huc modo illuc) R *modo ad laevam modo ad dextram modo huc modo illuc et sursum et deorsum.*
sex oras) R G omm haec et quae deinceps posita leguntur, usque ad illa C. 14. §. 41. *sed si in.*

C. 14. §. 41. splendore) R *splendere.* G *sedis splendore.*
omniaque huiusmodi necessario in speculo referuntur) R G omm.
eo igne) R *igne eo.*
offusus) R G *effusus.*
in se levi et splendida) R G omm.
contrariis partibus) G *a contrariis partibus.*
praeter morem usitatum adiectionis et commissurae) R G om.

§. 42. id fit) R *ita fit.*
hinc illincque) R *hinc et illinc.*
et ita dextra detrusit) R *ut ita dextram detruxit*, in elementa similis soni mutatis *s* et *x*. deinde R G *laevamque in dextram.*

p. Ernest. 1119.

supina etiam) R *supina et etiam*, G *supina etiam et.*
atque haec omnia) R *atque haec genera omnia.* et codex Gudianus *atque*, non *atqui.*
efficit) G *effecit.*
quae vim habeant frigoris et caloris concretionis et liquoris) R *quae vim habeant refrigerandi calefiendi concrescendi liquendi.* G *quae vim habeant refrigerandi calefaciendi crescendi liquendi.*

§. 43. at ignis et aqua et terra et aer corpora sunt) R *at ignis terra et aqua corporea sunt.* G *at ignis aqua terra corpora sunt.* vid. C. 12. §. 38. et cf. Orell. p. 512, 11.
intelligentis sapientisque naturae) R *sapientis intelligentisque naturae.*
secundas causas rerum earum) abest *causas* a codice Gudiano. deinde R G *earum rerum.*
cum ipsae) R G omm *cum*, bono utique consilio.
genere causarum) R *genere rerum.*
quae cum intelligentia sunt efficientes) R *intelligentia sunt efficiens*, omissis reliquis.
et de iis) R *de his.*
ac de oculorum quidem) R *at de oculorum quidem.*
esse dictum) R *dictum esse.*

§. 44. cognitiones) R G *cognitionem.*
quae est habita) R *quae sunt habita.*
haud umquam) R *aut nunquam*, G *haud nunquam.*
sub oculorum aspectum) R *sub aspectu oculorum.*
ad numerum) R G *et numerum.* cf. Plato p. 47. A.
demensae sunt), R *dimensae.* G *deimensae*, iuncta duplici lectione.
neque datum est mortalium generi deorum concessu atque munere neque dabitur) R *neque datum est mortalium generi nec deorum concessu atque munere dabitur.*

INTELLIGENTIAM CADENTIUM MELIUS PROCREATUM. sic emendat Manutius, Platonis verba sententiamque sequens. sic enim ille [p. 36. E.], λογισμοῦ δὲ καὶ ἁρμονίας μετέχουσα ψυχὴ τῶν νοητῶν, et cetera. nomini igitur Graeco λογισμὸς respondet par Latinum *rationis*, alteri autem Graeco ἁρμονίας nullo modo respondet Latinum *contentionis*. ex eo igitur feci *concentionis*. *concentio* enim harmoniam significantius declarat, quam *contentio*.

C. 9. §. 29. CETERORUM AUTEM SIDERUM AMBITUS IGNORANTES HOMINES PRAETER ADMODUM PAUCOS NEQUE NOMINE APPELLANT NEQUE INTER SE NUMERO COMMETIUNTUR. sic legendum, et ita emendatum erat in codice Memmiano. quod idem Errico Stephano venit in mentem.

C. 10. §. 33. FLEXIONES AUTEM EORUM ET INTER EOS IPSOS CONCURSIONES QUAEQUE IN ORBIBUS EORUM CONVERSIONES ANTECESSIONESQUE EVENIANT QUUMQUE INTER SE PAENE CONTINGANT EOS QUI PROPE COPULENTUR CONTRARIA REGIONE ET PONE QUOS AUT ANTE LABANTUR QUIBUSQUE TEMPORIBUS A NOSTRO ASPECTU OBLITESCANT RURSUSQUE EMERSI TERROREM INCUTIANT RATIONIS EXPERTIBUS SI VERBIS EXPLICARE CONEMUR NULLO POSITO SUB OCULIS SIMULACRO EARUM RERUM FRUSTRA SUSCIPIATUR LABOR. secutus sum exempla quaedam vulgata, quamvis non valde probata. nam omnino mihi magis placet *lusiones*, quomodo legendum putat Erricus Stephanus, magisque Graeco nomini respondet χορείας. nam χορεύειν Lucretius libro secundo [vv. 630. 31.] interpretatur *ludere*, *inter se terque quaterque Ludunt, in numerumque exsultant sanguine pleti*, vel potius, ut habent libri veteres, *inter se forte catenas Ludunt*, et cetera [vid. Lambinum Commentariis ad h. l. p. 226. sq.].

C. 11. §. 33. QUA IPSI VOLUNT. sic legendum, non *quo ipsi*. subintelligitur enim *tenus* et repetitur ἀπὸ κοινοῦ, ut sit *quatenus*.

C. 13. §. 39. ALIOS IN SOLEM. vel sic legendum, quum apud Platonem legatur εἰς ἥλιον, vel apud Platonem legendum, εἰς γῆν [vid. Godofr. Stallbaum. Commentariis Platonicis Vol. 12. p. 224.].

XIIII.

IN ARATI PHAENOMENA.

P. Ernest. 1123.

39 (273. Orell.). PROPTEREA QUOD ET AESTATIS PRIMORDIA CLARAT. vulgo legitur, *propterea quod ad aestatis primordia claret*. quae lectio non videtur reiicienda, etiam si cum Arati versibus

conferas: ὅς [ὅ?] σφισι καὶ θέρεος καὶ χείματος ἀρχομένοιο Σημαίνειν ἐκέλευσεν ἐπερχομένου τ' ἀρότοιο [Aratus Bekker. p. 11. edit. a. 1828.]. sed Adrianus Turnebus [Adversariis 8, 7., ubi quaedam observata et emendata in Arateis Ciceronis proponuntur] mavult legi, *propterea quod et aestatis primordia clarat*, et cetera. a quo dissentire non possum, planeque arbitror ita potius legendum. quemadmodum in multis aliis horum Phaenomenon locis emendandis ei sum assensus.

55 (289.). IPSE AUTEM LABENS GEMINIS EQUUS ILLE TENETUR. sic edidit Morellus. aliae editiones habent *multis*, pro quo Turnebus substituit *mutis*. muti enim sunt pisces. omnino *geminis* magis exprimit Arati verba [vv. 282. 3. p. Bekker. 12.], τόν δὲ μετὰ σκαίροντα δύ' ἰχθύες ἀμφινέμονται Ἵππον, et cetera.

P. Ernest. 1124.

72 (310.). AT NE TU SUPERO NAVI PELAGOQUE VAGATO MENSE SAGITTIPOTENS SOLIS QUUM SUSTINET ORBEM. *vagato* pro vagator, antiquum, quo usus est et Lucretius [vid. Lambinum Commentariis Lucretianis ad 3, 628. p. 352.].

84 (325.). HIC MISSORE VACANS FULGENS IACET UNA SAGITTA QUAM PROPTER NITENS PENNA CONVOLVITUR ALES. id est, sine arcu. ἄτερ τόξου, Aratus [v. 312. p. 13.].

P. Ernest. 1125.

131 (375.). TUTOS CONTINGERE PORTUS. sic emendo. nam quum Aratus dicat [v. 346. p. Bekker. 15.], ὅρμον ἐξερχόμενοι, et cetera, *contingere portus* valde his verbis respondet, *constringere*, quod est in libris vulgatis, nullo modo.

P. Ernest. 1128.

235 (479.). VERUM HAEC QUAE SEMPER CERTO VOLVUNTUR IN ORBE FIXA SIMUL MAGNOS EDICAM GENTIBUS ORBES. sic legit Adrianus Turnebus. alii sic ediderunt, *fixa, simul magnos similes vertentibus orbes*, et cetera. aliae editiones lacerae sunt, ut Morelliana, *fixa, simul magnos edam * gentibus orbes*, et postrema Caroli Stephani, *fixa simul sedem * gentibus orbes*. Arati versus huic loco respondentes hi sunt [vv. 462. sq. p. Bekker. 19.], ἤτοι μὲν τάγε κεῖται ἀλίγκια δινωτοῖσι Τέσσαρα, τῶν κε μάλιστα, et cetera. quibus Arateis magis convenit, meo iudicio, editio illa, *simul magnos similes vertentibus orbes*. quamvis non videantur ex omni parte sincera. Adrianus Turnebus in Adversariis suis addit, etiam legi posse, *edicam cantibus orbes*.

249 (493.). LACTEUS HIC NIMIO FULGENS CANDORE NOTATUR. Adrianus Turnebus legit, *vocatur*.

P. Ernest. 1129.

272 (418.). ALTER AB INFERNIS CANCRO CONNECTITUR AUSTRIS. secutus sum editionem Morellianam, quae mihi visa est Arateis verbis magis convenire [v. 500. p. Bekker. 21.], ἀλλ' ὁ μὲν ἐν

βορέω περὶ καρκίνον ἱστήρικται. alii sic ediderunt, *alter ab infernis Austri convertitur auris.*

P. Ernest. 1131.

349 (595.). PRAECIPITENT OBITUM. id est, celeriter obeant et occidant.

372 (618.). VIS MAGNA AQUILAÏ PELLITUR. quum alia multa in hoc poemate ab Adriano Turnebo erudite et ingeniose restituta sunt, tum hoc in primis.

P. Ernest. 1132.

419 (post illa, *quum vero vis est vehemens exorta Nepaï, Late fusa volans, in terras labitur unda, Orionque metu perculsus conditur una.* 667. Orell.). PACE HUIUS LICEAT CAUSAM EXPLICUISSE TIMORIS VIRGO TUA MIHI QUAESO VENI PLACATA DIANA HAEC FAMA EST HOMINUM. hic versus tres integri et dimidius, qui desiderabantur, ut licet ex Arato intelligere, a nobis restituti et paene dicam ab inferis excitati sunt. mendose autem hic operae fecerunt, *ut fame*, pro *ut famae* [castigati illi hoc nomine in Indice Erratorum p. 626. itaque reponendum p. contextus verborum Ciceronis 452, 9. *ut fama est hominum*, et cetera.].

P. Ernest. 1134 (Orell. p. 519. fr. 2.). QUEM NEQUE TEMPESTAS PERIMET NEQUE LONGA VETUSTAS INTERIMET STINGUENS PRAECLARA INSIGNIA CAELI. ab hoc versu iusseram ad hunc locum ascribi versus aliquot, qui leguntur in libro primo Ciceronis de Divinatione ex Prognosticis Arati, in quo quando mihi obtemperatum non est, hic repraesentabuntur, ut eos ad eum locum lector adglutinet.

|| *Ut quum luna means Hyperionis officit orbi,* p. 505. a.
Stinguuntur radii caeca caligine tecti.

* *

Ast autem tenui quae candent lumine Phatnae.

* *

Atque etiam ventos praemonstrat saepe futuros
Inflatum mare, quum subito penituque tumescit,
Saxaque cana salis niveo spumata liquore,
Tristificas certant Neptuno reddere voces,
Aut densus stridor quum celso e vertice montis
Ortus adaugescit scopulorum saepe repulsu.

* *

Cana fulix itidem fugiens e gurgite ponti
Nuntiat horribiles clamans instare procellas,
Haud modicos tremulo fundens e gutture cantus.

* *

Vós quoque signa videtis aquaï dulcis alumnae,
Quum clamore paratis inanes fundere voces,
Absurdoque sono fontes et stagna cietis.

* *

Saepe etiam pertriste canit de pectore carmen
Et matutinis acredula vocibus instat,
Vocibus instat et assiduas facit ore querelas,
Quum primum gelidos rores aurora remittit,
Fuscaque nonnunquam cursans per littora cornix
Demersit caput, et fluctum cervice recepit.

* *

Mollipedesque boves spectantes lumina caeli
Navibus humiferum duxere ex aere succum.

* *

Iam vero semper viridis semperque gravata
Lentiscus triplici solita et grandescere fetu,
Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi.

XV.

IN LIBRUM Q. TULLII CICERONIS DE PETITIONE CONSULATUS AD M. FRATREM.

C. 1. p. Ernest. 1021. QUAE CONSEQUI INGENIO AUT USU HOMINES AUT DILIGENTIA POSSUNT. Muretus negat, vocem *homines* in quodam libro manu scripto reperiri. quod si probabimus, verbum *consequi* παθητικῶς erit accipiendum. ego quum in duobus libris item manu scriptis eam vocem reperissem, neque in codice Memmiano expuncta esset, non sum ausus eam delere, non reclamaturus tamen, si quis delendam contendat [Mureti locus est VV. LL. 7, 11. Operum Tom. 2. p. 154.].

Ibid. NON UT ALIQUID EX IIS NOVA ADDISCERES. secutus sum hic religiose scripturae veteris vestigia. nam duo libri manu scripti habent, *addiscerem*. *addiscerem* autem factum puto ex *addiscerez*, quum 3 (z) scriptum esset initio pro 5 (s), deinde pro *m* acceptum.

P. Ernest. 1022. ibid. QUANQUAM IGITUR PLURIMUM NATURA VALET TAMEN VIDETUR IN PAUCORUM MENSIUM NEGOTIO POSSE SIMULATIO NATURAM VINCERE. videtur delenda praepositio *in*.

Ibid. HABES ENIM EA QUAE NOVI NON HABUERUNT OMNES PUBLICANOS TOTUM FERE EQUESTREM ORDINEM MULTA PRAETEREA MUNICIPIA MULTOS A TE DEFENSOS HOMINES CUIUSQUE ORDINIS ALIQUOT COLLE-

GIA PRAETEREA STUDIO DICENDI CONCILIATOS PLURIMOS ADOLESCENTULOS QUOTIDIANAM AMICORUM ASSIDUITATEM ET FREQUENTIAM. sic hunc locum iampridem emendandum censui, maneoque in sententia. doctus quidam idemque mihi amicus existimat addendum, *omnes*, ut sit, *quae novi non omnes habuerunt* [vid. Muretum l. l. et adde Lambinum Epistola ad Muretum, Muretinorum Operum Tom. 1. p. 400. sq.].

C. 2. p. Ernest. 1023. EORUM ALTERIUS BONA PROSCRIPTA VIDIMUS VOCEM DENIQUE AUDIVIMUS IURANTIS SE ROMAE IUDICIO AEQUO CUM HOMINE GRAECO CERTARE NON POSSE. C. Antonium describit. ad hunc locum pertinet illud ex Fragmentis Orationis in C. Antonium et L. Catilinam [p. Ernest. 1051. Vol. 2. Part. 1. p. Orell. 522.], *quem enim aut amicum habere potestis, qui tot cives trucidavit, aut clientem, qui in sua civitate cum peregrino negavit se iudicio aequo certare posse?*

Ibid. QUUM AD TABULAM QUOS PONERET NON HABEBAT. putarim legendum, *quos poneret alios non habebat*, nempe quam Sabidium et Pantheram. *tabulam* autem puto accipiendam *Censoriam.*

Ibid. p. 1024. ALTER VERO DII BONI QUO SPLENDORE EST? Catilinam designat. hic locus erat, vocibus perverse et praepostere positis, foede corruptus, quibus in suum ordinem restitutis nihil nunc est integrius. sic enim legendus: *primum nobilitate eadem, deinde maiore non virtute, sed audacia.*

Ibid. QUIN ILLE MANIAS ET UMBRAM SUAM METUIT. hunc locum coniectura non inani, meo quidem iudicio, ductus sane feliciter restitui. dicuntur autem *manias et umbram suam metuere*, proverbiali sermone, qui supra modum metuunt, ut pueri, quos nutrices, quum plorant immoderatius et improbius, nescio quibus terriculamentis obiectis, larvis quibusdam aut lamiis et figuris deformibus commemoratis ac nominatis, a ploratu revocare conantur. erant autem *maniae*, ut docet Festus, turpes deformesque personae, vel ut alii volunt, ficta quaedam hominum simulacra ex farina, vel larvae, id est, *manes*, quos deos deasque putabant, quosque ab inferis ad superos emanare credebant, quos denique pueris nutrices minabantur. talis fere erat vox illa || *μορμὼ* apud Graecos, ex qua *μορμωλύττειν* et *b.*
μορμωλύγματα [vid. Ruhnken. ad Tim. Lex. p. 180. sqq.]. ne quid dissimulem, in hanc me coniecturam deduxit Passeratius, qui tamen *manuis* legendum pro *inanius* existimabat, docte quidem et ingeniose, sed minus probabiliter minusque vere.

Ibid. HIC NE LEGES QUIDEM. sic legendum, non ut vulgo, *hunc negliges quidem.* sententia autem nunc plana est. C. Antonius ita timidus est, inquit, ut puerorum more manias et umbram suam metuat, Catilina ita audax, ut ne leges quidem metuat.

Ibid. IN QUIBUS HOMINEM OPTIMUM Q. CAECILIUM SORORIS VIRUM EQUITEM ROMANUM NULLARUM PARTIUM QUUM SEMPER NATURA

TUM ETIAM AETATE IAM QUIETUM SUIS MANIBUS OCCIDIT. lego ex coniectura, quam feci ex scriptura antiqua, *hominem honestissimum virumque optimum.* nam liber unus antiquus habet, *hominem virumque optimum.*

C. 3. p. 1024. QUI HOMINEM CARISSIMUM POPULO ROMANO M. MARCIUM INSPECTANTE POPULO ROMANO VIRGIS PER TOTAM URBEM CECIDERIT. libri manu scripti habent, *vitibus per totam*, et cetera [vid. Lipsium de Mil. Rom. 5, 18. Tom. 3. p. Vesal. 386.].

Ibid. STANTI COLLUM GLADIO SUA DEXTERA SECUERIT QUUM SINISTIA CAPILLUM EIUS A VERTICE TENERET. ad hunc locum pertinet illud ex Fragmentis Orationis in C. Antonium et Catilinam [p. Ernest. 1051. Orell. 523.], *populum vero, quum inspectante populo Romano collum secuit hominis maxime popularis, quanti faceret ostendit.*

Ibid. QUI NULLUM IN LOCUM TAM SANCTUM AC TAM RELIGIOSUM ACCESSIT IN QUO NON ETSI IN ALIIS CULPA NON ESSET TAMEN EX SUA NEQUITIA DEDECORIS SUSPICIONEM RELINQUERET. doctus quidam idemque amicus meus legendum putat, detracta negatione, *etsi in aliis culpa esset*, et cetera. ego nihil mutandum censeo. nam hunc locum esse integrum, declarant verba M. Ciceronis in Oratione in Antonium et Catilinam, quae reperiuntur in Fragmentis pagina quadringentesima sexagesima quinta [p. Ernest. 1052. Orell. 525.], *quum ita vixisti, ut non esset locus tam sanctus, quo non adventus tuus, etiam quum culpa nulla subesset, crimen afferret.*

Ibid. p. 1025. QUI TANTUM HABET AUDACIAE TANTUM NEQUITIAE TANTUM DENIQUE IN LIBIDINE ARTIS ET EFFICACITATIS UT PARENTUM PROPE IN GREMIIS PRAETEXTATOS LIBEROS CONSTUPRARIT. liber vetus unus habet, *prope virentum gremiis.* unde suspicantur quidam legendum, *in parentum prope videntium gremiis.*

Ibid. TAMEN EORUM ALTERUM QUUM DEESSET ALTER CAELIUS ETIAM QUUM MULTO ESSET INFERIOR GERERE SUPERIOR NULLA RE PAENE SUPERAVIT. vel legendum, *quum sibi deesset alter*, vel *deesset* positum pro abesset (ut et alibi infra), vel *decesset* legendum, ut existimat Passeratius. *decesset* autem valet *decessisset*, qualia sunt *exstinxem, promisse, divisse*, et similia [cf. Pareum in Mantissa Lexici Critici p. 163. sqq.].

C. 4. p. 1026. PETIS ENIM HOMO EX EQUESTRI LOCO SUMMUM LOCUM CIVITATIS ATQUE ITA SUMMUM UT FORTI VIRO DISERTO INNOCENTI MULTO IDEM ILLE HONOS PLUS AMPLITUDINIS QUAM CETERIS AFFERAT. sic iusseram edi et ita legendum censeo, *ut forti viro, homini diserto et innocenti*, et cetera.

Ibid. EOS VERO QUI CONSULARIBUS FAMILIIS NATI LOCUM MAIORUM CONSECUTI NON SUNT NISI QUI ADMODUM TE AMANT [*tibi*, inserendum vel ex Indice Erratorum p. 626.] NON INVIDERE. sic hunc locum restitui, detracta voce *suspicor*, quae huc ab aliquo in-

docto illata fuerat. sententia autem huius loci est haec: et ii, qui eodem honore usi sunt, vident quid dignitatis adepturus sis, quum tu idem quod ipsi sis adeptus, et ii, qui Consularibus familiis nati locum maiorum consecuti non sunt, nisi qui te admodum amant, tibi invident. hic operae omiserunt *tibi*. legendum enim, *t i b i non invidere*.

Ibid. IAM ILLUD TUTE CIRCUMSPICITO QUOD AD CN. POMPEII GLORIAM AUGENDAM TANTO STUDIO TE DEDISTI NUMQUOS TIBI PUTES OB EAM CAUSAM ESSE NON AMICOS. negationem addidit Adrianus Turnebus, sine dubio a scriptoribus librariis omissam et huic loco necessariam.

C. 5. p. 1026. DEINDE UT QUISQUE EST INTIMUS AC MAXIME DOMESTICUS UT IS AMET ET QUAM AMPLISSIMUM ESSE TE CUPIAT VALDE ELABORANDUM PUTO. sic habent duo libri manu scripti, et ita emendatum est in codice Memmii, et Adriani Turnebi et Leodegarii Querni. in eisdem libris emendatum etiam est, ut edidimus, *et quam amplissimum esse te cupiat*.

Ibid. p. 1027. NAM PER HOS ANNOS HOMINES AMBITIOSI VEHEMENTER OMNI STUDIO ATQUE OPERA ELABORARUNT EST POSSINT A TRIBULIBUS SUIS EA QUAE PETERENT IMPETRARE. sic emendavit Adrianus Turnebus, coniectura ductus.

Ibid. QUOD SI SATIS GRATI HOMINES ESSENT HAEC OMNIA TIBI PARATA ESSE DEBEBANT SICUT PARATA ESSE CONFIDO. sic emendatum est in codice Adriani Turnebi, idque ex auctoritate codicis manu scripti, ut mihi ipse confirmavit. ego olim, antequam hanc ex vetere codice emendationem cognovissem, suspicabar legendum esse pro *concerno*, *o m n i n o c e r n o*. Passeratius *concerno* retinendum putat.

Ibid. QUARE HOC TIBI FACIENDUM EST UT HOC TEMPORE AB IIS QUI DEBENT EXIGAS SAEPE COMMONENDO ROGANDO CONFIRMANDO CURANDO UT INTELLIGANT NULLUM TEMPUS ALIUD SE UNQUAM HABITUROS RESTITUENDAE GRATIAE. sic legendum, et ita emendatum est in codice Memmii et Turnebi ex veteribus. natum autem erratum vocis *idem* ex antiqua scribendi consuetudine *temp.*, quod valet *tempus*, seu *temporis*, seu *tempore*.

Ibid. QUONIAM EO GENERE AMICITIARUM PETITIO TUA MAXIME MUNITA EST. sic emendatum est in iis, quos dixi, codicibus ex auctoritate veterum, neque de veritate scripturae dubitandum. quanquam, quod quidam coniectura ducti reposuerunt *innixa*, non est reiiciendum [vid. Muretum VV. LL. 7, 12. p. 157.]. sed vetus scriptura plus ponderis habet.

Ibid. ET QUEMADMODUM NEMINI ILLORUM ULLA IN RE UNQUAM MOLESTUS FUISTI SIC CURA UT INTELLIGANT OMNIA TE QUAE AB ILLIS TIBI DEBERI PUTARIS AD HOC TEMPORIS RESERVASSE. sic et iampridem emendarat Muretus [VV. LL. 7, 12. extr.], et ego nuper emendatum reperi in duobus eorum, quos honoris causa semper nominatos velim, codicibus.

C. 6. p. Ernest. 1028. TAMEN EX TEMPORE ELABORARE EIUS CAUSA CUIUS CAUSA DEBENT AUT VOLUNT FACILE POSSUNT. sic legendum. sic enim loquebantur veteres, *debeo tua causa*, *volo tua causa*, earumque loquendi formarum sexcenta sunt apud Latini sermonis auctores exempla [vide vel Pareum Lex. Critico p. 1321, 1.].

C. 7. p. 1029. IN QUO MODO ALIQUID VIRTUTIS SIT. VOX *virtutis* deleta erat in libro Adriani Turnebi, ex auctoritate veterum codicum, integra comparebat in Memmiano.

Ibid. EXIMIAM QUANDAM GLORIAM ET DIGNITATEM AC RERUM GESTARUM MAGNITUDINEM ESSE OPORTET IN EO QUEM HOMINES IGNOTI NULLIS SUFFRAGANTIBUS MERITIS HONORE AFFICIANT. VOX *meritis* abest a duobus libris veteribus, quae tamen videtur necessaria. in iisdem participium *septis* paullo post non reperitur.

C. 8. p. 1029. MULTI HOMINES URBANI INDUSTRII MULTI LIBERTINI GRATIOSI IN FORO NAVIQUE VERSANTUR QUOS PER TE QUOS PER COMMUNES AMICOS POTERIS SUMERE. sic restituit Adrianus Turnebus, levi immutatione facta.

Ibid. DEINDE HABETO RATIONEM URBIS TOTIUS COLLEGIUM OMNIUM PAGORUM VICINITATUM. sic est emendatum in codice Memmiano et Turnebeo, planeque ita legendum.

Ibid. POSTEA TOTAM ITALIAM FAC UT IN ANIMO AC MEMORIA TIBI TRIBUTIM DESCRIPTAM COMPREHENSAMQUE HABEAS. sic restitui
p. 506. coniectura ductus, quum animad ‖ vertissem ex codice Mem-
a. mii et Turnebi, esse in libris manu scriptis *tributim districtam*. ex qua scriptura tamen Turnebus facit *distinctam*.

Ibid. p. Ernest. 1030. ITA QUUM ET HOS IPSOS QUI PROPTER SUAM AMBITIONEM APUD TRIBULES SUOS PLURIMUM GRATIA POSSINT TUI STUDIOSOS IN CENTURIIS HABEBIS ET CETEROS QUI APUD ALIQUAM PARTEM TRIBULIUM PROPTER MUNICIPII AUT CIVITATIS AUT COLLEGII RATIONEM VALENT CUPIDOS TUI CONSTITUERIS IN OPTIMA SPE ESSE DEBEBIS. sic hunc locum emendavi, una voce, quae fuerat suo loco mota, in suam sedem restituta. nempe quum in libris omnibus provocabulum *qui* locatum sit ibi, *qui apud tribules*, ego ita edidi, *qui propter suam ambitionem*, et cetera.

Ibid. TUM AUTEM QUOD EQUESTER ORDO TUUS EST SEQUENTUR ILLI HUIUS AUCTORITATEM ORDINIS SI ABS TE ADHIBEBITUR EA DILIGENTIA UT NON ORDINIS SOLUM VOLUNTATE SED ETIAM SINGULORUM AMICITIIS EAS CENTURIAS CONFIRMATAS HABEAS. totus hic locus praeclare ab Adriano Turnebo ope veteris codicis emendatus, et in integrum restitutus est.

C. 9. p. Ernest. 1031. HAEC TU PLANE AB IIS POSTULATO UT QUONIAM NULLA IMPENSA PER TE ALII HONESTATEM ALII SALUTEM AC FORTUNAS OMNES OBTINUERUNT NEC ALIUD ULLUM TEMPUS FUTURUM SIT UT TIBI REFERRE GRATIAM POSSINT HOC TE OFFICIO REMUNERENT. sic restituit Muretus, et recte [VV. LL. 7, 13. p. 157.].

C. 10. p. 1031. QUAMOBREM *Ἐπιχαρμεῖον* ILLUD TENETO NERVOS ATQUE ARTUS ESSE SAPIENTIAE NON TEMERE CREDERE. sic Epicharmus Graece, *νῆφε καὶ μέμνασο ἀπιστεῖν, ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.* ex quibus Graecis videtur aliquid deesse his Latinis Quincti, atque ita legendum, *nervos atque artus esse sapientiae vigilare et cavere et non temere credere.* proferuntur in epistola ea, quae ultimam antecedit libri primi ad Atticum [p. Lambin. 211, 15. ep. 18.], et a Suida in v. *πρόχειρον.*

C. 11. p. Ernest. 1032. EA DESIDERAT NOMENCLATIONEM BLANDITIAM ASSIDUITATEM BENIGNITATEM RUMOREM SPECIEM IN RE PUBLICA. sic legendum censeo, reiecta lectione vulgata. nam ex horum membrorum explicatione, quae subiungitur, *spem* legi non posse intelligere licet [vide quae notantur ad VI. Epp. 20.]. sunt enim sex membra, *nomenclatio, blanditia, assiduitas, benignitas, rumor, species*, in re publica. ac cetera quidem suo loco explicantur, postremum autem infra, pagina quadringentesima quinquagesima nona, versu decimo quinto, ibi [nobis C. 13. p. Ernest. 1035.], *postrema tota petitio cura ut pompae plena sit*, et cetera.

Ibid. NON COMITAS TIBI NEC EA QUAE BONO AC SUAVI HOMINE DIGNA SUNT SED OPUS EST MAGNOPERE BLANDITIA QUAE ETIAMSI VITIOSA EST ET TURPIS IN CETERA VITA TAMEN IN PETITIONE EST NECESSARIA. hunc locum alii restituere in integrum conati sunt, sed frustra. ego mihi videor huic ulceri ita manus medicas admovisse, ut nihil integrius fingi possit. est autem hoc genus loquendi veteribus usitatum et Q. fratre dignum. quod sic explico: *non comitas tibi opus est, nec ea quae bono viro ac suavi homine digna sunt, sed opus est magnopere blanditia*, et cetera.

Ibid. PETITORI VERO NECESSARIA EST CUIUS ET FRONS ET VULTUS ET SERMO AD EORUM QUOSCUNQUE CONVENERIT SENSUM ET VOLUNTATEM COMMUTANDUS EST. nihil muto, quamvis quidam putet legendum, *accommodandus est.* quod tamen si cui magis probabitur, non repugnabo.

Ibid. NON COMMITTERE UT QUISQUAM POSSIT DICERE SI QUOD EIUS SIT CONSEQUI POSSIS SE ABS TE NON ESSE ROGATUM ET VALDE AC DILIGENTER ROGATUM. sic hunc locum emendandum arbitror, et parva immutatione scripturae veteris facta, et optima sententia expressa.

Ibid. p. Ernest. 1033. EST IN CONVIVIIS. malim legi, *est et in conviviis*, et cetera.

Ibid. QUAE FACITO ET ABS TE ET AB AMICIS TUIS CONCELEBRENTUR ET PASSIM ET TRIBUTIM. sic habet liber vetus unus, alter, *quae fac ut et abs te.* quod idem valet.

Ibid. QUOD FACERE NON POSSIS UT ID AUT IUCUNDE PROMITTAS AUT INGENUE NEGES. deerat hic unum membrum. id quod intelligere licet ex iis quae sequuntur, *quorum alterum*, et cetera, *alterum*, et cetera. erraverat librarius scilicet in vocibus *iucunde*

et *ingenue*, atque ab adverbio *iucunde* ad verbum *neges* transierat. sic igitur ego restituo, *ut id aut iucunde promittas aut ingenue neges.* nam quod Adrianus Turnebus sic emendari vult, *ut id aut promittas aut iucunde neges*, primum verbum *promittas* solitarium et sine adverbio non placet, deinde *iucunde neges* non convenit.

C. 12. p. Ernest. 1033. NAM QUUM ID PETITUR QUOD HONESTE AUT SINE DETRIMENTO NOSTRO PROMITTERE NON POSSUMUS (QUOMODO SI QUIS ROGET UT CONTRA AMICUM ALIQUAM CAUSAM RECIPIAMUS), BELLE NEGANDUM EST UT OSTENDAS NECESSITUDINEM DEMONSTRES QUAM MOLESTE FERAS ALIIS TE ID REBUS EXSARTURUM ESSE PERSUADEAS. maneo in sententia, ut hunc locum sic emendandum esse existi-
b mem, || quam emendationem doctissimi quidam viri probant [in his Muretus VV. LL. 7, 13 p. 157.]. nonnulli tamen *exaucturum* malunt [edebatur et *exacturum*, et solent in his formis scriptores librarii turbare. vid. quae notantur ad I. de Officiis C. 44. §. 157.].

Ibid. ILLUD ALTERUM SUBDURUM TIBI HOMINI PLANE PERITO SUADERE. liber vetus unus habet, *homini Platonico* [Ernest. p. 1033, 45. »hoc non placet, ut et aliis non probatum est. quomodo »corrigendum sit, non reperi.«].

Ibid. IDEO SE NEGARE NEMINI QUOD SAEPE ACCIDERET UT IS CUI POLLICITUS ESSET NON UTERETUR. vocem *causa* delevi, multa, quae deerant in libris vulgatis, reperta in manu scriptis restitui.

Ibid. p. 1034. SIN AUTEM ID NEGES CERTE ABALIENES ET STATIM ET PLURES. sic edendum curavi, duorum veterum librorum auctoritatem secutus. praeterea verbum *inimicantur* deleri iussi, quia eius nullum est in libris veteribus vestigium.

Ibid. PRAESERTIM QUUM MULTO MAGIS IRASCANTUR EI QUI NEGET QUAM II QUEM VIDEANT IUSTA CAUSA IMPEDITUM UT FACERE QUOD PROMISIT CUPIAT SI ULLO MODO POSSIT. haec sunt apta ex superioribus, hoc modo: *ita impeditum*, *vel ita iusta causa impeditum*, et cetera. supra proxime videtur aliquid deesse, et ita legi debere, *quem videant iusta causa impeditum non facere.*

C. 13. p. Ernest. 1034. SATISFIAT ORATIONE OMNIBUS RE OPERAQUE MULTIS PERFICIATUR ID QUOD FIERI POTEST LABORE ET ARTE ET DILIGENTIA NON UT AD POPULUM AB IIS HOMINIBUS FAMA PERVENIAT SED UT IN HIS STUDIIS POPULUS IPSE VERSETUR. mutata interpunctione et emendato verbo *proficiatur*, ex eoque facto *perficiatur*, hic locus ab omni labe vindicatus ac purgatus est, idque ex librorum antiquorum auctoritate, non sine coniectura tamen nostra.

Ibid. IAM URBANAM ILLAM MULTITUDINEM ET EORUM STUDIA QUI CONCIONES TENENT QUAE ADEPTUS ES IN POMPÈIO ORNANDO IN MANILIA CAUSA RECIPIENDA CORNELIO DEFENDENDO EXCITANDA NOBIS SUNT QUAE ADHUC HABUIT NEMO QUIN IDEM SPLENDOREM OMNIUM VOLUNTATESQUE HABERET. libri veteres habent, *excuranda nobis sunt.*

Ibid. p. Ernest. 1035. UT ETIAMSI QUID POSSIT NE [sic corrigendum istud *nec*] COMPETITORIBUS TUIS EXISTAT AUT SCELERIS AUT LIBIDINIS AUT LARGITIONIS ACCOMMODATA AD EORUM MORES INFAMIA. hic locus non videtur a mendo vacuus. meo autem iniussu hic operae fecerunt *nec competitoribus*. nam libri omnes habent *ne competitoribus*, et ita legendum.

XVI.

IN FRAGMENTA.

1. p. Lambin. 465, 7. Ernest. 1052. QUO NON ADVENTUS TUUS ETIAM QUUM CULPA NULLA SUBESSET CRIMEN AFFERRET. ex hoc loco apparet, nihil esse mutandum in libro de Petitione Consulatus [loco], qui est pagina quadringentesima quinquagesima quarta [p. 454, 22. nobis C. 3. p. 1024.], *etsi in aliis culpa non esset*, et cetera.

2. ibid. p. Ernest. 1053. UBI ARDOR ANIMI QUI ETIAM EX INFANTIUM INGENIIS ELICERE VOCES ET QUERELAS SOLET? huius loci testimonio confirmari potest eorum sententia, qui nihil mutandum putant in Oratione pro M. Caelio, pagina quingentesima tertia, versu tricesimo nono [nobis C. 24. §. 60.], *nonne ipsam domum metuet, ne quam vocem eliciat?* nam ut hic ardor animi *vocem elicere* ex infantium ingeniis dicitur, sic illic ne e domo flagitiorum conscia *vocem eliciat*, metuere debet is, qui falsum crimen ex ea domo prolatum in alterum confert.

3. p. Lambin. 466, 32. Ernest. 1055. QUI LAEVARE VULTUM MOLLIRE VOCEM POTES. usus est hoc verbo et Lucretius libro quinto [v. 1266.], *materiemque laevare, dolare et radere tigna.* sic enim legendum esse admonui, non ut plagiarius quidam, *materiemque dolare, laevare et radere tigna.* plane inepte [vid. Commentaria Lucretiana ad h. l. p. 712. sq.]

4. p. Lambin. 467, 52. Ernest. 1058. UT SALUTEM A NOBIS NEPOTIS SUI DEPRECARENTUR. legendum, *a vobis.*

5. p. Lambin. 472, 51. Ernest. 1066. SED EO MAGIS RECOLENDAM QUOD PLUS DESIDERARINT. legendum, *quod plures desiderarint.*

6. p. Lambin. 478, 12. Ernest. 1098. AUT SI HOC QUOD SENTIMUS ET SAPIMUS MORTALE ET CADUCUM EST. lege, *quo sentimus* et sic correctum in Indice Erratorum p. 626.].

7. p. Lambin. 481, 50. p. Ernest. 1135. TU QUOQUE QUI SOLUS LECTO SERMONE TERENTI CONVERSUM EXPRESSUMQUE LATINA VOCE MENANDRUM IN MEDIO POPULI SEDATIS VOCIBUS EFFERS QUICQUID COME LOQUENS ATQUE OMNIA DULCIA LINQUENS. legendum vel *omnia lin-*

quens, ut sit participium a verbo *liquor*, *eris*, vel quod est nimis remotum a scriptura vulgari, *omnia dulcia manans.*

8. p. Lambin. 481. v. ultimo, p. Ernest. 1135. IAM SATIATA ANIMUM IAM DUROS ULTA DOLORES ABIICIT EFFLANTEM ET LACERATUM AFFLIGIT IN UNDAS SEQUE OBITU A SOLIS NITIDOS CONVERTIT AD ORTUS. legendum vel *affligit in undam*, vel *affligit in undas.*

9. p. Lambin. 482. Ernest. 1136. * QUID VERO PHOEBI FAX TRISTIS NUNTIA BELLI. locus non est sincerus.

10. p. ead. LUCE SERENANTI VITALIA LUMINA LIQUIT [sic habet lemma]. legendum, *vitaï lumina liquit*, ut edendum curavi libro de Divinatione [p. Lambin. 258, 19. nobis I. de Divinatione C. 11. §. 18.].

CONSPECTUS LIBRI.

TULLIANARUM EMENDATIONUM PARS PRIMA SIVE IN LIBROS RHETORICOS ANNOTATIO.

I. In Cornificii Libros Quattuor Rhetoricorum ad Herennium p. 3.
II. In Rhetoricorum qui sunt de Inventione Rhetorica Libros p. 21.
III. In Libros Tres qui sunt de Oratore p. 32.
IV. In Librum de Claris Oratoribus qui dicitur Brutus p. 63.
V. In Oratorem p. 81.
VI. In Topica p. 92.
VII. In Partitiones Oratorias p. 99.
VIII. In Libellum de Optimo Genere Oratorum p. 107.

TULLIANARUM EMENDATIONUM PARS ALTERA SIVE IN ORATIONES ANNOTATIO.

I. In Orationem pro P. Quinctio p. 101.
II. In Orationem pro Sex. Roscio Amerino p. 121.
III. In Orationem pro Q. Roscio Comoedo p. 128.
IV. In Divinationem de Accusatore in C. Verrem Constituendo p. 130.
V. In Prooemium seu Principium Actionis Primae in C. Verrem p. 133.
VI. In Actionis Secundae seu Accusationis in C. Verrem Librum Primum p. 134.
VII. In Accusationis Librum Secundum p. 142.
VIII. In Accusationis Librum Tertium p. 147.
IX. In Accusationis Librum Quartum p. 157.
X. In Accusationis Librum Quintum p. 167.
XI. In Orationem pro M. Fonteio p. 180.
XII. In Orationem pro A. Caecina p. 183.
XIII. In Orationem pro Lege Manilia p. 192.
XIV. In Orationem pro A Cluentio Avito p. 196.
XV. In Orationem de Lege Agraria in Senatu p. 204.
XVI. In Orationem de Lege Agraria ad Populum p. 205.
XVII. In Orationem de Lege Agraria item ad Populum p. 212.
XVIII. In Orationem pro C. Rabirio Perduellionis Reo p. 212.
XIX. In Orationem Primam Catilinariam p. 213.
XX. In Orationem Secundam Catilinariam p. 217.
XXI. In Tertiam Catilinariam p. 219.
XXII. In Quartam Catilinariam p. 220.
XXIII. In Orationem pro L. Licinio Murena p. 222.
XXIV. In Orationem pro L. Valerio Flacco p. 230.
XXV. In Orationem pro C. Cornelio Sylla p. 237.
XXVI. In Orationem pro A. Licinio Archia Poeta p. 243.
XXVII. In Orationem post Reditum ad Quirites p. 245.
XXVIII. In Orationem post Reditum in Senatu p. 248.
XXIX. In Orationem pro Domo Sua p. 253.
XXX. In Orationem de Haruspicum Responsis in P. Clodium p. 263.
XXXI. In Orationem pro Cn. Plancio p. 269.
XXXII. In Orationem pro P. Sextio p. 276.
XXXIII. In Orationem in P. Vatinium p. 286.
XXXIV. In Orationem pro M. Caelio p. 288.
XXXV. In Orationem de Provinciis Consularibus p. 292.
XXXVI. In Orationem pro L. Cornelio Balbo p. 294.

XXXVII. In Orationem in L. Calpurnium Pisonem p 293.
XXXVIII. In Orationem pro T. Annio Milone p. 305.
XXXIX. In Orationem pro C Rabirio Postumo p. 311.
XL. In Orationem pro M. Marcello p. 314.
XLI. In Orationem pro Q. Ligario p. 316.
XLII. In Orationem pro Rege Deiotaro ad C. Caesarem p. 319.
XLIII. In Philippicam Primam sive] Philippicarum in M. Antonium Librum Primum p. 321.
XLIV. In Philippicam Secundam p. 323.
XLV. In Philippicam Tertiam p. 326.
XLVI. In Philippicam Quintam p. 328.
XLVII. In Philippicam Sextam p. 329.
XLVIII. In Philippicam Septimam p. 330.
XLXIX. In Philippicam Octavam p. 331.
L. In Philippicam Nonam p. 332.
LI. In Philippicam Decimam p. 332.
LII. In Philippicam Undecimam p. 333.
LIII. In Philippicam Duodecimam p. 334
LIV. In Philippicam Tertiam Decimam p. 334.
LV. In Philippicam Quartam Decimam p. 335.
LVI. In Orationem C. Crispi Sallustii ut vulgus putat in M. Tullium Ciceronem p. 336.
LVII. In Responsionem M. Tullii Ciceronis ut falso inscribitur p. 337

TULLIANARUM EMENDATIONUM PARS TERTIA SIVE IN EPISTOLAS ANNOTATIO.

I. In Libros Epistolarum ad Familiares p. 338.
II. In Libros Epistolarum ad T. Pomponium Atticum p. 376.
III. In Libros Epistolarum ad Q. Fratrem p. 429.
IV. In Epistolas ad M. Brutum p. 433.
V. In Epistolas ad Brutum non ita pridem repertas p. 435.
VI. In Epistolam ad Octavium quae incerti auctoris est p. 436.

TULLIANARUM EMENDATIONUM PARS QUARTA SIVE IN LIBROS QUI SUNT DE PHILOSOPHIA ANNOTATIO.

I. In Libros Academicorum ad M. Terentium Varronem qui supersunt p. 437.
II. In Libros de Finibus Bonorum et Malorum ad M. Brutum p. 447.
III. In Tusculanarum Quaestionum Libros p. 460.
IV. In Libros Tres qui sunt de Natura Deorum ad M. Brutum p. 475.
V. In Libros de Divinatione p. 484.
VI. In Librum de Fato p. 489.
VII. In Fragmenta Librorum de Re Publica p. 492
VIII. In Libros de Legibus p 496.
IX. In Libros Tres qui sunt de Officiis ad Marcum filium p. 511.
X. In Catonem sive Libellum de Senectute ad T. Pomponium Atticum p 538.
XI. In Laelium sive Libellum de Amicitia ad T. Pomponium Atticum p. 546.
XII. In Paradoxa Stoicorum ad M. Brutum p. 556.
XIII. In Librum de Universo seu Timaeum p. 561.
XIV. In Arati Phaenomena p. 571.
XV. In Librum Q. Tullii Ciceronis de Petitione Consulatus ad M. Fratrem p. 574.
XVI. In Fragmenta p. 581.

INDEX.

a Vesta, id est, a lare et a foco 372.
ab et *ob* praepositiones confunduntur 8. 362. 496.
abducere et *adducere* 176. 418. 485.
abesse et *abisse* 372.
abesse officio 516.
abrogare et *obrogare* 8.
ac particula exegetica 375. cf. Drakenborch. ad Livii 38. 49, 5. Tom. 11. p. 253. non adhibetur ante voces a vocali incipientes 427. vid. VV. DD. ad Livii 10. 36, 17. et ad Epit. 10. et *hac* confusa 27. 54.
accedere et *accidere* 110. 343. 347. 448. et *ascendere* 160. *accedere in urbem* non dicunt Latini 160. *ad urbem* 406. quarto casu iunctum 308.
acceptum facere, sive acceptum ferre 152.
accidere et *incidere* 350. *accidit ad aures*, *ad oculos* 157. *accidit quare*, *cur hoc faciam*, et similia 155. 344.
accipere et *recipere* 419. 480.
accipere fiduciam 232. *in contumelia* 425.
Accius sive Attius 273.
accredere 397.
accubitio et *accubatio* 543.
accumulate et *accurate* 6.
accuratio 13.
accusandi, absolvendi, damnandi verbis genitivi additi 245.
accusari maiestatis 26.
Accusationis in Verrem libri quinque, non septem numerantur 85.
acerrima diligentia, non *acerba* sive acerbissima 394.
acinus vinacei 544.
acquirere et *exquirere* 523.
acres oculi 462.
acriculus 468.
acrior et *alacrior* 425.
acta Syracusanorum 168. 171. *in acta*, id est, in littore 173.
actionem expostulant 349.
actor et *auctor* 62. 294.
actuosus et *iactuosus* 86.
ad, id est *at* 370.
ad et *ob* 234. 468.
ad arbitrum, id est, apud arbitrum 112.
ad decimam, id est, circiter decimam 20.
ad denarium 112.
ad fratrem, id est, apud fratrem 41.
ad id ipsum temporis 195.
ad προσκυνεῖν, id est, ad assensum 393.
ad res suas redire 252. 285.
ad Strenae 426.
ad summam, sive *in summa* 424. 522.
ad vesperum et *ad vesperam* frequentata 218.
ad voluptatem loqui 120. 555. 560.
ad ultimum, id est, ad finem officii 228.
adamaris et *admiraris* confusa 342.
adducere et *deducere* 439.
adductus et *eductus* 272.
adhaesio et *adhaesitatio* 447.
adhibere in consilium 97.
adhibere et *capere exercitationem* 517.
adigere arbitrum, et similia 516.
adipatum et *adipale* 82.
adire et *audire* 203.
adiungit inter hos non satis Latine dicitur 209.
administri et adiutores 7.
admirari, id est, *demirari* seu *mirari* simpliciter 92. 318. 456.
admittere vitium 24.
adolescens, non *adulescens* 322. 323.
adulari patiendi significatione sumptum 519. utroque casu iungitur 16.
aedes et *sedes* 261.
aeditimus et *aedituus* 163.
Aemathium praedium 501.

Aenus 231.
aequare et *adaequare* 512. 3.
aerius et *aethereus* 567.
Aeserninus 108.
aetate procedere 458.
Aethiops 249.
Aetion 66.
affectus et *afflictus* 436.
afferre et *aggerere* 395. cf. Drakenborch. ad Livii 1. 26, 2. Tom. 1. P. 1. p 211. et *auferre* 54.
affici et *flecti* 350.
afficta pars, id est, addita sive adiecta 61.
afflari et *efflari* 544.
affluere 477. et *diffluere* 552.
afuit, *afore*, *afuturum* scribendum et pronuntiandum potius, quam *abfuit*, *abfore*, *abfuturum* 77. 88. 176. 223. 237. 252. 289. 341. 390.
agere et *angere* 459. Liv. 29. 6, 7.
agere et *augere* 19 50. 438. 523.
agere et *dicere* 4.
Aggrinae sive Agrines 304.
agitare et *cogitare* 153.
agitur res, id est, in discrimen vocatur 19. 552.
agitur de aliqua re, consultatur aut sermo habetur 23. 458. 552.
agnitio et *cognitio* 475.
agraria curatio 369.
agricola et *agricultura* 544.
Ahala 87.
ἀγόνομος 418.
ain' et *an* confusa 389.
ἀκιμώλιον, id est, verum et non fucatum 414.
aliena lingua, id est, non sua 42.
alii et *illi* confusa 146 541
aliqua, id est, aliqua ex parte 231.
aliquam multi 161.
aliqui, id est, aliquis 269.
aliquid, id est, *τί* sive *κατά τι* 515.
aliter sive secus 12.
alius et *alienus* 529. et *alter* ib. et *ille* 563.
allegare 198.
allegati et *alligati* 198. 430.
alleviare 23.
alligatus et *illigatus* 256.
alludere et *eludere* 95.
alteri et *altero* 479.
altero, id est, ad alterum 557.
altior et *elatior* 77. 447.
altus et *alitus* 274
alunt et *agunt adolescentiam studia* 244.
amatores 79.
ambitio et *ambulatio* 241.
ambo et *ambos* 135.
amice magne 358.
amicorum paria fabulis celebrata 547.
amittere et *omittere* 498.
amphibolia et *amphilogia* 8. 488.
an interrogando affirmat, et responsionem aientem postulat 516.
ἀνατέλλεκτον 431.
ἀνατέλλουσα, id est, tempus ad navigationem idoneum 412.
ἀναφόρησις et *διαφόρησις* 376.
ancillari 337.
Anchisetes ventus 400.
angere et *tangere* 80.
animabilis et *animalis* 480
anniversarium substantivi potestate non frequentatum a Latinis 396.
annuere et *innuere* 112. 142. 156.
annumerare et *enumerare* 67.
anquirere et *acquirere* 523.
anquirere et *inquirere* 273. 399.
anquirere et *requirere* 541.
Antanabatae 350.
antecedere et *antecellere* 520.
ante diem II. sive *a. d. II.*, id est, pridie calendas 113. corruptum a librariis non doctissimis 404.
ἀντείσακτον 431.
anthe, id est flores, *ἄνθη* 427.
Antigenidas 70.
Antimachus 71.
Aperta, id est Apollo 11. cf. Vossium in Etymologico, Operum Tom. 1. p. 39. sq.
apis bos Aegyptiorum deus 474.
apisci 41.
Apollonis et *Apollonia* frequentantur 232. sed quod p. 395. legitur „ab *Apollonide* seu *Apollonida*," est hoc peccatum operarum Lambini, a me non animadversum. voluit Lambinus *Apollonidia*. vid. quae notantur ad Orationem pro Flacco C. 32. §. 79. p. 235
Apollonidensis et *Apollonidiensis* 232. 234. 235 395.
appetere et *oppetere* 545.
appetere et *repetere* 300.
appositio et *expositio* 556.
apud me domi 278.
aquam tentare 552.
Aquillia lex 68.
M. Aquillius a Fufio accusatus, ab Antonio defensus 528.
ar, id est *ad* 507.
arbiter pro socio 129.

arbitrari passive sumptum 174.
arbitri 7.
arbitrium, id est iudicium pro socio 112.
arbitrum et *arbitrium* mutata 129.
arbor infelix 212.
arcano, id est arcane, et *in Arcano*, quod est praedii nomen, confusa 404. 427.
arcerra sive *arcera* genus vehiculi 355.
arcesso et *accerso* 81. 393. vid. Forcellinum Lex. Lat. Tom. 1. p. 220., et quos laudavit Obbarius V. D. in Iahn. Ann. Philologg. et Paedagogg. Vol. 10. P. 1. p. 76.
Arethusa fons Syracusis 418.
argutiis et *argumentis* 551.
Aristus et *Aristo* confusi 474.
Aristotelius et *Aristotelicus* 453.
arquus, *i* et *arcus*, *us* 483.
arrogantis et *arrogantia est* cum similibus 15. 28.
ars et *pars* confusa 6. 65. 297.
Arsinoa 304.
arundines Indicae 165.
ascensio et *assensio* 68.
aspergere et *dispergere* 381.
aspiratio vocibus perperam vel addita vel detracta 180. 504. 541.
assentiri passive sumptum 443.
assequi et *consequi* 434.
asservare et *observare* 415.
asseveratione confirmare 206.
assiduus ab *asse dando* dictum 93.
astringere et *distringere* 537.
astus 533.
at et *ut* confusa 167. 270.
atrienses ac topiarii 560.
Atta 284.
Attalienses et *Attaleenses* 204.
Atticula 399.
attinet, *nihil attinet*, sine adiectione 4. 28.
M. Attius 485.
Attius et *Statius* confusa 456.
attractio nominis 209. 320. 461.
attractio relativi 98. 496. 564.
auctionem vendere num Latini dicant, id est, vendere bona auctione 112.
auctor et *fautor* 199.
auctus potestate 322.
aucupari et *occupare* 510.
audaciter 125. 255.
aversus et *adversus* 485. 496.
avertere et *avellere* 535.
avertere et *averrere* 132. 534.
augere et *urgere* 152.
Aviti nomen in *Habiti* mutatum 86. 196. 199. vid. Lambinum Commentariis Lucretianis ad 2, 216. p. 179.
avitus et *habitus* 541.
avocatio et *revocatio* 468.
aut et *ut* mutata 510.
axe et *axi* 567.

b et *v* sive *u* 17. 179. 193. 214. 297. 322. 426. 451. 504. 505.
bacae Eoae 16.
baro et *varo* 451.
batuere 365.
belli utilitas sive emolumentum 193.
belua et *bestia* 520.
beneficentia et *beneficientia* 514.
bliteus Plautinum vocabulum 148.
blitum herbae genus 364.
Boliscus sive Boiscus 15.
cui bono fuit? 7.
bonum et *bene praeceptum* 24.
Bosporus scribendum et pronuntiandum 22.
breve et confitendum 559.
brevi et *breviter* 275. 284. 341. 347. 503. 559.
Byzantius et *Byzantinus* 257. 280.

C. nota praenominis *Caius* sive *Gaius* et *Consul* 317. calumniae nota 123.
c et *q* eiusdem soni litterae mutantur 566.
c et *s* mutatae propter similitudinem soni 297. 501. et *t* propter ductuum, quibus hae litterae formantur, similitudinem confusae 8. 152. 218. 364. 431. 557. 559.
caduceus 39.
Caecilia Balearici filia, nepotis soror 122.
calathus 281.
calere et *callere* 74. 337. vid. Drakenborch. ad Livii 35. 32, 13. Tom. 10. p. 396. sq.
Callipho et *Calliphon* frequentata 447.
canephoroe 157. 159.
canere et *concinere* 279.
cantor formularum 40.
cantus descripti vocum sonis 470.
capere et *carpere* mutantur 525.
captare, id est decipere 366.
captio et *cautio* 393.
carere et *cavere* 493.
carere patienter 42.
carere et *vacare* 564.

casus et natura 13.
cataplus Puteolanus 314.
Catonium 358.
cavernae in navibus quae sint? 61.
causa et *ansa* 253 375. 325.
causa et *casa* 488.
causa et *casus* 416.
causa morbi 9.
ce, id est *que* 354.
celare et *velare* variata 301.
celebritas et *crebritas* 355.
celeripes 408.
centuriata lex 207.
ceram vel *crocum olere* 56.
cereum funale pro crebro 543.
cernere hereditatem 236.
certa et *cetera* 348. 545.
certa et *recta nomina* 115. 155.
certe et *certo* 415.
certus et *rectus* 9. 155. 396. 545.
cessio 498.
cessum corpus 506.
cetera 111.
Charmadas et *Carneades* variantur 462.
Chirtilii nomen in alia omnia mutatum 76.
Ciceronis lex de ambitu 274.
cinnus 82. 494.
Cipius non omnibus dormiens 357.
circa et *contra* mutantur 563.
circulari 72.
circulus sive circuitus 62.
circum et *circa* 497.
cistae et *cistellae* 6.
cistella et *sitella* 5. 477.
citare et *incitare* 486. 487.
cl et *d* 304. vid. Drakenborch. ad Livii 10. 24, 2. Tom. 5. P. 2. p. 176.
clamator 39. 58.
clarare 571.
clarum forum 536.
P. Clodius quo die a patribus ad plebem transierit 324.
cnoscito, id est gnoscito 9.
coaegrentes vel *coaegrescentes*, id est συναλγοῦντες et συμπάσχοντες 473.
coagmentare et *coamentare* 60. 66. 330.
coci et *coqui* 287.
Coclitis nomen corruptum 517.
coemptionales senes 224.
cogere et *colligere* dialecticorum verba mutata 22. 489.
cogitare et *congregare* 523.
cogitare et *excogitare* 81.
cogitatio et *cognitio* sive *cognatio* variata 454. 487. 514.
cognatio et *contagio* 487.
cognatus et *cognitus* 564.
cognitus et *inventus* 510.
coitio 272.
collimare et *collineare* 488.
collocare et *tenere gloriam* 527.
Comenses iure Latii donati a Caesare 394.
comesum et *comestum* 203.
comicus et *coamicus* 550.
comis et *communis* 99. vid. Drakenborch. ad Livii 25. 12, 9. Tom. 8. p. 78.
comissatio 60. 148. 223.
Comitiorum consuetudo et renuntiationis gradus 223.
commetiri 571.
commodum 402.
commonere et *commovere* confusa 141. 457.
commonere et *commonefacere* 141.
commune populi Romani sive *rei publicae* 169.
comparativus ex communi adiectivi natura non regit genitivum 197.
comparativis aliud vocabulum additur, in quo est vis comparationis 49.
compendia librariorum vitiosae scripturae fons 232. 413. 558.
comperisse atque adeo patefecisse coniurationem Catilinariam Cicero dicitur 349. 378.
compescere, id est corrigere, et *compensare* 542.
Compitalia 298.
compitalicii ludi 298.
complere et *compilare* 257.
complexu et *compressu* 514.
componere 233.
composita verba cum simplicibus commutantur varias ob causas 202. 319. 321. 334. 349. 356. 431. 454. 468. aliis locis.
composita verborum mutantur, corrumpuntur 8. 11. 53. 56. 60. 89. 135. 136. 146. 162. 163. 164. 169. 179. 194. 199. 201. 202. 234. 240. 248. 266. 269. 279. 317. 533. aliisque locis.
compositus et *expositus* 8.
compulsus et *perculsus* 277.
con syllaba initialis variatur 23. 29. 562. 563. 564.
con pro *non* positum 249. 460.
concallere 392.

concedere et *conciaere* 260.
concentio et *contentio* mutata 571.
concepta verba 479.
concernere 577.
concilium et *consilium* 336.
concinere 456. 457.
concinnus et *continuus* 62. 431.
concitare et *incitare* 317.
concludere et *includere* 202.
concribello a nomine *cribellum* factum verbum, quod est deminutum a *cribro* 364.
condicio et *condictio* variantur 21[illegible].
condictio a condicendo 213.
conducere, id est Graecis *συνάγειν* 23.
confectio et *consectio* 88. 481.
conferre et *congerere* 552.
conficere et *confercire* 364.
conficiendum et *confitendum* 559.
confirmare se ad omnia 200.
confirmare et *conformare* 17. 45. 53. 200. 342.
confirmatio et *conformatio* 244.
conflictio et *conflictatio* 101.
confligere et *confingere* 5.
confossus et *confessus* 238.
confringere et *constringere* 306.
congestus et *coniectus* 308.
conicito et *coniicito* 9.
coniecturarium et *consectarium* 456.
coniectus et *contectus* 285.
coniicere et *conficere* 236. 508. et *colligere* 165.
coniuratus idem quod *coniuratio* 242.
conquestiones 69. 86.
conscendere in scapham 5.
consciderit et *conciderit* 477.
consectio et *consectatio* 88.
consenserunt et *concesserunt* variata 16. 445. vid. Drakenborch. ad Livii 9. 7, 7. Tom. 5. P. 1. p. 60.
consentaneus rationi 31.
consentiens et una vox, id est, non discors neque discrepans 300.
consentire et *consistere* 457.
consequi παθητικῶς acceptum 574.
considerare et *deliberare* 270.
consilium dimittere 144.
consistens pro constante 8.
consistere et *constituere* 50. vid. Drakenborch. ad Silii 1, 637. p. 780. et *resistere* 8.
consolidatus et *consolutus* 351.
consortio et *consociatio* sive coniunctio 532.
conspicuus et *conspiciendus* 14.
constantissima et *consociatissima voluntas* 344.
constitutum facere 291.
constitutus e marmore 244.
constrictus et *constructus* 37. 564.
Consules difficillimis rei publicae temporibus populum ad arma capienda excitant 250. 251.
Consulis alterius nomen, alterius cognomen ponitur 237.
Consulum cognomina dumtaxat posita 237.
contendere et *continere* 479.
contingere et *constringere* 572.
contrahendorum et corripiendorum nominum ratio 87.
contrivit et *conterruit* 293.
contrudere et *conducere* 291.
contudit et *compulit* 293.
contuli et *compuli* 239. 293. 473.
converrere et *convertere* 534.
convertere et *conferre* 535.
convictus et *coniunctus* variata 133.
cornu et *cornus* 481.
correctio et *obiurgatio* 554.
cortem sive *cohortem* 48.
Cottus rex 303.
crassi agri, id est, pingues et opimi 234.
crater filicatus 383. 384.
credo extra nexum orationis 221. 347. vid. Ruhnkenium Dictatis in Terentii Andriam 2. 1, 13. p. Schopen. 41. et Drakenborchium ad Livii 4. 17, 7. Tom. 2. P. 2. p. 153.
cretiones 36.
crimen et *nomen* 138. 271. 350.
cruentus et *cruentatus* 24.
crura suffringere 123.
cuicui modi, id est, cuiuscuius modi 30. 56. 158.
cuiuscuius, id est, cuiuscunque, a recto *quisquis* 457.
cum vel *tum* in *con*, *com* vel *col* mutatum proximae voci iungitur 303. 420. 460. 547,
cum prima luce sive *primo luci* 537.
cumulus et *tumulus* 218. 219.
cupa sive *cuppa* 302.
C. Curius 314.
curriculum et *circulum* mutata 212.

d et *l* variantur 413.
d et *p* 166. 340. 350. 385. 410
δ pro *λ* positum 413.
dare et *reddere* confusa 317.
dare causam 155. *operam* 78.
dare se in aliquam rem 460.

de et *di* in compositis mutata 16. 53. 57. 83. 100. 136. 160. 248. 288. 370. 452. 456. 481. 501. 521.
de lapide empti 300.
de manibus emittere 291.
debeo tua causa 578.
debilitari et *delibitari* 364.
deblitari a *blito* deductum verbum 364.
debuit impersonaliter 373.
decedere et *descendere* 561.
decere et *debere* 373. 465. 485.
decernere et *iudicare* 256.
decernere iniuriam 235.
decesserit et *desederit* 383.
decesset, id est *decessisset*, et similia 576.
Deciorum patris et filii mors pro patria oppetita 557.
Decius et *Decimus* confusa 14. 357. vid. Drakenborchium ad Livii 9. 30, 4. Tom. 5. P. 1. p. 243.
decolor sanguis 465.
decretorium 401.
decumae alterae, id est praeter primas datae 154.
decumbere 467.
decurrere spatium, *aetatem*, et similia 32.
dedi et *dedidi* mutata 473. 475. 497. 569.
dedisse et *cepisse* 350.
deducere mathematicis nostris *subtrahere* 517.
deducere et *subducere* 517.
deduci et *reduci* 321.
deesset, id est abesset 576.
defendente et *deserente* 407.
defervi a defervendo 290. 292.
defigere et *refigere* 358.
defrudare et *defraudare* 91.
defugere auctoritatem 238.
degredi et *digredi* 160.
dein et *deinde* 291.
delabi et *dilabi* 501.
delectus et *deiectus* 388.
delegare crimen optimis nominibus 181.
deletum et *deiectum* confusa 141.
deleverit et *delegerit* 287.
delibare 20.
delibare et *delibrare* 31. 367. 546.
delibrare, id est detrahere sive deminuere 28, 31. 367. 546.
delibutus et *delibatus* 66.
delibutus et *debilitatus* 336.
deliciari 474.
delictum participii potestate 26.
delimare 20. 367.
delimitari 364.
delitum a delinendi verbo 141.
delitum et *deletum* variata 141.
Dellius 406.
deluere et *diluere* 521. 554.
demanare 288.
demere et *adimere* 340.
demetari et *demetiri* 481.
demonstrativum sive potius *ostentativum* Graecis ἐπιδεικτικόν 4.
demptum, id est detractum 340.
demulcere voluptate 77.
dentibus insecare 19.
depeculari et *depopulari* 133.
depsit et *clepsit* confusa 364.
depuli et *repuli* 216.
depulit et *dispulit* 462.
deripere, id est detrahere 237. 376. 378. 449.
deripere et *diripere* 18. 163. 194. 237.
descendere ad accusandum odio inimicitiarum 227.
describere et *distribuere* 381.
descriptus et *districtus* 578.
designatio librorum, id est dispositio 388.
despicatissimus et *desperatissimus* 302.
despicere et *dispicere* 248. 452. 456.
despicere et *respicere* 248.
destinavit et *destituit*, sive potius *destinuit* 328.
destricti gladii, non *districti* 219. 281. 317.
deterior et *posterior* 292.
detextum, id est, absolutum et confectum 421.
detrahere de se, *sibi* 161.
detulisti et *depulisti*, *pepulisti*, *tetulisti* 78.
deversari et *diversari* 136. 160.
devertere, non *divertere* 25. 135. 160. 307.
devotare 557.
devotionis convictus, id est, damnatus voto 245.
Dianium 137.
dicendo diem eximere 430. vid. Pareum Lexico Critico p. 445, 1.
dicere, id est, dare 528.
dicere legem 147.
dicere et *discere* confusa 33. 36. 46. 312. 511.
dicere et *docere* 22. 95. 312.
dicere et *ducere* 27. 149. 201. 535. 508.

dicis causa 224. 380.
dicta et *praedicta dies* 256.
didere 480.
dies patrio casu 277.
diffluere 552.
digerere et *dirigere* confusa 103. vid. Drakenborchium ad Livii 8. 32, 5. Tom. 4. P. 2. p. 269.
dilaudare 271. 391.
dilectus et *delectus* 42. 49. 75. 77. 131. 168. 211. 225. 253. 368. 466. 494. 513. 561.
dilegere sive *deligere*, id est evertere 287.
dilegere et *diligere* 17. 42. 131. 168. 211. 225. 243. 284. 287. 297. 305. 320. 388. 494.
dimensus et *demensus* 83. 570.
dimetiendam et *dimittendam* confusa 244.
dimittere et *emittere* 266.
directo et *decreto* confusa 208 290. 396.
directo, id est per cursum rectum 208.
directus 290.
diribere 300.
diribere et *dirimere tabellas* 432.
diritas et *duritas* 545.
discendi studiosi Graecis φιλομαθεῖς 46.
discessus et *discissus* 246.
discidium a discindendi verbo 55. 289. 318. 439. 554. vid. Commentaria Lucretiana ad 1, 221. p. 39.
discidium et *dissidium* qua ratione differant? 318. vid. VV. DD. ad Livii 25. 18, 5. Tom. 8. p. 114. sqq.
disciplinabilis et *disciplinalis* 12.
discribuntur pecuniae et *describuntur* 370.
discripta et *districta suffragia* 268.
disparare, id est dissolvere 33.
disperditio et *dispersio* 327.
disputari et *dubitari* 532.
dissenserit et *dissederit* sive *discesserit* variata 319.
dissensiones et *discessiones* 382.
dissensus et *discessus* 246.
dissicere verbum hodie ignotum 289.
dissimulator, id est Graecis εἴρων 520.
dissuere amicitiam 553.
dissuere et *diluere* confusa 521. 554.
distitit praeteritum a verbo disto, et *destitit* 524.
distracta frons 302.
distractus et *districtus* 193.
distringere et *destringere* 537.
divisi et *dimisi* variata 239. vid. Drakenborch. ad Livii 28. 2, 16. Tom. 8. p. 762. sq. et ad 37. 45, 19. Tom. 10. p. 865.
dm̄, id est dominum 232.
domui, id est *domi* 537.
domuitio sive potius *domutio* 14.
donare et *condonare* 349.
dormitare et *dormire* 485.
ducere et *docere* confusa 507.
duci 144.
Duellius sive *Duilius* 543.
duere sive *dare* 507.
dulcedo et *dulcitudo* 56. 60.
duo et *duos* 135. 229. 278. 345. 548.
duri et *ferrei* patres in filios severiores 545.
dupondius 116.

e vocalem, si longa esset, Romani linea tenui notabant 110.
ea, id est, per eum locum 27.
ecferre 231.
ecferre et *extollere* mutata 557.
eclogium scribendum, non *elogium* 201. 545.
ecqua, id est, num aliqua 25. 312.
ecquid, num aliquid 21. 104.
ecquid et *etquid* confusa 104.
eductus et *educatus* 352.
effectus et *effictus* 438. 441.
efficere, id est efferre seu reddere 151.
effingere et *affingere* 52.
effingere sanguinem spongiis 281.
ego et *ergo* confunduntur 216. 311. 390. 447. 496. 544.
ei veteres dicebant pro *ii* 63. 72. 222. 339. 411.
ει Graecorum diphthongus vertitur a Latinis vel in *i* longum, vel in *e* longum 204. 243.
eiicere et *elicere* mutata 16. 291. 467. 489. 544. 581.
eiicere et *reiicere* 455.
eiusdemmodi 39. 444.
eius omnes et *eius homines* 353.
elabi et *delabi* 269.
elaborare 6. 58. 346. 513.
eloquentia δημήγορος 540.
eludere et *elidere* 95.
eluere et *diluere* sive *deluere* 553.
elustrare 214.
emancipare 542.

emblemata vermiculata 61.
emetiri et *remetiri* 64.
emicare et *eminere* 177.
empineticam facere 359.
en duobus casibus iunctum 138.
endo, id est *in* 61. 493.
enectus fame 489.
enitere et *eminere* 230.
enudare et *inchoare* 499.
Epicharmi dictum celebratur, *nervos esse sapientiae non temere credere* 579.
equis velis, id est, terra marique 363.
ergo et *igitur* variata 565.
eripere et *deripere* 163. 376. 378.
errato pro ἡμαρτηκότι, id est pro eo qui peccavit 205.
error et *terror* 63. 487. 568.
escunt, id est *erunt* 507. 508.
esse et *isse* mutata 372.
esse in potestate et *cum potestate* 24.
esse rei publicae evertendae 145.
esset et *isset* confusa 240.
est impudentia et *impudentis est* 352.
est tanti 216.
est ut, *non est ut*, id est, potest fieri ut 126. 259.
et et *sed* variata 225. 467. 532.
everrere 142.
exactae pecuniae rationem referre 352.
exacturum et *exaucturum* commutata 580.
exaequare et *exsequi* confusa 6.
exagitare et *excogitare* variata 153.
exanclare et *exantlare* 445. 464. 465.
excellere paenultima producta 47.
exceptio eius unde petitur 38.
excidere et *exscindere* 540.
excitare et *avocare* 310. et *explicare* 425.
exclamare et *reclamare* 89.
excludere aliquem et *extrudere* 170.
excubare 329.
excubare et *incubare* 486.
excusatum et *obscuratum* 553.
excussi et *exclusi* 267. 327.
excussimus et *excivimus* 334.
exire et *excedere e corpore* 547.
exitio corruptum 227.
exitium 266.
exlex 200.
exlibertus 401.
exostra 292.
expalluisse et *expavisse* confusa 7.
expectare et *expetere* 107. 131. 307. 548. 562.
expectorare 58.
expiare religionem 264.
exponere et *expromere* variata 131.
ex positis, id est, ἐκ τῶν κειμένων 47.
expromere et *exprimere* 212.
exputare et *exponere* 11.
exsarcire, id est reparare 6. 580.
exsiluerunt et *insiluerunt* 232.
exsulium ab exsule, non *exilium* 38.
exterminator et *extinctor* 263.
extremum spiritum ore excipere 175.
extremus et *externus* 564.
extremus et *ultimus spiritus* 542.
exuri 481. 482.
εὐίλεως sive εὐίλατος νοῦς 415.

f et *s* confusae 88. 163. 261. 292. 379. 407. 566.
f et *t* 20. 274.
f et *v* variantur barbara pronunciatione 428.
faba et *fabula* 379.
facere cum aliquo 72.
facere facinus 106.
facere et *iacere suspicionem* 18. 236.
facere quaestum 129.
faciendi verbum abundat 474. vid. Pareum Lexico Critico p. 459, 1.
facies et *species* mutata 315.
faciles et *felices*, ut et *facilitas* et *felicitas* confusa 342. 567.
facilitas, id est aequitas summo iuri contraria 332. 342.
facilitas et *facultas* variata 15. 82.
facio et *iacio* confusa 18.
facta beneficia pro collatis rarum dicendi genus 27.
factae et *pactae induciae* 515.
facturus et *futurus* variata 375. vid. Drakenborch. ad Livii 32. 8, 15. Tom. 9. p. 638. sq.
factus et *fictus* mutata 359.
falcarii 214.
falsitas minus Latinum 196.
falsus et *salsus* confusa 379. 460.
fama et *familia* 290.
fasti et *festi dies* 278.
fastidire iunctum accusandi casu 307.
fata impendent amicitiis, id est, interitus et pestes 550.
fateri passive sumptum 209.
fauces et *faces* mutata 262.
fautor et *fauturus* 262.

fecisse et *fuisse* commutata 7. 167.
fecisse videri quaesitorum sive Praetorum formula 304.
felicatae sive *filicate paterae* 556.
ferri et *fieri* confusa 207. 539.
ferventes et *furentes* 367.
fervi et *ferbui* 79. 299. 292.
ferus et *rudis* 328.
fide antiquus generandi casus 366.
fidem dare et *recipere* 385.
fiducia 232.
fiduciae formula 97.
fiduciaria mancipatio 232.
figere et *fingere* 557.
filia subintelligitur 260.
filico 376.
fingere, id est tergere 281.
firmamentum et *fundamentum* 227.
fit et *sit* mutata 91.
flare et *conflare* 280.
flavus et *ravus* mutata 445.
flexiones et *fluxiones* 567.
flexus aetatis 32.
flocci ἑάτεον 379.
floccifacteon inauditum verbum 379.
flos delibatus et *delibutus* 66.
fluenter 403.
foras exigere 325.
foris est debitor, qui sui conveniendi copiam non facit 298. 392.
forma et *formula* 93. 469
fors et *sors* mutata 163. 516.
forte et *fortasse* 434.
forum agere 395.
forum laxare 391. 392.
frangere et *tangere* 448.
fraudium et *fraudum* 534.
fretense, id est Siculum 413.
fretu 178. cf. Lambini Commentaria Lucretiana p. 105. et 774. sq. Prisciani locus est 1. p. Putsch. 554. sive C. 6. §. 35. Tom. 1. p. Krehl. 34. vide et Voss. de Analogia 1, 36. p. 156. sq. cum Appendice.
frons et *vultus* iuncta 394.
fugacia et *fucata* mutantur 366.
fugiens venenum 536.
fuisse et *favisse* mutata 245.
funale 543.
fundi populi 190. 191. 296.
furcilla extrudere sive *furca expellere* proverbii loco usurpatum 426. 427.
Furia lex 139.
furiosus 6. 30.
Fusii et *Fufii* 38. 139.
Fusus Furiorum cognomen 38.
futurum infinitivi tanquam invariabile omni numero et generi iunctum 178.

Galbae Sulpiciae gentis sunt, non Sergii 33.
Gallonius 425. 450.
geminus et *germanus* 100.
genas carpere et *radere* 507.
Genitales dii 5.
Genitivi in *ai* nominum primae declinationis 469. 484. 573. 582.
Genitivi in *i* a recto in *ius* 447.
Genitivi tertiae declinationis nominum Graecorum in *i* 44. 64. 158. 159. 165. 445 446.
Genitivi quintae declinationis in *es* 277. 278.
geno antiquis usurpatum pro *gigno* 28.
γεράνδρυον 392.
gerere et *gubernare* 526.
Germalum sive *Germalus* 388.
germani Thucydides 83.
germanitatis stupris volutari Cicerone indigna locutio 266.
Gerundium cum accusativo 538.
gladiatoribus 368.
gramineae hastae 165.
grana calata 281.
granaria 452.
gratissimus et *gratiosissimus* 339. 351.
gratulari sibi aliquid et *in aliquo* 348.
grave et *grande* 101.
gravitas et *granditas* 65. 73. 83. 100.
gravius et *durius* variata 317.
guberna, id est gubernacula 61. vid. Lambinum Commentariis Lucretianis p. 471.
gumiae, id est comedones 450.

h et *n* praesertim initiales commutantur 68. 146. 180. 200. 446.
habere, sic habeto, sine adiectione 172.
habere, id est habitare 483.
habita et *adhibita* 472.
haec et *nec* confusa 68. 146. 565.
haec significanter positum 241. vide Pareum Lexico Critico p. 533. *sq.*
haerere et *inhaerere* 215.
haerere alicui 119.

hara 300.
haud scio an vi ac potestate affirmante 233.
heluari libros 453.
heluco 376.
Hercules *Prodicius* 521.
Hermagoras 5.
heroicus et *Troicus* confusa 65.
hesterno, id est heri 286.
hesternum testimonium, id est testimonium heri dictum 286.
hic et *hinc* variata 311.
hic et *huc* 557.
Hicetas Syracusius 446.
hilarus et *hilaratus* 63.
him, id est *hinc* 390.
hirnula vel *hirnella* vasis genus in sacris 556.
homines aut *viri ornatissimi* a consuetudine Ciceronis abhorret 260.
hominibus et *nominibus* confusa 180. 200.
homo bonus vel *optimus*, *clarus* vel *clarissimus* non dicunt Latini, aut certe minus probant, quam *vir bonus* vel *optimus*, *vir clarus* vel *clarissimus* 87. 180. 321. 376. 279. 576.
horror et *terror* 305.
Hortesius scribendum, non *Hortensius* 110.
humanitatis nomine Latini doctrinam et litteras intelligunt 104.
humilitas et *imbecillitas* 530.
hyperbaton notatur 69. 490.
Hyperidae, et eiusdem generis plura multitudinis numero 66.

i et *l* confusae 17. 373. 388. 470. 494.
iacio et *facio* turbata 18. 236.
iactari et *iacere* 288.
iactuosus incertae vel nullius auctoritatis vocabulum 86.
Ialysus 81.
iam et *nam* mutata 170. 201.
icere foedus 295.
icisse et *fecisse* variata 295.
idemque et *itemque* 300. 563.
II. Idus, id est pridie Idus 408.
igni et *igne* 536.
ignotus pro ignaro 13. 172.
illatio litium et *appellatio* 312.
illi, id est *illic* 362.
illim, id est *illinc* 325. 354. 355. 390.
illiminare intra limen et in domum inferre 73.
illiminare et *eliminare* 73.
imberbus et *imberbis* 255.
imbiberit, id est, in animum induxerit 113. cf. Lambinum Commentariis Lucretianis p. 747.
imbutus sacris et *commotus* 486.
immortalitas et gloria et *immortatitatis gloria* 546.
immundae opponuntur *mundis* 409. 410.
immune facinus 10. 23.
immunis et *immanis* variata 10. 11. 551.
immunis virtus 551.
impar certamen, id est inaequale 298.
imperare et *impetrare* confusa 414. vid. Drakenborch. ad Livii 9. 30, 10. Tom. 5. P. 1. p. 216.
impetrire, id est *impetrare* confusa 485. 487.
impetrire et *impertire* confusa 485. 487.
implicatus ad severitatem 124.
impressio et *oppressio* 349.
impudentia et *imprudentia* variantur 498.
impugnatio et *oppugnatio* 188.
impuratus 255.
impurus et *impudicus* 248.
in et nascitur ex *m* finali vocis praecedentis, et intercipitur ab eadem littera 112. 307. 344. 400. 478. 567.
in et *m* mutata 112. 297. 307. 575.
in et *ui* sive *vi* confusa 420.
inane, id est inanitas 490.
inanimus et *inanimatus* 497. 523.
inaudita, id est audita 296.
inauditus participium verbi *inaudire* 296.
incautus sermo, qui caveri non potest 154.
incensa, id est, non censa 235.
incidere et *incedere* sive *intendere* confusa 25. 44.
incitari et *concitari* 317.
incoeptio et *initio* 446.
incognito 445.
incolumitas Graeeis ἐπιτιμία 245.
incolumitates multitudinis numero minus placent 245.
inconvenienter et *disconvenienter* 370.
incurviscere 59.
index et *vindex* mutata 205.
indidem 480.
inductus et *inditus*, id est, *indictus* et *indutus* confusa 6. 30. vid. Drakenborchium ad Livii 10. 38, 4.

Tom. 5 P. 2. p. 276. et qui ab eodem laudantur ad eiusdem 30. 13, 12 Tom. 9. p. 279.
inductus et *coactus* 349.
inductus et *commotus* 349.
indutus et *inditus* 6. 30.
infensus et *offensus* variata 21. 215. 216.
infestus et *infensus* 21. vide ab Drakenborchio notata ad Livii 2. 26, 7. Tom 1. P. 2. P. 398.
infimus et *intimus* confusa 20. vid. ad Livii 29. 30, 2. Tom. 9. p. 161. et ad 37. 31, 8. Tom. 10. p. 806.
Infinitivus gerundii loco positus 184.
inflammatus et *inflatus* 226. 227.
inflatus corruptum a librariis 277.
infra et *intra* mutata 365. vid. Drakenborchium ad Livii 34. 50, 3. Tom. 10. p. 210. et ad Silii 15. 107. p. 748. sq.
infundere corruptum 47.
iniectus et *innectus*, sive potius *invectus*, confusa 356.
inimicus et *iniquus* mutata 135. 369.
iniquus, id est *inaequalis* 129.
iniquus pro inimico 179. 369.
iniquus et *nequam* 472.
inire rationem 115. 210.
in ius, id est ad Praetorem exercentem iudicia 147.
iniustus, id est iniquus sive inaequalis 298.
innuere et *annuere* confusa 112. 142. 156.
inuit et *induit* variata 226.
in praesenti 9. 174.
inquibat 96.
insania et *infamia* confusa 261.
in scaena sunt, id est aperta et nota omnibus 271.
inscitia et *inscientia* 284. 307.
insedisset et *haesisset ista suspicio* 309.
insimulari aliquid 7.
in solum, *ut dicitur*, colorem referunt proverbii 477.
insomnia 543.
instruere et *instituere* 197.
in sui periculi causa 25.
integritas et *ingenuitas animi* 380.
integrum iam non est 316.
integrum me servo 340.
intendere et *contendere* 338.
intendere et *intercedere* 339.
intercalandi ratio 119. 120.
intercalares Kalendae priores, *secundae* 120.
intercessus et *intercessiones* 561.
intercipere et *interficere* confusa 177.
interdicere, id est interponere 9.
interemptio ab interimendo vox proba 385.
interfari 282. vid. Drakenborch. ad Livii 3. 47, 4. Tom. 2. P. 1. p. 394. sq.
interfatio et *interpellatio* 282.
interire et *interimere* 299.
interitio et *internicio* sive *internitio* variata 152. 194. 384. 385.
internecinum testamentum 335.
interpolatae litterae 155.
interpretamenta librariorum in contextum orationis translata 7. 123. 198. 220. 224. 252. 367. 437. 446.
interpunctio vitiosa corrigitur 468.
interserere et *intercedere* 9.
intexere, id est interserere 100.
intoleranter et *intolerabiliter* 465. 466.
intrudebat et *intro dabat* confusa 184.
intueri et *contueri* 305.
invadere tertio casu iunctum 375.
invertere et *convertere* 533.
invertere et *revertere* 533.
invictissimus 162.
invitissimus et *invictissimus* 275.
inuncare 19.
ioca profundere 520.
iocularis et *ioculatorius* 391.
iocularitер et *locularitер* 494.
ioculatorius et *iaculatorius* 391.
ipsi viginti anni, id est toti et integri 142.
ira et *ita* mutantur 403.
ire viam in formulis iudiciorum 224.
irrauserit 41.
irrepere et *irrumpere* 481.
irretiti et *irritati* variata 247.
irruisset et *irrupisset* variata 306.
is et *his* mutantur 180.
is sive *iis* et *ibus* termini finales confusi a scriptoribus librariis 221. 361. 523. 524. 562.
is accusandi casus tertiae declinationis terminatio 534. 566.
isdem pro *iisdem* 256. 289.
istim, id est *istinc* 354. 355. 390.
ita, id est, *ita est*, affirmantis formula 159.
ita et *itaque* 550.
Italia vectigalis 148.

iteradum 467.
iu et *ui* propter ductuum similitudinem confunduntur 83. 462. 566.
iudex et *index* mutata 266. 312. 391. 560.
iudicare et *indicare* 9. 49. 129. 247. 308
iudicare et *vindicare* confusa 27. 184.
iudiciale ius 163.
iudicium infame, id est turpe 126.
iudicium et *indicium* variata 231. 239 391. 393.
iudicum reiectio 272.
iunctio et *vinctio* 462.
iunctus et *vinctns* 566. 568.
iunxisse et *vinxisse* 83.
iure legeque 256.
ius incontroversnm 40.
iussi et *misi* mutata 420.
iuvantior 529.
iuvare et *adiuvare* 284.
Iuventas 67.

l et *d* variatae 413. vid. quae ab Drakenborchio notantur ad Livii 1. 4, 7. Tom. 1. P. 1. p. 62.
λ pro *δ* positum 413.
laborare et *elaborare* 346.
Ladas 15.
laedere maiestatem barbari dicunt 26.
Laelii comitas 73.
laetans et *lactans* sive *iactans* (vid. ad Livii 10. 16, 6.) confusa 470.
laevare 581.
laevus et *levis* variata 302.
laevus animus, id est sinister et stolidus 302.
L. Lamia a Clodio relegatus 302.
lare casu tertio 506.
latere in agendo, id est actione vitium aliquod tegere 74.
laterna et *lanterna* 388.
laternarius et *lanternarius* 299.
latet mihi 215.
Latiare Latinorum sacrum sollemne 430.
Latona et Asteria sorores 482.
lator, id est legis lator 29.
laudare et *dilaudare* 371. 391.
Laus 431.
laus et *lingua* 303. 518.
lautumia vel *lautomia* et *latomia* 172. 299.
lautumarius et *lautumiarius* 299.
laxae togae delicatorum 218.
lectio et *electio* 33.
lectus et *laetus* confusa 386.
legatus et *ablegatus* 509.
legassit pro *legaverit* 30.
Legiones a numero appellatae 360.
lenis et *levis* mutata 24.
lenitas et *levitas* 84. 221.
lenitas et *lenitudo* 472.
leniter et *leviter* 227. 290.
lenitudo et *lentitudo* 166. 472.
Leocorion 482.
Leonaticum corruptum nomen 482.
levidense et *levi dente* 363.
leviter et *breviter* 531.
libare et *librare* mutantur 37.
libellarium 306.
libertas et *liberalitas* confusa 342. 344. 429.
libertus subintelligendum 411.
librare et *delibrare*, id est decerpere 37.
librarii, quum litterae geminabantur, saepe alteram omittebant 147. 400.
licet et *decet* 50.
Licinia lex 287.
ligurrire 369.
limare, id est detrahere et deterere 15.
linea vestis sive *lintea* 177.
linquens participium a verbo *liquor, eris* 582.
linquere et *relinquere* 11.
lintriculus 414.
litem dare 128.
litterae finales adhaerent initio voeis sequentis 262.
litterae maiores reliquis non eiusdem formae elementis inter positae 147. 170.
locupletis casu recto positum 532.
locus et *lucus* mutata 168.
logeum sive *logium* 351. 352.
longulum iter 428.
loquelariter 494.
lubens et *libens* 372.
lubenter et *luculenter* 554.
luce et palam 304.
in lucem et *in locum* mutata 553.
luci, id est luce potiori genere 537.
ludere et *illudere* 234. id est Graecis χορεύειν 571.
ludii 264.
lumina et *fulmina imperii* 295.
lura, os ventriculi, et *sura* 472.
lusiones, Graecis χορεῖαι 571.
lustra et *stupra* 290.
lustrare, id est patefacere 214.
lustrare et *illustrare* 213. 214.

luteus, id est hebes et stultus 148.
luteus et *bliteus* mutata 148.
luxurii quintae declinationis genitivus 550.

m et *in* mutantur 112.
Maecia tribus 272.
Maenia lex 65.
maerebamini et *mirabamini* confusa 282.
maerere duplici casu iunctum 547. passivi potestate positum 282.
magis pro *minus* et contra *minus* pro *magis* positum a scriptoribus librariis 293.
magister Samnitum sive Samnitium 55.
magnam partem, et similia 29. 247. 264.
maialis porcus castratus 299.
maiorum et *malorum* confusa 17.
Mamilia rogatio 68.
manare et *manere* variata 496.
mancipare et *emancipare* 542.
mandandum et *mandatum* confusa 192.
mandatu 184. 271.
maniae 575.
manias et umbram suam metuere, proverbialis sermo 575.
Manii a mane dicti 73.
manu tentari sive *tractari* 19.
manum consertum 34.
Marcius, non *Martius* scribendum 180.
Marinus et *Marianus* 379.
Masinissa 541.
mastigia 389.
materis 18.
med 486.
medego 443.
medium ferire 491.
Medus, Pacuvii tragoedia 521.
Megalesia 265. 343.
Melitense linum 168.
Melitensis sive *Melitaea vestis*, id est linea 177.
memoriae traditur, *proditur* 24.
mentes dementes, et similia 539.
mercatum et *mercatus* 531.
meritare formularum civilium vocabulum 351.
merus et *innumerus* confusa 44.
metus et *motus* 277.
migrare, id est transilire sive παραβαίνειν 454. 484.
milia et *similia* variata 144.
milites et *nautae* sive remiges 171.
mimicus et *inimicus* variata 297.
mimus 379.
minianus et *miniatus Iuppiter* 363.
minora et *leviora* 416.
Minucia sive *Minutia* et *Numicia* confunduntur 407.
minurire, id est Graecis μινυρίζειν 40.
minuritio 40.
mirum quantum, et similia 85.
miserere infinitivus ab impersonali *miseret* 137.
misi et *iussi* confusa 420.
Mithridates 232. 233.
mo et *no*, id est *modo* et *non* confusa 105. 419.
modus et *nodus* variata 496.
moenus pro munere cum similibus 10.
moles molestiarum 32.
molimentum et *emolumentum* 193.
mollire et *moliri* 539.
mollitia et *mollities* 473.
momentum et *monumentum* confusa 177.
monere et *movere* variata 283. 390.
monere et *admonere* confusa 338.
monita et *monumenta* 538.
monitiones et *admonitiones* 338.
monstrari et *demonstrari* 497.
moratus et *moderatus* variantur 99. 439.
moribus facta vis 183.
μορμώ 575.
μορμωλύγματα et μορμωλύττειν 575.
motio et notio 438.
multimodis 46.
mundus et *immundus* 409. 410.
munerat pro *muneratur* 560.
munitus et *fulcitus* 557.
munus iuris respondendi 68.
murrhata potio 507.
mutatio et *mutuatio* 514.

n et *r* mutatae 152. 439.
n et *v* sive *u* 125. 146. 287. 297. 314. 356. 410. 459.
nae sive *ne* affirmantis 57. 182. 217. 309. 529. 530. vid. Drakenborchium ad Livii 26. 31, 10. Tom. 8. p. 371.

nam et *iam* confusa 170. 201. 368. 463.
natare et *nutare* confusa 449. 478.
Nattae 484. 485.
natura sive *naturae ius* 31.
naturalis et *naturabilis* 12. 554. cf. Lambinum Commentariis Lucretianis ad 1, 11. p. 5.
natus et *nactus* variata 74. 521.
natus et *ornatus* 311.
navare operam 363.
Naupactus et *Neopactus* 304.
nautae sive remiges 171.
ne pro *non* positum 148. 313. 463.
nec et *haec* confusa 68. 146. 565.
nec pro *non* usurpatum 370. 463. 468.
necare et *negare* 326.
nec convenientia, id est non convenientia 370.
necessariis addicere 558.
necessarium tempus servitutis 370.
nec quicquam, id est non quicquam 463. 468.
nec quicquam et *ne quicquam* mutata 16.
nefarius et *nefandus* 309.
negandi particula neglecta 5. 441. 475. 532. 533. 577. loco suo mota 467. 505. temere addita 8. 10. 471. 476. 491. 515. 539. 576.
negotii gerentes 283.
nequeo et *non queo* 309.
nescio qui 132. 554.
nescire et *non scire* 310.
Netini Siciliae populi 161.
nexus vel *nexum* pro mancipio 59. 559.
ni, id est *ne* antiquum 507.
ni in sponsionibus 114. 301. 357. cf. Guilelmum Quaestionibus Plautinis 2, 9 Thes. Crit. Gruter. Tom. 3. P. 2. p. 341. sq.
Nicias 425.
nihil est quod 29.
nimis et *mimis* confusa 520.
Ninnii nomen corruptum 248.
niti et *uti* mutata 107. 518.
nitrum et *vitrum* 314.
nobis et *novis* confusa 179.
nodis et *novis* 48.
nollem promisisse 536.
nolo et *volo* 146. 287. 348. 458.
nomen et *crimen* 138. 271. 350.
nomen et *numerum obtinere* 527.
nominare et *numerare* 547.
nominibus et *numeris* confusa 406.
nominis appellatione cognomen quoque significatur 254.
non, id est *nonne* 15. vid. Heindorf. ad Horatii I. Satirr. 10, 55. Cort. ad Plinii 8. 14, 20. Beier. ad Ciceronis III. de Off. 13, 57.
non pro *con* seu *cum* positum 249.
non et *modo* mutata 105. 419.
non et *quod* 506.
non modo, id est *non modo non*, sequente *sed etiam* 214. 289, 496.
non modo sed, id est *sed et* 240.
non quo et *non quod* 200.
Nonae Sextiles Ciceronis in patriam reditus dies 285.
nos et *vos* quum rectu casu tum obliquis confusa 125. 297. 348. 370. 442. 496. 581.
nostrum et *nostrorum* 347.
nostrum consilium, *qui noluerim* 341.
notatio et *notio* confusa 294. 298. utrumque usurpatum de Censoria animadversione 294.
notio et *motio* variata 438.
nullus et *ullus* 420.
nullus pro inani 450.
numeri et *nervi* confusa 457.
numeros in cantu recidere 498.
nummarius et *summarius* 412.
nundinatio 326.
nuperum pro recenti 450.
Nysius Bacchus 233.

o pro *u* positum 322. 323.
ob corrupta in compositis 8. 23. 29. 566.
obducere, id est exsorbere, ebibere 463.
obdurescere et *obsurdescere* 435.
obligatus corio 6.
obnuptio 212. 213.
obnuptio et *obductio* 212.
obrogare legi 8.
obrogatio 8.
obrussa 76.
observare et *asservare* confusa 415.
obsoleverunt 290.
obstruere perfugio 241.
obtrectatio et *invidia* coniuncte posita 70.
obvenisset et *obviam venisset* 383.
obvolutus et *involutus* 330.
occupare, id est antevertere sive anticipare 492.

occupare pecuniam 232.
occupatio et *oppugnatio* 314.
C. Octavius Augusti pater 429.
odium universi generis hominum 470.
odrilicium corrupta vox 450.
oe et *u* 10. 228. adde Commentaria Lucretiana p. 445.
Ofella 70.
offenditur, id est reperitur 168.
offensus et *infensus* mutata 21. 215. 216.
officia orationis 6.
ominis et *hominis* confusa 346.
omittere et *obterere* 290.
omnes et *homines* mutata 352.
omnia et *omina* 217. 271.
omnino, id est Graecis ἁπλῶς 26.
onus et *honos* 343.
onus grave 210.
opera et *opere* vel *ope* mutata 36. 237. 523. 546.
opera et *opes* 225. 524.
operari 398.
operatio corruptum 398.
opertum 559.
opertus et *apertus* variantur 328.
opinio et *opinatio* 562.
opprimere et *comprimere* 229.
optare, id est Graecis εὔχεσθαι 134.
optare et *appetere* 345.
optima nomina debitores locupletes 181.
optimus et *opimus* 212. 518. vid. ad Livii 38. 8, 8. Tom. 11. p. 43.
opulentior et *utentior* 529.
opus et *opera* quid differant? 523.
orare et *ornare* 50.
orari et *exorari* 319.
oratio iuncta per *et* — *que* 455.
orationis filum 548.
oratoris et *orationis* nominum casus confunduntur 5. 42. 51. 69. 305.
oratoris vel *oratori* et *oratoriis* vel *oratorii* confinium vocabulorum confusio 78. 81. 84.
orbis terrae et *orbis terrarum* aeque frequentata 169.
ornare et *ordinare* 42.
ὀρῶν et ὅρων 422.
os tradere 127.
ostentativum, id est ἐπιδεικτικόν 4.
otiose et *otiosum gerere negotium suum* 554.
ab *ove* multae veteribus cognominatae familiae 297.
Ovii 297.

P. praevaricationis littera 107.
p illatum in *calumnia* et similibus 219. vid. Lambini Praefationem Commentariorum Horatianorum priorem, et Disputatiunculam de C. Memmio Gemello, ad calcem Lucretii a 1563. editi positam.
p et *f* mutatae 453. 515.
Pacidianus gladiator 108.
paean 40.
parare et *parere* 365.
parentium casu patrio usurpatum 176.
parere et *parcere tempori* 455.
parere et *patere* confusa 128. 137. 319. 335. 461. 494. 499.
paret, *si paret* 128. 132. 461.
parietes domestici 203.
par pari referre 341.
partes et *patres* variata 362.
partim semel positum breviloquentiae causa 146.
partim, id est aliqua 529.
partim et *partem* 301.
parum rebus praecisa locutio 494.
parvus et *parvulus* 544.
patere et *latere* mutata 215.
patet, id est apertum est 499.
patet in tabulis 93. 128.
pati et *partiri* 365.
patina et *patella* 160.
patriam amicitiae praeponere 369.
patricida et *parricida* 305.
paullo additum positivis 406. 455.
peccandi verbi constructio quaedam rarior notata 550.
peccatu 147.
pecua et *pecuda* 18.
pecuaria 18.
pellectio 378.
pellitur et *tollitur e medio* 224
penarius et *penuarius* 544.
pensum 151.
per et *prae* confunduntur, quum per se tum in compositis 20. 40. 260. 390. 489.
eragrandi verbi et similium constructio 39.
percepta et *praecepta* mutantur 489. 490.
perceptio sive comprehensio, id est, κατάληψις 106.

perculi et *pertuli* 308.
perculisti et *perpulisti* confusa 33. 289.
percutiendi et *percellendi* verborum sollemnis confusio 162. 226.
perductus et *productus* 321.
peregrinari et *peragrare* 531.
perferre et *perficere* 254.
perficere et *proficere* 113. 197. 365. 549. 580.
perfluxi et *profluxi* 288.
perfruor iunctum accusandi casu 434.
periculum, quod fit experiendi et periclitandi ingenii causa 497.
permanare et *permanere* 315. 456.
permittere et *remittere* 281.
permovere et *pervertere* 493.
pernicii generandi casu a *pernicies* 127.
perpendere, unde *perpendiculum*, id est comparare sive potius examinare, ἐξετάζειν 294.
perpendere et *pertendere*, 294.
Perperna 128.
perscriptio 40.
perscrutati et *persecuti* confusa 8.
persequi et *prosequi* 551. 562.
perterrere et *proterrere* 262.
pertinere, id est pervenire et permanare 527.
perturbare et *proturbare* 16.
pervagari et *pervulgari* 28.
pervagatus et *pervulgatus* 45. 453.
pervehimur et *provehimur* 524.
pervenire et *provenire* 280.
petiturire 378.
Phalaridis nomen per f scriptum 301.
Phalaridis taurus 300.
phararchus 373.
Pherecydes *Syrus* sive *Syrius* 460.
pila ludere 39.
Pindenissitae 395.
Pindenissum et *Pindentissum* 395.
Pirene fons Corinthi 418.
Piso *Epicurus*, tanquam voluptatis laudator 299. *Clodianus canis*, more canum P Clodio Tribuno Plebis adulatus 299.
Plautia lex 336.
plebei generandi casu 65. 149.
plebes nominandi casu 223.
plebicola et *poplicola* 285.
plera, id est pleraque 508.
plerique omnes 25. vid. Ruhnkenium Dictatis ad Terentii Andriam 1. 1, 28. p. Schopen 11.
pluria 508.
poenire 228.
poeniri active sumptum 464.
poenitendi verbi rarior constructio 25.
Pola cognomentum Serviorum 361.
Pomtinus et *Pomptinus* 219. vid. *p* illatum in *calumnia* et similibus.
pone et *penes* 568.
ponere in custodia, et similia 227. 360.
pontes 6.
pontifices de religione iudicant 378.
populariter 494.
portubus et *portibus* frequentata 195.
positum et *propositum* 12.
possessio, id est tutela 233.
post et *postea* confunduntur 371.
posterius, id est deterius 292.
postulo sive *postulio* 265.
pote, id est δυνατόν 163. 183. 408.
potiri iunctum accusandi casu 490. 530.
potissime et *potuisse* variata 548.
potius additum comparativis 49.
PB sive *P. B.* a scriptoribus librariis Latine non doctissimis perperam accepta 139. 166. 169 234. 282. 308. 325.
praeceptio, id est anticipatio vel praenotio, quam Graeci πρόληψιν vocant 106.
praeceptio et *perceptio* variantur 106.
praecipere, id est praescribere quid faciendum sit 220.
praecipere et *praeripere* mutata 411.
praecipere et *recipere* 220.
praecipere obitum, id est celeriter obire 573.
praedicare 208.
praeferre, id est prae se ferre 124.
praegnas et similia 378.
praelucere bonam spem 548.
praclusio et *prolusio* 132.
praemia et *promissa* 320.
praemii loco et *in praemii locum* 30.
praeparare et *reparare* 345.
praescribere et *perscribere* 260.
praescriptio et *proscriptio* mutata 207.
praescriptum, id est ante scriptum 212.
praesentiores et *praestantiores* 340. 373.
praestinguere, id est obtenebrare 20. 132.

praestinguere et *praestringere* 20.
praestringere et *perstringere* 20.
Praetoris est *decernere* et *iubere* 372.
Praetutiana regio inter Italicas clara 288.
praevaricari 198.
pravitas et *importunitas* 370.
premi et *teneri dominatu* 485.
primum et *plurimum* variata 16.
primus et *prius* 425.
principes 433.
principio et *praecipue* confusa 562.
principium antique dictum casu patrio 166.
pro et *per* mutantur 19. 113. 196. 197. 262. 280. 288, 321. 365. 524. 549. 551.
pro et *prae* confusa 217. 256 390. 405. idem valet quod *prae* 222.
probare, id est persuadere 145. 156.
procax et *protervus* 290.
pro civili parte 369.
Procles et Eurysthenes 488.
proclive, detracta praepositione *in* 471.
prodere posteritati ad memoriam 169.
pro desperato 416.
prodicta die, id est edicta 140. 256.
prodicta et *praedicta die* 256.
productus et *provectus* 5. 19.
produxit et *provexit* 31.
proelium et *periculum* variata 294.
proferre et *referre* 228.
proferre diem 274.
prolatum et *probatum* 234.
promeritus 26.
promissum 176.
promontorium et *promuntorium* 163.
propala sive *propola* 402.
prope et *propter* confusa 193. 199.
propiora er *propriora* 197.
πρόπρυμνα 392.
πρῶρα πρύμνα, id est totum 392.
proscribere, id est in publico scribere 207.
provehi et *provenire* 540.
providere et *praevidere* 222.
provinciae plures uni attributae 340.
πτολίπορθος et πτολιπόρθιος 366.
publici, id est carnifices et lictores 335.
pudens et *prudens* variata 156. 232. 300. 371. 401.
pudor et *furor* 384.
pueri et *pueruli* 94.
pugna ad Bovillas quo die facta 394.
pulmentum et *pulpamentum* 475.
punctum temporis 220.
pupugi et *pepugi* sive *pepigi* 124.
purgare forum, id est reddere infrequens 282.
putanda et *vocanda* 294.
putare et *reputare* 202.
putidum, id est ineptum 402.
putiscere sive *putrescere* 458. 481.
Pythagoreus et *Pythagoricus* 500.

qm et *qn*, id est *quoniam* et *quando* commutantur 94.
qua et *quam* 486.
qua et *quo* mutata 173. 571.
qua — qua 271.
quaeque, id est *quaecunque* 344.
quaesitor, id est Praetor 72.
quaestio et *quaestus* mutata 202.
quaest ones et *questiones* 69.
quam, id est quam valde sive quantopere 394.
quam et *quum* confusa 261.
quamvis et *quantivis* 354.
quamvis pro *quantumvis* 19. 354.
quantum potest pro *quantum potest* 408.
quasi additum ad leniendam translati nominis asperitatem 65. 80. 102.
quasi et *quaeso* variata 143.
quasi quadrigis volare 80.
quattriduum 158.
queror de aliquo 202.
qui et *quin* confusa 87.
qui et *quum* sive *cum* variata 197.
qui potest et *quis potest* 224.
quia et *quid* 187.
quicquid, id est quicque 160. 182. 188. 198. 352. 424. 457. 475.
quid est aliud, detracto *nisi* vel *quam*, quod semidocti addunt 301. 322. 332. 334. vid. Drakenborchium ad Livii 6. 40, 19. Tom. 3. P. 2. p. 365. sq.
quid hoc homine facias? 143.
quid ita? 129.
quid multa? 313.
quid sum et *qui sum* 350.
quidem et *quidam* 340.
quin, id est quod non 269.

quisquis pro *quique*, et contraria ratione apud posterioris aevi scriptores *quique* pro *quisquis* 352.
quivis, id est *cuivis* 49.
quo et *quaeso* variantur 476.
quod, id est *propter quod* 331.
quod pro *quoad*, id est *quantum* sive *in quantum* 95.
quod positum pro *sed* sive *autem*, ut in *quodsi* 453.
quoniam et *quum* confusa 421.
quotidiano sive *quottidiano* antiquum verbum, adverbii potestate sumptum, ut *matutino*, et similia 159.
quum maxime 196.

r et *t* confusae 249. 403.
r et *v* 98. 359. 425. 493.
RP. sive *R. P.* id est *res publica*, et *PR.* sive *P. R.*, id est *Praetor* sive *populus Romanus*, confusa 192. 298. 308. 321. 333. 501.
rabere, a rabie deductum verbum, et *rapere* confusa 485.
ratio et *oratio* mutantur 4. 28. 167. 316. 386. 442. 462. 520. 562. 563.
ratio extrema ac necessaria 116.
ratio fugit 9.
rationes confectae et consolidatae 351.
rationibus vincere sive *evincere* 558.
ravus 445.
recens in labore, id est ἀκαταπόνητος 8.
recentior et *reticentior* variata 8.
recepta et *redacta pecunia* 311.
receptrix et *receptatrix* frequentata 166. 177.
recidere et *recedere* 473.
recipere, id est spondere et suo periculo promittere 220.
recipere et *percipere* 480.
recipere et *reficere* 129. 205.
recitare scribarum 208.
reclamant theatra 89.
recognitio et *recognoscere* iudiciorum vocabula 163.
reconditum in vagina translate dictum 213.
recte est, vel simpliciter ita positum vel addito pronomine 80.
rectus et *certus* 9.
rectus et *tectus* 68.
redimiculum praebere 149.
redivia 126.
refellere et *repellere* mutantur 453. 476.
referre, id est respondendo obiicere et, ut vulgus loquitur, *replicare* 5.
reficere quaestum 129.
refractariolus 381.
regina rerum oratio 46.
regula cognitionis 442.
reiectum et *resectum* 506.
relativi constructio v. attractio relativi.
relativum congruens cum eo, quod antecedens nominatur 350.
relegatoria provincia 424.
relictis rebus 54.
relictum et *derelictum* 532.
religio, id est falsa religio, quam superstitionem vocant, et *irreligio* 10.
reliquae et *reliquiae* 245.
reluere, id est repignerare 521.
Rema et *Remura* 486.
remetiri 64.
remittere, id est condonare 281.
reperi et *peperi* 39. 486.
reperit et *repetit* confusa 242.
repticius et *reperticius* 336.
repuerascere 41.
reputare et *exputare* 337.
requirere et *relinquere* 533. et *acquirere* 564.
reri et *videri* confusa 98.
res est pro operoso Latinis inauditum 402.
resederat et *reciderat* mutata 79.
resido et *resideo* 453.
resipisset et *resipuisset* 282.
respectare 272
respirare et *resipiscere*, id est ad se redire 282.
respirare et *suspirare* 557.
restat et *praestat* 368.
restrictum esse in aliquem et *in aliquo* 528
retardare et *retractare* 463.
reticentiae exemplum 477.
retinere et *continere* 527.
retinere et *pertinere* 526.
reverens, id est metuens 462.
reverens et *revertens* variata 462.
revirescere et *reviridescere* 293.
reviviscere et *revivescere* 268.
reviviscere et *revirescere* confusa 268.
revocare et *devocare* 194.
Rhosica sive *Rhosiaca vasa* 396.
rictum et *rictus* 162. 163.
rite et *recte* confusa 567.
rogatio et *oratio* mutata 22.

Rosciana prior ante Quinctianam collocanda 121.
rudentisibilus 359.
rudibus gladiatores donantur satis spectati 55.
Rudinus 60.
ruere et *furere* variata 388.
rumor et *timor* 387.
rumusculos aucupari 510.
runae 509.
Rutilii et *Rupilii* nomen confusum 550.

s et *c* mutatae 297.
s et *f* confusae 88. 379. 566.
s elidenda 11. intercepta 532.
salaco 376.
salsus et *falsus* variata 379. 460.
Samia sive *Samiae* 493.
Samnites gladiatorum genus 55.
sanctus et *sancitus* frequentantur 30. 295. 304.
sancire legem 30.
sanguen 63.
sapienter et *patienter carere* 42.
Sardanapali vicem in lectulo mori 414. cf. Gronovium ad Livii 1. 25, 6. Tom. 1. P. 1. p. 205.
scaena 218. 555.
scamna 555
scedula et *scida*, id est charta 374.
scibam et *sciebam* 468.
scire et *sentire* mutata 199.
scortorum et *scortatorum* 218.
scribendo adesse 363. 380.
scribere iuris consultorum 92.
scriptus ludi genus 39.
scruposus et *simpulosus* 471.
scurrarum convivia 223.
σκύθης ὄνος proverbium 415.
sectionem vendere 112.
secundarius, id est δευτεραγωνιστής 74.
sed sive *set* et *scilicet* confusa 235: 432.
sedum et *sedium* 279.
segnitia pro *segnitie* aut *segnitate* 38.
Semurium et *Remurium* confusa 329. 330.
Senati generandi casu frequentatum 131. 264.
senaturire 359.
senectus et *senescens aetas* 541.
septa 306.
sequi, id est probare 448.
servare et *conservare* mutata 340.
servare et *reservare* 321.
servare pecuniam 311. 312.
servus intelligendum 411. adde Ruhnkeninm Dictatis in Terentii Andriam 2. 2, 20. p. Schopen. 44.
sesquiplex 89.
sessum it Praetor 483.
sestertii nota 121. 122.
set veteres librarii posuerunt pro *sed* 240. 432. 533.
severitas et *servitus* confusa 365.
severitas et *veritas* 360. 497.
si pro *an* 126.
si et *sic* mutata 562. 569.
sibi additum possessivo 551.
Sida oppidum Ciliciae 399.
si ita placet 236.
Sila silva, quae et *Scantia* 67.
similes sunt ut si qui 539. 540.
simpinia Pontificum 493.
Simulans Afranii fabulae nomen 285.
simulatio et *simultas* 304.
Sinopa 137.
sit et *fit* mutata 91.
sitella 5. 477. cf. Adrianum Turnebum Adversariis 13, 13.
sittybae 389.
socius nequiori sensu 147.
solidum, id est firmum et stabile 131.
sollicitare sua sede, id est commovere et loco depellere 448.
somnium et *somnus* 443. vid. VV. DD. ad Livii 8. 6, 11. Tom. 4. P. 2. p. 48. sq.
sors et *fors* confusa 163. 516.
sortiente Praetore, id est subsortiente 133.
sparatus a sparo, quod est teli genus 257.
species singulari potestate sumptum 535.
species et *facies* variata 315.
spectare et *expectare* variata 30. 526.
speculae nomen rarius corruptum 199. 344.
spes et *res* confusa 402. 412.
spes et *species* 231. 315. 354. 567. 579.
spirabilis et *spiritabilis* 480. corrige erratum librarii, a me frustra castigati.
spirare et *expirare* 247.
spirare et *respirare* 557.

spondeo et *respondeo* 52.
spondialia 47.
sponsione vincere 17.
stabula Ciceroni, quae aliis *meritoria* sive *prostibula* 325.
stadium et *studium* confusa 13. 15. 37. 74.
Staleni nomen in varia corruptum 97. 98.
Statius Q. Ciceronis libertus 430.
stimulator et *instimulator* 253.
Stratus 304.
subiicere et *subigere* 504.
subiicit et *obiicit* 240.
sublime ferri, subtracta praepositione 461. 480.
sub Novis 48.
suboles 58. 368. 517.
subsecivus sive *subsicivus* 52.
subtilis rerum fere epitheton, non personarum 270.
subvenire 524.
summa res sive *summa res publica* et *summa rei publicae* 21. 124. 128. 214.
summa res et *summa rerum* 124. 128.
Summarius, id est parvus Marius 412.
summum consilium civitatis Senatus 287.
summus in conviviis opponitur *imo* 543.
superfluentes barbare mutatum 79.
superior honore 343.
superstitibus praesentibus 224.
suppedere et *suppellere* mutata 365.
suppeditare, id est sufficere sive ἐπαρκεῖν 3.
suscensere 327.
sustinere et *inhibere* 37. 421.
sustinere et *sustentare* 221.
sympinium sive *simpinium* 265.
sympuvium vel *simpuvium* 265.
Syracusana ratio 144.

t et *s* mutatae 310.
tabula Censoria 575.
tabula et *tabella* 300.
tactum et *tractatum* 531.
taeter hostis gravius dictum quam *acer* 301.
tagax 397.
tamenetsi restituendum Ciceroni 136. 145. 206.
tamenne? 238.
tamen si 145. 206.
tam maxime 554.
tantum quod, id est *tantum modo, nihil nisi* 140.
Temenites Apollo 164
temperatissimus et *temperantissimus* proclivi errore turbata 230
tempestas et *tempestivitas* 541.
tempestiva convivia et *intempestiva* 222. 223.
tempora difficillima solutionis 184.
Temsa, non *Tempsa* scribendum 170. vid. ad Livii 34. 45, 4. Tom. 10. p. 190. et ad 39. 23, 2. Tom. 11. p. 406.
tenere et *tueri* 521.
tenere et *terrere* 492. vid. ad Livii 22. 42, 7. Tom. 7. p. 251.
Tenes 135.
tenuiculus et *tenuissimus* 364.
τέρψις et τρίψις confusa 376.
teruncia et *teruncius* 401.
testamentum et *testimonium* 187. vid. ad Livii 39. 8, 7. Tom. 11. p. 344.
testor et *obtestor* 229.
τειυφῶσθαι et τειυφλῶσθαι mutata 418.
Thasus et *Tharsus* 20. 304.
Threcius et *Threicius* 292. 525.
Thyamis Epirotes 501.
θυμαίνονια et θυμήνανια variata 405.
Tiberina decursio 458.
timefactus et *tremefactus* variata 524. 525.
timendi verbi constructio rarior notatur 11.
Timon 554.
Timothei felicitas 28.
tm et *tn*, sive *tantum* et *tamen* confusa 344
Tmolites Nicenus 230.
tocullio, id est pusillus fenerator 382.
toga a tegendo dicta 218.
togatae mulieres 324.
trabes singulari numero in recto casu 10. 93. 96.
traiecticia pecunia 236.
tralatus et *translatus* frequentata 222.
trans in compositione litteras quasdam abiicit, ut *traferre* et similia 339.
transenna 38.
transfuderim et *transtulerim* variata 424.
transibas et *transiebas* 302.

transmarina res 195.
travectus 247.
tribuarius et *tributarius* 271.
Tribunus *Militum* vel *militaris* 28.
tropaeum 22. 261.
tu et *in*, id est *tum* et *tamen* variantur 310. 344.
tueri et *intueri* 356.
tulerunt et *contulerunt* 334.
turpido vocabulum nihili 520.
tutissimo et *tutissime* 404.

u et *b* mutatae 297.
v et *f* 428.
u pro *o* positum a veteribus 322. 323.
v et *r* confusae 98. 359. 425.
Vaccaei 275.
vacefacere 215.
vadimonium sistere 114.
vagato pro *vagator*, Lucretianum 572.
vale in plerisque epistolis non ascriptum 428.
valetudo et *invaletudo* 542.
valuerunt et *voluerunt* 262.
varo 365. 394. 451.
vastari et *vastescere* 480.
ve et *que* 508.
ve sive *ue* et *ne* diversi generis scripturae compendia mutantur 562.
vectem et *vecti circum nexus* 487.
vegrandis 211.
Veientana tribus 391.
velle et *optare* non idem valent 547.
venalicii et *venaliciarii* 92.
vendicare et *venditare* confusa 152.
venditare, id est vendere velle 165.
venenum et *vinum fugiens* 536.
veniendum et *vivendum* 545.
verendum est et *videndum est* 514.
verendum est ut, et *ne* 373. 434.
vereor ne et *vereor ut* contraria significatione usurpata 352.
vereor ut, id est *vereor ne non* 315.
vereri, id est venerari sive revereri 25.
verisimile est, *verisimile non est ut* 126. 158. 240. 281. 282.
verissima fronte 313.
veritas et *varietas* confunduntur 386. 387.
veritas et *utilitas* 554.
versare et *servare* confusa 566.
versicolor 83.
versutiloquus 59.
vertebat, absolute positum 69.
vertebat et *convertebat* mutata 69.
verveces 505. 506.
verum, id est iustum sive aequum 254. 440
verum, id est simplex et artis expers 190.
verum esto concedentis 452.
verus et *varius* confusa 46.
vesci, id est uti 458.
vestire et *vitire* 531.
ui sive *vi* et *in* confusa 424.
vi sive *ui* et *iu* mutata 83.
videre, id est curare, et *vitare* confusa 518.
videri, id est visu percipi 8.
videri et *reri* confusa 98.
vietum, id est molle 391.
vigilare et *evigilare* 431.
vincendi et *vinciendi* verborum confusio 16. 17.
vincere, id est argumentis expugnare sive superiorem esse 34. 119.
vindicare, id est purgare 432.
Vinicianus et *Vicinianus* 359.
violentia et *vinolentia* 329.
violentus et *vinolentus* 370.
virago 517.
viri, non *homines* Latinorum usu 87.
viridaria et *viridiaria* 382.
viris equisque et *velis equisque* 537.
vitibus caedere 576.
ullus et *nullus* 420.
ullus et *unus* 292. 345. vid. Drakenborchium ad Livii 9. 14, 12. Tom. 5. P. 1. p. 116.
ultimum in amicitia quid sit, auctore Pythagora 517.
ultro, id est non rogatus, αὐτεπάγγελτος 119.
universim et *universe* 246.
uno iure, id est pari statu et condicione 525.
unquam et *usquam* mutata 124.
Voconia lex 139.
volim, id est *velim* 480.
volo et *nolo* verborum formae quaedam confines mutantur 146. 287. 348.
volo tua causa 578.
voluntas et *voluptas* confusa 120. 555.
voluntate sua, id est sua sponte 408.
ur terminatio passivi male a librariis vel addita vel omissa 280. 284. 304.

409. 470. 480. 526. 538. 539. 544. 562. 564. 566. 568.
urnula et *hirnula* sive *irnula* 556.
usus, *si usus ferat* 466.
ut, *ut es*, *ut est*, *ut sunt*, et similia 87.
ut, *est ut*, *non est ut* pro fieri sive accidere potest 126. 250. vid. *est ut*.
ut interceptum a copulativa, quae antecedebat 471.
ut et *et* 522.
ut et *utrum* 544.
ut positum pro ὅτι 171.
ut, id est quamvis 270.
ut pro *ubi* usurpatum 168. 320.
ut cinnus et *vicinus* mutata 82.
utcunque et *ubicunque* 522.
utentior comparativus a participio *utens* 529.
uti et *sicuti* 317.
ut illa et *utilitate* confusa 106.
ut si post *similis* 539. 540.
Vulgae Galliae populus 182.
vulturius provinciae, id est direptor et expilator 300.
uxoria condicio 549.

x et *c* mutatae 357.
x et *s* 162. 541. 570.

ὑπώπιον 381.

BONNAE,

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA THORMANNIANA.

Quod pluribus locis non immerito *Lambinus* queritur, librarii culpa evenisse, ut *Ciceroniana* vitiis typographicis foede commaculata lectionem haberent impeditiorem: id equidem in Lambinianis nunc queror hoc magis, quod quum plagulas, quae speciminis loco proponi solent, accurate correxissem, tamen operarios dicto parum audientes habuerim. certe plura, quae correxeram, intacta remanserunt. itaque

p. Praef. XL. versu, qui est tertius ab ultimo, addendum: „a. 1569. *Cornelii Nepotis* editio."
p. 22. vers. 27. reponendum *auctoritate.*
p. 29. vers. 9. *C.* 7. §. 24.
p. 31 vers. 22. *manu.*
ibid. vers. 44. §. 174.
p. 45. vers. 18. *conformaro.*
p. 63. vers. 38. *ei* scribendum, Italico, inquam, charactere.
p. 70. vers. 9. addendum: »cf. 30. 20. §. 3. Tom. 9. p. 315.«
p. 88. vers. 24. *August. XII*, 13.
p. 89. vers. 40. *perplexe, ut solet, sesquens pean.* ac deinceps, vers. 43., quae interposui Lambinianis, ea distinguenda sunt ab reliquis hoc signo].
p. 115. vers. 20. *viri optimi.*
p. 143. vers. 3. *superiori.*
p. 148. vers. 46. *subintelligitur.*
p. 156. vers. 25. *pudens.*
p. 158. vers. 38. *C.* 2. §. 4.
p. 159. vers. 10, post illa, *apud se*, addendum: »non *apud te*, ut „est apud Orellium p. 281."
p. 162. vers. 27. *nam et vulgati.*
p. 176. vers. 17. *vid. Madvig.*
p. 209. vers. 14. delendum istud » loco non suo positum.
p. 218. vers. 43. *municipiorum.*
p. 237. vers. 13. *afuisse.*
p. 250. vers. 20. *qua voce.*
p. 255. vers. 30. dele notam interpunctionis post illa, *hanc meam.*
p. 258. vers. 34. dele punctum loco non suo positum.
p. 260. vers. 13. *e Sexto Clodio*, charactere, quo haec scripta sunt. Italico.
p. 262. vers. 44. *inaugurato.*
p. 266. vers. 29. pone distinctionem post *restitui.*
p. 275. vers. 24. adde punctum post *cetera.*
p. 277. vers. 20. *Mueller. p.* 37.
p. 284. vers. 15. *vid. Aurelium.*
p. 294. vers. 40 *haberet.*
p. 304. vers. 9. *devorata*
ibid. vers. 17. *sed antiquam.*
p. 312. vers. 8. post *discendi* addendum: „? *dicendi*, ut est in lem„mate."
p. 338. vers. extremo *intendere.*
p. 339. vers. 40. post illa, *nimium magno silentio*, addendum: »vid. »Io. Aug. Ernestum Opusculis Philologicis p. 149.«

p. 351. vers. 30. *qui se* —
p. 368. vers. 27. dele punctum post *Victorii* nomen.
p. 375. versu, qui est tertius ab ultimo, *comitatu.*
p. 377. vers. 45. *missurum.*
p. 378. vers. 6. *illius.*
p. 382. vers. 30. *Laemarianae.*
p. 385. vers. 37. pone punctum post illa, *corruptus est.*
p. 390. versu ultimo, *verum.*
p. 399. vers. 38. dele punctum post *Davisium.*
p. 400. vers. 21. pone distinctionis signum post *reiicienda.*
ibid. vers. 29. *itemque.*
p. 404. vers. 12. *scriptum fuerat a Cicerone*, litteris male cohaerentibus.
p. 414. vers. 34. *etc.*
p. 415. vers. 13. inserantur meis haec: „vid. Commentaria Horatiana „ad I. Satirr. 1, 90. P. 2. p. repet. edit. 20. sq."
p. 416. vers. 8. *operae.*
p. 417. vers. 23. *poteris.*
p. 423. vers. 18. *vid.*
p. 424. vers. 12. *Drakenborch.*
p. 428. vers. 27. pone punctum post *tribunatum.*
p. 431. vers. 16. *te.*
p. 433. vers. 25. dele punctum post *ad.*
p. 441. vers. 8. dele interpunctionem post *Caecina.*
p. 448. vers. 3. *reperiuntur.*
p. 451. vers. 16. dele interpunctionem post *coniungerent.*
p. 465. vers. 2. dele hoc signum], loco non suo positum.
p. 477. vers. 16. *efficis.*
ibid. vers. 20. *p. Creuzer.*
p. 480. vers. 11. *spiritabili.* vide quae notantur ad libellum Ciceronis de Amicitia C. 21. §. 80.
p. 487. vers. 17. *cognationem.*
p. 493. vers. 33. *ut is scribit*
p. 521. vers. 27. *quae minus delectent.*
p. 524. vers. 16. *et cultu bestiarum.* et deinceps, vers. 20., dele punctum post *desisto*, utpote loco non suo positum.
p. 531. vers 13. *ex Tusculanarum quinto.*
p. 532. vers. 23. *et Romm. editiones.*
p. 554. vers. 21. addendum: „vid. Lambinum Commentariis Lucretianis „p. 5. ad 1, 11."
p. 593. corrige numerum paginae.
p. 596. col. a. vers. 17. *vinctus.*
p. 605. col. b. vers. 25. addendum: »vide Commentaria Lambini quum »Lucretiana p. 789. ad 6, 497., tum Horatiana p. 28. C. ad I. Satir. 2, 134.«

6. *Kal. Septembres a.* 1830. K.

Βαρκιόρκιος

Plutoterium
in Sicilam navigat

Dion bellum
in Dionys.
parat

Dionysius nunc
primum omni spe recuperanda tyrannidis
ademta, priuatus
uisus.

Dion
αὐτοκράτωρ

Dion de amico
Callippo
interficitur

ωαρὰ

Dion. Lambini Emendatt. Tull. ed. Klein.

UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
871C7.YLAM C001
TULLIANAE EMENDATIONES EX ED. CICERONIS
3 0112 023667329